

K

IOAN. PETRI MAFFEII, BERGOMATIS, E SOCIETATE IESV, HISTORIARVM INDICARVM LIBRI XVI.

Hist. Ind. 1490. ad 1557.


SELECTARVM, ITEM, EX INDIA Epistolarum, eodem interprete, Libri IV.

ACCESSIT IGNATII LOIOLAE VITA.
Omnia ab Auctore recognita, & nunc primùm in Germania excusa.
Item, insingula opera copiosus Index.



COLONIÆ AGRIPPINAE
In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO M. D. LXXXIX.
Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.



PHILIPPO REGI CATHOLICO.

SVPERIORIBVS annis, cùm ad componendas Lusitaniæ res, Olisiponem ipse venisses, Catholice Rex, hortata me tua est Maiestas, vt inchoatam Henrici Regis nomine auunculi tui rerum Indicarum historiam, pari alacritate studioque persequerer. Feci quod iusseras: totumque contextum narrationis, à primo nauigationum exordio, ad vsque Soceri tui Ioannis eo nomine tertij Regis obitum, pro mea tenuitate perduxi. Quò longius ne progrederer, annalium exinde series, vt in tantis & rerum motibus, & locorum interuallis, partim interciſa, partim etiam neglecta, prohibuit. Neque verò mihi diutius deliberandum fuit, cuinam opus hoc qualecunque, recepta iam consuetudine, destinarem. Debebat hoc tuis erga se meritis nostra Societas vniuersa. Idipsum nominatim à me tua de me iudicia, meaque summa in te pietas exigebant. Postremò res loquebatur ipsa, æquum esse, vt cuius in primis virtute opibusque Christiana res nititur, huic potissimum, explorati pijs felicibusque maiorum suorum armis Oceani; aditarum quæ

rum quæ auditæ non erant, gentium; propagatæ vnà cum imperio in vltima loca rectæ in Deum fidei, si minus facunda splendidave; certè, quoad eius fieri potuit, syncera atque accurata explicatio dicaretur. Quæ me, Rex Optime & Maxime, perpulerunt causæ, vti præ cæteris offerre tibi mearum lucubrationum fœtus auderem; eædem, opinor, Clementiam istam fastigio tam excelso parem adducent, vt eos in lucem, sub Augusti nominis tui præsidio tutelaque prodijsse patiare. Quod reliquum est, Maiestatem tuam Deus immortalis ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ catholicæ firmamentum, quàm diutissimè tueatur incolumem.

IOANNIS PETRI MAFFEII, HISTORIARVM INDICARVM LIBER PRIMVS.

A  ETERNAE mentis numen, atque consilium, quò ab ipsis mundi primordijs vniuersa pariter & singula gubernantur; fide potius & silentio venerandũ, quàm argumentis ac disputationibus indagandum, iure præcipiunt sapientes viri. Nihil est enim, cœlesti rerum omnium dispensatione, vel propter ipsius vim atque constantiam illustrius, vel propter humani luminis imbecillitatem obscurius. Veruntamen, quoad homini speculari fas est, quantumq; valet mortalis tarditas ex ipsis duntaxat rerum euentis existimare; Diuinæ prouidentiæ ratio videtur eiusmodi, vt ingentium operum quæ molitur, multo ante fundamenta iaciat; eaq; per occultas causas, & incrementa latẽtia, sensim ad tectũ fastigiumq; perducat. Id adeo, si quis animum aduertat, iam inde ex vltima veterum annalium memoria facile intelliget. Post dirã illam totius orbis terrarum eluuionem, cùm denuo genus humanum in omne scelus at-
B que flagitium rueret; vniusque veri Dei cultum cum dæmonum seruitute commutaret; ne paulatim vniuersa interiret pietas, peculiarem sibi populum diuinæ legis custodem, religionis administrum, oraculorum interpretem Deus immortalis tempore definito condendum esse decreuerat. Quot ante seculis, eam vnam in rem, eximia fide ac sanctitate virum, Abrahamum, ex hominum fæce seuocauit, & propria inustum nota ipsum, & prolem eius, tanquam generosi armenti sobolem, & quidẽ præclara cum testificatione, sepositi! Rursus, hoc ipso populo per summam impietatem atque perfidiam rebellante, lucem veritatis, procurationẽ sacrorum, & ipsamet adoptionis iura Deus aliò transferre statuerat. Quàm multis ante annis vrbem Romam exsurgere, & à paruis initijs ad summum in terris imperium euehi passus est! Nimirum, vt Ecclesiæ principatum, ac religionis domicilium ibi aliquando locaret; atq;, vt vnde omnes populi, & nationes tum iura ciuilia, tum nefarios ritus ac superstitiones paulo ante petijssent; inde in omnia regna prouinciasque sine vllo erroris metu, sacrosancta Pontificum scita, & castissimæ cæremoniæ, & bene beateq; viuendi verissima præcepta manarent. Denique, superiore memoria, cùm ex eadem Vrbe salutarem Christi doctrinam in remotissimas nationes propa-
C gare vellet; quæ lumen Euangelij vel antea nunquam acceperant, vel acceptum, incuria seu longinquitate restinxerant; quàm pridem fortium & experientium virorum excitauit ingenia, vt ignotas ad id tempus terras, ignotiora maria, tum ad ortum solis, tum ad occasum, per summã animi contentionem, perq; summa pericula & difficultates pertinaci studio exquirerent! Videlicet, quo per mutua commercia, dum peregrini cum incolis vel terra nata, vel manu facta, vel alia quælibet in vsum vitæ, pro locorum & regionum varietate, permutant; interea occasionem nacti sacerdotes & vitæ innocẽtia, & Christianæ facundiæ laude præstantes, ex auctoritate Romani Pontificis, verbum

Dei longè lateque disseminarẽt;errantesque mortalium greges, ab infelicibus D vepretis ac saltibus, ad læta Domini pascua caulasque traducerent. Cuius tam glorioſi facinoris, tamque longinquæ nauigationis (ad quam neque fabuloſi illi Argonautæ, neque in cœleſtium numerum falsò relati Bacchi, Herculesve vnquam adſpirarunt) quoniam decus ac titulos partim Luſitania, partim Luſitaniæ finitima Bœtica ſibi iure quidem optimo vindicat; quæ à Bœticis ad ſolem occidentem præclarè geſta ſunt, ſcriptores alij perſequentur. Nos, quoniam cuncta complecti pæne infinitum eſſet, Luſitanicæ tantùm conquiſitionis, præſertim verò promulgati ad meridiem & orientem Euangelij initia progreſſusque (quando ita iubemur ab ijs, quorum à nutu diſcedere eſt nefas) in vnius Dei gloriam, & ſolatium Eccleſiæ Chriſti vniuerſæ, latinis maximè litteris conſignare decreuimus. Quæ cognitio piorum animos variè, ni fallor, afficiet: lætabuntur haud dubiè, tanta iam ex parte vanis gentium ritibus, ac deteſtabili Deorum inanium cultu ſublato. punget eos rurſum atque adeo terrebit, improborum ſcelere, & prauis dogmatibus agitata, ex orbe noſtro ad inſulas longè, vt inquit Eſaias, atque ad vltimas terras tanquam indignabunda propalam migrans Chriſtiana religio: vt vel Deo E vindice regnum à nobis item auferri; vel, colluſtrato lucis Euangelicæ radijs toto propemodum orbe terrarum, ex diuinis oraculis, effœtæ iam ac ſenescenti naturæ finis propediem adeſſe videatur. Verùm hæc ſummus ipſe rerum arbiter, pro ſua infinita bonitate ac ſapientia moderabitur. Nobis, remtantam, parendi magis alacritate, quàm perficiendi facultate ſuſcipientibus, illud in primis veniebat in mentem vereri: ne, quoniam permulta cùm ſacris, tum prophanis in rebus ſupra naturæ vim atque ordinem facta ſubinde exponentur, narratio noſtra plus fortaſſe admirationis apud quoſdam ſit habitura, quàm fidei. Quocirca denuntio profiteorque iam nunc, me nihil in mediũ eſſe allaturũ, niſi quod è publicis tabularijs, aut probatis auctoribus, quiúe interfuêre ipſimet rebus gerendis, accepero. Quæ mihi copia quò prõptior & expeditior eſſet, non ſubterfugi quominus Oliſiponem vſque, commorandi cauſa contenderem. qua ex vrbe, quòd in Oceani velut imperium peropportuno imminet loco, atque ob id ipſum antiqua regum Luſitaniæ ſedes eſt; omnia ferme Indicarum expeditionum conſilia atque acta manarunt. Neque nobis veritate quicquam omnino antiquius vel fuit, vel eſſe debuit. Nam alioqui, neq; Deus immortalis, cui noſtra omnis vni deſudat induſtria, commentis, ac mendacijs delectatur; & me ipſum mortalibus rebus iampridẽ F valere iuſſis; fingendi vel adulandi cauſas omnes procul habere par eſt. Sed iam ad inſtitutum aggredior.

ORBEM terræ vniuerſum tres in partes diuiſit antiquitas. inuenti demum hi noui tractus quartam adiecêre; ſi quarta appellanda eſt, quæ vna reliquis omnibus magnitudine ferme par eſt. Neque tamen hæc recentiora tantummodo, ſed veterum quoque finium haud exigua ſpatia priſci homines ignorarunt. Siquidem & in multis regionibus deſcribendis Ptolemeus, vir cæteroqui ſummus, & alij geographi inſignes hallucinati ſunt; & Africæ terræ quicquid à Praſo Promontorio, & interiore Aethiopia, & Lunæ montibus in Auſtrum extenditur, multæque & ingentes tum Africo, tum Indico littori obiacentes inſulæ, quamuis accuratam eorum diligentiam, notitiamque ſubterfugêre. Nauigandi verò, ante centeſimum annum, vel apud Heſperios populos tãta fuit inſcitia, maritimo videlicet vſu aſtrolabij nondum excogitato, vt ab ora diſcedere, & alto Oceano ſe committere nequaquam auderent: ſed littora cautè legentes, vbi ad æſtus maris, aut breuia periculoſa peruenerant, quaſi repagulis quibuſdam à natura ſeu numine obiectis, reciperent illicò ſeſe, & longius tendere quodammodo nefas arbitrarentur. Itaque promontorium ad Atlantis radices, & aquarum impetu & Syrtibus vicinis infame, cui nomen olim fuit extremæ Chaunariæ, rudi ſanè vocabulo, caput

Non, ea

A Non, ea tempestate vulgus nautarum appellare solitum est, propterea quod si quis id promontorium superare malè sano conatu esset ausus, eum ad suos vltra esse rediturum negarent. Hæc igitur loca gentesque lingua, moribus, superstitionibus adeo dissonæ, vti Lusitanorum armis tandem apertæ, & Christi Euangelio colluſtratæ sint, quò clarius pateat, paulo mihi altius ordienda tota res est. In ijs Lusitaniæ Regibus, qui prospero euentu rem & suam, & Christianam auxêre, præcipua celebritate est Ioannes eo nomine primus, qui, transmisso in Africam exercitu, Septam vrbem (quam Procopius Græcè, Septon, alij septem fratrum ciuitatem appellant) de Mauris cepit insigni victoria. Huic è Philippa Alencastria, Eduardi sexti Britanniæ regis nepte, filij fuêre quinque: è quibus, tertio, vel, vt alij affirmant, quarto loco natum Henricum, scriptores meritò in cælum vsque laudibus ferunt, quando præter bellicam virtutem, quam in eius vrbis expugnatione cunctis admirantibus explicauit, ea fuit sanctimonia vitæ, eaq; in Deum & superos omnes, ac beatam præcipuè Dei matrem obseruantia; vt in summa corporis firmitate summaque licentia, illibatum virginitatis florem ad extremum vsque spiritum retinuisse credatur. is, Ioanne patre, post fractam
B Maurorum audaciam, vita functo, licet perfidum & consceleratum genus hominum porrò insectari, nec tantùm è Mauritania, sed ex Africa tota exterminare percuperet; tamen, quod ad hęredem regni Eduardum fratrem natu maximum eiusmodi expeditio pertineret; ipse interim ad alia non minus præclara sese conuertit, quæ suis & auspiciis aggredi, & sumptibus tolerare se posse confideret. præerat quippe nobilissimorum equitum ordini, quem Dionysius tritauus Christi nomine contra barbaros instituerat: ex eoque magistratu non exiguos annuos reditus, & vectigalia capiebat. Hæc illi dies noctesque apud animum suum agitanti, nihil omnino vel ad nominis Lusitani famam illustrius, vel immortali Deo gratius visum est, quàm incognita scrutari maria, nouas in Oceanum classes mittere, & rectam religionem in omnes partes, quoad eius fieri posset, extendere. Cuius rei perficiendæ eò maiorem veniebat in spem, quò se acrioribus quotidie stimulis in hanc mentem sentiebat impelli: & per eos fortè dies allatum erat, quosdam è Britannia, & Gallia mercatores vi tempestatum ad noua loca delatos, quæ à feris & barbaris dœmonum cultoribus tenerentur. Hæc igitur maximè sententia Henrici animo insedit. quare confestim adhibitis mathematicis, mul-
C ta de situ orbis, deque cæli plagis exquirere, multa etiam, vt erat acri & solerti ingenio, partim legere, partim commentari ipse per se; multa præterea de captiuis Tingitanis, & accolis interioris Libyæ scisciscitari. Denique, dum cuncta circumspicit, reique magnitudinem ac difficultatem apud se diligēter expendit, intentus interim oppido nouo ad Sacrum promontorium condendo Terzanabali, (quam deinde Villam infantis dixêre) fama est, per quietem cælesti monito clementer increpitum, quod cogitata conquisitione tam diu supersederet, remque adeo piam & laudabilem vltra differret. Itaque manè vt primùm euigilauit, sine vlla dubitatione duas in præsentia naues omnibus rebus ornari celeriter imperat: precatusque cæli Reginam, vti volens ac propitia cæptis adesset, cursumque dirigeret, lectissimos è copia Turdetana magistros vtrique præponit, & ingentibus oneratos promissis, quàm longissimè prouehi, & extimos Africæ tractus, ac gentes accuratè explorare iubet.
Ij, licet laboris & periculi magnitudinem animo cernerent; tamen principis auctoritate, & insita Lusitanis gloriæ cupiditate permoti (agebatur autē tum annus à Christo nato supra millesimum quadringentesimus decimus) rem alacres fidentesque suscipiunt. Itaque populo faustis ominibus & acclamationibus prosequente, cùm in Austrum vela dedissent, vltra Atlantis radices, quem terminum nauigationis ad eam diem fuisse diximus, leucas circiter sexaginta (recentioris mensurę nomen id est, quattuor fere millia passuum singu-

1410.

læ continent)ad Ganariam promontorium deuenêre: quò ne longius tende- D
rent,partim nouis aquarum æſtibus vadiſque,partim etiam procurrentis pro-
montorij longitudine deterriti ſunt. Eadem cauſa decennium ferme to-
tum alios deinceps alioſque prohibuit,quominus è ſententia nauigarent. Sed
nequaquam idcirco Henricus à ſuſcepto conſilio deſtitit: quippe, tum ex
Aſrorum ſermone, tum ex mathematica ratione certiſſimis cõpererat argu-
mentis,ab ora Mauritaniæ, continentes ac perpetuas regiones vltra æquato-
rem extendi: quæ ſi pedibus peragrari, ardores aut ſolitudines vetuiſſent;
mari certè, modò perſeuerantia non deeſſet,adiri, cognoſcique poſſe confi-
deret. Nec eum ſpes fefellit. Siquidem anno demum à partu Virginis mil-
leſimo quadringenteſimo vigeſimo,cùm ſeſe intrepidè nauarchi alto man-
daſsẽt,multis,& periculoſis iactati procellis,varias primùm inſulas,ac deinde
remotiora in ſingulos annos Africæ littora,ad vſque Leænam (id monti no-
men eſt,leucis à Ganaria trecentis & ſexaginta)ſingulari Dei beneficio cogno-
uêre. Quorum è numero viri tres præcipuè meriti felicitate virtuteque
ſunt, vt eorum nomina litteræ omnes ab interitu vindicarent. Fuêre autem
Ioannes Conſaluus, & Triſtanus Vaſæus, qui omnium primi longè à conti-
nenti recedere,& vaſto ac furenti Oceano ſeſe credere minimè dubitarunt:ac E
partim ventis ablati, partim animi robore conſilioque prouecti; inſulas ali-
quot, in ijs vnam hodie nobiliſſimam, ditiſſimamque, cui à materia no-
men eſt,ad Luſitanicum imperium adiunxêre: itemque AEgidius Annius,
qui Syrtibus euitatis, & accuratè obſeruato maris æſtu, receſſuque, Gana-
riam promontorium eximia nauigandi arte ac ſcientia denique flexit;& Chri
ſtianę fidei ad Heſperios Aethiopas aliaſque inacceſſas antea nationes aditum
aperuit. Hos autem,Henricus,& qui deinceps eorum induſtriam ſubſequu-
ti ſunt,pro cuiuſque meritis,ac laboribus amplè remuneratus eſt: ac, ne con-
quirendi ardor in poſteris refrigeſceret,à Martino V. Pontifice Maximo im-
petrauit (quod ipſum ab alijs deinde Pontificibus confirmatum eſt) vti quic-
quid à Ganaria ad vltimam vſque Indiam patefieret,id quàm optimo iure &
conditione Luſitanicæ ditionis eſſet. Quinquaginta circiter annos prima
illa nauigatio tenuit: quibus demum exactis, Henricus cùm aliquot locis
templa conſtruxiſſet, ac varias in regiones munijſſet viam Euangelio, ple-
nus gloria, & rectè factis migrauit in cælum. Huius animi magnitudinem
imitatus Alphonſus quintus, vt primùm regni potens fuit (nam Eduardus
pater ei maturè deceſſerat,fuitque ſub tutoribus ad ſeptimum vſq; decimum F
ætatis annum)quamquam finitimis,&domeſticis implicitus bellis,in eandem
tamen laudem acerrimè incubuit;perque ſtrenuos duces & gubernatores ab
Leęna monte ad Arſinarium(quod recentiores Viride caput vocarunt) atque
inde ad vſque Diuæ Catharinæ promontorium (is locus eſt vltra æquatorem
gradus parteſve duas & ſemis, hoc eſt leucas circiter duas & quadraginta)Cru
cis trophæum,& arma Luſitanica protulit. Multæ etiam inſulæ per idem tem-
pus inuentæ, quas commemorare hoc loco non eſt operæ pretium; & com-
mercia varijs cum nationibus inſtituta; ſed cum Aethiopibus præcipuè occi-
duis, quam regionem hodie Guineam vulgus appellat, ducto nomine ab vr-
be celeberrima Genne, ad quam ingenti fluuio Zanagæ impoſitam, loci op-
portunitate illecti olim negotiatores vndiq; confluebant. Patet autem Gui-
nea latiſſimè:& quamquam zonæ mediæ ferme ſubiecta flagrantiſſimo ſole
torretur; non tamen idcirco (vt falsò priſci putarunt) ab incolis eſt deſerta:
quinimmo plurimos numerat populos:è quibus maritimi piſce; mediterra-
nei partim lacertis, & immundis animalibus, partim, vbi cælum fauit, non-
nullis frugibus & lacte veſcuntur:mutantque ſubinde loca, non per vicos aut
oppida, ſed per familias plerunque diſperſi:eæque familiæ ſæpe inter ſe prop-
ter inopiam,de aquatione ac paſtione decertant:infelix genus hominum, ac
ſeruituti natum,& cùm alijs nominibus, tum vnius veri Dei præſertim igno-

ratio-

A ratione miſerandum. Cum ijs igitur per captiuos interpretes agi cœptum à Luſitanis. & quamquam initio propter ſuſpiciones mutuas, vt in re tam ſubita, ac noua, turbatum eſt; atque etiam ex inſidijs Chriſtiani aliquot interempti; tamen cognita mox Luſitaniæ Regum iuſtitia, & noſtrorum comitate ac beneficijs deliniti barbari metum poſuêre: & commeandi contrahendique libera poteſtate facta, cum veſte varij generis, & varijs domeſtici vſus inſtrumentis, ebur, & aurum, & mancipia permutabant, nullius aut ementium aut vendentium æquè bona conditione, atque ipſorum qui venum dabãtur. quippe ex Aethiopiæ ſabuletis in opima Luſitani regni arua, & ex tugurijs, & mapalibus Oliſiponẽ claſſe tranſlati, vel ipſa vrbis frequentia rerumque omnium copia paulatim ad manſuetudinem, & humanitatem erudiebantur: &, quod longè præſtantius eſt, myſterijs Chriſtianæ religionis poſtmodum imbuti, & cœleſti lauacro expiati, è peregrinis, dœmonum ſeruis, hominumque mancipijs, Angelorum ciues, & domeſtici Dei repente euadebant.
Hiſce rebus ita inſtitutis, admodum expedire viſum, ad mercimonia tuenda, atque ad retinendam cum barbaris amicitiam, opportunis aliquot locis caſtella excitare. Quæ dum ſumma Aethiopum voluntate exſtruuntur, interea morbo, laboribuſque confectus Alphonſus emoritur. Dein regni gubernacula ſuſcepit Ioannes eo nomine ſecundus, lætis admodum auſpicijs: quando per idem tempus in Aethiopia Chriſtiano primùm ritu litatum eſt; barbaris ad noua ſacra cæremoniaſque ſtupore defixis: Luſitanis verò inter ipſam diuinam rem gaudio lacrymantibus, quòd ſua potiſſimum opera verus Dei cultus in longinquas adeo mundi partes gradum feciſſet: nempe vt impuris fœdata victimis loca purgaret: breuique ingentem animorum vim à poſſeſſoribus iniquis in Chriſti libertatem aſſereret. Quo nuntio magnam in ſpem erectus Ioannes, vt erat generoſi maximè ſpiritus animique Rex, non modò parta retinere, ſed etiam omni ratione amplificare conſtituit. atque illud præſertim ſummo conatu perueſtigare; num quis ab Atlantico in Eoum Oceanum vel mari vel terra tranſitus foret. quippe, iam tum, præter acerrimum propagandæ Chriſtianæ fidei ſtudium, ad beatas etiam Arabiæ gazas, & Indici littoris opulenta commercia mentem & cogitationem adiecerat.
Quam ad rem in primis idoneum ratus, cogniti iam littoris dynaſtas amicitia comprehendere, haud ita difficili negotio id eſt conſequutus; pacemque & ſocietatem certis legibus fecit cum Bezeguico, & Caramanſa, Baio Samano, alijſque regulis: dein, ad vlteriora exquirenda, probatæ virtutis fideique homines familiares ſuos dimiſit. atque id quò libentius facerent; ac minore cum erroris periculo ſeſe vaſtum in Oceanum darent; peritiſſimis ea tempeſtate mathematicis Rhoterico & Ioſepho medicis ſuis, itemque Martino Bohemo, qui ſe Ioannis Monteregij alumnum ferebat, negotium dedit, aliquid cõmuni conſilio excogitarent, ad curſum nauium in pelago, quamuis ignoto, regendum: vt vel abductus à conſpectu familiarium ſibi ſyderum nauta, quam tamen cæli plagam, quàm remota ab orbe noſtro loca teneret, aliqua poſſet ratione conijcere. ij, quàm acerrimo ſtudio re diu multumque agitata, aſtrolabium denique inſtrumentum, quod antea ad colligendos ſtellarum motus duntaxat aſtronomi adhibere conſueuerant, præclaro ſanè inuento ad vſum rei maritimæ tranſtulerunt: ac pari ſolertia declinationum tabulas confecêre, quibus hodie naucleri ad explorandam locorum (quemadmodum coſmographi appellant) latitudinem vtuntur: vt non parũ, hoc etiã nomine, tota Europa Luſitaniæ debeat. Quod ſi vt latitudinis, ita etiam longitudinis facili negotio rimandæ regulam prodidiſſent; nullo propemodũ errore perpetuum maris ac terræ cingulum continuo circumactu viatores periti conficerent.
Sed quia ab ortu in occaſum, vel contra, ab occaſu in ortum nihil eſt in perpetua cœli conuerſione certum ac ſtabile, quo dirigere curſum, acceſſuſve aut receſſus emetiri poſſimus (namque illa ex errantium ſyderum oppoſitu ſub-

tilis ac perobſcura collectio, nequaquam eſt ad hanc quotidiani vſus ratio- D
nem accommodata)iccirco nullidum longitudinis gradus notari, neque pla-
nè perſpecta potuit eſſe ratio itineris. in quo nauium rectores periculoſiſſimè
ſæpe falluntur. credo equidem, in hoc, vt pleriſque alijs humanis in rebus,
ad mortalium vel acuendam induſtriam, vel coercendas cupiditates, hac
tanta difficultate diuinitus interpoſita. Veruntamen eius inſtrumenti be-
neficio mirum quanta nauticæ rei acceſſio facta ſit. quinetiam ex eo tem-
pore Chriſti diſciplina manare longius cepit: plures quippe iam viri, & pruden
tiæ & pietatis laude præſtantes, certatim ad huiuſmodi expeditiones vl-
tro ſemet regi offerebant: è quibus Iacobi Cani conſtantia & virtus in primis
enituit. Is, acceptis ab rege nauibus, vltra metas Alphonſi proceſſit ad oſtiū
ingentis fluuij, qui ex ipſis Nili fontibus originem trahens, Zaires ab incolis
dicitur: ac tāta aquarum vi, præſertim hyeme, ſeſe in Oceanum infert, vt pro-
datur in octoginta millia paſſuum ab eo vinci mare. quod ex dulci nimirum
hauſtu præternauigantes intelligunt. Columnas aliquot, Ioannis iuſſu, è
Luſitania ſecum aduexerat Canus: quibus præter Crucis figuram, & regij
ſtemmatis inſignia, Latinis & Luſitanicis verbis erat inſcriptum, quo quæq; E
terrarum ſpatia rege, quo duce, quo tempore aperta forent. Ex ijs ergo co-
lumnis vnam, ditionis Luſitanicæ teſtem, in oſtio collocat: dein aduerſo flu-
mine ſubuectus, errantes paſſim Aethiopum greges videt, atro colore vibra-
toque capillo, vt cæteros, veruntamen, vt vberiore ſolo, ſic etiam ingenio
moribuſque longè mitiores. quippe leuibus duntaxat munuſculis, & benig-
no vultu inuitati, ſeſe aduenis tanta ſecuritate credebant, vt eorum quoque
nauigia, ſine vllo metu vel ſuſpicione, inuiſendi gratia conſcenderent. Ve-
teres amicos vel conſanguineos diceres, ſi communio intercederet linguæ.
ſed è multis ac varijs interpretibus inuentus eſt nemo, qui ſermonem gentis
teneret. nutibus ergo agebatur. quibus haud ægrè cognitum eſt, præpotētem
regem, cui cuncti pareant, plurium dierum itinere introrſum abeſſe. Quo
audito Canus aliquot è ſuorum numero ad ſingula propius exploranda inco-
lis ducibus mittit in regiam: ijſq; obſidū loco relictis, præcipuæ indolis quat-
tuor ipſe viciſſim Aethiopas in Luſitaniā aſportat, perſanctè pollicitus, quin-
tadecima luna (quæ temporum ibi momenta obſeruantur) ſeſe illos incolu-
mes patrio redditurum ſolo. ij porrò, inter nauigandum, & Cani cura, &
ſua ipſi docilitate, Luſitanici ſermonis conſuetudinem nacti, de Congi reg-
no (ſic enim appellari denique patuit) deque eius opibus, ritibus, inſtitutis F
cuncta poſtmodum ex fide atque ordine retulerunt. Eorum aduentu Ioan-
nes mirè lætatus: &, collaudata Cani prudentia, nouos iubet hoſpites in pri-
mis benignè & copioſè tractari. cumque ex ijs multa per otium quæſiſſet; ve-
ritus ne longior mora Luſitanis obſidibus aliquid afferret incommodi; man-
dat Cano, Aethiopas quàm optimè rurſum acceptos quamprimū in patriam
reportet, ſuoſque recipiat: tum, vbi vlteriora luſtrarit, in reditu, ad Congi re-
gem adeat ipſemet; eumque omni ratione ad Chriſtum allicere ſtudeat. Nec
mora: tempeſtatem idoneam nactus Canus, peregrinos, Cōgum relatos, cum
obſidibus bona fide permutat: ac, ne temporibus excluderetur, continua-
to in præſentia curſu, leucas vltra id regnum ducentas prouehitur: & cu-
ius dixi formæ columnas duas duobus ponit locis: quarum alteri à S. Auguſti-
no (cuius in diem natalem appulſus inciderat) alteri ab ipſomet lapide no-
men inditum eſt. Inde Congum reuectus mira gentis gratulatione ad Re-
gem ipſe cum amplis muneribus, & egregio comitatu contendit. Rex, quod
mira quædam de Ioannis munificentia, & comitate à ſuis audierat, ſumma
cum honoris & mutuæ beneuòlentiæ ſignificatione Canum aduenientem
accepit. Exinde pedetentim Canus, quemadmodum in mandatis habebat, ex
occaſione ſermonem de rebus diuinis inferre, ac Regem adhortari, vt, ſpre-
tis inanibus Dijs, vnum Deum cœli terræque conditorem agnoſceret.

Atque

A Atque hoc loco vel maximè patuit ad conuertendos animos, quanto plus in perſpecta caritate, quàm in verborum apparatu momenti ſit. Militaris homo erat Canus, & ferro potius quàm litteris innutritus. ac nihilominus rudi eius oratione Rex, videlicet officijs noſtrorum ante captus, ad ſtudium veræ pietatis adeo exarſit, vt aures ad Canum ſemper ſitientes afferret, ac multa ipſemet vltro de religione quotidie quæreret. Quinimo in eundem animi ſenſum familiares quoque ſuos, & regni proceres, apertè monendo hortandoque pertrahere nitebatur. Accedebat ad hæc, internus auræ cæleſtis afflatus, qui mentes Aethiopum cœcas ad rectum ſalutis iter occultis motibus proue-hebat. Iamque agro ad Euangelij ſemen accipiendum ſubacto, Cani reuerſionis tempus inſtabat. Quem Rex tametſi aduocatum ſibi in Luſitania videbat fore; tamen pro inſtituta conſuetudine perinuitus dimiſit: deditque profi. ciſcenti comites pueros nobiles, præfecto Zacuta, vno ex ijs, qui nuper in Luſitania fuerant. huic etiam atque etiam mandat primùm vti ſuo nomine, Ioanni pro immortalibus eius in ſe promeritis, gratias agat ingentes; deinde vt ab eodem ſuppliciter petat, ipſum oratorem & pueros cæleſti lauacro expiatos, & Chriſtianis præceptionibus probè inſtitutos, cum pijs aliquot ſummi
B Dei ſacerdotibus Congum remittere ne grauetur. vehementer optare ſe, cum liberis, & propinquis, & regno ſi fieri poſſit vniuerſo, Chriſtiana ſacra ſuſcipere. Addit legationi munera, magnam eboris vim, veſtemque permultam (hęc Aethiopum gaza eſt) è palmarum foliis admodum ſcitè atque artificiosè contextam. Ea verò legatione Ioannes, vt erat egregiè pius, maximo gaudio cumulatus eſt, cùm tantam pandi portam Euangelio cerneret. Ergo, ſimul atque maturum eſt viſum, feſto ornatu & ſolenni pompa Ioannes & Eleonora vxor Zacutam; pueros alios alij principes viri vetere Eccleſię inſtituto luſtralibus aquis gratulabūdi admouêre. & Zacutæ quidem, Ioannis; cæteris verò, ſponſoris cuique ſui nomen impoſitum. Baptiſmo peracto, confeſtim idoneis traditi præceptoribus, totum biennium ſumma cum diligentia Chriſtianis moribus & myſterijs imbuuntur. Ac tum denique perhonorifica legatio in Congum decreta cum regalibus donis, & ſacrorum apparatu magnifico. neque neophyti modò ad ſuos remiſſi, verùm etiam è ſanctiſſima Dominicana familia viri tres probatę virtutis atque doctrinę delecti, qui apud eoſdem Aethiopas & docendi & initiandi munere fungerentur. acceſsêre ad hos, etiam architecti cum fabris ad templa vero Deo in illis regionibus ex-
C ſtruenda. Princeps legationis fuit è præcipua nobilitate vir, Conſaluus Soſa. Huic inter nauigandum peſtilentia abſumpto, Rhotericus fratris filius omnium voluntate ſufficitur. Magna interim apud Aethiopas erat exſpectatio nouæ religionis. & cùm cæteri ferme ſummi atque infimi Chriſtianorum aduentum valdè expetebant: tum verò auidiſſimè Regis patruus, qui maritimis Congi populis imperabat: quam Congi partem Sonum incolę nominant. Is, vt primùm naues ad littus applicitas audiuit; ingenti ſtipatus frequentia, magnoque cymbalorum ac tubarum ſtrepitu, deſcendentibus noſtris obuiam prodijt, vix præ gaudio ſui compos. Et quoniam exacta iam æta te erat, ne oblatam ſibi diuinitus occaſionem fruſtra elabi ſineret, baptizari ſe ſtatim voluit vnà cum altero è filijs paruulo, quippe qui per ætatem ſibi conſulere nondum poſſet: alterum iam adultum, quamquam eodem ſtudio vehementer incenſum, & obſecrantem etiam atque etiam, ne ſe cœleſtis illius beneficij expertem vellet; honoris tamen & obſeruantiæ cauſa, Regi, Regiſque liberis in tanto myſterio anteuertere non eſt paſſus. Temporario igitur templo è frondibus ac ramalibus raptim excitato, aræ tres Chriſtiano more adornantur. ac ſacris ritè perfectis, primus ex omni memoria baptiſmus ille in ijs terris incredibili omnium lætitia celebratus eſt anno poſt Chriſtum natum milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo. Patrem nouo nomine Emmanuelem; filium vocari Antonium placuit. Nec modò

A. 1491.

vultu ac veneratione conceptam religionem ac fidem præ ſe tulit ſenex: ſed D
etiam aduocata concione ipſemet è ſuperiore loco in ſimulacra, & nefarios
ritus, quibus ad eam diem dediti fuerãt, adeò acerbè inuectus, & præteriti tem-
poris errata & flagitia tam grauiter ac dolenter eſt deteſtatus, vt animo planè
immutatum, ac Deo plenum haud dubiè cerneres. ijs rebus cognitis, maio-
rem in modum lætatus eſt Congi Rex: perq; eam gratulationem ad patrui
ditionem ac fines munificè adiecit agri, quod leucas in longum triginta, in la-
tum decem pateret. Quo tanto de ſe Regis iudicio magis magisque animatus
Emmanuel, ad ſuperiora Chriſtiani animi documẽta non minus præclarum
adiunxit aliud. ſiquidem graui edicto conquiſita vndique idola, quamquam
multis id ægrè ferẽtibus, & in cumulum congeſta, publicè concremauit. Præ-
terea, Chriſti ſacerdotes, quandiu ibi ſubſtitêre, tanquam è cœlo delapſos, o-
mni officio proſequi, & caritate complecti: de fidei myſterijs, deque varijs vir-
tutum generibus aſſiduè percunctari: Deum verò ſuppliciter obſecrare, vt
quando multo maximam vitæ partem in cacodæmonis famulatu poſuiſſet
miſer, quantulumcunq; ſupererat temporis, totum id in Chriſti Domini cul-
tu, & in vera pietate conſumere ſibi liceret. Iam, rei diuinæ quanto cum ſi-
lentio, vel tremore potius intereſſet, ex eo patuit, quod iuueniliter interea ſtre E
pitum cientes ad ianuam templi honorarios ephœbos principum filios, illicò
mactari imperauit: indignum facinus ratus, auguſtiſſimum illud ſacrificium,
in quo pro ſalute hominum Deus ipſe immolatur, ab hominibus negligi. Ita-
que dubio procul adoleſcentes, leuis, & quotidianæ apud nos (quod pudeat)
noxæ pœnas capite ipſo luiſſent; ni ætatem ac genus miſerati, & diuinæ inſu-
per clementiæ memores Luſitani vehementius obſtitiſſent. Iamque ab Congi
Rege nuntij aderant, legatum orantes, ne aduentum vltra differret: Regem
in vrbe, cui Ambaſſe nomen, patrui baptiſmo & conuerſione lætiſſimum, fe-
ſtos agitare dies: nihilq; illi eſſe longius, quàm, vt elutis toto animo ſordibus,
ad filiorum Dei cœtum vnà cum cæteris aggregetur. Hoc nuntio accepto,
moræ nihil interponendum eſt viſum. nauibus modico relicto præſidio, So-
ſa comitesque ſeſe in viam dedêre. Quibus, in digreſſu, præter cæteram be-
nignitatem, ducentos etiam ſtipatores Emmanuel tribuit: itemque ad one-
ra ſubeunda, vim hominum ingentem, quis potiſſimum ſacram ſuppellecti-
lem baiularet, admirabili quadam alacritate certantium. Vbi ad medium fer-
me iter ventum eſt; Præfectus Regius vnus, ac poſtmodum alter, officij cauſſa F
noſtris occurrit. Ad vrbem verò appropinquantibus oppidani tripartito ag-
mine obuiam prodiêre de more gentis armati, Luſitaniæ laudes, & præclara
in ſe beneficia carmine concinentes: ita ſtructis ordinibus, & eiuſmodi gradu,
ac ſymphoniæ genere, vt ſupplicantium apud nos pompæ ſpeciem quandam
exhiberent. Modos inibant pauci, tum cæteri ſequebantur: ac ſubinde vni-
uerſi pleniſſimo ſonitu elatis in ſpatia certa vocibus æthera feriebant. Hi no-
ſtros ingenti gaudio in medium acceptos, eodem ordine ad regiam vſque per
ducunt, tanto populi concurſu, ac turba ita conferta, vt noſtris aditus ad re-
gem vix atque ægrè patuerit. is, in edito ſuggeſtu, vt ex omni parte conſpici
poſſet, eburneæ ſellæ inſidebat mitratus infula è palmæ folijs opere ſubtili, &
eleganti perfecta: à capite ad pubem nudus; cætera ad pedes vſque, veſtis bom-
bycina contegebat; læuum brachium armilla ex orichalco adornabat; equina
cauda pendebat ex humero. id ſolis regibus datum. Denique introductus le-
gatus, quàm honorificentiſſimè excipitur. ſalutatione peracta, expoſitisq; ſui
regis mandatis, illicò per ſacerdotes adſtãtes, dona, veſtem pretioſam, tabulas
pictas, aurea vaſa & argentea, & omne Chriſtiani ritus inſtrumentum in con-
ſpectu populi totius, petente id ipſum rege, proferri iubet: tum rex perattentè
ſingula contemplari: quem quæq; in vſum, quidúe ſignificent, curioſius quæ-
rere. In ijs præfulgidum erat Crucis vexillum, quod ſolenni precatione conſe-
cratum

A cratum Innocentius VIII. Pontifex maximus Lusitano regi ex vrbe Roma transmiserat. Eo explicando confestim rex & concio tota venerabunda procubuit: namque inter illam sacrorum expositionem Aethiopes adeo intentis oculis gestus motusque sacerdotum obseruabãt, vt eodem pæne quo Lusitani momento capita submitterent, iungerent palmas, genua flecterent. Ab eo spectaculo nostri in hospitia benignè diuisi. tum de regis & reginæ baptismate sedulò agi cæptum. Id quo maiore apparatu, ac cæremonia fieret, tẽplum Christiano more prius ædificari placuit. opus erat sanè difficile tũ alias ob causas, tum quod lapides & cæmenta longè admodum petenda forent. sed tantus fuit ardor, vt breui comportatis vndique necessarijs, vrgente atque instante rege, multis structoribus agi res cœpta sit. Cruci dicanda erat ædes: quare primus lapis est positus V. Nonas Maias: quo die Ecclesia salutaris ligni inuentionem anniuersaria gratulatione concelebrat. Dum hæc maximè fiunt, ecce tibi à regni finibus trepidi nuntij; vastari agros, tecta inflammari, hominum ac pecudum prædas abigi. Lacus in interiore Aethiopia est ingens, ad instar pelagi, prorsus vt leucas centum in lõgitudinem patere dicatur: ex quo
B tres nobilissimi totius Africæ amnes, Nilus (cuius ortum tanto studio frustra peruestigauit antiquitas) in mare internum, Cuama, & is, de quo supra dixi, Zaires in externũ effluunt. in eo lacu aliquot visuntur insulę; & ex ijs quædam tantę magnitudinis atque frequentiæ, vt triginta hominum millia in bellum cogant. Sed præcipua celebritate populi Mundequeti sunt, qui per eos fortè dies ad arma consternati ab Congi rege defecerant, magnaque manu incursiones in regni extrema faciebant. Aduersus id malum, quoniam & celeritate, & ipsiusmet regis præsentia opus erat; ne quid sibi interim aduersi eueniret, occupat rex baptismi sacramento æternæ saluti consulere. Nec regina rem longius distulit. atque ad indicandum in Lusitaniæ reges grati animi obsequium, ille Ioannis, hæc Eleonoræ sibi nomen desumpsit. Ingens Aethiopum multitudo ad spectaculum vndique affluxerant. Ex ijs, proceres aliquot, regis exemplo & prædicatorum adhortationibus incitati, se per idem tempus ad Christum adiunxêre. nam è duobus regis filijs alter ad omnem virtutem, ac pietatem propensus, natu maior, ad regni fines tutandos festinè præcesserat: iunior alter, Pansus Aquitimus nomine, nimirum vt esset qui pios postmodum exerceret, à nefaria superstitione, & auitis moribus
C nullo pacto abduci se passus est. Sub hæc, raptim coacto exercitu rex, admistis Lusitanis aliquot, in hostes tendit. Abeunti, Sosa Crucis vexillum de manu porrexit; hortatus pergeret in dimicationem alacer: signi eius beneficio (tantùm fiducia ne deesset) hostibus vtique superiorem futurum. Nec vana fuêre promissa: prælata Cruce fusis fugatisque rebellibus, paulo post victor Ioannes in patriam redijt. Quantem natu maior filius est secutus: qui cùm Christianæ doctrinæ diligentem in primis operam dedisset, perducto iam ad fastigium templo, summa populi celebritate baptismo lustratus est, Alphonsumque appellari se voluit; quo nomine Ioannis Lusitaniæ Regis filium vocari didicerat. Ac ne quid ad lætitiam deesset, baptizati cum eodem insignes viri permulti. Inde profectus in Isundos, quibus populis iam tum ex parentis auctoritate imperabat, Apostolico apud eos munere ipsemet fungi cœpit; ac veritatis lucem admirabili studio promiscuè omnibus impertire. Quo tanto Christianæ rei incremento admodũ lætus in Lusitaniam reuertit Sosa, relictis in Congo sacerdotibus ad cępta promouenda. Verùm ij partim insolitis caloribus, & cæli grauitate consumpti; partim etiam (quæ vicissitudo est rerum) ab incolis aspera atq; acerba multa, absente præsertim Alphonso, perpessi sunt. Etenim quamdiu de ecclesiasticis cęremonijs, & de mysterijs rectæ in Deũ fidei est actum, ea tametsi hominis captum infinitis partibus superant; tamen quia ob id ipsum Deo digna, & rationi consentanea videbantur; haud ita repugnabatur ab ethnicis. Ast vbi de iustitia,

iuſtitia, temperantia, ſubmiſſione ſeriò præcipi eſt cæptum, & è Chriſtianæ di- D
ſciplinæ inſtitutis, abijcienda auguria, malè parta reddenda, condonandæ in-
iuriæ, aſpernandæ libidines, frangendæ cupiditates erant; enimuero tum
quaſi ventilabro ad trituram adhibito, boni viri illicò ſecerni ab improbis:
alteri, vel amore virtutis capti, vel pœnæ metu perterriti, æquitate delectari;
ſectari pacem; voluptates repudiare; duces & rectores animorum ſuorum ho-
nore & beneuolentia proſequi. alteri denuò dæmonum laqueis irretiti, ad
ritus nefarios, atque ad auaritiam, ac ſuperbiam, & priſtinas turpitudines mi-
ſerandum in modum reuolui, odiſſe lucem, magiſtros auerſari, & à piorum
conſuetudine longè refugere. Nec vulgo tantùm ſerpebat vitium: notiſ-
ſimus ac ditiſſimus quiſque arduum ac difficile virtutis iter eò magis hor-
rebat, quò maiora ſibi malorum irritamenta, & deliciarum illecebræ ſuppe-
tebant. Rex demum ipſe, qui tantum initio ardorem ac firmitatem animi
præ ſe tuliſſet; vbi à lactis dulcedine ad ſolidos cibos traduci eſt cæptus, deſi-
derio priſtinæ vitæ paulatim adeo elanguit, vix vt in eo roboris Chriſtiani
quicquam agnoſceres. Occurſabant ſcilicet eius animo priſtina oblectamen-
ta, ludi, compotationes, quæque ebrietatem ſequuntur: offerebant ſeſe iden-
tidem auſpicia, & ſortes, quibus ad amentiã omnis ferme barbaria dedita eſt; ti- E
tillabat ſenſum, effundendæ iracundię, & doloris puniẽdi ſuauitas. quibus qua
ſi machinis, vrgente præſertim dæmone, ſenſim de ſtatu ſuo deiecta mens ita
obduruit, vt cùm internas religionis & officij recordationes obſtinatè re-
pudiaret; tum ſalutaria ſacerdotum hortamenta ac monita, non modò ad
animum, ſed iam ne ad aures quidem admitteret. Accedebat, ad res profli-
gandas, acerrimum dæmonis telum, muliebris coniuratio. Quippe, vt cæ-
teræ ferme gentes, ita etiam Aethiopes, præter eam, quam iuſtæ vxoris ha-
bent loco, ſinguli pellices alere conſueuerant plures pauciorésve pro opi-
bus. Eæ cùm ex inuectis nuper ſanctionibus pelli, aut ablegari ſe à viris quo-
tidie cernerent, vt eſt impotens iracundię ſexus, damnum & ignominiam non
tulêre: cœtibus habitis conſenſu per ſe, perque communes amicos cum rege
vehementer agere inſiſtunt; aduentitias religiones, durumque & horridum
vitæ genus abijciat; præſentibus bonis & copia rerum quoad licet fruatur:
neu incertam ſpem futuræ felicitatis, tanto pretio, tantaque commodorum
& voluptatum iactura ſibi emendam exiſtimet. Hæc & alia eiuſmodi blandi-
menta cùm neque Rex inuitus acciperet, & eadem tabe infecti permulti, ac
præſertim Regis filius Panſus Aquitimus adiuuaret; breui maximum in di- F
ſcrimen adducta Chriſtiana tota res eſt. Obſtabant ſceleratis conatibus fi-
deles ac boni, vt numero inferiores, ita diuino præſidio & cauſa longè ſupe-
riores. Egregium verò ſe pietatis vindicem & aſſertorem præbebat Al-
phonſus: patriſque miſeratus inſaniam; dictis factiſque neophytos in fide at-
que in officio continebat. Ad eum tollendum obicem, proceres aliquot
Panſum incenſum iam regnandi cupiditate omni ratione fouere; Alphon-
ſum abſentem varijs criminationibus patri ſuſpectiorem indies reddere in-
ſtituunt. denegeraſſe illum planè in externos mores; nihil iam patriæ vèl aui-
tæ conſuetudinis pati: Regem verò ipſum ita vel contemnere, vel odiſſe;
vt in eius contumeliam artibus magicis, quas à Chriſtianis nuper acceperit;
amnes exſiccet, vitiet fruges, atque adeo regias pellices vltro ad ſe ipſe pelli-
ciat. Eiuſmodi calumnijs atque portentis cùm iuuenis innoxij famam ex
compoſito quotidie lacerarent: zelotypum ſenem, & in affecto iam corpore
animi quoque viribus defectum, facile perpulêre, vt Alphonſum omni digni-
tate, honoribus, vectigalibus per ſummam iniuriam exueret. iacuiſſetque
porro in ſolitudine & ſqualore circunuentus & proditus Dei ſeruus; ni
diuino inſtinctu coorti quidam ex optimatibus, regem apertè increpuiſ-
ſent, quod hæredem regni deſtinatum, ſtirpis maximum, eximia virtute ac
pietate filium indicta cauſſa damnaſſet. Reputaret ſecum illius in arcendis
hoſti-

A hoſtibus præclara facinora; in tuenda popularium concordia ſtudium; in ipſo Rege colendo pietatem & fidem. dein videret, num tantæ indoli, tantiſque laudibus conſentanea eſſent, quæ ab inimicis ad inuidiam conficta; nimium patulis auribus in animum demiſiſſet. Quin per idoneos viros in filij vitam & actiones inquireret? ac perſpecta demum & cognita veritate, quod æquũ videretur, & in reum, & in accuſatores, pro merito cuiuſque ſtatueret? Hiſce monitis quaſi è veterno excitatus Rex, ac ſe ipſum leuitatis incuſans, per ſummam diſſimulationem quæſitis ijs, quæ Alphonſo obiecta erant, cùm prorſus vana & commentitia comperiſſet; maxima bonorum gratulatione inſontem filium in priſtinum dignitatis & honoris ac gratiæ locum extemplò reſtituit; conſceleratos calumniatores, ne quid tale poſtea quiſquam auderet, perpetua notatos infamia ſecuri percuſſit. Cuius tanti tamque inſperati beneficij magnitudinem Deo acceptam referens, vt debebat, Alphonſus, multo etiam ardentius, ac liberius ad Chriſtianam fidem tuendam atque amplificandam incubuit. ac præter cæteras artes exterminandis gentium ritibus ad eam diem adhibitas; regno toto palam capite ſanxit, ne quis inanium Deorum effigiem vllam vel priuatim, vel publicè coleret ha-
B beretue. Quo edicto in rabiem efferati aduerſarij, frequentes in regiam coeunt; ac tumultu per operas excitato, credulum ac timidum Regem in eam ſententiam adducunt, vt, niſi reuocetur illicò edictum, ingentem ſeditionem adeſſe non dubitet. Hoc ille timore correptus, continuò per celeres nuntios admonet filium, videat etiam atque etiam quid agat, quò progrediatur: neu peregrina ac noua religione mordicus retinenda, ſe ſuosque omnes in apertum capitis ac fortunarum diſcrimen obijciat. Cùm ille nihilominus in incepto perſtaret, Deumque multò magis quàm homines metuendos duceret; ira percitus Rex iubet Alphonſum ad ſe quamprimùm venire. At ille, cùm naſcentis eius Eccleſiæ ſalutem in ſuo capite verti probè intelligeret; pericula belli excuſando, variasque nectendo moras, tandiu rem diſtulit, quoad letali morbo implicitus parens, cùm ægrum ſpiritum per multas curationes in dies aliquot extraxiſſet; tandem ſuperante medicamenta vi morbi, demortuus eſt. Interea Panſus, & ſua ipſe cupiditate, & improborum ſuaſu, non dubia ſpe regnandi cõcepta, ſolicitare promiſſis Aethiopas; blandè ſingulos appellare; viuendi licentiam & libertatem oſtendere; denique ad excludendum aperta vi fratrem arma & copias comparare. Quibus de rebus, &
C de patris obitu, à Regina matre, quæ ab eiuſmodi conſilijs abhorrebat, certior factus Alphonſus, quàm maximis itineribus quàm occultiſſimè noctu Ambaſſem vrbem ingreditur: atque vt primùm diluxit, populum magna rerum nouarum exſpectatione ſuſpenſum ad concionem vocat. Ibi orſus à primo Luſitanorum in eas regiones aduentu; commemoratisque eorum in ſe, parentemque ac totam nationem promeritis; quod tales viros, tamque ſalutarem ſibi traditam ab ijs doctrinam grato pioque animo coleret, foueretque; iccirco ſe à fratre ſectatoribusque ipſius toties inſidijs appetitum, & per falſas criminationes fama, fortunisque ſpoliatum fuiſſe conqueſtus eſt. Panſum, viuo & ſpirante etiam tum patre, alienam hæreditatem ſpe, & cupiditate impia deuoraſſe: eodem vita functo, iuſtum hæredem, quãdo per fas nequeat, per vim ac nefas à patrimonio arcere: ſi quid apud eos gentium ius, ſi quid vetuſtus regni mos, ſi quid etiam æternæ ſalutis ratio valeat; ne ſe maiorem natu, Regem legitimè deſignatum, pacis ac beatitudinis omnium cupidiſſimum; iuniori fratri conſilijs impiorum deprauato poſthabendum exiſtimẽt. Caueant verò etiam atque etiam, ne à veritatis oblata ſibi diuinitus luce ad cæcas iterum tenebras delabantur: neu Panſi minas, paratasque ab eodem copias pertimeſcant: Deum immortalem, cuius in eo negotio agatur cauſſa, pro ſua ſumma iuſtitia & bonitate, rectè ſentientibus affuturum. Hæc, & alia ad

tempus

tempus accommodata, cùm ingenti spiritu peroraſſet; tantus repente motus D
animorum eſt factus, vt incredibili conſenſu Alphonſum protinus Regem
æqui pariter & iniqui conſalutauerint. Quibus rebus confeſtim ad Panſum
in ſuburbana caſtra peflatis; vt quàm minimum ſpatij Alphonſo ad compa-
randum relinqueret, cum ijs copijs, quas habebat, duplici inſtructa acie contri-
nuò infeſtus ad vrbem aduolat. Neque perterritus ea re Alphonſus; tum ar-
matos, quos circa ſe habebat, pauciores quàm credi poſſit (non plus ſex &
triginta fuiſſe Rex ipſe per litteras publicas admodum religiosè teſtatur) tum
cæteram imbellem turbam, quæ ad regiam perculſa metu confluxerat; bono
ac præſenti animo iubet eſſe. Deum verum, quem ſpretis falſis dijs venerari in-
ſtituerint, pro ipſis haud dubiè pugnaturum. Nec vana cecinit. vbi ad teli
jactum eſt ventum, Chriſtiani armati, inermeſque ſublato pariter clamore,
IESVM Deum, & Sanctum Iacobum, ex diſciplina Luſitanica ingeminant.
mirum dictu: ad eas voces, tanquàm cæleſti fulmine afflata prior acies, cùm
aliquandiu attonitæ ſimilis fluctuaſſet, terga poſtmodum vertit: cumque
eandem trepidationem pauoremque ſubſidijs intuliſſet, turbatis eo impetu
ordinibus, conuerſiſque illico ſignis, effuſa omnes fuga ſaltus auios & nemo-
ra petiêre. Hanc tam incredibilem victoriam, ac planè diuinam, alia non E
minus admiranda ſubſecuta res eſt. Cippus erat in ſyluis, captandæ cuipiam
feræ paratus à venatoribus. in eum cippum curſu præcipiti cùm ſe Panſus per
imprudentiam induiſſet; corpore toto grauiter conſauciato ſic hæſit, vt ex-
plicare ſe inde nulla vnquam ratione valuerit. Comprehenſus, & in cuſto-
diam traditus, fruſtra nitente Alphonſo conſeruare germanum fratrem, & ad
Chriſtum adiungere; in pertinaci mentis duritie, & voluntaria cæcitate miſer
animam efflauit. Longè melius & ſaluti, & exiſtimationi ſuæ conſuluit is, qui
Panſi ductabat exercitum. ſiquidem è fuga retractus, cùm ſibi necem inſtare
minimè ambigeret; miſit qui Regi demiſsè nuntiaret; non deprecari ſe mor-
tem, quam ſuæ temeritati debitam præclarè noſſet. id verò omnibus votis ex-
petere, obteſtarique, ne ſe abſque fidei Chriſtianæ myſterijs ex hac vita exce-
dere pateretur. ipſo congreſſus initio, circa Alphonſum apparuiſſe viros hu-
mana ſpecie auguſtiores; ipſius, quam Luſitani adorarent, Crucis nota diſtin-
ctos, clariſſima circunfuſos luce, vultu acerrimo præliantes: eo nimirum vi-
ſo Panſi milites ingẽti horrore perfuſos, extemplò ſe in fugam dediſſe. itaque
ſibi non eſſe iam dubium, quin, præter Chriſtianorum Deum, nemo vel in
terris, vel in cælo colendus adorandusque ſit. Neque aſpernatus eſt reſipiſ- F
centem Alphonſus: quin potius clementer accepto, & per baptiſmum in Chri
ſtianos relato, vitam & incolumitatem ea lege conceſſit; vti purgando in po-
ſterum verrendoque Sanctæ Crucis templo cum ſuis operam daret; & in my-
ſtici lauacri vſum, puros latices religiosè conueheret. Ea victoria magnum
rei Chriſtianæ momentum attulit. regni poſſeſſione adita, & barbaris quot-
quot poſtea ſemet Euangelio opponere ſunt auſi, perpetuo felicitatis tenore
ſuperatis, Alphonſus quinquaginta ipſos annos (tot enim deinde regnauit) ho
minibus verbo & exemplo ad omnem virtutem ac pietatem erudiendis, egre-
gium & paſtorem populorum, & vineæ Domini cultorem, ad extremum vſ-
que ſe præſtitit. Per idem tempus, quo Chriſtiana ſacra in Congum perlata
ſunt; eadem Regulus quoque Benienſium, Congo vicinus, ab Ioanne per le-
gatum expetijt, Luſitanicæ magis amicitiæ ac præſidij ſpe, vt euentus docuit,
ad opes imperiumque firmandum; quàm quò de ſuſcipienda Chriſtiana reli-
gione ſeriò cogitaret. Quocirca ſacerdotes ad eum ſumma Ioannis volun-
tate profecti, & ab auitis erroribus, ritibuſque ſacrilegis perditum hominem
diu multumque reuocare conati, cùm nihil omnino proficerent, Ioannis de-
mum accitu in Luſitaniam irriti rediêre. Lætioribus initijs, exitu etiam tri-
ſtiore fuit alia per eoſdem ferme dies Luſitanorum expeditio. In ijs amni-
bus, qui Aethiopiam occidentalem influũt, in primis nobiles duo cenſentur,
Gambea,

A Gambea,& Zanaga,cuius paulo ante meminimus. Stachirim Daratumque priſci dixêre. Intra duo hæc flumina quicquid ſpatij longo procurſu in Arſinarium vſque promontorium deſinit, populi tenent ij, quos vulgus Ialophos appellat. Horum Rex,nomine Bemoinus, contracta cum Luſitanis amicitia,& crebris à Ioanne muneribus, nuntijſque ad ſtipendia Chriſti ſolicitat⁹,cùm nihil tale agitaret animo;Luſitani tamen Regis optima ſtudia & ſpem varijs promiſſis ac fruſtrationibus eludebat: idemque Chriſtianos aduenas in primis amicè liberaliterque tractabat;quod eorum commercijs ac ſocietate ſuas opes nõ mediocriter augeri quotidie cerneret. Sed quod vitæ genus vt ſequeretur, nullis vnquam rationibus adduci potuit, id ipſum vt vltrò exoptaret, denique malo miſerijſque coactus eſt. Siquidem regno pulſus propinquorum inſidijs, cùm illud fruſtra ſæpe recuperare tentaſſet, victus aliquoties fugatuſque, ad extremum in Luſitaniam exſul cum paucis perfugit ad expertæ virtutis & beneficentiæ Regem; ab eoque ſupplex infimis precibus auxilium petijt. atq; id quò facilius impetraret; baptizari cum ſuis(ij erant viri nobiles ad quinque & viginti) & Ioannem de Regis nomine dici ſe voluit. Celebratum eſt myſterium tertio Nonas Nouembris, an-

B no poſt Chriſtum natum milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo,mira Pontificum & procerum gratulatione, & frequentia: exhibitique per eos dies publicè ludi, conuiuia, venationes, & ſpectacula equeſtria: in quibus Ialophi deſultoria arte, & agitandi peritia, ita ſe admirabiles præbuêre; vti Numidis ipſis (quorum in celeritate motuque corporis præcipua laus eſt)agilitatis palmam omnium iudicio conſenſuque eripuerint. ſiquidem tanta erant membrorum vel dexteritate, vel robore, vt equi incitatiſſimi ephippijs nulla omnino curſus intermiſſione tum recti inſiſterent, corpuſque circumagerent; tum repente inſiderent, diſpoſitoſque humi lapillos ad vnum inde colligerent; tum etiam momento deſilirent, reſilirentque. ſub ea Rex neophytus Romano Pontifici per ſupplices literas ritè obedientiam detulit: idemque in Luſitaniæ Regis ditionem iure beneficiario ac voluntaria deditione conceſſit. ac ſe,modò amiſſa reciperet,Luſitanis ad interiores Libyæ Reges, & pretioſa metalla ducem fore profeſſus eſt. Iamque exſulis & nota probitas, & afflicta fortuna,Luſitanum Regem & regni principes ad miſericordiam allexerat. quare idoneo ſubſidio adiuuandum hoſpitem ratus Ioannes, & inſuper haud negligenda quæ ab eo-

C dem ad gloriam diuitiaſque proponebantur; viginti validas naues deduci, & omnibus rebus ornari quàm primùm imperat. In eam claſſem,præter nautas & propugnatores,Euangelici quoque præcones impoſiti,Aluaro Dominicano præfecto, eximiæ virtutis ac ſapientiæ viro, quo Rex ipſe ad ſacras confeſſiones vti cõſueuerat. additi præterea non modò, vt in ſuperiorem claſſem,fabri,ſed etiam,ne materiæ inopia laborandum foret, cæmẽta cum reliquo ædificationis inſtrumento. iam enim Ialophi conſenſu Luſitanus arcem ædemque ſacram in Zanagæ ripis, opportuno ad merces exponendas, imponendasque loco, excitare decreuerat. Verùm tantus hic apparatus,ac ſpes non ſine cauſa conceptæ, paulo poſt in irritum cecidêre. Siquidem delata iam ad Zanagam claſſe, & caſtello inchoato (cuius etiamnum exſtant veſtigia)Petrus Vaſæus,cognomento Biſacutus,qui claſſi cum imperio præerat;ſine metu verſantem in prætoria naui Regem Ialophum pugione confodit; vel fraudis ac perfidiæ ſuſpicionibus incitatus, vel pertæſus cæli ſolique:quod ibi paucis diebus cõplures Luſitani perierant. Regis morte cùm à barbaris,tũ à noſtris valdè tumultuatum:ac ne quod grauius acciperetur incommodum,naues nõ paruo Ioannis dolore in Luſitaniã reductæ. Ita, maximi compendij rem,quæ & plurimos homines Chriſto conciliatura & Luſitanis ad interiora cõmercia,& inclytas Libyæ aurifodinas aditũ prębitura

1491.

videbatur,vnius hominis iracundia momento corrupit. Veruntamen eius D
classis fama,bellicusque apparatus,& profugi Regis causa benignè susceptа,
non parum ad Lusitanici nominis dignitatem & commendationem in ijs
regionibus profuêre.quocirca & Christianis deinde negotiatoribus maior
honos fidesque haberi cæpta:& à multis dynastis ad Ioannem oratores cum
muneribus missi,fœderis & amicitiæ caussa.Itemque ipse litteras & nuntios
destinauit cùm ad alios prænobiles Africæ principes, tũ verò ad reges Tun-
gubutu,Mandingæ,Fullorum,& earum gentium,quas vulgo Moses appel-
lant,multis in rebus Christiana instituta sectantium, ac præsertim in nomi-
num impositione,quæ ferme à sanctis Apostolis mutuantur. Nam ad Chri-
stianorũ Aethiopũ sub Aegypto,seu Abassinorum Regem, qui Pretejannes
dicitur,tenui fama & auditione duntaxat iam sibi notum, propter pesti-
lentes terrarum tractus, & noxia animalia, & vastas solitudines interiacen-
tes,cùm id vel maximè cuperet,ex ea parte adspirare non potuit. Cæterùm
hisce tam lætis rerum exordijs breui tota pæne Europa vulgatis, Lusitanum
nomen magna vbique in admiratione esse:celebrari omnium linguis: naui-
gandi scientia & gloria Græcis, Phœnicibus,Carthaginensibus anteferri.cu-
ius laudis æmulatione incensus Christophorus Columbus Ligur, ingentis B
animi vir,& rei nauticæ in primis peritus;ex astronomica disciplina,& non-
nullis veterum monumentis, eodem ferè tempore statuit, trans noti orbis
terminos magna terrarum spatia etiam in occidentem patere: dein, experi-
undi & cognoscendi studio,quod sine magno apparatu ea res tentari non
posset;Lusitano ante omnes Regi eam expeditionem suasit;suamque in id
operam & industriam enixè detulit. A quo reiectus tamquam inania & fa-
bulosa afferret,ad finitimũ Castellæ Regem Fernandum eodem consilio se
se contulit.Ibi cùm nihilo magis audiretur;inuicta quadã animi pertinacia,
totum ferme septennium, vorando repulsas, vrgendo, instandoq;per se, &
per amicos;tandem aliquãdo peruicit;vt in eam inquisitionẽ tria sibi regio
sumptu adornata nauigia ad Hispalim oræ Bæticæ præberentur. Cum ijs in
Atlanticum Oceanum egressus,Canarias primùm insulas petijt.Inde conti-
nua dierum aliquot velificatione in occasum prouectus;insulas aperuit no-
uas,quas ab re,quod primæ occurrissent, Principes nominauit: & exposito
milite nactus aurifodinas,loco idoneo castra communijt:relictoq; ibi præsi-
dio,incolas ferme duodecim,& alia inuentæ eius regionis argumẽta secum
in Hispaniam reuexit. Ea res,quò minus erat in spe, eò maiorem Fernando F
Regi,& aulæ vniuersæ attulit voluptatẽ. Ioannes contrà,dolorẽ haud modi
cum ex eo percepit:vel quòd efflorescẽti tum maximè ad maritimæ rei glo-
riam nomini Lusitano,partum ab alijs in eodem genere decus officeret;vel
quod relicto sibi à maioribus inclyto nauigationis iure spoliari, & vasti O-
ceani possessione pelli quodammodo videretur.Ergo ad exigendos è Princi
pibus insulis Bæticos,easq; in Lusitanam ditionem asserendas,de procerum
sententia,classem instruere quamprimùm aggressus est. ea re cognita Fernã-
dus mirari magnopere, cur ab Rege socio & amico, ignoti maris inuestiga-
tione,præsertim quã oblatam ille reiecerit,arceatur.cumq; super ea re nun-
tij,& iuris interpretes vltro citroq; frustra cum litteris commeassent, postre-
mò Fernandus ad reuocandum ab ea mente Ioannem legatos viros pri-
marios misit duos: &,qua erat solertia, si minus ab incepto abducere illum
possent,certè per varias causas rem consultò iussit extrahere, dum Colum-
bus,qui in eadem loca maiore cum apparatu renauigauerat; de concepta
spe auri, argentique & opum aliarum, certiora & exploratiora perferret.
Non fefellit Ioannem astus: & dum legati sedulò tempus terunt(vt erat e-
gregiè facetus)legationem eam neque caput,neq; pedes habere dixit:cauilla
tus oratores ipsos; quorum alter è crure claudicaret; alter, ab insito fastu

leuior

A leuior & elatior haberetur. Interea Fernandus magno ſuo compendio fœdus cum Carolo Galliæ Rege pepigerat: ſecundiſque eius rebus commotus Ioannes, omiſſo belli conſilio, non recuſauit quominus diſceptatore totius controuerſiæ vterentur Pontifice Romano, qui tum erat Alexander VI. eo nomine. Is, cognita regum cauſa; ne quando lis ad arma deduceretur; vltra Hesperidum inſulas ad trecenteſimam fere leucam & quadrageſimam ducto à Septentrionibus ad Auſtralem polum circulo; totum terrarum orbem ex æquo bifariam ſecuit. Quæ pars vergebat in orientem, hanc Ioannes, facta ſibi ob iuris antiquitatem optione, deſumpſit: occidua Fernando relicta. Ex eo tempore in perueſtigandis ignotis regionibus ab Luſitano, & Caſtellano mira vtrinque virtute certatum eſt. & Fernandi Carolique Cæſaris auſpicijs, idem Columbus, alijq; deinceps immortalitate digniſſimi viri, ad occaſum meridiemq; immania terrarum ſpatia, cum incredibili prouentu auri & argēti, ſubinde patefecêre: quo maximè ſubſidio Caſtella poſtmodum tantos tamque aſſiduos terra marique ſumptus prope infinita pecuniarum erogatione ſuſtinuit. At ex Luſitana parte, ſuperiorum ducum laudem non adæquaſſe modò, verùm etiam ſuperaſſe viſus, è Ioannis familiaribus egregia fortitudine & conſtantia vir, Barptolemæus Diazius. huic, non modò cum ventis & mari, ſed etiam cum ſocijs naualibus diu luctādum fuit, nauigationis longiſſimæ tædio feſſis, & reuerſionem quotidiano conuitio efflagitantibus. quorum ille cùm ferociam, & expoſtulationes prudentia ac lenitate ſedaſſet, Cani columnas longo interuallo tranſgreſſus, inſanum terræ proiectum denique patefecit: qui ab interiore Aethiopia per directam longitudinem leucas amplius ſexcentas in meridiem excurrit. neq; tam portentoſa magnitudine, teterrimiſque inſuper tempeſtatibus deterritus eſt, quominus promontorium flecteret; ac totum terrarum orbem magnanimis & experientibus viris peruium demonſtraret. Hoc tam felici auſu peruentum ad inſulam, quam ſanctæ Crucis à columna ibidem poſita nominarunt, leucas vltra Cani limites omnino trecētas & quinquaginta. tum, deficiente iam commeatu; ſexdecim fere menſibus nauigādo conſumptis, in Luſitaniam reditum eſt. cumq; in explicando apud Regem itineris totius progreſſu Diazius ad deſcriptionē ingentis illius promōtorij deueniſſet (frōtem Africæ nonnulli dixêre) idq; ob atrociſſimas circa ipſum exortas tempeſtates, procelloſum caput iure appellandum affirmaret; quinimo, Bonæ

C ſpei caput eſto; inquit Rex (quod illi deinde nomen ſtabile firmumque permanſit) quippe cùm tanta ab occaſu diſtantia, ac tam enormi in Auſtrum procurſu, ad optatas Orientis opes, & Aſiatica emporia Luſitanis digitum pæne videretur intendere. Sed quoniam commercij orientalis iterum iam incidit mentio, quod Africi maximè & Aſiatici littoris nauigatione cōſtat; locus poſtulare videtur, vt de vtroque littore breuiter, quoad inſtituti operis ratio patitur, explicemus. Ab Oliſipone præter Gaditanū fretum in meridiem nauigantibus, ad læuam eſt Mauritania. inde magno ambitu curuantur littora per Autololas, & Ichthyophagos populos (ea regio Guinea eſt) trans Cancri tropicum, ad vſque Pagelungos Aequatori ſubiectos, & Agesymbam, qui antiquis noti orbis eſt terminus. hoſce vno omnes vocabulo Heſperios Aethiopas, ſicuti Eoos, qui oppoſitam Africæ partem tenent, priſci cognominarūt. Dein, per longiſsima ſpatia, obliquo trans Aequatorem, & Capricornum excurſu, ora vaſtam in prominentiam cuneatur. id Bonæ ſpei (quod diximus) caput ſeu promontorium eſt. hinc rurſus in Septentriones longiſſimo tractu per immanes & obſcuri nominis populos Obios, & Cafres, & Madagaſcarem olim, nunc Diui Laurentij inſulam, reflectitur littus ad nota iam antiquis promontoria Praſum, & Aromata: quorum alterum hodie Moſambicum; alterum à Praſo quingentis leucis &

quinquaginta diſiunctum, Guardafu vulgus appellat. is Africi littoris extremus in Orientem eſt limes. inde præter duos inclytos ſinus, Arabicum, & Perſicum, quibus in modum peninſulæ felix Arabia cingitur, rectus in eam regionem traiectus eſt, quæ Indo, & Gange duobus clariſſimis incluſa flumi nibus, India nominatur. In hac montes à Caucaſo ad Cori promontorium, quod Comorini caput incolæ vocant, leucas circiter quadringentas perpetuo in Auſtrum iugo porrecti, circunfuſo Oceano ingentes oras efficiunt duas: quarum altera in Occidentem obuerſa, prænobiles vrbes continet, Calecutum Malabarici regni caput, emporiumq; nuper omnium frequentiſſimum; itemque Cocinum, Cananorem, Goam, aliaſque complures: altera in ortum ſpectans, à Comorino tractu per Bengalæ fines, qua Ganges in Oceanum influit, perque Peguſia, & eius tractus alia ditiſſima regna (quam terram Ophir, ac Tharſis quidam haud ſanè abſurdis coniecturis exiſtimāt) deſinit in Auream Cherſoneſum: qua in regione prænobile emporium Malaca viſitur hodie. A Cori promontorio, ad Siculi freti ſimilitudinem, exiguo admodum ſpatio auulſa cernitur inſula Ceilanum: quam grauis auctor Ioannes Barrius Luſitanus multis rationibus Taprobanam olim fuiſſe contendit. ab ea obliquus in Auream Cherſoneſum, & Cherſoneſo vicinam ingentem inſulam Somatram curſus eſt; quam geographorum vulgus Taprobanam putat. à Somatra porro ad nobiliſſimas inſulas plurimaſque, Iauas maiorem & minorem, Borneum, Bandam, & Molucas, & Lequios, & Iaponios tenditur. itemque ad continentem oram Camboiæ, Ciampæ, Caucincinæ, ac Sinarum. vltrà, Luſitanis incomperta nauigatio eſt. Harum autem regionum pleræque, longè alio atque Africa terra ſitu ac feracitate, plurimis riguis, & ſole cæteriſque ſyderibus mirè fauentibus, in omnes mortalium vſus deliciaſque pro ſua quæque natura varias fruges, metalla, odoramenta, plantas, lapillos, medicamina prope ad certamē effundunt. quæ paulo ante hanc memoriam, certis emporijs admodum vili coempta, Mahometani ferme, Iudæi ve inſtitores, vel ſinu Perſico in Commagenem, & Syriam, vel Arabico ad vrbem Heroum Suezium, atq; inde camelis Alexandriam cōhenebant; Aegyptio Sultano, qui tum ijs regionibus imperabat, pluribus locis perſoluto portorio: quæ res Memphiticum ærarium magnis quotannis pecuniæ acceſſibus augebat. Hanc adeò quæſtuoſam negotiationē Ioannes, ducum ſuorū peritia & felicitate inuitatus, omni ſpe ſibi enitēdum exiſtimauit; vt, ſi qua poſſet continuato per Oceanum curſu, ab Aegypto, Syriaque in Luſitaniam auerteret; non ſolùm vt, ingenti Luſitanicæ rei incremento, Chriſtiani nominis hoſtium vectigalia quàm maximis afficeret detrimentis; ſed multò etiā magis, vt eadē opera pluribus locis Apoſtolicā diſciplinam vel vetuſtate iam obſoletā renouaret, vel ad id tempus incognitā, Deo adiuuante, per adminiſtros idoneos inſtitueret. conſtanti quippè dicerat fama, non paucos in Oriente ſupereſſe populos, partim qui ſimulacra ex vetere gentium errore adorarent; partim etiam, qui acceptū à Chriſti nūtijs Euangelium, & ſanctiſſima bene viuendi inſtituta, ſed tempore procedente multis deformata vitijs, vtcunque retinerent. In ijs, Aethiopum orientaliū, ſeu Abaſſinorum, cuius modò meminimus, Regē, Chriſti cultorem quidem illum, veruntamen à Romani Pontificis auctoritate diſiunctum, cum Eccleſia Catholica in gratiam reducere vehementer optabat: ſimul etiam ratus, quòd longè lateque imperaret, fore vt eiuſdem opibus auxilioq; aditus ſibi ad Regum Indorum amicitiam, & expetita cōmercia patefieret. Hoc ille conſilio certos homines per mare noſtrum ad explorādas Indicas, & Aethiopicas res deſtinauit. qui, ob ſermonis inſcitiam, rei difficultate deterriti, cùm Hieroſolymis infecto negotio redijſſent; duos denique Arabicæ linguæ bene peritos, Petrū Couillanium, & Alphonſum Paiuā eiuſdem rei cauſa dimiſit, cùm eiuſmodi mandatis ac litteris, vt alter alterius prouinciam,

A ciam, ſi res ita ferret, poſſet accipere. ij, Alexandriam delati, Memphim inde mercatorum habitu petiêre. atque ex eo loco per ſermonis Arabici ſymbola cùm ſe Mahometicis viatorum turmis facile miſcuiſſent; ad Arabici littoris vrbem Elanam, hodie Torum, tranſitu Hebræi quondam populi inſignem, ac deniq; Adenum (id oppidum ſub ipſas Arabici maris fauces eſt munitiſſimum, Maddena gens olim dicta) incolumes peruenêre. Ibi, cùm ad læuam eſſet India, ad dexteram Aethiopia; ſic inter ſe munera partiuntur, vt alter Abaſſinum adeat Regem; alter Indica perluſtret emporia; ac rebus demum peractis, Memphim rurſus ambo conueniant. hæc inter eos neutro diſcrepante condicta. verùm à digreſſu longè diſpar fuit vtriuſque exitus. Paiua in Abaſſinos profectus, ante quàm regiam attingeret, incertum quo genere leti defunctus eſt. at Couillanius felici nauigatione ad Indos delatus, totam illius commercij rationem probè compertam in commentarios retulit: ipſa verò Indica emporia, Goam, Calecutum, Cocinum, & cætera ſuis quæque locis in hydrographica membrana ex fide adnotauit, quam à Ioanne Rege in id ipſum acceperat. inde, cùm per Arabicum Oceanum in Africam traieciſſet; ab Aromata ad Praſum promontorium,
B & Rapti hodie Sengi fluminis oſtia, & Melindem, & Quiloam (cui Raptæ olim nomen) & Sofalam littoribus peragratis, partim ex conſentiente nautarum teſtimonio, partim ex incolarum capillatura & colore, Heſperiorũ Aethiopum haud abſimili, in eam ſententiam eſt adductus, vt oram ad Bonæ ſpei promontorium pertinere, & circumnauigari poſſe procul dubio crederet. quibus rebus mirum in modum alacer, & reuiſendi ſocij cupidiſſimus, cùm ad præfinitum tempus Memphim ſe contuliſſet; repente ab amicis fit certior, Paiuam ipſo profectionis initio diem obijſſe. perculſus tam inopinato nuntio Couillanius, licet in patriam redire vehementer optaret; tamen, quod præclarè meminerat quanto Ioannes rerum Aethiopicarum ſtudio teneretur, ſuas vel rationes, vel deſiderium regiæ voluntati poſthabere conſtituit. in præſentia ad eum de Paiuæ obitu, deq; ſua peregrinatione perſcribit: ſe India explorata, littus etiam Aethiopicum ad Sofalam vſque; aurifodinis prænobilem terram cum cura luſtraſſe: nec ſibi eſſe dubium, quin ad Bonę ſpei promontorium ora continens protendatur. id adeo, tũ ex fama ſermoneq; hominum; tum è coſmographica, & nautica ratione conſtare. ſibi eſſe in animo, quandoquidem Paiuam in ipſo rerum aditu mors oppreſſerit, eius vice in Aethiopiam reuerti, vti, Deo bene iuuante,
C inita cum Abaſſino ſocietate, cognitoq; illius imperio & inſtitutis, cuncta poſtmodum certa ipſemet in Luſitaniam referat. interea ne deſiſteret Ioannes cæpta, fidenter, ac ſtrenuè proſequi. nauarchos circunuectos iam extremum illud Africæ promontorium; haud ita difficili negotio (paululum modò adnitantur) ipſismet Quilois vel Melindijs ducibus in Indiam vtique peruenturos. rem eſſe gloriæ pecunięque pleniſſimam. Haſce litteras & commentarios, nauticamq; membranam cùm Hebræis notis è Luſitania mercatoribus, qui Memphi negotiabantur, ad Regem perferendas dediſſet; ipſe confirmato ad rem conficiendam animo, retro in Aethiopiam iter intendit. Imperabat Abaſſinis tum Alexander, quintus ab Serſadeneghil, qui acciſis à Turca iam opibus, regium nomen ac maieſtatem vix atque ægrè tuetur hoc tempore. is venientem ad ſe Couillanium, quanquam haud planè certus vera ne afferret, magis tamen propenſo ad credendum animo benignè accepit, non mediocriter lætus à tã longinquo ac tam Chriſtiano Rege ſocietatem & amicitiam ſuam per nũtios & per epiſtolas expeti. cùmque de Ioanne, deq; alijs Europæ Regibus multa didiciſſet, remiſſurus iam cum litteris Couillanium, repente demoritur. ſucceſſit ei longè alius ingenio moribusque frater Nahu. is non modò Luſitanum Regem dignatus

reſponſo non eſt,ſed ne ipſam quidem nuntium ad ſuos redire permiſit.ita D
Couillanius,cùm neque ex Aethiopia euadendi facultas,neque in Luſitaniam ſcribendi occaſio præberetur;ob diuturnam abſentiam videlicet pro mortuo eſt habitus,quoad alijs demum è Luſitania miſſis eodem legatis (vt in loco dicemus)apparuit.Inter hæc Ioannes occultis virtutum facibus agitari; noctes inquietas exigere;oblatam ſibi laudis æternæ materiem in dies attentius intueri;omnes vias rei perficiendæ conquirere.aſt vbi eorum ſermone,qui ex Aegypto venerant,& Couillanij litteris ac rationibus animari ſe vidit;tum verò inchoatam nauigationem quantouis periculo ſumptuque ad exitum perducere ſine vlla dubitatione decreuit. Iamq; in talem ac tantam expeditionem,ex ea, quæ tum erat copia , clariſſimos deſtinauerat magiſtros ac duces; & contra ſæuientis Oceani ferociam & impetum naues iuſſerat ædificari vel materiæ firmitate,vel ſtructuræ genere validiſſimas; cũ tantis interuenit conatibus mors,bonis omnibus atq; ipſi præſertim Emmanueli,quẽ,Alphonſo filio dudũ extincto, Ioannes hæredẽ inſtituerat,admodum luctuoſa.duplici quippe cognationis vinculo Ioannem attingebat Emmanuel;quod & Fernando Ioãnis patruo natus erat; & ſororẽ ipſius Eleonoram lectiſſimam fœminam Ioannes habebat in matrimonio.ſed præter hãc tantam neceſſitudinem,quod in regia propinquitate perrarum eſt, ipſum,à quo regni hæreditatem ſine controuerſia exſpectabat,ob ſingulares eius virtutes Emmanuel diligebat vnicè:& annos ei quamplurimos,ac lata pariter omnia precabatur. quo etiam acerbius tulit, multiſq́ue & veris lacrymis proſecutus eſt patruelis obitum.ac iuſtis demum funebribus illi ex maieſtate regia perſolutis, ad omnem regni adminiſtrationem, ſed ad res præſertim Indicas acriter animum intẽdit.nam & in ipſo ætatis robore,ſeptimum & vigeſimum agens annum, alacer in primis erat, & vegetus; & in ſtudio laudis ac famæ nulli antecedentium Regum ſecundus; & eo maiore ſtudio inſtitutæ conquiſitionis ardebat, quod ſe ad tantorum periculorum,tamq́ue diuturni laboris,ac diligentiæ fructus decerpendos ab omni æternitate diuinitus deſtinatum eſſe propemodum cerneret. Ac nihilominus, ne ſibi, præſertim initio regni,nimium præfidere videretur, in conſilium ſuper tali tantaq́ue re proceres,ac ſeniores adhibuit. In eo conuentu ſententijs valde certatum. Erant qui nauigationes longinquas in vniuerſum improbarent. ſi rem nauticam experiri placeat;ſat ampla & nota in propinquo maria patere:ſin(quod fortè magis è cõmuni re ſit) victui ac frumentationi conſulere;ex alienis regnis,atq; adeo ex ipſa Germania colonos in Luſitaniã in id ipſum accitos.Quin Curucenſis,& Lauranus ager,ac tota illa inter Eborã,Tagumq́ue ſpatioſa planicies vel vitibus conſerenda,vel vbi liceat aratro proſcindenda plebi deſidioſæ atque inopi diuidatur? ſin belli gloria ſolicitet animos;hærere pæne in viſceribus Mauritanam peſtem,ex qua nouæ in ſingulas horas inſidiæ,latrocinia,cædes,calamitates immineant. longè profectò vtilius rutiuſq́; in proximos Chriſti hoſtes, quàm in remotos & innoxios populos,certo cum damno, ac periculo,incerto vel exiguo cum emolumento Luſitanica arma poſſe conuerti. octogeſimum iam annum per aſſidua naufragia immaneſq́ue ſumptus tot claſſes in Auſtrum nauigare.quid inde niſi viliſſimos Aethiopas,Luſitaniæ onera verius quàm miniſteria, & ebur inutile, & friuola palmæ folia reportari? Nam quod de aurifodinis fama increbuerit, verba profectò regulos dare: quibus importari nouas opes, & ſolitudines exuſtas,ac totius illius tractus peſtilentiam frequentari vehementer expediat. Proinde ad Luſitaniæ decus, & rem tuendã augẽdamq́ue, diſperſas regni vires contrahat; finitima remotis anteferat bella; vel, ſi ad agriculturã domeſtici pœniteat ſoli;præpingues potius Mauritaniæ glebas, & frumentarios campos,quàm aut Aſiæ inacceſſa commercia,aut ſterilem

inte-

A interioris Libyæ arenam, & ſqualentia deſerta reſpiciat. Alij contrà: neq; ſuſceptos ad eã diem labores ac ſumptus, qua dignitatis, qua compendij nomine, irritos fuiſſe (quod ipſum frequentes ab ignotis etiam Regibus legationes, & vectigalium incrementa quotidiana teſtentur) & nouam hanc Indiæ conciliandæ diuinitus oblatam occaſionem, eiuſmodi eſſe, vt nõ modò ſine magno detrimento, verùm etiam ſine ſummo dedecore omitti non poſſit. ſcilicet diuini ſpiritus virum Henricum illum, tanta animi magnitudine, præclarum hoc iter ingreſſum, ac tanta perſeuerantia ſpretis iniquorum obtrectationibus, tantam gloriæ ſegetem poſteris reliquiſſe; ac deinde Alphonſum, & nouiſſimè Ioannem ipſum, qua virtute, quo conſilio Reges? toto impetu eiſdem inſtitiſſe veſtigijs; vt in ipſo demum Indiæ pæne veſtibulo, Emmanuel ſucceſſor, viris, opibus, ætate florentiſſimus repente deficeret. in magnis arduiſque negotijs non eſſe res illicò ad calculos reuocandas: vbi conatus ipſe, vt votis minimè reſpondeat euentus, apud æquos tamen rerum æſtimatores loco ſucceſſus ac præmij ſit. Pergeret porro felix quò numen tantis tamque apertis ſignificationibus duceret. neque à tam laudabili cæpto abduci ſe cuiuſquam ignauia, ſeu cunctatione pateretur. Media fuit multorum ſententia: quibus non tam dimitti contracta iam, &
B inſtituta commercia, quàm nouis quærendis inſtituendiſque modum tandem aliquando imponi placebat. Quid enim à tanti Regis tum prudentia, tum dignitate magis alienum eſſe, quàm partis iam ita multis, vt conſeruari vix poſſint; incertas captantem ſpes, nouis quotidie ventis, tempeſtatibus, vadis, æſtibus, atque receſſibus bellum indicere? & inexplebili curioſitate alias atq; alias oras nullo propemodũ fructu vel operæpretio perſcrutantem, cum rerũ natura pugnare, & ipſa deniq; mundi clauſtra velle perrumpere? Frequentes procellas, crebra naufragia, imminutã Luſitaniæ ſobolem, voraces claſſium impenſas, &, ſuper hæc, infinitam itineris longitudinem reputaret animo. quæ ipſa vt maximè Deo fauente vincantur, & flatibus, vndiſque obſecundantibus, perueniatur in Indiam; ecquid tandem ſpei ſit, occupata iam ab antiquis, ac proximis negotiatoribus mercimonia, ad ignotos & alienigenas traducendi? Quis porrò præſtet, potentiſſimos Indiæ, Syriæ, Aegyptique (vt de reliquis taceatur) dynaſtas ac reges, vbi per aduentitios commeatus portoria, ſua redituſque imminui ſenſerint, quietem acturos? quibus, ſi damno vel dolore irritati ad arma conſurgant; vix Europa tota coniunctis viribus, nedum Luſitania ſola, poſſit obſiſtere. Nam
C quod nonnulli maiorum in hoc genere ſtudium & contentionem opponant; neque Henricum ad Indiæ regiones adſpiraſſe vnquam, & Ioannem adulatorum blandimentis potius, quàm ſuopte ingenio, in hæc vigilantium ſomnia verius, quàm conſilia inductum. quæ quoniam intempeſta morte oppreſſerit Deus immortalis; videat Emmanuel ipſe, integris etiam tum viribus, quid agat: neu per inanem fiduciam ea ſuſcipiat, à quibus cum leuitate ac damno poſtmodum cogatur abſiſtere. Hæc & alia id genus cùm & ij, qui in conſilio aderant, & cæteri, vt fit, pro ſuo quiſque ſenſu loquerentur; plus tamen apud regem & decoris auidum, & fidei propagandæ ſtudio incenſum, honeſtas, & pietas, quàm metus aut diffidentia valuêre. Cæſa, & conuecta iam ante materia; naues in præſentia duntaxat quattuor ad explorandum agiles, ad tolerandum firmas, delecto milite, nauta, commeatibus, tormentis inſtrui: &, quantum humano conſilio prouideri poſſit, contra omnes caſus quàm diligentiſſimè optimeque adornari iubet. Prætoriæ inditum eſt nomen à ſancto Gabriele, non ſine cauſa: vt quæ ex orbe noſtro ad antipodas viam Euangelio muniebat; ſub tutela præſidioque lateret Archangeli potiſſimum eius, qui primus è cælo terris olim attulit Euangelium. huiuſce nauis curſum regebat Petrus Alanquerius, qui aperiendo

riendo Bonæ ſpei promontorio paulo ante interfuerat. Secundam Archan- D
gelo Raphaeli, viatorum duci ac tutori dicarant. Paulus Gamma præerat.
nauclerum habebat Ioannem Conimbricenſem. Tertiam Nicolao Coelio
nauarcho, Petro ſcholaſtico gubernatore, incertum vnde, Berrium appel-
labant. Quarta, ſine milite ac ſine nomine, vehendis duntaxat in ſupplemen-
tum cibarijs, à Conſaluo Nonnio Gammæ domeſtico ducebatur. Propugna
tores in vniuerſum & nautæ, centum & ſexaginta non amplius explebant
numerum. ijs omnibus ab Emmanuele præficitur ſumma cum poteſtate
Vaſcus Gamma Pauli frater, ſingulari prudentia ac fide, &, quod caput erat,
inuicto animi robore vir: cuius patrem Stephanum, nuper vita functum,
Ioannes Rex ad munus id ipſum iam ante delegerat. Huic, præter man-
data & litteras ad Indiæ reges; Couillanij quoque membrana, & commen-
tarius attributus. Agebat eo tempore Emmanuel in oppido Tranſtagano,
quem Montem maiorē vocant: huc euocatum Gammam, & ſocios, in ma-
gna procerum corona, magnificis promiſſis, & pia in primis & graui oratio
ne, ad talem & tātam expeditionem eſt adhortatus. dein vexillo Crucis per
intimum ſcribam publicè expanſo, nixus genibus Gamma ſolenni ritu in
Regis verba iurauit, eodemque accepto vexillo, plenus bona ſpe & miro na E
uandæ Regi operę ſtudio incēſus, Oliſiponem vnà cum comitibus petijt. ibi
in MARIAE Virginis æde, quam ad fauces portus olim Henricus in id ip-
ſum exſtruxerat, ſacris omnibus ad propitiandum cæleſte numē ritè procu-
ratis; præeūte cum hymnis, & canticis agmine ſacerdotum, nauarchi, & cæte
ra turba cum ardentibus cereis, eodem ordine ſupplicantes, nudis pedibus
ad ſcaphas vſque deducti. Mæſta cum fletu ſequebatur ciuitas, quaſi tam le-
cta ciuium manus ad manifeſtum exitium rueret. Ac quandiu lętis de more
vocibus, ac vario tympanorum tubarumq; concentu anchoras moliuntur,
rudentes expediunt, & reliqua munera certatim obeunt nautæ; miram hila-
ritatem vultu præ ſe tulit Gamma, ſocijque. aſt vbi ſolutis anchoris, ac ſub-
latis iam antennis, vltimum ſignum profectionis inſonuit; tum verò mu-
tuo conſpectu partim integratæ, partim coortæ omnibus lacrymæ: nec mo-
dus fuit, quoad vehementior Boreas naues in altum prouectas ex oculis ab-
ſtulit. Id accidit anno poſt Chriſtum natum milleſimo quadringēteſimo no
nageſimo ſeptimo, ad vij. Idus Iulias; anni tempore (vt poſtea compertum eſt) minimè idoneo. Veruntamen regente curſum Deo; paucis men-
ſibus ipſum Bonæ ſpei promontorium præteruecti, ad aquationem, quæ
dicitur Sancti Blaſij, peruēnere. Auctorem habeo, circa id promontorium F
atrociſsima tempeſtate iactatos nautas reditum in patriam expoſtulaſſe:
cùm nihil ſuadendo, rogandoue proficerent; de coercendo per vim præfe-
cto agitaſſe conſilia. Ea re cognita, magiſtris vincula iniecta; Gammam ip-
ſum gubernatoris officio egregiè functum. Alij minimè ſpernendi ſcripto-
res, neque ita periculoſam eam nauigationem fuiſſe referunt; nec vllius in
Gammam conſpirationis meminēre. Vtcunque res habeat; ad eum, quem
dixi, locum appulſi, vagantes in littore Aethiopas clitellaris inſidentes bo-
bus opimis; & feſtiuo tripudio, & fiſtularum cantu ſe oblectantes vident. Ad-
hibiti confeſtim interpretes, cùm nullum ſermonis commercium reperi-
rent, partim nutibus, partim æreis crepitaculis, vitreis globulis, alijſque id
genus crepundijs, quibus mirum in modum capitur gens; ad pecora boueſ-
que inuicem permutandos alliciunt. Quo in negotio cùm ſe admodum dif-
ficiles præberent barbari, rixa (vt fit) excitata, ne gentem planè abalienaret
Gamma vela fieri ſtatim imperat. Sæua inde procella iactati, vltra Diazij
terminos leucas circiter quinque, ad Planas quas vocant inſulas proceſsēre.
Ex eo loco, aduerſis æſtibus admodum retardantibus, lente rurſus ad oram
Zanguebaris appulēre ipſo Chriſti die natali: ex quo littus id Natale
appella-

A. 1497.

A appellatum. Ex eo littore flumen ingens in Oceanũ euomit se: quod aquandi causa ingressi festo Epiphaniæ solenni, Regum flumen ex eo dixêre: & quod ab incolis admodum amicè benigneque tractati sunt, ei Aquationi à Bona pace inditum nomen. Quintum diem Gamma ibi moratus, mira cum barbaris familiaritate contracta, discessit. ac propter concitatiorem æstum veritus ne qua in vada ferretur; adeo longè à continenti cursum tenuit, vt & Sofalam regionem, & Fluenta promontorium noctu per imprudentiam præterierit. Inde reflexo iterum ad continentem itinere, conspicatus nauigia palmeis velis vasti amnis ostium inuehi, subsecutus, accolas reperit minus iam atro colore, & cultiore vestitu, & Arabici sermonis nonnihil peritos: à quibus, Fernando Martinio interprete, accepit, haud procul, eiusdem ferè magnitudinis naues, albosq; homines commeare solitos. quæ res, quod Indiam significare haud dubiè videbãtur, ob id locó ac flumini, Bona signa, nomen impositum: & amicitia cum barbaris inita, subductæ naues, & multis locis refectæ. Ibidem columna cum titulo Raphaelis Archangeli de more fixa. Cæterùm, ne nimis læto successu Gamma efferretur, multos ibidem ex eius comitatu, gingiuis horrendum in tumorem ac putredinem excres-

B centibus, fæda corripuit lues, quosdam etiam absumpsit. cuius causam tum in cæli grauitatẽ (quod è crebris æstuarijs terra valde palustris & vliginosa est) tum in corrupta, salsamẽta quibus iandiu propter inopiã victitauerant; cõtulêre. Mense iam ibi per multa pericula exacto, solutis anchoris littus le gentes, quinto die ad Mosambicum accedunt. Id oppidum insulæ Prasiæ cum tutissimo portu quamquam exiguo, situm in ipso flectentis se oræ cubito, à dextra Sofalæ aurif~dinas, à læua Quiloam vrbem habet insignem. & quamquam ob circunfusum æstuarium, sterili & insalubri est admodum cælo, tamen in satis magnam frequentiam loci opportunitate deductum est. Mahometani ferme tum inhabitabant, Abrahemo Quiloæ tyranno subiecti: perque prætorem (xequem Arabes vocant) ab eo regebantur. Aduersus id oppidum, ad quattuor passuum millia, sunt insulæ, quæ à columna ibidem à Vasco posita, sancti Georgij nominantur. ad eas insulas cùm Lusitani stetissent, ab ijs, qui à Mosambico explorandi causa prodierant, initio pro Turcis vel Saracenis habiti, facilè cum xeque per munera & vinum, & scitissima saccari condimenta, quorum auidissima gens est, pacem, & amicitiam inîêre. atque etiam duo in Indiam vsque nauium magistri mercede

C ab eodem impetrati, & omnis generis cibaria abundè suppeditabantur. ast vbi per Abassinos quosdam Aethiopas, qui pictas Angelorum imagines in Gammæ naui conspexerant, & cum eo de rebus Abassinis, deque religione fuerant collocuti, Europæos & Christianos esse vulgatum est, confestim hospitalitas omnis in odium versa, & nostri telis, ac sagittis aquatione prohiberi cæpti. simul, accepta iam pecunia, perfidi magistri clam aufugêre. Nondum apparuerant gentibus ijs, nouæ subtilitatis, & operis admirandi balliste, oblongum in tubum, & æqualiter teretem ex ære fusili figuratæ: quæ non funibus aut neruis intentæ singula mittunt spicula; sed inexcogitata priscis ratione, ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos cum incremento multiplici rapiendos, certo primùm nitrati ac sulphurei pulueris modulo temperatæ, insertos dein ore patente ferreos ex arte globos, catenasque & alia obturamenta, fulminum instar flammis eluctantibus cum horrẽdo fragore contorquent. Eiusmodi tormenta complura Lusitanus de more dispositа, & collibrata ad nauiũ feneſtellas habebat. sed ab ijs exercendis, ne perterritos metu incolas abalienaret ab se, consultò abstinuerat. Verùm vbi fraudem, ac vim, & suos pæne circumuentos animaduertit; indignatione commotus, extemplò disploderent, magistris edixit. Illi sine mora exsequuntur imperium. ac primò videlicet fumus ater, &

fumo

fumo intermicantia fulgura, & crebra tonitrua cælo ſereno, attonitos de- D
fixoſque rei nouitate barbaros tenuêre. Aſt vbi ante pedes prætoris ipſius, momento laceri & exanimes quattuor ſimul viri conſpecti ſunt; enimuero tum, quaſi haud dubiè infenſo infeſtoque numine, correptis vndique ac pæne depreſſis turba nauigijs, lymphati amenteſque in proximam continentem ex inſula ſeſe cuncti proripiunt. Inde prætor, animo vix tandem è ſumma trepidatione collecto, ſupplices ad Gammam oratores placandæ iræ, & ſui purgandi gratia tranſmiſit. ſi quid minus amicè in hoſpites conſultum ſit, id ſuo conſilio nequaquam eſſe factum. magiſtros, qui mercedem fraudulenter abſtulerint, iam non eſſe in ſua poteſtate, quòd alter in auia & interiora ſe abdiderit; alter ſubitis machinarum ictibus fæda laceratione diſcerptus, perfidiæ pænas luerit. Sed & integram mercedem ſe Gammæ redditurum, & alium ipſorum loco magiſtrum ſuffecturum, nauigationis Indicæ peritiſſimum. Gamma, quod pluribus diſceptandi tempus non erat, remiſſa mercede, magiſtrũ accepit, multò etiã prioribus nequiorẽ: quippe, vtà Moſambico profecti ſunt, ita inſtituit iter, vt nauigia in periculoſas quaſdam ac deſertas impulerit inſulas; facile confiſus, ob natandi peritiam, ſe noctis ſilentio, vt alij duo fecerant, euaſurum. ſed intentius cuſtoditus, fraude comperta, vapulauit egregiè. ob id inſulæ Verberati appellatæ. Quo E
ille ſupplicio magis etiam efferatus, Luſitanos perditum ire omnino conſtituit. ac per ſummam diſſimulationem, quaſi planè reſipuiſſet, compoſito ad omnem æquitatem ac ſummiſſionem ſermone vultuque, vrbem Quiloam ait eſſe in propinquo, rerum omnium copia refertiſſimam, & Chriſtianis Abaſſinis, atque Indis frequentem. quando ad Moſambicum res non conuenerit; ibi Luſitanis, omnium generum cibaria, merceſque Indicis haud inferiores, ſumma populi volũtate affatim ſuppeditatum iri: præterea, curſum ex eo loco in Indiam eſſe certiſſimum. Hoc ille artificio mendacijſque Gammam in vltimum exitium pæne impulit. iam enim de ſtrage ad Moſambicum edita Quiloam peruenerat rumor. nec dubiũ erat, quin ſi eò ventum eſſet, ciuitas armis viriſque potens, ac Mahometicæ ſuperſtitioni addicta, & inſuper damno ad Moſambicum accepto irritata, communis doloris graues pænas à Luſitanis exactura eſſet. auxilio fuit vehementior aquarum impetus, quo præter Quiloam abreptis nauibus portum occupare non licuit. Ea ſpe deiectus Aethiops, tamen à malitia non diſcedit. Cùm noſtros F
omnium rerum inopia valde laborare intelligeret, quoniam Quiloæ acceſſu prohibiti ſint, Mombazam vrbem docet non longè abeſſe, in qua multi etiam Chriſtiani verſentur, & omnia ad victum cultumque neceſſaria abundè ſuppetant. Si Vaſco placeat; propediem ſe duce naues in optima ſtatione futuras. Nec recuſauit Gamma, partim rectoris ſuaſu, partim etiam vltima pæne iam neceſſitate compulſus. ad vrbem appropinquanti, vt nuper ad Moſambicum, ſic ibidem obuiam proditum à Regis exploratoribus. qui ab inſidioſo curſus rectore clam in noſtros incitati; ſimulata benuolentia, ad Regem redeunt; ingentis prædæ occaſionem oblatam demonſtrant, modò intra portum aduenæ perducantur. Haud ſurdis auribus dicta, omnibus blandimentis, muneribus etiam, iubet Chriſtianos ad commercium, & hoſpitium benignè inuitari. Paſchalia tum aderant feſta: & paulo ante ad inſulam ſancti Georgij ara excitata Luſitani, expiatis cõfeſſione criminibus, cæleſti pane ſeſe munierant. quo etiam maiorem in tempore diuinam clementiam opemque ſenſêre. quippe ipſas iam portus fauces intrantibus, ex vrbe permulti cum ficta gratulatione, & concentu obuiam prodierant; ac ſine armis in naues accepti, ouantes lętiq; certo ac præſenti iã lucro, noſtros perfida ſimulatione ad omnem hilaritatem inuitabant; cùm nouum ſubitò periculum, parato iam exitio nihil tale ſuſpicantes Luſitanos eripuit. Dum

enim

A enim ad auram excipiendam,Gāmæ nauis tardius circumagitur; veritus,ne illā in proxima vada æſtus abriperet,magno repente clamore iaci anchoras iubet.quam ad vocem cùm naualis turba huc illuc præceleri feſtinatione diſcurreret; rati proditores detectas inſidias, vt eſt omnis malitia ſuſpicax & meticuloſa, illicò è nauibus in ſubiectas lintres certatim cuncti cum ipſo proditionis magiſtro deſiliunt,& fugam capeſſunt. actum demum Luſitanis fraus ac pernicies patuit. Gratiæ ingentes pro tam inſigni beneficio ſuperis actæ.& quoniam reliquum littus ſat frequens vicis & oppidis eſſe dicebatur,Gamma curſu in Septentriones directo, poſtridie Mombazam aduentantia nauigia duo Saracenorum intercipit. è quibus duntaxat tredecim (cùm cæteri ſe in pelagus eieciſſent)in poteſtatem venêre. ij, ne locus iterum dolo daretur, ſeparatim ſinguli interrogati, ſine vlla variatione reſpondent,in eadem ora celebre oppidum eſſe Melindem,rege in aduenas omnes mirè benefico,in primiſque hoſpitali. ibi nec inſtrumenta nautica, neque commeatum optimum,neque duces in Indiam defuturos. His rebus auditis,captiui benignè habiti; ijſdemque regentibus cùm ad Melindis conſpectum ventum eſſet;quidam ex ijs, vt videbatur, auctoritate præcellens,mu-
B nus adeundi regis, & conciliandæ amicitiæ, ſibi depoſcit: & Gammæ permiſſu in vrbem delatus,Luſitanorum probitate moribuſque extollendis,& alijs ad tempus accommodatis rationibus,regem,ſatis per ſe ad officium humanitatemque propenſum, facilè in aduenarum cupiditatem & amorem impellit. Dein, biduo nuntijs & xenijs vltro citroque mittendis inſumpto,Gamma,ne regi diffidere videretur,in portum læto nauium ornatu cōcinentibus tubis inuehitur. Huic obuiam regis filius natu maximus(nam pater morbo ſenioque implicitus decumbebat) cum honeſtiſſimo comitatu profectus,in ſcapham,quo Gamma excipiendi eius cauſa deſcenderat,hilari vultu tranſiliens,peregrinū arctiſſimè familiariſſimeq; cōplectitur.inde cùm alter ab altero multa per interpretes amicè admodū quæſijſſent;petere atq; orare inſtitit, vt ad parentem iacentē in lectulo adire ne grauaretur. id fore ſeni gratiſſimum.ſe interea apud naues cum paruo filio pro obſide remanſurum.Ad ea cùm reſpondiſſet Gamma, ſui regis mandato prohiberi ſe quominus exſcenderet; nobiles duos è comitatu pro ſe in vrbem miſit: quibus rex cum cæteris valdè ſe comem & honorificum præbuit.Præterea, de perito itineris duce magna regis volūtate impetratum:atque illi viciſſim
C Gamma tredecim, quos dixi,captiuos benignè donauit. quibus officijs, & mutuæ beneuolentiæ ſignificationibus, hoſpitij noui iure magis magiſque firmato,ea denique lege Gamma diſceſſit, vt in reditu polliceretur ſe illac iter eſſe facturum,quò regis Legatos ad Emmanuelem honoris & amicitiæ cauſa tranſueheret.A Melinde ad Malabaricum Indiæ littus leucarum ferme ſeptingentarum traiectus eſt. id ſpatium altero & vigeſimo die feliciter emenſi, tanta gratulatione ad Calecuti oram acceſsêre,quaſi tranſactis iam rebus incolumes ad patrios lares & incunabula redijſſent.Iulio ineunte Oliſipone ſoluerant: menſibus ferme vndecim in itinere inſumptis, circa Maij exitum in Indiam deferuntur, perincommodo ſanè tempore. etenim in ijs regionibus cùm alia multa admiranda; tum illud in primis omnium phyſicorum ingenia ſuperat; quod in eadem cæli plaga, pari ſolis acceſſu receſſuq; ijſdem anni menſibus, ab ortu trans Gatis iuga, quæ recto ad Cori promontorium excurſu, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, totam Malabaris longitudinem interſecant, æſtas ac ſiccitas;ab occaſu cis Gatem hyems, & aſſiduæ pluuiæ ſunt.vt in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempeſtatum attinet, ijdem pæne populi ſibimutuo antipodes videantur eſſe. Quam diuerſitatem,quæque de æquinoctiali circulo, actorrida zona antiqui falsò opinati ſunt, & alia eiuſmodi permulta,

ſi quis

ſi quis apud ſe diligentius reputet; profectò intelliget; omnia quæ in cælo, D
quæq; in terris fiunt, non ad neceſſitatem fati, vel ad fortunæ temeritatem,
verùm ad vnius omnipotentis Dei liberam voluntatem ac prouidentiam
eſſe referenda. Quo tempore Gamma ad Calecutanam oram eſt appulſus,
in ea Malabaris parte, hyemis erat initium; cùm altera, quę ad ortum eſt, ma
ximis iam tũ caloribus æſtuaret. itaque licet periculoſam admodum in ſalo
ſtationem eſſe intelligeret; ſubeundos tamã portus, niſi ex Malabarici Regis
auctoritate, nequaquam exiſtimauit. Is Rex in primis Indiæ clarus perhibe
tur, ac potens: quippe quem cæteri eius tractus Reges principem ac ſuperio-
rem agnoſcunt, & patrio ſermone Zamorinum, id eſt Imperatorem appel-
lant. is, quattuor ordinũ homines habet in ſuo regno. dynaſtas ac ſatrapas,
quos vulgo Caimales vocant. ſacrorũ antiſtites & procuratores; ij vetuſtiſſi-
mæ originis & nominis Brachmanæ ſunt. rei bellicæ ſtudioſos è nobilitate
duntaxat; qui Naires dicuntur. quartum obtinent locum opifices, & agrico-
læ. reliquum vulgus inſtitorum eſt, magna ex parte Arabum, Perſarum-
que & Aegyptiorum ex hæreſi Mahometana, & Iudaica; qui pretioſis merci
bus admirabili ſolertia & peritia permutandis, ad amplas fermè opes pecu-
niasque perueniunt. Cæterùm apud omnes præcipuo in honore Brachma- E
næ ſunt, patetque ea ſecta latiſſimè. horum ſcitis omnia publica & priuata
ſacra ſubiecta ſunt. hi cæremonias & iuſta funebria ſuo arbitratu præſcri-
bunt: ijdemque magno ſuo quæſtu prodigia, ſortes, auguria, & omina
interpretantur. horum diſciplina inſtitutisque Reges ipſi imbuuntur, o-
mnibus magnis paruisque in rebus mirandum in modum illis obnoxij. Sed
non vnum eſt Brachmanarum genus. quippe alij liberis operam dant, vi-
uuntq; in hominum frequentia. alij cælibem agunt vitam, quos hodie pro-
prio vocabulo Iogues appellant: Gymnoſophiſtas olim Græci dixêre: ijque
partim longiſſimè peregrinantur, ſtipem emẽdicantes; & victus veſtituſque
aſperitate nacti exiſtimationem ac fidem, credulas hominum mentes por-
tentoſis mendacijs, varijsque ſuperſtitionibus in fraudem impellunt; par-
tim in ſolitudinibus auijs, & ſubterraneis ſpecubus duriſſimo vitæ genere,
inedia, vigilia, nuditate, frigoris æſtusque patientia ſemet ipſi diſcruciant,
abſtinentq; ab omni corporis voluptate ad certum annorum ſpatium: quo
exacto, in Abdutos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. ij, tam-
quam humano faſtigio celſiores, & omnium rerum licentiam adepti, nul-
lis iam tenentur legibus, & in omni ſcelerum & flagitiorum genere impu- F
ne volutantur. eſt etiam ſuus Ioguibus rector maximus, qui vectigalia per-
ampla diſpenſat; vocatosq; ad ſe certis temporibus impoſtores, varias in re-
giones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Hoſce om-
nes, mirum quàm denſa in caligine, & quanta in veritatis ignoratione de-
merſos diabolus teneat. Parabrammam neſcio quem Deorum antiquiſſi-
mum colũt, & ex eo filios tres: quorum in gratiam terna fila gerunt è collo
ſuſpenſa. Multis præterea non hominibus modò, ſed brutis etiam anim an-
tibus cæleſtes habent honores, & templa ædificant, quibus in priſca illa Ro
manæ Vrbis magnificentia vix quicquam ſimile exſtiterit. ſanè fanum eſt
ſimio dicatum: cuius duntaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo,
porticus miram in longitudinem excurrit, columnarum ſeptingenta-
rum è marmore, tantæ magnitudinis, vt Agrippę columnas, quæ in celeber-
rimo quondam omnium Deorum templo Romæ viſuntur, ſine dubio ad-
æquent. Elephantis etiam religionem numinis tribuunt: bobus autem, eo
maiorem, quod hominum vita functorum animos in eam maximè bel-
luam immigrare opinantur. Multos habent ſuarum ſuperſtitionum libros,
magno labore ſtudioque conſcriptos, quæ nonnihil ad veteris Græciæ
fabulas, & auguralem Hetruriæ diſciplinam videntur accedere. Hi libri
ne in vulgus prodeant, cauent quàm diligentiſſimè; ſed ex ijs arbitratu ſuo

depro-

A depromunt, quæ ad populum decipiendum in concionibus, vel in priua-
tis colloquijs, contracto supercilio, & magna pompa verborum edifferant.
Quamquam haud pauca superioribus annis à Brachmane quodam appri-
me docto, cùm se ad Christum aggregasset, nostris hominibus prodita sunt;
inque Lusitanum sermonem accuratè conuersa, tandem ad me peruene-
runt; meræ nugæ, & anilia planè deliramenta, quæ hoc loco ne leuiter qui-
dem attigisse operæpretium duxerim. ex quo facilè apparet, quantum im-
mortali Deo populi debeant ij, quibus in tanta aliorum cœcitate, Christia-
nam lucem aspicere datum est. Iam, de sacrificijs, libationibus, cæterisque
nefarijs ritibus, quibus vel ad placandos commentitios Deos, vel ad expian-
dos mortuorum manes vtuntur, singillatim exponere, vt superuacaneum,
ita pænè infinitum sit. Atque hæc in præsentia de Brachmanibus. Naires au-
tem, penes quos totius rei militaris est cura, vt septimum circiter ætatis an-
num attigêre, teneri corpusculi neruis diu multumque distentis, laxatisque
compagibus, adhibita frequenti vnctione sesamini olei, per aliptas peritis-
simos ad agilitatem pænè incredibilem perducuntur. itaque velut exosses
artus omnem in partem arbitratu suo torquere ac flectere; saltus retrorsum
B æquè atque in aduersum longissimos edere; & in lucta varios nexus pariter
implicare atque explicare condiscunt. Armis verò, à pueritia ad vltimam
vsque ætatem, summa cura exercentur singuli fermè singulis, haud absur-
da ratione; quòd ita persuasum habeant, neminem vnum simul pluribus
posse rebus excellere. arma erant olim, hasta, sagittæ, gladius, clypeus: verũ,
post inuectas illuc recentiores hasce humani ingenij fraudes machinasque,
totam conflandi, temperandi, librandi rationem ita percalluêre, vt omni-
bus maioribus minoribusque tormentis, igneisque missilibus admodum
scienter vtantur: iamque Indici sclopi, seu ferreæ fistulæ, & sulphureus pul-
uis, longo interuallo Lusitanicis antecellant. Nudi, pube tantùm velata,
prælium ineunt: neque loricarum aut galearum onera patiuntur. hinc no-
stro militi pugna lõgè stabilior: suoque & armorum pondere vehementius
in hostem incumbit. contrà, illis maior in dimicando velocitas & concur-
satio. quinimmo plurimum in ipsa fuga præsidij est. obuersantes offerẽteseq;
vltrò sese, vbi te iam iamque adepturum existimas, momento euanescunt.
rursus, cùm procul abesse credideris, ab tergo se ostendunt. pari celeritate &
sequũtur, & abeunt: & (quod vel in primis capitale est) haud incertiore ictu
C auersi, quàm aduersi iacula dirigunt. Quod si ad cominus decertandum vel
necessitas cogat, vel inuitet occasio; cæsim plerunque feriunt: bracteolis plu-
rimis ad gladij manubrium annexis, quorũ tinnitu numeroso ad Martem
pugnamque incitantur: seque celeri vel procursu in hostem inferunt; vel re-
cursu, cùm opus est, repentè subducunt; factaque testudine ita sub scuto se
totas cõdunt, vt locus ad plagam nullus omninò pateat. & cùm omnis mul-
titudo Nairum viget in studio rei bellicæ; tum præcipua laus tribuitur
certo militum ordini, quos Amocos vocant. ij diris exsecrationibus caput,
familiam, stirpemq; deuouent, ni illatas commilitonibus iniurias inuicem
puniant. Regis verò necem tam obstinato animi impetu vlciscuntur, vt per
media tela flammasque nullo planè vitæ respectu, ad cædem hostium ruant
lymphati, amentesque, atque ob id ipsum vel maximè formidandi. itaque
Indicæ militiæ id robur est: & pro Amocorum numero magis minusve po-
tentes Reges existimantur. longè miserrima conditio est agricolarum, &
opificum: siquidem præter quotidianas operas, quibus ægrè sese familias-
que sustentant; quod initio quisque fortitus est vitæ genus, in eo ad mortem
vsque persistere cogitur: nec modò ad altiores vnquam gradus euadendi,
sed ne ad alias quidem artes quæstusve se transferendi spes vlla relinqui-
tur. atque id vetus esse institutum, patet ex Arriano, qui res item Indicas

Græco ſermone conſcripſit. quare adeo contempti abiectiq́ue ſunt, vt ſupe- D
riorum ordinum homines ne rectis quidem oculis audeant intueri. quod
ſi in turba, vt fit, ad aliquem fortè Nairem propius acceſſerint, malè mul-
ctantur: idq́ue ne accidat, per antecedentes famulos turbam ſubmouent
Naires; & cùm alibi, tum præſertim ad viarum flexus, ſe adeſſe clara voce
denuntiant: tanta Indicæ nobilitati ſuperbia, tam barbarus ineſt faſtus: at-
que id eſt cauſæ, cur Chriſtianam diſciplinam peſſimè oderint, cuius præci-
pua laus in hominum caritate, animiq́ue moderatione conſiſtit. Quæ In-
dorum contumacia eò minus videtur ferenda; quò ſibi nobilitatis nomen
impudentius arrogant: nam præter alia dedecora quantæuis claritati ob-
ſcurandæ; promiſcua etiam inter ſingulos ordines coniugia ſunt, vagiq́ue
patre ferarum more concubitus. incerto omnes ~~parte~~ naſcuntur, & ad ſororum
filios, vt minimè dubiæ cognationis, hæreditas peruenit. Aedificia, templis
Deorum exceptis, & Regijs ædibus, & quibuſdam pretioſarum mercium a-
pothecis, lignea, & modicè ab humo exſtantia, palmarum folijs contegun-
tur: nec vlli omnino, præter dynaſtas, ſumptuoſius habitare conceſſum.
Suburbana viſuntur plurima cum hortis apprimè cultis, quæ fermè inco-
lunt optimates, ne vrbanæ plebis conſuetudine polluantur. ea partim val- E
lum & agger vndique muniunt: partim inflexi enatarum ibidem arborum
rami; paſſim interiectis implexiſq́ue mira denſitate viridibus rubis ac ſenti-
bus, ad introitum, aſpectumq́; & ignem arcēdum: tantis præterea recurren-
tium in ſe viarum anfractibus, vt, inſtar labyrinthi, cœcos errores, & amba-
ges imperitis locorum obijciant: quæ res vel in primis difficilem bellandi
rationem hoſtibus reddit. Zamorinus ipſe, quo tempore Luſitani ad Cale-
cutum appulêre, ad Pananem (id maritimo vico nomen) haud ita longè ab
vrbe, ſe continebat. Ad eum Gamma cùm in anchoris ſtaret, nuntios de
ſuo aduentu præmiſit: ſe, cum Regis Luſitaniæ mandatis ac litteris ex alio
pænè terrarum orbe aduenisſe; neque tamen iniuſſu è naui egreſſurum. læ-
tus ea re Calecutanus, magnificeq́ue ſe ipſe circunſpiciens, quod ſui nomi-
nis gloria excitam ex vltimis ſedibus gentem cerneret; Gammam è pericu-
loſa ſtatione in proximum portum, cui Capocate nomen eſt, dato in id du-
ce, iubet inuehi. dein poſt biduum mittit qui Gammam honorificè ad ſe
deducant. Ille tametſi ignotæ fidei, & vanæ ſuperſtitionis homini vitam
ſuam credere, comitum, amicorumq́ue monitis ac precibus vetabatur; ta-
men legationem peragere, & cuncta coram explorare ipſe conſtituit. Paulo F
fratri, vicario ſuo mandat, ſcaphas quotidie ad littus paratas habeat; ac ſi
quid accidat, quo minus ad naues redire poſſit; ipſe nulla eius rei habita ra-
tione Luſitaniam repetat, & Emmanueli Regi inuentæ iam Indiæ, ac totius
itineris rationem diligenter exponat. Tum duodecim ſocijs ex vniuerſo
comitatu delectis, quàm ornatiſſimo veſtitu, cùm ſcaphas verſicoloribus
vexillis atq; tapetibus, & omni tormentorum apparatu adornaſſet, ingenti
omnium gratulatione, ſtrepituq́ue feſto ad littus acceſſit. Deſcendenti præ-
ſto fuit Catuales vnus ex ijs, qui iuri peregrinis dicundo præſunt, cum vario
cantu, & magna manu militū, baiuliſq́; ad ſarcinas conuehendas: nam apud
Indos equi, & cætera iumenta per id tempus in vſu non erant. Dein Gammā
tetraphoro impoſitum, ad vrbem Calecutum primùm, inde Pananē deportauit tanto populi concurſu, vt præ turba quidam eliſi, nonnulli etiam è ſpe
ctandi certamine coorta rixa perēpti ſint. Vt ad regiā eſt ventum; à Caimali-
bus aliquot Gamma cū ſocijs honorificè primū excipitur. dein Brachmana-
rum antiſtes linteatus obuiā prodijt, ac manu leniter apprehēſum, longo cu
biculorū ordine, denis aulicis ad oſtia ſingula ſtationē agētibus, in amplum
conclaue perduxit. ſtratū erat pauimentū ſerico eteromallo viridi: parietes
verò bombycina periſtromata intertexto auro magnificè veſtiebant: ligneis

gradi-

A gradibus affabre factis in theatri formã circumquaq; eminentibus: ea proce
rum ſubſellia ſunt. Rex in ornatiſſimo lectulo decumbebat, goſſipina can-
doris niuei tunica indutus, aureis cõſperſa roſis, gemmeis fibulis admirabili
ſplẽdore connexa. Caput cũ pretioſis inauribus pileus aureus contegebat in
tiaram exſurgens, vario gemmarum vnionum q́; cõtextu. brachia cruraq́ue
de more gentis nuda, armillæ ex auro decorabant, baccis diſtinctæ clariſſi-
mis. pari fulgore lapilli annulis inſerti cõplures è pedum æquè ac manuũ
digitis emicabant. Adſtabat ex apparitoribus quidam ætate prouectus, in
aureo diſco tenens Malabaricum betel, ſeu Tambul Arabicũ: quæ folia prin
cipes Indi aſſiduè fere mandunt, commendandi halitus, leuãdæ ſitis, & edu
cendæ pituitæ gratia. Zamorinus ipſe, quamquã colore ſubnigro, tamen &
proceritate membrorũ, & toto corporis habitu geſtibuſq́; dignitatẽ regiam
haud dubiè præferebat. Gãma, ſalutatione peracta, cõſidere vnà cum comi-
tibus iuſſus, per interpretem exponit: Emmanuelẽ Luſitaniæ Regẽ, Calecu-
tani Regis fama cõmotum, fœdus, & amicitiam ipſius iam pridem expetere.
quando coram congredi, & iungere dextras locorum interualla prohibe-
ant; legatum pro ſe miſiſſe. Ni rem aſpernetur; confidere ſe eam ſocietatẽ v-
B triquenõ parum ornamenti, commodiq́ue allaturam. Dein prolata mune-
ra, & litteræ cùm Arabico, tum Luſitano ſermone conſcriptæ. Ad ea Zamo-
rinus breuiter: Emmanuelis fratris voluntatem, ac propenſionem erga ſe,
vel ex eo elucere, quod ſe tam honorifica legatione, per tot diſcrimina la-
boreſq́ue vltrò compellándum, & ſalutandum exiſtimarit. quod ad fœdus,
& commercium attineat, rem ſine controuerſia conuenturam. ſimul edi-
ſſerit, quas è ſuo regno merces auehi: quas ad ſe importari viciſſim expediat.
Ad hæc, multa de nauigatione, deq́ue itinere ſciſcitatus, Gammã, & ſocios
in lauta hoſpitia benignè diſtribuit. His rebus, vt fit, extemplò vulgatis, cùm
cæteri mercatores, tum Saraceni præcipuè atq; Arabes magnopere commo-
uentur. ac præter capitale in Chriſtianos odium, rati etiam, quod res erat,
quantum ad Luſitanorum commercia accederet, tantum de ſuis lucris im-
minui; &, ſi præualidús manceps in eam negotiationem ſe interponeret, ni-
hil ſibi ad quæſtum, & nauigationem loci relictum iri; inſtitutam & coaleſ-
centem nouam ſocietatem omni conatu dirimere inſtituunt. Ac primũ, va
rijs criminationibus ac maledictis Gammam apud Regẽ conſenſũ proſcin-
C dunt; ſpecie legationis explorabundum piratam aduenisſe; ac, nulla prouo-
catum iniuria, quacunq; iter habuerit, mare infeſtũ reddidiſſe latrocinijs;
emporia cædibus, rapiniſq́; vaſtaſſe. Quod ſi maximè Luſitaniæ Regis miſſu
aduenerit; conſiderandũ tamen Zamorino eſſe, vtrum fideliſſimæ, & pluri-
mæ nationes, quæ iam in eius regno ſedes & domicilia fixerint; & præſenti
pecunia certiſſimiſq́ue compendijs Malabaricam in dies augeant rem; pere
grinæ genti, & toto cœlo diſiunctæ, ac proferendi per fas ac nefas imperij
cupidiſſimæ, nullo præſertim merito, poſthabendæ ſint. Ad hæc, venales
aulicorum animos, & eorũ præcipuè, qui magiſtratus gerebant, cùm cæteris
artibus, tum efficaciſſimis omnium ſcelerum & flagitiorum adminiſtris, ar-
gento auroq́ue aggreſſi, haud ita difficili negotio in ſuam ſententiã perdu-
xêre. In ijs, Catuali ipſi, cui hoſpitum erat cura cõcredita, facile perſuaſum,
vt Gammæ, per ſummam officij ſimulationem, extremam perniciem ſtrue-
ret. Ad quæ facinora, cùm Rex ab inſita barbaris leuitate, ac perfidia, conni-
ueret; de omnibus conſilijs, & imminente exitio, per Tunetanum quẽdam
Monzaidẽ, Hiſpanicæ linguæ peritum, cui cũ Luſitanis in Africa olim con-
ſuetudo interceſſerat, Gamma repente certior fit; eiuſdemq́ue ſuaſu
quàm occultiſſimis itineribus ad naues feſtinè ſe proripit, eo maiore eua-
dendi ſpe, quod ab regia claſſe per hyemem ſubducta, nullum in præſentia
periculum immineret. Igitur è portu in altum euectus; Indo cuidam litte-

ras ad Zamorinum dat; quibus præter acerbas querimonias de hospitio vio D
lato, paratisque sibi nulla sua culpa insidijs, hominem hortatus est, vt repudiatis improbis suasoribus, in pristino consilio permaneret: ac multo plus ex vnius Lusitaniæ Regis amicitia, quàm ex vniuersa Mahometana colluuie, fructus, & emolumenti sibi promitteret. Ad eas querimonias, etiam atque etiam purgare se Zamorinus, & omnem culpam in administros, vetusto Regum more conferre. Quæsiturum se de insidijs, quas Gamma sibi factas dicat: ac, si quem noxium deprehenderit; in eum ita animaduersurum, vt legationis & hospitij sacrosancta iura esse omnes intelligant. Præterea, ad Emmanuelis litteras breue respōsum dat; ipsius amicitiam, & gentis Lusitanę commercium fore sibi pergratum: cum eo tamē, ne quid ob id in suo regno turbarum existat: neu qua veteribus amicis, ac socijs fiat iniuria. Cum eo responso Gamma Anchediuam insulā petijt, leucas à Calecuto circiter quinquaginta, frequentem nemoribus, & pisce omnis generis apprimè abūdantem. Ibi refectis è longa iactatione socijs, nauibusque, Deum precatus, vti propitius iterum adesset, reducemque se optimo Regi, propinquis, ac patriæ sisteret; in Europam cursum intendit. atque Indicum & Arabicū Oceanum, propter ventorum inconstantiam, lentissima nauigatione remensus, E
ad Aethiopiæ primùm deuenit littora. Hinc Magadaxo vrbe Saracenorum ex itinere diuerberata, Melindem, vti promiserat, appulit: assumptoque Regis legato, Zanzibarem inde petijt insulam cùm cætera amænitate insignē, tum felicibus syluis medica omnium generum mala ferentibus. Inde ab regulo perbenignè tractatus, Mosambicum traiecit; fixaque ibi columna, ad Aquationem sancti Blasij processit. Ac Bonæ spei promontorium denique circunuectus, Hesperidas primùm, dein Tertias quas appellant, postremò Olisiponem summo Dei beneficio tenuit Septembri mense anni millesimi quadringentesimi nonagesimi noni, plus biennio postquam indidem abierat, socijs ferme centum, in ijs Paulo fratre, morbo & labore consumptis. reliquos in terram egressos circunfusa illicò turba, concionis instar, tanquam reuocatos ab inferis certatim intueri: de itinere totō, deq; Indicis rebus sine fine perquirere: incolumem aduentum, partamque gloriam gratulari: deniq; eiusdem peregrinationis & laudis cuncti studio, & æmulatione paulatim accendi. Emmanuel, aduenienti Gammæ viros ex vniuersa nobilitate primarios obuiam misit honoris causa: & quamuis incertam atq; in- F
fidam ex India pacem afferret; tamen ob singularem viri constantiam, & animi magnitudinem ab omni posteritate celebrandam, & exhausta cum fide mandata, Gammam nouis honorum titulis & vectigalibus auxit: cæteris nauarchis ac socijs præmia tantis laboribus, ac tanto Rege digna persoluit.

A. 1499.

Libri primi Finis.

HISTO-

A

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER SECVNDVS.

DAtefacta iam India, & incognitæ ad eam diem nauigationis ratione vtcunque comperta; primùm omnium Emmanuel toto regno ſupplicationes indixit. Populi circa præcipua templa frequentes iêre. Dein, MARIAE Virgini eius nauigationis præſidi exſtructam olim ab Henrico principe ædiculam in ipſo aditu portus Oliſiponenſis, miram in amplitudinem extulit, auxitque, ac loco in primis illuſtri, vt ab omnibus cõſpici poſſet, ipſius Henrici militarem ſtatuam collocauit. Ad eius templi cuſtodiam, & cæremonias, & naualis

B præſertim turbæ ducumque animos ritè expiandos, eximia ſanctitate monachi acciti è Hieronymiana familia: quam Rex præcipua beneuolentia ac veneratione proſequebatur. Locus, deſumpto à Chriſti incunabulis nomine, Bethleem dictus: in primis totius Hiſpaniæ tum ſtructura, tum religione viſendus. Et quoniam Gammæ, comitumque fama celebritaſque & multiplex Indicarum opum relatum in Luſitaniam ſpecimen, omnium animos in rerum ingentium ſpem, & eiuſdem itineris cupiditatem erexerat; tanti conſenſus ardoriſque bono vtendum ratus Emmanuel; nequaquam vltrà exploratorijs nauigijs, verùm iuſtis iam claſſibus ea maria ſibi ſulcanda conſtituit. Nauibus tredecim, quæ aluei magnitudine, & hominum frequentia, & onerum æſtimatione, haud exiguas Luſitani regni opes, & copias indicarent, Petrus Aluarus Capralis, claro æquè genere ac virtute vir, ſummâ cum poteſtate præficitur, Gammæ interim requie ex longa defatigatione conceſſa. Huic ab Rege mandatum in primis, vt Chriſtianam fidem, religionemque in ijs regionibus tum ſerere, tum amplificare omni ſtudio inſiſteret. dein, vt Calecutanum Regem quanta maxima lenitate ac diligentia poſſet, ad firmam pacem, & ſtabile fœdus alliceret: ille ſi durum, & illiberalem, & infidum ſeſe præbere perſeueraſſet; tum verò barbarum ſcelus, & illatas Vaſco Gammæ iniurias vindicaret; cumque nefarijs Chriſti hoſtibus iuſtum piumque ſuſciperet bellum. Idcircò, partim ad prædicandum ethnicis Euangelium, partim ad Chriſtianorum animos procurandos, egregiè pius doctusque Theologus Henricus Franciſcanus, qui poſtea Septæ vrbis fuit Epiſcopus, cum ſacerdotibus aliquot in eandem expeditionem eſt deſtinatus: & præter vectores, naualemque turbam, ex Luſitana iuuentute delecti mille & quingenti propugnatores in claſſem impoſiti. Capralis litato profectus, anno milleſimo quingenteſimo à partu Virginis, Martio menſe (quem ad iter Indicum maximè idoneum deinde monſtrauit vſus) ad Heſperidas tertio decimo die proceſſit. circũ eas inſulas fœda tempeſtas coorta claſſem latè diſiecit. è præfectis vnus Ludouicus Piræus, cum ventis ac mari aliquandiu luctatus, incertum quonam proprio incommodo non tenuit curſum. conuerſis ad extremum velis, Oliſiponem inuitus irrita nauigatione repetijt. Cæteri poſtmodum ex errore ac trepidatione collecti, ad vitandam Guineæ malaciam, & ſuperandum Bonæ ſpei promontorium, longiore ambitu capto, cùm ſe in altum dediſſent, poſt menſem circiter, in telluris conſpectum ventis feruntur: quam inſulam initio rati, continuata dies aliquot ſecundum littus nauigatione, continentem ſine dubio eſſe compertiunt. Ibi ex longa iactatione claſſem portus excepit, cui ab egregio ſitu, ac

C

tuta ſtatione, Securo nomen impoſitum. Inde ad cognoſcenda loca gentemq́ue, deſcenſum in terram; & Chriſtiano ritu in ara ſubductili ſacrificatum, & concio de rebus diuinis ab Henrico eſt habita: barbaris, cùm nihil planè perciperent, tamen occulto numinis impulſu cœleſtes cæremonias, & ſacram concionem admirabili ſtudio ac veneratione concelebrantibus. Ex ijs vnus cum Gaſpare Lemio in Luſitaniam extemplò miſſus, Regem ac cæteros omnes ingenti lætitia atque animi voluptate perfudit. In eo littore Capralis prælta Crucis vexilla, ſolenni ritu & precationibus conſecrata, defixit; à quibus regio ſanctæ Crucis in aliquot annos dicta: ſed à Braſilo rubro ligno, quod tingendis veſtibus inde petitur, ſuperinditum deinde Braſiliæ cognomen, repudiata ſanctiore appellatione, tacitus prophani vulgi conſenſus, & pertinax conſuetudo retinuit. Eſt autem Braſilia noui orbis pars, quam, paulo poſt Capralis acceſſum, Americus Veſputius Florentinus eiuſdem Emmanuelis auſpicijs accuratiùs exploraſſet. atque à duobus ab Aequatore gradibus, partibuſve, ad gradus quinque & quadraginta in Auſtrum excurrens, trigoni oblongi ſpeciem refert. cuius baſis in Aequatorem, ac Septentriones obuerſa, ab Oriente in Occidentem rectà protenditur. Angulus extremus ignotas ad meridiem regiones attingit. Latus in Orientem ſpectans, interpoſito mari Heſperijs Aethiopibus obiacet. alterum latus à prouincia Peruana diſterminant iuga montium adeò celſa, vt ipſos auium volatus fatigare dicantur, vno duntaxat, quod adhuc exploratum ſit, eoq́ue difficillimo tranſitu. Regio fermè tota in primis amœna eſt, cœli admodum iucunda ſalubriſq́ue temperies: lenium quippe à mari ventorum commodiſſimi flatus, matutinos vapores ac nebulas tempeſtiuè diſijciunt: ſóleſq́ue puriſſimos ac nitidiſſimos reddunt. Scatet ea tota fermè plaga fontibus, ac ſyluis, & amnibus inclytis: è quibus (vt reliquos taceam) is quem Argenteum vocant, leucarum quadraginta oſtio in mare fertur adeo violentus, vt inde nautæ dulces hauriant latices priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem exſpatians, partim in colles clementer aſſurgens, fœlix præpinguibus glebis, & riguo ſolo ſemperq́; vernante, credita ſemina multiplici reddit fœnore: ac ſaccari præſertim eſt ferax; quod cœleſte donum, Attico melli multis partibus præferendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis ad purum excoquitur; tum formis in panes cogitur ad metæ figuram: dein rurſus, vbi libuerit, eliquatus, artifici manu pigmentis ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta pæne veri ſimilitudine trahitur. cuius generis officinæ, priſcis ignotæ, hodie, qua præſertim incolunt Luſitani, paſſim exſtructæ viſuntur: atque ex ea merce negotiatores vel maximum capiunt emolumentum: ſiquidem nauibus quotannis in Europam eucta, certiſſimo compendio longè lateque diuenditur. Certis etiam è plantis, quas vulgò Copaibas vocant, inciſo per æſtatem cortice, in modum balſami liquor ſuauiſſimi odoris emanat: cui, cùm ad alios mortalium vſus, tum ad curanda vulnera, & cicatrices tollendas, mirificam eſſe perhibent vim. eæ plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à ſerpentibus venenatis, aut à feris icta, ad remedium illud ipſo naturæ inſtinctu ſe conferunt. At Zabucales quæ dicuntur, admodum excelſæ, magnos ferunt ſumma duritie calices, ore in terram obuerſo, & quidem admirabili naturæ ſolertia pyxidatim operto. iis calicibus nuces caſtaneæ ſaporis egregij continentur: quæ vbi maturuerint, excuſſo confeſtim operculo, paulatim ipſæ per ſe in alimenta incolarum ad vnam è calice defluunt. Sylueſtria etiam ſunt Caiuſia pyra, apprimè ſuccoſa & innoxia; itaque mediis caloribus auidè manducantur: cæterùm in imo pyro faba quædam extuberat cortice amariſſimo, prædulci medulla ſi torreatur. pyro præterea, refri-

A refrigerandi vis:faba calefacit. Verùm, ex omni genere,palma tribuitur ijs,quos vulgus Ananazes appellat. Planta eſt humilis, cuius è ramis veluti pinea nucamenta dependent præmollia: hæc ſuo tempore in fruſta diſſecta,gratiſſimo ſimul odore ac ſapore, non recenti duntaxat edulio ſunt;verùm etiam in longum tempus adſeruantur è ſaccaro. Iam verò, illati in eas regiones ex orbe noſtro melopepones, cucumeres, malogranata,ficus,viteſque biferæ ac triferæ, nec non multiformia mala medica ſuppetunt. Ad hæc, eſt videre complures alias pomiferas arbores, quas percenſere nimis longum ſit; piſceſque, & aues coloris eximij, & quadrupedia plurima,ſed ferme ſylueſtria, partim nota nobis, partim ignota.in quibus vtique apparet quàm miris modis, ac varijs, diuina ſapientia ludat in orbe terrarum. Ex eo numero,vt pauca perſtringam,apri ſunt amphibij, carnibus optimis ac ſaluberrimis.ij, quòd priores pedes perbreues habent,poſteriores autem prælongos;tardiore ſunt curſu:itaque deprehenſi à venatoribus,quà proximum eſt,ſeſe aquis immergunt. Antæ ſunt etiam,gentis vocabulo,ad mulæ ſimilitudinẽ;ſed minores,& roſtro tenuio

B re,inferiore aũt labro tubæ inſtar oblongo,rotũdis auribus,breui cauda,reliquũ cinereæ corpus.eædem lucifugæ ſunt.non niſi noctu ad pabulum prodeunt:vbi diluxit,in ſua ſeſe condunt latibula.Huius belluę carnes guſtatu planè bubulas referunt. Cotias verò nominãt,magnitudine,& forma,& ſapore leporum:rufo colore,paruis auribus, cauda fere nulla. Maiores ſunt eiuſdem fere ſpeciei;quas Pacas vocant:roſtro tereti ad faciem felis, fuſco colore,candidis maculis interſtincto:neque carne tantùm, ſed & corio ipſo prætenero, atque ob id ipſum in delicatiores epulas expetuntur. Cæterùm inſolito ſpectaculo Tatuſiæ ſunt, ad porcelli magnitudinem:corio ſquamatim loricato,ſic, vt equi cataphracti ſpeciem reddant: ex eo caput duntaxat, ceu teſtudines exerunt;pedibus contractis:& ſpecubus ferme vti cuniculi ſeſe continent:hæ quoque carnes palato gratiſſimæ. Magna præterea vis tigrium eſt: quæ famelicæ, horribili velocitate ſunt, viribuſque tremendis:eædem paſtæ (quod mirêre)tanta ignauia dicuntur eſſe,vt à gregarijs etiam canibus confeſtim in fugam agantur: adeo, cibi potuſque ſatietas, non homines tantùm, ſed etiam feras hebetes reddit. Illud verò mirum in Cerigonibus(id animanti nomen,buxeo colore,vulpeculę mag-

C nitudine)ex eius aluo duæ dependent veluti manticæ:in ijs catulos circunfert,& quidem adeo pertinaciter ſuo quemque vberi affixos, vt à perpetuo ſuctu non auellantur, antequam ad paſtum ipſi per ſe progredi valeant. Valde etiam inuſitata & effigie, & natura eſt animal,quod ab re ipſa Luſitani Pigritiam appellant, Cerigonum fere magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpectum,& vnguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Huic,ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat;lentoque ipſa ventris adipe verrit humum; neque vnquam, in pedes exſurgit: denique tam tardè mouetur; vt quindecim ipſis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerunque:quarum in aſcenſu biduum circiter,tantundem in deſcenſu ponit.neque verò adhortationibus tantùm aut minis,ſed ne plagis quidem fuſtibuſve beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. Mirandum eſt etiam genus earum,quas Tamendoas vocant;veruecis altitudine;colore fuſco;prælõgo ac tenui rictu;neq; eo ad malas diducto,ſed modicè ad imum inciſo.Vnguibus inſtructa eſt quadrupes mirè longis latiſque, nimirum ad victum facilius comparandum: namque formicis alitur, quarum latebras vbi crebro vnguium iniectu ac foſſione detexerit, illico exertam trium ferme dodrantium linguam immittit exilem, opertamque formicis repente contrahit, glutitque deceptas. Huic, vti ſciuro, valde

promissa & setosa cauda pro tegumento est. sub ea quippe ita se condit, vt D
nihil ex reliquo corpore prorsus appareat. Neque hæc tantùm & alia in-
didem syluestria, vt dixi, verùm etiam nuper à Lusitanis inuecta pecorum
& equorum armenta planè admirabili prouentu fœtificant. quò magis mi-
rum, vberrimo agro, mitissimo cœlo, tã fera & acerba esse incolarũ ingenia.
Nullos omnino colunt Deos. ominibus tantùm, & augurijs ad insaniã dedi
ti, & ariolis impostoribusque miserandum in modum quæstui sunt. nudi
æquè viri ac fœminæ prorsus incedunt, robustis lacertis, fluxo à vertice dun
taxat capillo; nam cæteras corporis partes identidem expilant: simis, vti Si-
narum populi, naribus: æneaque ipsi cute, atro insuper succo pomi Genipa-
pi totum subinde corpus inficiunt. præterea insertos habent iam inde à pri-
ma ætate deliciarum causa quidam inferiore duntaxat labro, quidam etiam
facie tota prælongos nullius pretij lapillos, tetro sanè spectaculo. Grega-
tim peregrinantur ordine simplici, silentio miro. virum vxor anteit. Caro-
rum aduentum, circundatis collo brachijs, appresso ad pectus capite, cum
effusa comploratione altisque suspirijs primùm excipiunt, viæ laborem &
incommoda miserantes: momento dein siccant oculos, habentque lacry-
mas in potestate. Grauidis haud ita multus in partu dolor. à puerperio fœta E
confestim exsurgit, ac domestica obit impigrè ministeria. eius loco (quod
vix credat quisquam) in aliquot dies velut æger decumbit maritus. hic offi-
cij causa ab amicis ac propinquis inuisitur. huic sorbitiunculæ dantur ad re-
fouendas vires. huic, de gentis more, bellaria & delicata munuscula defe-
runtur. Numerandi rationem, ac litteras ignorant omnes. tantùm tenui
quadam traditione, nonnulla de Noe, deque diluuio à patribus accepisse
dicuntur: vt valde probabile sit, post dissipatos quondam diuino iussu mor-
tales, nullum huic genti cum nostri orbis hominibus fuisse commercium.
Vino ac frumento in hæc vsque tempora caruêre, satiua radice victitantes,
in farinam redacta, quam mandiocam appellant. sub eodem tecto, ad inuer
sæ modum carinæ prælongo, multæ simul familiæ degunt, noctu ad noxia
vitanda animalia cubantes in retibus à terra suspensis: viuuntque in diem;
& quicquid habent, in commune facillimè conferunt, nihil in posterum so-
liciti. Natandi arte ad miraculum vsque præcellunt. Sub aqua totas inter-
dum horas, vbi quippiam in imo quærendum est, patentibus oculis vrinan-
tur. itemque laboris & inediæ patientissimi sunt. triduũ ipsum, vbi penuria
ciborum ingruerit, ieiuni traducunt: ijdẽ, si copia suppetat, à primis tenebris F
ad lucẽ vsque in conuiuijs & compotatione persistunt. Rectè aut perperam
factis, nihil post mortem præmij supplicijue superesse arbitrantur. Qui diem
suum obiêre, eos perinde ac decesserint, vel integro corpore, vel mancos,
aut debiles, vulneribusque confossos, descendere ad orcum putant. ergo in-
cremata condunt humi cadauera, addito rete, cubandi causa, necnon edu-
lijs per aliquot dies appositis; quòd ita persuasum habent, & somnum inte-
rim capere, & cibo vesci manes mortuorum. captos in prælio hostes (crebra
autem inter eos bella excitantur, ac sagittis præsertim vtuntur egregiè) mul
torum dierum cura saginatos, ingenti cum tripudio mactant; vorantque to-
sta verubus membra. eæ optatissimæ Brasilicis epulæ sunt. neque, si cui hoc
leti genere perire contigerit, malè secum actum existimat: quinimmo ad
mortem pergit alacer ac securus: editisque contra ipsosmet percussores fa-
cinoribus, magnificè in ipso necis articulo gloriatur. Sparsis domicilijs ha-
bitant, nullo magistratu legibusue constricti. lingua nec difficilis cognitu, &
vna ferme est omnium quotquot adhuc probè noti sunt, exceptis certarum
rerum vocabulis, quæ aliter à viris, aliter à fœminis vsurpantur. Trium ex
alphabeto elementorum F. L. R. nullus apud eam gentem est vsus: mini-
mè absurda quorundam animaduersione factum id esse diuinitus; eo quòd

Fide,

A Fide, Lege, Rege, ſicuti dictum eſt, careāt: beneficiorum acceptorum immemores: æquè iræ ac libidinis impotentes: ad pugnas & certamina temerarij præcipitesque: vltionis & humani ſanguinis auidiſſimi: ad ſummam, belluis quàm hominibus propiores, qui quidem mores patrios retinent, ac mediterranea incolunt loca. nam poſt illatum ab Societate IESV Euangelium, & liberalium artium diſciplinas; in vicos & oppida contributi, præſertim qui mare accolūt, ad humanitatem ac pietatem magnis laboribus excoluntur. Verùm hæc ſuo loco fuſius. Capite damnatos viginti homines Capralis è Luſitania ſecum auexerat, pœna mortis in exſiliū commutata. Ex eo numero duobus ad gentis mores linguamq; diſcendam ibi relictis (quorū vnus deinde ad illa commercia magno vſui Luſitanis fuit) ipſe, ne fruſtra tempus inſumeret, ventis in Orientē vela permiſit. A Braſilia ad Bonæ ſpei promontorium immani traiectu leucas numerant fere mille ducentas. Oceani ſæuientis ventorumque furentium ea præcipuè regna ſunt. In id ſpatium audacius quàm felicius ingreſſis Maio menſe Luſitanis, flammeus Cometes horribili ſpecie in decimum vſque diem continenter apparuit. Iamque variante ſæpius cœlo pelagoque, atræ ac ſordidæ nubes ad Septen-

B trionem conglobatæ, omnem in ſe flatum quaſi reciprocando collegerant: mare languidum erat; inſidioſa tranquillitas; nautæ locorum ac tempeſtatum ignari, ad auram vndique captandam, totos velorum expanderant ſinus; cùm ex ijs, quas dixi, nubibus, vniuerſo repente impetu ſeſe effundens Aquilo tranſuerſas quattuor naues, quarum ad contrahendum minus aptè fuerant armamenta diſpoſita, inſpectantibus cæteris, momento ità euertit obruitque, vt è tanto hominum numero nemo prorſus euaſerit. In ijs Bartolemæus Diazius, cuius ſupra meminimus, rei nauticæ gloria in primis illuſtris, cùm è tot iam, tantiſque periculis antea fuiſſet ereptus; miſerandum in modum interijt. Saluti reliquis fuēre vel demiſſæ raptim antennæ, vel, vbi id non licuit, vela ipſa vento diſrupta. Eo tam horrendo ſpectaculo exanimati qui ſuperfuerant, conſanguineos alij, alij caros, amicoſque oculis fruſtra requirere, ad lacrymas & complorationem proni, vtique, ni mœrorem ex interitu alieno, ſui cuiuſque periculi metus obſtupefaceret. quippe Borea pertinaciter flante, pelagus identidem intumeſcere; fluctus modò ad aſtra ferri, modò ad tartara pænè ima ſubſidere; naues cum

C extremo ſalutis diſcrimine propemodum inter ſe collidi. Ad hæc, atra caligo, & rudentium ſtridor, & diſſonæ voces varia & incerta iubentium, non oculorum modò, ſed etiam aurium vſum abſtulerant. Quin, & ſalū ipſum interdiu piceo, noctu igneo colore terrebat. Viginti ipſos dies tempeſtas atrociſſima tenuit. Luſitani millies quotidie morientes, & cœleſtē aſſiduè implorantes opem, qua maris tulit impetus, hac illacque diſperſi. Prætoria cum duabus nauibus Bonæ ſpei promontorium per imprudentiam præterueĉta, Primas quas hodie vocant, inſulas tenuit. ad eam tres deinceps circa Sofalæ oram adiunctæ. Vna, Petro Dia præfecto, per ſumma pericula & ingentes ærumnas in Luſitaniam redijt. Ita Capralis è tredecim nauium numero, cum ſex dumtaxat, ijſque laceris ac debilitatis ad Moſambicum acceſſit. Incolę, prioris anni clade perterriti, armamenta, commeatus, ac duces itineris benignè admodum præbuēre. Claſſe refecta, ad Quiloam vrbem, atque inde, nequicquam tētata ſuperſtitione Abrahemi & amicitia; Melindem eſt ventum: & magna regis voluntate renouato fœdere, hoſpitioque, & oratore, quē Gamma in Luſitaniam auexerat, in terram expoſito; in Anchediuam inſulam, cuius ante meminimus, Concanio ſeu Canarino Indiæ littori obiectam, ſecunda nauigatione traijciunt. Ibi ritè expiata Luſitanorum crimina, & pane cæleſti omnes refecti. Barbaris Euangelium, quamuis, vt videbantur, ad virtutem ac pietatem propenſis; tamen

Capralis duos Luſitanos in Bra ſilia volinquit.

quatuor naues obruta obruitæ.

atroc 20 diorum tempeſtas.

ad moſambicum tum 6 nauibus Capralis appulſ

men ob sermonis insciti am promulgari non potuit. Ad Calecutum dein- D
de naues applicitæ. qua re, contra quã plerique putarant, Zamorinus haud
mediocrem lætitiam præ se tulit: ac petenti Caprali haud grauatè se in col-
loquium dedit. in eo colloquio cũ pax & amicitia certis legibus cõuenisset;
ædes in vrbe Lusitanis ad diuersandum ac negotiandum benignè attributę.
iamque Lusitana gaza exposita; & curatoribus ad commutationẽ rerũ à Ca-
prale institutis; admirabili securitate sacerdotes Euãgelio, reliqui mercimo
nio dabant operam; cũ ab ijsdem Aegyptijs, & Saracenis institoribus, q ereptã sibi & quæstus materiam, & locum apud Regem gratiæ non ferebãt; vrba
na plebs varijs artibus & criminationibus nouos in aduenas incitari cæpta.
Neque ita multo pòst, assiduis Mahometanorum stimulis, & Nairũ aliquot
ac principũ auctoritate compulsa; &, quod caput est, præsentis prędæ illecta
dulcedine, vel inscio, vel consentiente, certè non prohibente Rege, subitò
arreptis armis, Lusitanorum diuersorium aggreditur. ibi ingenti clamore
ac tumultu excitato, claustra conuellere, fores effringere, per vim conatur
irrumpere. Nostri, quamquã improuiso malo perterriti, è fenestris tamẽ te-
ctisque fortiter primos barbarorum impetus repulêre: sed perfosso demũ,
dirutoque pariete, vis ac numerus vltra sustineri non potuit. hostium ad E
quattuor millia telis ac sagittis instructa conuenerant. Lusitani septuagin-
ta non amplius, in hospitio versabantur. ex ijs ad quinquaginta partim cap-
ti, partim interfecti, reliqui malè multati, in ijs Henricus antistes cum soda-
libus quattuor, multis acceptis vulneribus, ad classem vix euasêre. Fuitque
adeò repentina clades, vt antequam è nauibus afferri subsidium laborantibus posset, cæso præsidio, expugnata domus, ac momento direpta sit. Capra-
lis, quamuis tam atroci ac nefario scelere, vt æquum erat, valde commotus;
animum tamen præclarè vicit, ac sapienter dolori moderatus est, dum ali-
qua ratione cognosceret, vtrum ad Calecuti Regem aliqua pars facinoris
eiusmodi pertineret. Ast vbi super tali tantaq; re nihil sibi neq; purgationis,
neque satisfactionis afferri vidit; procul dubio affinem eius culpæ Zamori-
num interpretatus, onerarias decem in ipso portu, mercibus & annona re-
fertas, iniectis flammis prorsus incendit; nautis partim igne absumptis, par-
tim captis, & ad classis ministeria distributis. cui tanto malo ne subuenirent
oppidani, horrifica pilarum procella deterriti sunt. Dein, obuersis in vrbẽ
maioribus tormentis, ędificia complura disiecta, mortales multi fœda lace-
ratione discerpti. ex ijs Naires vnus Regi acceptissimus, cùm ad pedes eius F
repente cecidisset; plenus pauoris in præsens, irarum ac minarum in poste-
rum Zamorinus illicò ex vrbe secessit. Capralis verò egregiè vltus suorũ cę-
dem, barbaris amplius sexcentis terra mariq; peremptis, nauibus hostiũ ca-
ptis, & in ciuitatis conspectu combustis, quòd profectionis tempus instabat,
mense Decembri ad Trimumparam Cocini Regem inde se contulit. Cocini regnum à Calecuto leucas ferme triginta in meridiem distat. eiusdẽ nominis regia vrbs ad ostium Mangatis fluminis, mari introrsum æstuante, ad
formam peninsulæ cingitur. Aedificia, mores, instituta ferme eadẽ quæ Calecutanis. Indicarum verò frugum, & aromatum, ac piperis præsertim, ager
longè fertilior. Rex tum alijs de causis Zamorino clam erat infensus, tum
quòd monopolio Calecuti instituto, mercaturam ab suo cæteriśque regnis
pæne per vim auerteret. Accedebat metus è nimia Zamorini potẽtia ac propinquitate; cui se, & reliquos Malabaricos Reges multis nominibus videbat obnoxios. Atq; vt malus amicitiæ fideique custos est timor; ex ea seruitute ac periculis eripi se vehementer optabat. Capralis, cùm è regione Cocini iactis anchoris constitisset, quòd omnis Malabarici nominis fidem iure
suspectam habebat; neque se, neque suorum quemquam incolis credendũ
existimauit. Michael erat quidam Christianus è Iogue, paucis illis diebus

Henri-

A Henrici & ſociorum opera, ad Eccleſiam adſcriptus; Indicæ rei bene peritus, & magna apud omnes exiſtimatione. Hunc, tentandi fœderis & amicitiæ cauſa, Capralis ad Trimumparam legat. Rex, qui de Luſitanæ gentis opibus, & rei bellicæ gloria, deque rebus cùm alibi, tum ad Calecutum geſtis multa inaudiſſet; iam ante in eius nationis admirationem ac beneuolentiã excitatus; quaſi inopinatam aliquã hæreditatem, ſic oblatam eius amicitiæ facultatem auidè arripuit. Datis vltro obſidibus nobiliſſimis, mira liberalitate de cõmercij legibus cũ Caprali decidit; & ſingulari diligentia ac ſedulitate, per impigros adminiſtros, æquo admodum pretio, mercibus Indicis ad uenarum naues quàm primùm onerandas curat: eorumque procuratoribus propriam in ſuo regno ſedem, ac domicilium dat. Dum hæc ad Cocinum geruntur, legati à duobus finitimis Regibus, Colani, & Cananoris (regionum & oppidorum ea nomina ſunt) Caprali, ſi ad eorum portus commeare vellet; cõmercium & amicitiam longè optimis conditionibus detulêre. Quas ille conditiones, quòd cum Trimumpara iam bona fide tranſegerat, in præſentia repudiauit: animum & voluntatem accipere ſe, & libenter vtriuſque propenſioni & officio teſtimonium in Luſitania daturũ eſſe pollicitus eſt. Cananoris tamen Regem, quòd multò enixius egerat, conſtitutis
B Cocini rebus, in reditu ſibi adeundum putauit. Ea vrbs abeſt à Cocino leucas in Septentrionẽ quadraginta; portu in primis capaci tutoq;. oryza importata vtuntur incolæ: carne, piſce, pomis abundant: ac præterea pipere, carda momo, gingibere, tamarindis, cinnamo, & myrobalanis: ad easque digerendas merces, non exiguo diuinæ bonitatis argumento, tellus plurimis conciſa æſtuarijs, fluminibuſque, nauigia vſquequaq; facili aditu admittit. ſtagna quoque paſſim occurrunt ingentia, grandibus plena lacertis ad Crocodili effigiem: ij tergoris duritie, conchiliorum inſtar, impenetrabili, enormi capite, duplici dentium ſerie, horrendo prorſus hiatu in hominem furenter inuadunt. Eorum halitus oris eſt ſuauiſſimus: at contrà in eadem regione ſerpentium & anguium adeo teter ac noxius, vt afflatu ipſo necare perhibeantur. Veſpertiliones quoque ſunt multi, dentibus & roſtro vulpinis, miluij magnitudine: præcipuo in honore menſarum. Aedificia moreſque cuiuſmodi cæteris Malabaribus. Rex, inanium Deorum ſimulacra cõlit: Brachmanica diſciplina, & ſacris initiatus, vt reliqui. Ab eo Capralis oratorẽ ad Emmanuelem accepit, & vſurpandi magis cõmercij, & amicitiæ cauſa, quã quòd nouis oneribus multum loci ſupereſſet; complura frugum Indicarũ
C pondo ibi coemit: inque Occidentem Ianuario menſe curſum inſtituit. Plenis velis euntem, viginti maioris formæ naues, multis refertæ millibus armatorum, Zamorini iuſſu fruſtra inſequutæ. Indico tranſmiſſo Oceano, è ſex onerarijs vna vadis circa Melindem inhæſit. eius armamentis ac ſpolijs ne Saraceni potirentur, concrematus alueus, inſtrumenta machinæque bellicæ conſultò demerſę: quas tamen Rex Mõbazæ deinde expiſcatus, in Chriſtianorum damnum perniciemque conuertit. Inde Capralis itinere ſolito circunuectus Africam, Iulio denique menſe exeunte miſtum ingenti dolore gaudium in patriam retulit: quando tot vel carorum, vel fortium virorum interitus, quantauis pecunia diuitijſque compenſari minimè poſſe videretur. Eodẽ anno, incertus quo loco res eſſet Indica, Emmanuel Ioannẽ Nouã Callæcũ, notæ fortitudinis & prudentiæ virũ, cum nauibus quattuor Caprali ſubſidio miſerat. is paulò infra Aequatorem primus inſulã inuenit, quę à ſalutari MARIAE Virginis Conceptione denominata eſt. inde nuſquam occurrente Caprali, Melindem delatus; deque ipſius in Luſitaniam reditu, & Calecutana cæde, & inſidijs, multorum ſermone certior factus; Cananorem petijt, regemque honorificis verbis Emmanuelis nomine ſalutauit. Inde præter Calecutanam oram Cocinum proficiſcenti, claſſis

ingens

ingens nauium plus octoginta apparuit: quam Zamorinus haud dubia vi- D
ctoriæ ſpe, ad Luſitanos in ipſo Cananoris portu opprimendos, celeriter
miſerat. Neque deterritus tanta multitudine Ioannes, nauibus ad facilio-
rem circumactum vſumque tormentorum, in altum euectis; aſſidua fa-
latione prælium ad ſolis occaſum præclarè ſuſtinuit: neque vnquam hoſti-
bus tanto ſuperioribus numero, locum ad conſerendas manus, ſeque cir-
cumueniendum reliquit. Paronibus nouem, onerarijs decem depreſſis, e-
pibatis amplius quadringentis deſideratis, Calecutum poſtridie mœſti Ma
labares, vniuerſa lugente ciuitate, redière. Ioannes, egregia parta victo-
ria, gratulantibus regulis, Cocinum adijt; naues per otium onerauit; felici-
que ſucceſſu ouans in Luſitaniam iter intendit. Tranſuectus inde Bonæ
ſpei promontorium, aliam inſulam patefecit, quæ ſanctę Helenæ, cuius tum
dies natalis agebatur, eſt appellata: modico quidem illa circuitu, ſed ſaluber
rimo cælo, aquis optimis, & egregia frugum & carnium copia: loco præ-
terea ita opportuno, vt ad recreandas è longo itinere Luſitanorum claſſes,
diuino conſilio ibidem enata videatur eſſe. Minus è ſententia per idem tem-
pus nauigauit Conſaluus Coelius: qui cum ſex nauibus in Braſiliam deſti-
natus, amiſſis locorum ac tempeſtatum iniuria quattuor, nil niſi rubrum E
lignum, & ſimias, pſittacoſque in Luſitaniam retulit. Interea Emmanuel,
cognitis rebus in India geſtis, claſſem parauit nauium viginti, rebus omni-
bus inſtructiſſimam: quæ vel amicis præſidio, vel hoſtibus terrori eſſe poſſet.
huic iterum Vaſcus Gamma cum ſummo totius Arabici, Perſici, & Indici
maris imperio præfectus, cùm Oliſipone maturè ſoluiſſet, ex itinere Abra-
hemum Quiloæ tyrannum, tanto apparatu perterritum, Emmanueli ſtipen
diarium fecit, impoſito annuo tributo, quod duum millium miticalium, vt
ipſi appellant, vel aureorum ſummam haud excederet. Inde cùm in Ma-
labares traieciſſet; ingentem Saracenorum nauem & militibus & omni te-
lorum genere paratiſſimam, Calecuto redeuntem expugnat: in ea Maho-
metani permulti interempti, Mecam ad pſeudoprophetæ ſepulcrum ſuper-
ſtitionis cauſa peregrinantes. at pueri ex eadem ſecta complures Chriſtia-
nis præceptis imbuti baptizatique ſunt: quos Gamma Oliſipone poſtea tem
pli Bethleemitici miniſterio dedicauit. Ab ea victoria Cananorem adijt;
Regique & oratorem ſuum, & ab Emmanuele perampla dona cum litteris
reddidit. ac renouato fœdere Cocinum tetendit. Ibi dum ſui Regis negó-
tia conficit; repente legati affuêre à Chriſti cultoribus ijs, qui non longè à F
Cocino Cranganorem habent vrbem, è vetuſtiſſima illorum ſtirpe, quos
beatus quondam Apoſtolus Thomas ad ſanam religionem ac fidem, à
Brachmanarũ fabulis, & impura ſuperſtitione traduxit. Is Indiam prouin-
ciam in orbis terrarum diſtributione ſortitus, Socotoram inſulam Arabi-
ci maris fertur adijſſe primùm: dein, multis ibi factis Chriſtianis, traieciſſe
Cranganorem. in ea ciuitate cùm multos item Chriſto filios peperiſſet; Co-
lanum petijt: neque ibi fruſtra diſſeminato Euangelio, trans iuga montium
ad oram orientalem ingenti labore contendit: multiſque locis, ac præſer-
tim in Coromandelis regno, Chriſtiana re bene geſta, perrexit in Sinas, quo
rum ea tempeſtate celeberrimum erat nomen; ac diuini verbi ſementem
in eo quoque nouali facere inſtituit. Atque haud pœnitenda collecta fru-
ge, templiſque ad Chriſti cultum ædificatis, in Coromandelem ad reuiſen-
dos & confirmandos in fide neophytos redijt. Coromandelis caput ac re-
gia tum erat vrbs Meliapor; quam vetuſtate belliſque dirutam nuper Luſi-
tani, deducta eò militum emeritorum colonia, frequentarunt, ac mutata
appellatione, honoris Apoſtoli cauſa ab ſancto Thoma denominarunt. In
ea vrbe ſacram ædem exſtrúere aggreſſus Apoſtolus, cùm à dæmonum ſa-
crificulis, & ab Sagamo rege prohiberetur; res interim inſignis accidiſſe per-
hibetur

A hibetur ad Christi virtutem,& fidem Euangelij comprobandam. Inusitatæ magnitudinis truncum, vt fit,in littus eiecerat mare, quod eo tempore leucas fere decem ab vrbe distabat. Eam Rex materiã cùm in vsum ædificij cuiusdam vehementer expeteret,robusti primùm homines incassum funibus ergatisque amouere conati.dein adhibiti complures elephanti, cùm toto connixi impetu nihil omnino proficerent;Apostolus Regi cõditionem tulisse fertur,si truncum illum sibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis,nullo mortalium adiutore,sese protinus eum ad vrbem attracturum. Cùm rex,insanire videlicet hominẽ ratus, per ludibriũ annuisset;tum Diuus Thomas zona,qua erat præcinctus,ad prominentem è caudice ramusculum annexa,signo tantùm facto Crucis,immanem stipitem facili ductu sequentem, vniuersa ad spectaculum effusa ciuitate, in ipso pomœrio statuit:ibidemque defixa lapidea Cruce;vaticinatus est, cùm ad eum lapidem vsque pertingeret pelagus : tum Diuino iussu è remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset, sacra instauranda venturos. Neque fefellit prædictio. Siquidem sub Lusitanorum appulsum, occultis tot annorum accessibus locus Oceano demum allui cæptus. Verùm ab eo signo cęterisque virtutibus,cùm Thomę verbis maior in dies ac-
B cresceret fides,Brachmanas autem,fuco & fallacijs parta iã auctoritas, iam sagina deficeret;accensus rabie quidã ex ijs,fœdum ac ferũ facinus mali dæmonis instinctu conscisciuit. Filio admodum puero ipsemet necem intulit, vt haberet vnde peregrino & inuiso capiti crimen exitium mq; cõflaret. Citatus ad Regem Thomas,cũ accusator ab eo per summã indignationẽ & querimoniã pœnas filij extincti repeteret;cõtrà,Thomæ discipuli,affinẽ aut omnino conscisciũ eius culpæ magistrũ negarent;nihil opus esse cõiecturis & certaminibus ait Apostolus,ab ipsomet qui occisus dicatur;omniũ optimè cognosci rẽ posse.petit vt eius publicè interrogandi potestas fiat.nihil recusatũ ab aduersario:& cunctis tam inauditæ rei exspectatione suspensis, cadauer in mediũ affertur.Tum ad exanimẽ puerũ Thomas placido & sereno vultu cõuersus:Agedũ,inquit,per Christũ,quem ego Deũ prędico,palã & sine ambagibus puer prome, quisnam huiusce tanti sceleris auctor exstiterit. Mirũ dictu : ad Christi nomen, frigido & exsangui corpusculo vitales confestim redière spiritus:& clara voce, vt omnes exaudirent;Thomã certum summi Dei legatum;& ipsius odio,ad struendam illi calumniam, nefarias à parẽte sibi manus allatas esse confirmat. Hac tam illustri tamq; admiranda testifi-
C catione fractus calumniator obmutuit.Sagamus propenso iam ante ad credendũ animo,Christianam deinde fidẽ ac religionem sine vlla dubitatione complexus est. Regem ex amicis & popularibus imitati complures. Brachmanis,quamquam detecta diuinitus fraude,& pulso in exilium parricida, pertinax tamen & cæca mansit improbitas. cùm lætos Christianæ rei progressus,& neglecta Deorum simulacra ferre non possent; facta conspiratione præconem Euangelij è medio tollere omnino constituũt. Tumulus erat non procul ab vrbe:quo Thomas identidem, è Christi disciplina,secedere propitiandi æterni Regis, & sui recolligendi gratia,consueuerat.in eum locum ,tempore captato,Brachmanæ armati cũ sui similibus impetum dant. ibi Apostolus dum ad Crucẽ,alienato ab sensibus animo, Deum pro salute hominum,& eius præsertim populi deprecatur; telis primùm ac lapidibus appetit9,dein ab vno è Brachmanis lancea transfossus occubuit. venerandũ corpus inde sublatum à discipulis,& in templo nuper ædificato conditum est.Accessit martyrij nomine, & memoriæ causa, fragmentum hastæ,quæ inhæserat costis:& baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes vtebatur:& vrna fictilis cespite inferto, nempe qui manantem è sacris vulneribus cruorem ebiberat. exinde locus multis miraculis claruit, ac magnus

eodem ex omni parte concursus, voti & religionis ergò, fieri cæptus. Hæc D
ferme Indi sciscitantibus Lusitanis, non è fama solùm, sed etiam è veterum
annalibus edidêre. quin egregias Thomæ laudes, ac mortem pro Christi no
mine fortiter obitam, pueris Malabaribus patrio carmine decantare mos
est. Sunt qui cum tribus Magis, qui ad Christi liberatoris incunabula cum
muneribus adoranda, Sybillæ Indicæ (vt ferunt) monitu, stella duce tetende
rant (quo in numero Pirimal Ceilani rex ponitur) Thomã in Oriente con-
gressum: deque immani trunco miraculum non Meliapore, sed Cranga-
nore perpetrasse dicant, ac postremò in Calamina vrbe mactatum regis
imperio (qui Sagamo defuncto successerat) ac sacrum deinde corpus E-
dessam Mesopotamiæ translatum à Christianis fuisse contendant. Vtcumq;
res habeat (nam ego meam interponere sentẽtiam in tali re, tantoque loco-
rum & temporum interuallo non ausim) satis constat, Apostolum in Coro-
mandelio tractu Gangetici sinus, palmam tulisse martyrij. nec dubium est,
quin ex diuini viri præceptis atque institutis, ingens hominum multitudo
varijs Indiæ dispersa regionibus, in hæc vsque tempora, Christi nomen fidẽ
que tenuerit; quamquam ex Armenij Patriarchæ Nestoriani placitis, à quo
Episcopos paulo ante hãc memoriam accipere consueuerant, multis vitijs B
& erroribus inquinatam. alioquin, Apostolicas cęremonias magna ex par-
te obeunt. altaris mysteria religiosè venerantur; eoque viatico, decedẽ-
tes è vita, se muniunt. Aduentus Domini, & quadraginta dierum solenne
ieiunium diligenter obseruant; quotidianæ psalmodiæ, & sacris insistunt. &
cùm alia Christi Domini Sanctorumque festa ritè concelebrant, tum verò
præcipuè paschalium feriarum octauam, quam Dominicam in albis voca-
mus; quòd eo demum die, incredulus antea Sanctus Thomas, indito in
Christi latus ac vulnera digito, Dominum suum, ac Deum suum præclara
testificatione confessus est. Alia præterea multa ex maiorum traditione di-
ligenter obseruant, eo maiore fidei & constantiæ laude, quòd ob id ipsum
non modò à Mahometanis hominibus acerbè vexantur, sed etiam ab regu
lis Ethnicis in seruitutem redacti, cùm alias indignitates & contumelias
perferunt, tum verò sedem ac domicilia iniquis pensionibus redimere
subinde coguntur. ijs, aduentu Lusitanorum, noua diuinitus affulsisse lux
visa. Consilio inter se habito qui Cranganoris incolunt fines, ad Gammam
in propinquo versantem, legatos (vti orsus eram dicere) destinarunt. quo-
rum summa orationis fuit; se & vetustissimos Christi famulos esse; & hoc ip F
so Lusitanici nominis cupidissimos: multa se à barbaris indigna quotidie
pati: petere & orare, vt Emmanuelis Regis nomine se suaque omnia in pa-
trocinium fidemque recipiat. Sub hæc, deditionis insigne, sceptrum argen-
to decoratum Gammæ supplices detulêre. Quos ille benigno vultu, comi-
ter & amicè complexus, bono animo esse iubet: vel in primis mandatum
sibi ab Rege Lusitaniæ affirmans, vt Christi fideles quotquot in ea regione
superstint, omni ope atque auxilio subleuet: nondum id sibi per Calecuta-
norũ insidias, & quotidiana vitæ discrimina licuisse: ac ne tum quidem ob
angustias temporis, reditu iam iamque imminente, posse illis quam vel
maximè cupiat operam studiumque præstare. Cæterùm, quæ prima se oc
casio det, enixè curaturum, vt non sine causa Christiani omnes in Regum
Lusitaniæ pietate opibusque, certissimum suæ saluti commodisque præsidi
um esse constitutum intelligant. Interea, si qua necessitas incidat grauior,
ad Lusitanum confugiant præfectum, quem firmo cum præsidio sit in In-
dia relicturus. Is erat Vincentius Sodreus, cui Emmanuelis iussu Gam-
ma sex ornatissimas naues ad maritimam oram tuendam reliquit, vt
Saracenos, & Arabas ab Indici littoris accessu & commercijs prohiberet.
Interea Zamorinus varijs artibus atque fallacijs Gammam ad se perlice-

re &

A re & circumuenire conatus cùm nihil ei procederet; Trimumparę per litteras ac nuntios alternis rogando minándoque ſuadere etiam atque etiam inſtitit, Gammam & comites vel ſibi proderet, vel certè è ſuis finibus in perpetuum exterminaret. Cui tam impudenti poſtulato, fortius ac liberius quàm à barbaro exſpectari poſſet, ſemel iterumque reſpondit ille: ſe nullis neq; promiſſis neq; terroribus adduci poſſe, tantū vt in ſe facinus admittat, iuſq; naturæ ſimul ac gentium violet. Si quid ab ſe petat, quod ſaluo officio prętare poſſit; id verò ſe libenter ipſius cauſa vel cum damno facturum. Qua viri conſtantia vehementius irritatus Zamorinus, in Luſitanos primum, deinde in Trimumparam ipſum apertè graſſari conſtituit. Rebus iam tranſactis, Gamma reditum in patriam maturabat. certior ea de re ab exploratoribus factus Zamorinus, ad Calecutanam oram appropinquanti claſſem oppoſuit nauium vndetriginta, eò certiore victoriæ ſpe, quòd Luſitanicas naues ipſis oneribus impeditas, prorſus inhabiles ad pugnam putabat fore. Sed eum longè fefellit opinio. Siquidem in barbaras duas reliquum agmen aliquanto ſpatio antegreſſas, Chriſtianæ tres eximia celeritate velis inuectæ, tantum primo congreſſu terrorem intulêre; vt nautæ mili-

B teſque tentata vix pugna illicò ſe in mare deiecerint. quorum ferme trecenti è ſcaphis inter enatandum occiſi: cætera nauigia eodem metu perculſa, qua cuique proximum fuit, turpi fuga littus petiêre. nec fugientibus inſtitit Gamma, propter grauitatem onerum, veritus ne qua in breuia per imprudẽtiam incurreret. in captiuis duabus haud ſpernendæ merces inuentæ, in ijs pretioſa fictilia, & argentea vaſa permulta; itemque ſimulacrum aureum librarum ad ſexaginta, horribili admodum ſpecie: huic, luminum erant vice, duo primæ notæ ſmaragdi: è pectore autem, claritatis eximiæ pyropus, caſtaneæ pæne magnitudine, radiabat. amiculum aureum plurima & varia de more gemma diſtinxerat. rebus hiſce raptim flammæ ſubductis, aluei cum armamentis in conſpectu omnium incenſi. Gamma, rebus terra marique ex animi ſententia confectis, cùm ex itinere Cananoris Regem denuò ſalutaſſet; Moſambicum ad naues reficiendas, atque inde Oliſiponem læto cum reboatu cantuque incolumis appulit. Egredientem in terram, excepêre, Emmanuelis iuſſu, principes nobileſque viri quàmplurimi: qua ille celebritate ac frequentia, cunctis ordinibus maiorem in modum gratulantibus, regiam petijt. Auxêre illi-

C us diei lætitiam, cùm naues permultæ varijs è regionibus eodem tempore in portum inuectæ; tum in pompa fauſtis ominibus & magno populi applauſu prælatum aureum in argenteo diſco vectigal, quod Abrahemus Quiloæ tyrannus eo primum anno pependerat. Ex ea pecunia Emmanuel auream pyxidem in Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſum faciendam locauit: ac miro artificio perfectam, pretioſiſque ornatam lapillis, in æde Bethleemitica poſuit. At Zamorinus interim aduerſis rerum ſuarum euentibus quotidie magis in rabiem accendi: & quod Calecutanas opes in dies imminui, Cocinenſes maiorem in modum augeri conſpiceret, aſſiduis inuidiæ ſtimulis agitari: Trimumparæ verò libertatem in reſpondendo, pertinaciam in Luſitanis omni ope tuendis, ferre nullo modo poſſe. Quibus rebus per ſe iam ſatis ægrum & exulceratum animum, egregij ſcelerum omnium artifices Mahometani facile perpulêre, vt ipſi Trimumparæ bellum inferret: ac quoniam preces ac minæ parum prodeſſent, vi armiſque ad Luſitanos tradendos hominem cogeret. Qua de re conſilio principum indicto, plerique, vt fit, quò inclinatum Regis animum ſentiebant; eò præcipitẽ ſua ſententia impellere nitebantur. vnus Naubeadarinus Zamorini ſororis filius, & ſucceſſor deſignatus, omne conſilium belli ſuſcipiendi gerendique diſcutere fruſtra conatus eſt: quandoquidẽ Zamo-

rinus nonnihil eius oratione & auctoritate commotus, reliquis tamen in- D
ſtigantibus, dolori potius & iracundiæ, quàm rectæ rationi, ac ſalutaribus parere conſilijs, vt plerique mortales, animum induxit. Igitur, vt Luſitanicæ claſſis præſidio Trimumparam exueret, qua illum vna re potiſſimum niti præclarè noſſet; bellum terra maximè ſibi gerẽdum exiſtimauit. Eoque conſilio exercitum omnem ad Pananem, cuius ante meminimus, vicũ, ſexdecim à Cocino Leucas, coegit. Ea fuêre armatorum ad quinquaginta millia. Cuius tantæ molis tantique apparatus nuntio Cocinum allato; fremere plebs, aduenarum gratia ſe in capitis ac fortunarum diſcrimen impelli: nomen Luſitanũ diris omnibus exſecrari: ipſos ad cædem inquirere, ac ſuſtuliſſet procul dubio, ni Rex eorum vitam firmiſſimo Nairum præſidio munijſſet. Principes verò ac dynaſtæ eodẽ perterriti metu, Trimumparã ſupplices etiam atq; etiam precari hortarique, tempori cederet: Zamorinũ placaret: denique ignotæ amicitiæ & incertæ diſpendio, regni ſalutiſque aleã ſine cunctatione redimeret. Quibus cùm Trimumpara obfirmata reſiſteret mente, nihilque ſibi tanti eſſe vel vnquam fore affirmaret; vt legationis & & hoſpitij violaret ius, fidemq; datam Regi Luſitaniæ falleret; dynaſtæ plerique, deſperata Cocinenſi re, ad Zamorinum vnà cum amicis & clientibus transfugêre. Quos imitati poſtmodum Europęi duo, Chriſtiano indigni no- E
mine, quos alij Illyricos, alij Inſubres fuiſſe perhibent; deſerta fide ac religione, tormentariam fabricam, & æris conflandi ſcientiam, cuius erant peritiſſimi, ſanè graui Chriſtianæ rei damno barbaris prodidêre. neque impune ceſſit eis perfidia. ſiquidem poſt annos aliquot, agnoſcentes errorem ac ſcelus, cùm ad Luſitanos reditum pararent, à Malabaribus illicò deprehenſi, & concurſu populi crudeliter interempti ſunt. Dum hæc à Zamorino parantur, Sodreus, ora Calecutana vaſtata, Cocinum peropportunè cum ſocijs appulit. Eius aduentu Rex & Luſitani paululum reſpirarunt. Sed, ille ſimul edoctus quanto in periculo res eſſet, ſimul infimis precibus rogatus vt milites in terram exponeret, ſeque cum Trimumparæ copijs maturè coniungeret; contra omnium exſpectationem animo prorſus obdurato reſpondiſſe traditur: Sibi maris cuſtodiam ab Emmanuele commiſſam. Si maritimum inſtaret bellum; ſe officio præclarè functurum: quandoquidem terra gerenda res foret, Rex cum ſuis ipſe ſibi conſuleret. Ab hoc reſponſo, gementibus Luſitanis, perculſo Rege, ad fauces Erythræas obſidendas F
recta contendit: Arabumque ſex nauibus in itinere captis, præda ditatus ingenti, ad Curiam muriam inſulam haud longè ab Aromata promontorio, quà in Septentriones obuerſa eſt, in anchoris conſtitit. ibi dum in Mahometanos porrò imminet excubatque; Maio menſe ineunte atrocior Boreas vehementi procella naues alliſas ad ſaxa comminuit: ipſeque Sodreus vnà cum Blaſio germano fratre, tum ſpreti Luſitanici ſanguinis, tum deſtituti Regis amiciſſimi ac fideliſſimi, pœnas horribili naufragio, & repẽtina morte perſoluit. Fertur, antequam id accideret, ab incolis identidem admonitus, vti ſtatam & anniuerſariam eam tempeſtatem caueret; quamquã obtemperantibus alijs nauarchis, & in tuta ſecedentibus loca; ipſe tamen cõ tumaci vultu, verbiſque inſuper contumelioſis optima conſilia reſpuiſſe. Hæc ferme de Sodreis fratribus aduerſo rumore vulgata; quamquàm eos admodum locuples auctor Ioannes Barrius liberare culpa videtur, affirmans non ab Sodreis deſertum Regem, ſed enixè operam deferentibus, inſtante iam hyeme remiſſum ab Rege. De vtriuſque tamen exitu Barrius, idem haud ſanè diſcrepat. Cæteri, qui mutata paulò ante ſtatione periculum euitarant, ad placandas cæleſtes iras Cocinum repetere, & laborãtibus ſui opem ferre ſine mora conſtituunt: ſed incenſæ officio voluntati haud ita reſpondit euentus. Petro quippe Ataidio duce, cùm Indicum pelagus traie-

A traiecissent, aduersis tempestatibus ad Anchediuam insulam hyemare coacti. Interea Lusitani, qui Cocini versabantur, tũ de sua, tum de Regis optimi salute soliciti, ac singularem viri constantiam atque animi magnitudinem valde admirantes, ab eo magnopere petiêre, vti se ad Cananoris Regem nauigare permitteret. ibi sine cuiusquam periculo tutos ad nouæ classis aduentum futuros. Quibus ille respondit, bono essent animo, ac diuinæ prouidentiæ fiderent; quæ bonas causas, cùm in extremum discrimẽ venissent; tum maximè subleuare consuesset: de profectione verò minimè cogitarẽt. neque enim se permissurum, vt quos semel in tutelam atque amicitiam recepisset, ij, se viuo & consentiente, ad alienam opem supplices ac vagi confugerent. Simul cæteros, ne despondeant animum, hilari vultu, & accommodata ad tempus oratione adhortatur. ac quanta maxima potuit celeritate, copijs ex vniuerso regno contractis, opportuna loca præsidijs firmat, fossas repurgat, nouas circa vrbem munitiones vallumque perducit: in primis verò, quoniam Repelini vada (is locus abest à Cocino leucas non amplius quattuor) ad exercitum traducendum hosti erant petenda; Naramuinum sororis filium, eximia spe summæ virtutis adolescẽtem, hæredem regni de-

B stinatum, ibi cum Nairum quinque millibus & quingentis opponit. ad eum Laurentius Morenus, & aliquot Lusitani spectatæ fortitudinis viri vltrò se adiungunt. Zamorinus per vates & sacrificulos ad proficiscendum ominibus diu captatis, signa denique ad Repelinum promouit. ac priusquàm traijcere conaretur, noua ferri flammarumq; denuntiatione Trimumparã aggreditur, ni Lusitanos relinquat. cùm ille minas omnes terroremq; præ officio ac fide contemneret; copiæ traduci à Zamorino, quacunque vada patebant, illicò cœptæ. Sed resistentibus acriter Nairibus, non sine magna suorum cæde, semel iterumque repulsus, ab innata mobilitate animi reditum cogitare apud se cœpit; atque, vt initia sese dabant, rei difficultate deterritus procul dubio signa retro vertisset; ni pertinax Brachmanarum & Ma-

C hometanorum in Trimumparam & Christianos odium acriter obstitisset. Eorum adhortationibus animatus ad cœpta prosequenda; per occultos internuntios quæstorem Trimumparæ ingentibus præmijs, promissisque corrumpit; vt per occasionem stipendij numerandi, quàmplurimos è Naramuini præsidio ab signis abducat. eam sibi ad transitum occasionem fore. ille per speciem aduersæ valetudinis in castra venire se posse dissimulãs, quamquam ægrè ferẽte Naramuino, dimidiam ferme Nairum partem in vrbem euocauit. quos cùm sub vesperũ Naramuinus ea lege misisset, vt ante lucem castra omnino repeterent; Quæstor extracto in multam diem negotio, tota de re Zamorinum per eosdem nuntios admonet. ille, ne tantam opportunitatem frustra elabi pateretur; omnibus connixus viribus, non sustinẽte iam impetum Naramuino, exercitum, sarcinas, atque tormenta partim actuarijs, partim vado traduxit; ac Naires vigilijs fessos, & infrequentes, facta impressione in palmeta Cocino proxima compulit. ibi Naramuinus, multis acceptis vulneribus, magna vicissim edita strage, fortiter dimicans vnà cum duobus alijs regijs iuuenibus cadit: reliqui fuga dissipati, varijs itineribus in regiam cõuenêre. Calecutanus, iam se intendentibus tenebris, vltrà cedenti hosti non institit. Postridie, tam insigni parta victoria, Trimumparæ fidem iterum per communes amicos, mistaque precibus ac terrore litteras, tentat. ille, quamuis è tanta clade, ac præsertim ex amissa regia sobole, insigni dolore accepto; tamen (quod vix credibile videatur) stetit animo; conditiones pacis reiecit, collectis reliquijs Nairum, & omnis generis vndique coacta multitudine, aduentanti Zamorino se rursus obiecit. Ea quoque pugna victus ac profligatus, accepto insuper vulnere, nihil habuit prius antiquiusve, quàm vt Lusitanos, eorumque res omnes à cædis & direptionis

periculo eriperet. Vaipinum est insula Cocino proxima, sacri & inuiolati D
apud barbaros soli; ac præterea, situ & operibus munitissima. in eam insu-
lam aduenas cum eorum gaza raptim transferendos curat. dein cum egre-
gia manu armatorum subsequutus ipse celeriter: vt si minus loci religione,
certè munimentis armisque hostem arceret. Omnes ferè proceres, vt supra
dictum est, ad hostes turpi defectione transierant. Vnus Vaipinensis dynasta
Trimumparæ sese fidum comitem amicumque ad finem vsq; fortiter præ-
buit. At Zamorinus, haud segniter vsus victoria, Cocinum penetrat; vrbem
flammis iniectis vniuersam incendit; Vaipinum contempta religione haud
semel aggreditur; sed cum ignominia semper ac damno prohibitus, aduen-
tante iam hyeme, in proximum ver distulit bellum. interea, ne Trimumpa-
ra Cocinum repeteret, castella in vrbis ruinis nonnulla excitauit, & cohor-
tes aliquot in eo præsidio statuit. ipse tam secundis rebus elatus ac tumidus,
Mahometanis ac Brachmanis effusè lætantibus, ad gratias inanibus dijs a-
gendas Calecutum reuertit. ibi, æraria officina instituta per duos, quos di-
ximus, fidei desertores, & alios quorum industriam magnis præmijs fouebat
incitabatque; omnis generis tormenta machinasq; ad vrbium excidia com-
parabat; cùm è Lusitania subitò nostris admodum laborantibus affuit Fran-
ciscus Albuquercius, omnibus belli adiumentis instructus. is, Petro Ataidio
cum cæteris qui ad Anchediuam hyemauerant, ad suas naues adiũcto, Vai- E
pinum rectà contendit, ac Trimumparam Emmanuelis nomine tum ver-
bis amicissimis erectum animatumque; tum ad regiam tuendam personam
præsenti pecunia subleuatum, cæso & fugato Calecutano præsidio, in Re-
gnum Cocini summa omnium gratulatione restituit. Inde, populando v-
rendoque perduellium tecta sataque, non vno loco hostes vel inuitos in
certamen extraxit; multisque minutis prælijs exiguo admodum suo detri-
mento cæcidit. postremò oppida quoque aggressus, primò Chiriuaipinum,
dein Cambalanum, tum alios ignobiles vicos, dynastis qui ad Zamorinum
defecerant, vel interfectis, vel in fugam actis, ingenti ardore militum expu-
gnauit, incenditque. Ab ea expeditione, maximo gaudio & infinita cum a-
ctione gratiarum à Trimumpara exceptus, pro amicitia petijt, vt quoniam
inter eas nationes adeo infesta ad eam diem vita Lusitanorum fuisset; castel
lum ad eorũ corpora & res tuendas ædificare sibi Cocini liceret. quod Rex
adeo prolixè liberaliterque concessit; vt è suis etiam palmetis, quoniam cæ-
menta non suppeterẽt; præcipua firmitate materiem in eam ædificationem F
excidi quamprimùm iusserit: dein loco in primis idoneo area dimensa, &
inchoato iam opere; dudum expectatus è Lusitania cum iuuentutis robore
superuenit Francisci patruelis Alphonsius Albuquercius is, qui rerum dein-
de gestarum gloria Magni cognomen est consecutus. Eius accessu, Lusitanis
Indisq; certatim insudantibus, breui consummatum castellum, & in eo tem
plum Diuo Barptolemæo dicatum est: vt magnò vtrumque consilio ac pie-
tate, sic modico sumptu elegantiaque. Sacrarum ædium & arcium, quæ va-
rijs Indiæ locis per alios alioq; præfectos deinde per otium absolutæ sunt,
lignea illa prima ædificia, quasi typos ac proplasmata iure quispiam dixerit.
Eo munimento perfecto, supplicatio à Lusitanis habita: signum pendentis
è Cruce Domini sub vmbella pretiosa per multas instauratæ iam vrbis par-
tes, præcinẽtibus tubis cum religioso tripudio ac festa saltatione prælatum.
pompa ad arcem vsque perducta, & cùm arx ipsa, tum in ea templum preca-
tione solenni à sacerdotibus consecratum eo maiore lætitia, quòd illo pri-
mùm die Romana Ecclesia diuinis in rebus, Lusitana gens in humanis, In-
diæ possessionem adire quodammodo videretur. Post hæc, Albuquercius
vterque ad perdomandam Zamorini ferociam nouas excursiones fecêre.
vastatus in primis Repelinensis ager. pagi ac villæ complures inflammatæ
ac di-

A ac dirutæ.nauigia capta ac direpta permulta.deniq; bello paſſim circũferendo, tãtum terrorẽ omnibus circa populis intulêre;vt Zamorinus ipſe,præſertim ſuadente Naubeadarino eodem,qui bellum antea diſſuaſerat,orato res pacis & commercij petendi ad Luſitanos miſerit. cui conditionibus ijs datum eſt fœdus,vt & cædem Calecuti factã,& direpta mercimonia æquis æſtimationibus compenſaret: itemque ab laceſſendo armis Trimumpara in poſterum abſtineret. In haſce ferme leges pax conuenit, ac rurſus cùm Zamorini populatibus amicè agi,& contrahi cæptum. Eadem fama permoti iamdudum tutores Colani Regis (nam ipſe per ætatem potens regni nondum erat)per legatos item fœdus & amicitiam petiêre. Quibuſcum eò libentius iunctæ dexteræ,quò maiores in omnem partem opportunitates habere viſa res eſt. Etenim Colanum vrbs,quattuor & viginti leucas à Cocino in meridiem ſita,in primis totius Indiæ antiqua & opulenta cenſetur. ex ea Calecutum , & aliæ Malabarici ſoli olim ductæ coloniæ. abundant mercibus;portum facili præbet acceſſu.ac præterea, multis familijs veterum Chriſtianorum incolitur:quæ res longè etiam vehementius Luſitanos ad ſocietatem gentis allexit. Igitur illis præcipuè cautum in fœdere:

B multis & grauibus iniurijs liberati,eorumque fortunis ac dignitati conſultum.Inſtituta communi conſenſu amicitia,tabuliſque commercij ritè confectis,domiciliũ proprium Luſitanis in vrbe Colano attributũ.eò cõfeſtim negotiatores cum ſcribis & cuſtodibus immigrarũt.Acceſſit rei diuinę procurandæ cauſa Rhotericus Dominicanus.is,& morum integritate,& doctrinæ præſtantia paucis diebus multos mortales partim in recta fide confirmauit,excoluitque:partim ab ſtipendijs dœmonum ad Chriſti ſigna traduxit. Eodem anno quo hæc in India gerebantur(is fuit à milleſimo quingenteſimus tertius) nauarchi aliquot ad commeatus Arabicos prohibendos Oliſipone profecti, Zanzibaris regem malis coactum, ſtipendiarium Emmanuelis fecêre.itemque Brauæ liberæ ciuitati, leucas cis Melindem centum,annuum vectigal impoſitum. ipſi verò Melindenſi Regi, cùm à Mombazæ tyranno valde premeretur, ſanè opportuno tempore latæ ſuppetiæ.tyrannus ab armis diſcedere, & prope iam victo Melindenſi pacem dare coactus eſt. Cùm terra marique negotia Luſitanica proſpero admodum procederent curſu,& ſimul in varias regiones aditus Euangelio patefieret;tranquillas iam à Calecutano res, vnius hominis cupiditas & amen-

C tia perturbauit.is,Cocinenſi apothecæ præpoſitus, cùm nauem Malabaricam pipere onuſtam præteruehi cognouiſſet;repente vel auiditate prædæ, vel priuato in Malabares odio incitatus, mittit qui captã ſine mora Cocinũ pertrahant:nautæ cùm ſe Zamorini amicos & populares clamarent;Deumque & hominum fidem teſtarentur,ſe ipſius miſſu Cranganorem petere; nihilominus Luſitani in incepto perſiſtunt. coorta pugna , ſex Malabares interfecti,complures vulnerati: nec Luſitanis incruentum certamen fuit.

Expugnato nauigio,in Cocinenſem apothecam piper omne conuectum. Ea re cognita Zamorinus confeſtim ad Franciſcum Albuquercium mittit, qui tantam iniuriam expoſtulent . ille cùm rem negligeret, nec modò ablata reddere, ſed ne factum quidem vlla ratione purgare dignaretur; enimuero Zamorinus continuò exarſit iracundia,coalitamque recens amicitiam indignabundus abrupit. Hanc ego diremptæ pacis ac ſocietatis cauſam,Damianum Goeſium & Hieronymum Oſorium,ſequutus,in medium attuli,haud ſanè ignarus,in hoc etiam ab ijs diſſentire Barrium:culpamque omnẽ in Zamorini mobilem animum vtcunq; transferre. Sed regijs chronographis à me,præſertim in re tali tantaque,temere fides abroganda non fuit. Cæterùm Zamorinus, vti dicere inſtitueram, acri dolore ſuccenſus,primùm edicta omnia,decretaque in rem Luſitanorum facta,extemplò

reuocat.dein armatos parones ad intercipienda onera circumquaque di- D
mittit.postremò ad euertendum Trimumparam,Lusitanosq; ex India pel-
lendos maiore quàm vnquam antea conatu copijsque se comparat. Et
quamquam inexpiabili in vtrosque odio ferebatur;bellum tamen distulit
consultò,quoad Albuquercij fratres onustis iam non vno loco nauibus,ex
India abscederent. Quibus de consilijs Trimumpara litteris amicorum ac
nuntijs maturè certior factus,cum Francisco(nam is præerat summæ rerũ)
egit etiam atque etiam,vt adeo difficili ac periculoso tempore quàm firmis-
simum sibi suisque præsidium in discessu relinquat.Sed neque proximæ ca-
lamitatis memoria,neque imminens Lusitanicæ rei discrimen, neque op-
timi, & constantissimi Regis obtestationes precesque flectere Francisci a-
nimum valuêre,vt naues plus tres cum centum & quinquaginta dumtaxat
propugnatoribus daret,præfecto Eduardo Patieco viro fortissimo : nimi-
rum,vt in tanta deinde paucitate,cùm militum virtus,tum verò diuinę opis
præsentia clarius appareret. Post hæc,Albuquercij fratres vterque simul,
verùm exitu dispari in Lusitaniam vela dedêre. Franciscus,incertum qua
clade,quove infortunio, vnà cum socijs in itinere perijt.Alphonsus,quam- E
uis magnis iactatus procellis,tamen circa finem Iulij mensis, non minore
quæstu quàm gloria,sospes in vrbem Olisiponem introijt. Post eorũ pro-
fectionem,solutus metu Zamorinus,palam terra marique bellum ciebat.
ducenta amplius nauigia,magnam tormentorum copiam, elephantos cõ-
plures,armatorum millia circiter sexaginta contraxerat. Eo terrore Cocin
num allato;multi confestim in Malabaris interiora dilapsi: ac vix capitis
pœna proposita cohiberi populus potuit. Ex reliquis copijs ægrè milites
ad millia triginta conscripti. quorum tamen paulatim numerus partim
transitionibus,partim effugijs vix ad decem millia redijt,nec ea quidem ad-
modum forti animo,vel integra in Trimũparam fide. Ergo tota pæne bel-
li moles in Lusitanos incubuit. Solennes tum fortè agebantur feriæ,qui-
bus cælestes iras in omne genus humanum intentas olim suo potissimum
capite Christus excepit. Ea recordatione ad omne decus ac pietatem incen
si Lusitani,vicissim vitam pro Christi nomine effundere gestiebant. Itaque
tanto inferioribus copijs,nullum periculum recusare,caput libenter in dis-
crimen offerre, & periculosissimas expeditiones certatim sibi quisque de-
poscere. Eduardus,quoniam multis partibus vno tempore dimicandum F
fore non dubia coniectura prospexerat; primùm ad Repelini vada nouas
munitiones obiecit:dein Cocinensi arce multis locis instaurata; nouum in-
super propugnaculum ad portus introitum excitauit.ad hæc, naues & sca-
phas maiores,vt ad subita occurrerent,omni genere telorum ac tormento-
rum instruxit. At Zamorinus,vti proximo bello fecerat,Repelini transi-
tum,& vado,& actuarijs longo ordine consertis tentauit primùm: dein ma
gna suorum cæde bis terue repulsus,cùm in angusto loco se multitudo im-
pediret;& à nostris in confertam turbam irrita nulla iacula inciderẽt;Repe
linensis dynastæ monitu ad loca minus vadosa,verùm patentiora descẽdit.
ea re cognita Patiecus cum expeditis celeriter anteuertit: ratusque paucita-
tem consilio adiuuandam;noctu sudes præacutas toto passim vado figẽdas
curauit:postridie hostes magno impetu transire conati; partim se præustis
cuspidibus induerunt;partim accedente æstu obruti;partim assiduis missili-
um nimbis vulnerati,occisique:pars etiam,quæ vel nandi peritia,vel bene-
ficio lintrium in vlteriorem euaserat ripam,acriter dimicãtibus Lusitanis,
aut cęsi,aut in flumen detrusi. Zamorinus,vbi aperta vi parum proficere se
intelligit;ad insidias de more conuersus,percussores,trãsfugarum specie,in
Eduardum occultè summittit : hosce ille diuinitus deprehensos conui-

ctosque

A ctoſque Trimumparæ tradidit,in quos arbitratu ſuo cõſuleret. pretio dein conducti,qui veneno inficerent aquas: eo item ſcelere per indices patefacto,excubiæ ad fontes intenta cura diſpoſitæ. Rumor ad hæc de induſtria diſſipatus,Cocinenſe præſidium cæſum,naues captas & incenſas:ac ſolicitati circa populi, vt in noſtrorum ſtationes,& apothecas impetum facerent, nomenque Luſitanum omne delerent. ea quoque fraus Dei beneficio patuit. Quo tam infelici rerum euentu cùm valde angeretur Zamorinus; tum ad infringendos eius conatus, dira morbi lues acceſſit: qua multi ex ipſius exercitu fœdè abſumpti; multi etiam & contagionis metu, & belli difficultate perterriti, diffugêre. Iamque ſuſceptæ expeditionis auctores exſecrantem, ac deſperatis pæne rebus, de pace ac de reditu cogitantem,iniecta repente ſpes confirmauit expugnandi Luſitanicas in ipſo Cocinenſi portu naues;quo vno ſubſidio,vt ſupra diximus, Trimumparam vel maximè niti non ignorabat. Mahometanus quidam erat, Coieſalles nomine, machinarum peritus. is ad Chriſtianorum nauigia ſuperanda, Malabaricis multo celſiora,eiuſmodi artificium ingenti omnium approbatione commentus eſt. Binis paronibus, valido & à puppi & à prora tigno inter
B ſe commiſſis,turres erigebat;è quibus deni amplius homines in ſubiectas onerarias tutò eiaculari poſſent. Huiuſce generis machinas octo cùm adornaſſet;Zamorino ignaro talium rerum, & adulatorum turba circumfluẽti, tanta victoriæ fiducia ſubitò acceſſit;vt Eduardum ad ſe vinctum perduci ſine mora imperauerit. Verùm ille per exploratores tota de re præmonitus,nouas viciſſim in onerarijs machinas excitarat. ac quo die commiſſum eſt prælium (is erat in cœlum aſcendenti Chriſto Domino ſacer) nauium puppes,ne à tergo circuiri poſſent,ad littus applicuit:præterea,ad arcendum congreſſum,prominentes à prora malos obiecit:precatuſque immortalem Deum,vt in ea quoque ſibi pugna, ſicut in cæteris propitius adeſſet; inuicto animo,perexigua manu, ducentorum ferme nauigiorum impetũ excepit. Ardentes primùm pyrę ad Chriſtianas naues inflammandas immiſſæ: quibus acceſſu prohibitis, & in conſpectu omnium fruſtra conſumptis; tum demum turrita nauigia nequicquam admoueri cæpta. Siquidem præter ipſam machinæ formam,duplici præſertim clauo, ad regendum inhabilem, æſtus quoque maris tum fortè rapido accedens tractu, gubernandi arbitrium nautis ademerat.ergo,& magiſtri gubernacula huc
C illuc fruſtra torquere; & remiges irrito conatu in aduerſum maris impetum tendere;& infeſto roſtro in noſtros directa nauigia repente modò in obliquũ,modò in cõtrarium ſiſti:nihil iam loci conſilio vel arti eſſe: neque moderatores inter ſe conſtare;nec remigium clauo, neq; clauus magiſtris parere:aliò naualis turba,aliò duces & propugnatores vocare, aliò cuncta rapere æſtus abripere.in eo tumultũ,cùm ſagittarũ multitudo cælũ pæne inuaderet;& crebris hinc inde fulgetris horribili cum ſtrepitu radiantibus, omnium generum vſquequaquè tela volitarent;è turribus octo vix duæ ad terras ægrè tandem appulſæ. in quas deſtinato ictu maiores globi à noſtris inde contorti:laxatiſque cõpagibus, partim auulſa è ſuis ſedibus tabulata cum ipſis epibatis in aquam magno ſonitu decidêre;partim diſſilientibus vndique fragmentis, conſauciati permulti,ingentem pauorem ac trepidationem cæteris intulêre. Ad eum caſum clamor à noſtris terra mariq; ſublatus,& integrata pugna tãto militum ardore;vt Calecutani, multis paſſim occumbentibus,attoniti pauenteſque certatim terga conuerterint. neque vllis,ducum Regisve ipſius,aut minis aut hortamẽtis ſiſti fuga potuit. contento curſu remotas Malabaris inſulas,& intima penitus æſtuaria petiêre. quinque circiter ab initio belli menſes effluxerant. eo toto tempore Zamorini copias valde imminutas eſſe conſtabat. peſtilentia, mortalium

talium ad tredecim millia absumpserat: totidem ferme huc illucque distu D
lerat metus. varijs præterea certaminibus, magna parte nauium ac tormen-
torum amissa, ex ipso militum robore millia plus quinq; ceciderant. Zamo-
rinus infeliciter iam toties in arma coortus, cùm & hyems immineret, & no-
ua insuper è Lusitania classis adesse diceretur; abiectis belli consilijs, ipso Di
ui Ioannis Baptistæ natali die vasa collegit, ac retrò ad Pananem tristissi-
mus abijt. Brachmanæ augureſque, quòd belli suasores & impulsores sem-
per fuissent, veriti ne in ipsorum caput calamitas verteret; culpam tantæ
acceptæ cladis in malè obseruata auspicia, neglectas religiones, & vota mi-
nus fideliter soluta, cuncti ex composito reiecêre. Hisce artibus menda-
cijsque sacrilegi impostores existimationem suam egregia simulatione tu-
tati. Zamorino, vanis superstitionibus miserè obnoxio, ingens dirarũ inie-
cta formido. regni administratione vicarijs tradita, ipse interim æger animi,
ac mœrore pæne confectus, in auiam solitudinem cum exiguo comitatu,
ad placandos commentitios Deos, & expianda peccata secessit. At Lusita-
norum, eo toto bello, cùm omnium, tum verò Eduardi præcipuè Patieci
virtus enituit. Is, & ante prima signa fortiter dimicando, & insidijs maturè
præcauendis; & disponendo milite, & muniendo vbi res postularet; & om- E
nia militaria munera impigrè obeundo; acerrimi simul bellatoris, & ducis
eximij laudem omnium testimonio est consecutus. Quamquam attentius
belli progressum & euẽtum æstimantibus, diuina potius, quàm humana to-
ta res visa. quando tam multis Malabaribus ex vtraque parte cadentibus,
Lusitanus tot prælijs desideratus est nemo. ac nauium insuper aluei non se-
mel traiecti ac perforati sine vllius damno feruntur; & fulmineo excussæ
rotatu ferreæ pilæ, irrita plaga (quis credat?) obuijs quorundam exce-
ptæ pectoribus. Quas ob res, Christo salutis humanæ parenti, suppli-
cationes habitæ, & solenni ritu, pro ea quæ tum suppetebat copia, sacrifi-
catum est. Redeuntem è prælio Patiecum Trimumpara perquàm arctè
comiterque complexus, immortales eius virtuti ac fortitudini gratias e-
git: nec modò regnum, sed vitam, salutemque Lusitanis haud vno iam no-
mine acceptam ingenuè tulit. Interea multorum litteris & nuntijs certi-
or factus Emmanuel, quanto in periculo res Indica versaretur; Lupum Soa
rium Aluarengam cum nauibus duodecim subsidio suis laborantibus mi-
serat. is, quamquam ab Eduardo parta iam ante victoria, magnum tamen
ad Cocinense regnum & Lusitanica negotia stabilienda, momentum attu- F
lit. Siquidem Zamorinus & quotidiano matris conuitio, & assiduis popu-
larium precibus in patriam reuocatus, bellum eadem qua deposuerat leui-
tate, reparare terra marique instituerat. Iamque ad Cranganorem oppidũ
terrestres nauales que copias intentiore delectu habito cõtrahebat. Eius rei
fama Cocinum allata, Lusitani circiter mille, Naires ad duo millia confe-
stim eò profecti, recens ædificata ab hoste nauigia primùm expugnant, præ-
fecto rei maritimæ cum duobus filijs interempto: dein excensione facta, eo
dem impetu Naubeadarini peditatũ fundunt fugantque. tum Cranganori
oppido iectæ flammę; Christianorum tamẽ tectis, ac prçcipuè sacris MA-
RIAE Virginis, & Apostolorum ædibus temperatum est. Per idem tem-
pus Rex Tanoris (ea quoq; Malabarica est regio) cùm finitimis bellis admo-
dum premeretur, à Lusitanis auxilium petijt; seque, ni aspernarentur, Em-
manuelis vectigalem fore professus est. missi extemplò aliquot Lusitani ma
nipuli: quo ille subsidio, cùm breui superior hostibus euasisset; certis, vti re-
ceperat, legibus, in Regis Lusitaniæ societatem, ditionemque conceſſit. In-
ter hæc, Indico mari ab Lusitanis vehementer infesto, Calecutana com-
mercia magis in dies imminui. negotiatores & inquilini partim ad suos la-
res, partim in aliena regna migrare. In ijs mercatores Arabes omnium
ditissi-

A ditissimi, cùm ad Mecam reditum pararent; pecuniam & pretiosissima quę-
que in naues imposuerant, sub Lusitanicæ classis discessum illicò vela factu
ri. Non fefellit ea res Aluarengam. Continuò Pandaranæ portum scaphis audacter inuectus, onerarias Arabum septendecim instar muri inter
se colligatas, omni telorum genere ornatissimas, & propugnatoribus
refertas, vi cepit, ac direptas incendit. Pertinacibus animis vtrinque certa- duabum nabes
tum est. è Mahometanis duo millia; è nostris vigintiquinque, non ampli- 17 oppug.
us, interfecti: vulnerati ad centum & triginta. Inde, relicto cum tribus na-
uibus ad Cocinum tuendum Emmanuele Vasconcellio, opimis spolijs o-
nustus Aluarenga Lusitaniam petijt, comite itineris Eduardo Patieco: cu-
ius egregiæ virtuti, immortalibusque erga se promeritis, Trimumpara de-
bitum testimonium scriptis ad Regem litteris tribuit. Ei testimonio cùm
aliorum etiam litteræ sermonesque astruerent fidem; Emmanuel talem ac
tantam indolem in obscuro latere nequaquam est passus. ac præter cæte-
ros honores aduenienti Eduardo publicè priuatimque habitos, præclara
quoque viri facinora pro concione diligenter exposuit ornauitque Regis
iussu Iacobus Ortizius Visensis Episcopus: idemque cæteris in oppidis Lusi-
B taniæ factitarum. dein, vt in communi causa commune gaudium esset;
ad Christianos omnes Reges principesque, ac Romanum præcipuè
Pontificem, Emmanuel in eandem sententiam accuratè per-
scripsit. diu celebrati sermone omnium nationum tam
noui tamque admirandi rerum euentus; gratiæ v-
bique ingentes actæ Deo; nec parum inde Lu-
sitanico generi ac nomini dignita-
tis accessit.

Libri secundi Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER TERTIVS.

HOC tam secundo successu rerum, Emmanuel Orientis opes imperiumque animo & spe in dies maiore complexus, percunctando à regionum peritis, & nauigationis tabulas, quæ ex India depictæ subinde referebantur, attentius contemplando, ita comperiebat: Indicę negotiationis p̃sidia & quasi claustra præcipua esse tria: Adenum Arabiæ, & Armuziam insulæ Geru (Ogyrim olim fuisse quidam haud absurdè conijciunt) prænobiles vrbes, quarum altera Arabici, altera Persici sinus ostium obsideret: itemque Malacam, Sincapurano impositam freto; quò, propter loci opportunitatem, Sinarum, & Lequiorum, & insularum pæne innumerabilium mercimonia commearent. ergo, ad ea loca vel fœdere sibi adiungenda; vel armis, vbi res exigeret, occupanda; studium omne cogitationemque conuerterat; ratus, id quod res erat, eam vnam expeditissimā rationem esse totius maritimi quæstus ac mercaturæ ab Aegypto, Syriaque in Lusitaniam transferendæ. Non fefellêre eiusmodi consilia Saracenos, & Arabas, viros & in suis occultandis voluntatibus, & in alienis odorandis explorandisque admirandæ sagacitatis. Itaque Zamorino per aulicos & Brachmanas persuadent, vt quoniam Indicas classes Lusitanicis & robore nauium, & armorum apparatu inferiores tot iam euentus ostenderint; ab Aegypti, & Arabiæ, ac Syriæ Rege Campsone, quem Sultanum appellabant, aduersus communem hostem auxilia accersat. Missus in eam legationem cum amplis muneribus Maimames, Mahometanę superstitionis cultu notissimus: is, miscendo cõsilium precibus, modò Campsonem obsecrabat, vt religionis auitæ causam susciperet, ac prophetæ sepulcrum, & populares, amicosque & consanguineos à quotidianis Lusitanorum iniurijs ac latrocinijs vindicaret: modò suadebat, vt sibi quoque, vectigalibusque suis maturè consuleret. Gentem ab vltimis orbis terræ terminis in partem Indici commercij vix ante quinquennium precario admissam, tantos iam sibi sumpsisse spiritus, vt leges Orienti dare, iura publica inuadere, Asiaticas opes per summam audaciam interuertere, quibus denique visum sit, nauigatione ipsa interdicere minimè dubitet. Qui tam longinquis, ac periculosis expeditionibus talia moliantur; quid tandem, si domicilium ac sedem in Asia fixerint, non ausuros? oriętem flammam vel exiguo latice, adultam iam & grassantem, non nisi ruina opprimi, & extingui. Proinde, nascenti malo pro sua pietate ac prudentia quàm primùm occurreret. Ad extremum petebat: vt classem aduersus Lusitanos quantam posset maximam, remige ac milite instructam, ad Indiæ littora mitteret. Calecutanum commeatus, pecuniam, portus, ac cætera necessaria affatim præbiturum. In eandem sententiam orator etiam ab Adeni regulo, vir clarus è pseudoprophetæ stirpe, disseruit. Haud vana afferebant. etenim Campson, & Mahometici dogmatis se præcipuum assertorē, ac Mecanæ domus, quæ in

A quæ in eius erat imperio, præsidem ac tutorem ferebat; vt imminutum eius cultum negligere salua dignitate non posset: & post Lusitanorum in Indiam aduentum, ac merces in Occidentem auersas, maiora in singulos annos rei pecuniariæ damna sentiebat. igitur & Regum sociorum suasu, & sua ipse voluntate ad pellendos ex India Lusitanos vehementer incubuit. In præsentia, legatos quàm optimè sperare iussos, & promissis ingentibus regio more oneratos, dimisit. Cæterùm mox de apparatu bellico, deque ratione perficiendæ rei deliberanti, multa occurrebant, quæ quamuis incitatos hominis impetus admodum retardarent. primùm communis Mars, & incerti bellorum euentus: dein periculum ne Lusitano oppugnando, totius Europæ arma in se conciret: postremò ædificandæ instruendæque classis difficultas: quòd & materia cædua, cùm in Aegypto non suppetat, longissimè petenda: & informes triremium aluei membratim à Cairo seu Babilone, quæ interfluo Nilo Mempheos obiacet antiquæ ruinis, Suezium vsque rubri maris emporium per solitudines arenosas, & auias transuehendi forent, atque ibi demum compactis carinis ornandi deducendique. Quocirca, antequam ancipitem belli subiret aleam, sibi tentandum
B existimauit, num quid denuntiatione magni alicuius periculi, ac minis apud Christianos proficere posset. Primùm igitur, per idoneos homines rumoribus dissipatis, omnium aures bellicis terroribus complet. dein artificiosè submittit, qui Maurum monachum Hispanum, antistitem templi eius, quod in Arabiæ monte Sina reliquias Diuæ Catharinæ virginis martyrisque conseruat, metu, ne quid in sacram ædem grauius consulatur, supplicem ad se compellant. Hunc ergo, simplicitatis antiquæ virum, qui regum ignoraret artes, pauentem ac trementem, Campson cum minacibus litteris ad Alexandrum eo nomine sextum Romanum Pontificem mittit. in quibus erat; se à duobus Christianis Regibus Fernando, & Emmanuele iamdudum intolerandis iniurijs affici. ab altero Mahometanos omnes Bæticæ finibus, nulla ipsorum culpa, per summam indignitatem exterminatos. alterum, Africæ, & Arabiæ, & Indiæ oram annuis classibus infestam habere; nautas & mercatores in seruitutem abducere; aditu religiosissimæ ædis, quæ ad Mecam sit, plurimos omnium nationum mortales arcere. quòd hæc Rex vterque, socer ac gener, nulla prouocati iniuria, contra ius naturæ ac gentium audeant; se quoque vicis-
C sim Christianos quotquot in suo imperio sint, ad Mahometica sacra metu proscriptionis & exilij compulsurum: ac præterea antiquissimarum religionum Christianas ædes ac monumenta; quæque in Aegypto, & Arabia; quæque in Iudæa ac Syria visantur, cum ipso Christi sepulchro euersurum & concrematurum esse. Quæ si Pontifex salua cupiat, ac suorum incolumitatis curam gerat; Regem vtrumque pro sua potestate quàm primùm ab ea mente consilioque deducat. Has ergo querimonias minasque Campson ad Pontificem Maximum detulit, haud dubius, eas magni vtique apud Hispaniæ Reges fore momenti, quibus prope hæreditario iure nihil Christiana religione prius aut potius esse didicerat. Alexander, Senatu super tali tantaque re habito, monachum ipsum ~~ab~~ Emmanuelem, ex quo coram fusius cuncta cognosceret, mittit. Hunc demisse precantem, vt ab lacessendo Aegypti Rege desisteret, ac tot Christianis mercatoribus, tot religiosis hominibus, tam venerandis Christi Sanctorumque reliquijs pro sua pietate consultum vellet; bono animo esse iubet Emmanuel. neque enim Campsonem studio Mahometicæ superstitionis, aut abominandi monumenti cura, sed imminutis portorijs reditibusque torqueri. quæ detrimenta quando ita vehementer hominem excrucient; nequaquam commissurum, vt Christianis negotiatoribus è suo regno pel-

lendis, & celeberrimis templis, ad quæ ingens quotannis hominum vis, D
religionis causa, magno cum ipsius emolumento confluat, euertendis;
nouam insuper iacturam certissimi quæstus & vectigalium faciat. Nam
quòd Fernandi soceri iniurias, de quibus ad eam diem questus non sit,
quartodecimo demum anno (tot enim ferme à pulsis è Bætica Mauris ef-
fluxerant) adeò acerbè, tam dolenter expostulet; cui non apparere cau-
sas quæri accusationum & criminum; & sordidissimæ cupiditati auari-
tiæque inanem speciem caritatis religionisque prætendi? Proinde Chri-
sti famulus poneret metum, nec barbari fremitus irasve tantoperè per-
horresceret. Hisce verbis confirmatum antistitem, pecunijsque ad exor-
nanda Orientis templa, ac pauperes alendos copiosè instructum, Rex
Lusitanus Romam remittit; ac simul ipsum Pontificem Maximum per
litteras omni solicitudine liberat. Ipse verò, qua erat prudentia, & ani-
mi magnitudine; tam dira Sultani comminatione adeò non exterritus
est, vt magnam etiam voluptatem inde perceperit. præclarum quippe sibi
Emmanuel ducebat, immanem belluam, quæ ad eam diem Lusitanica
arma superbè contempserat, quasi adactis ad vitalia telis, denique com-
moueri. Quocirca ad cœpta prosequenda, duplo pæne maiorem, quàm
superioribus annis classem instruxit. eique præfecit Franciscum Almei- E
dam, virum cùm cætera illustrem; tum quòd fortem ac fidelem ope-
ram in Bætica expeditione Fernando nauarat. Huic magnoperè in dis-
cessu præcepit, vt quoniam ad ea, quæ iamdudum agitabat animo, &
assiduitate copiarum ac ducum, & spatio temporis opus esset; arces ali-
quot opportunis Africæ, Asiæque locis exstrueret, quæ Lusitanis & faci-
lem in remotas regiones excursum; & tutum, quotiescunque res postu-
laret, receptum darent. Præfectus, cùm ad VIII. Kalend. Aprilis, qui
dies cœlesti ad Virginem nuntio est sacer, nauibus duabus & viginti fausti
ominibus Olisipone soluisset anno millesimo quingentesimo quinto, Fran
ciscanis aliquot fratribus, & clericis alijs rei Christianæ causa in eam pe-
regrinationem assumptis; octauo Idus Aprilis ad Hesperidas processit. in-
de cùm ad superandum Bonæ spei promontorium nauarchi in meridiem
cursum extendissent; vehementi Aquilone vsque adeò in remotas ab So-
le regiones prouecti sunt; vt classiarijs præ nimio frigore manus prope-
modum obriguerint. Inde ad Orientalem Africæ oram extemplò flexêre, & secunda nauigatione paucis diebus Quiloam est ventum. ibi F
Abrahemum tyrannum callidè tergiuersantem, & annuum stipendium
Emmanueli recusantem pendere; Almeida cum armatis descensione fa-
cta, ex vrbe per vim exegit: eiusque loco Mahometem Anconinum, ac-
ceptum incolis virum, & expertæ in Lusitanos fidei, Regem, solenni cum
apparatu imposita capiti aurea corona, constituit. Dein situ ad maritimos aditus æquè ac terrestres in primis commodo, arx ædificari cœpta ingenti alacritate nauticorum, & militum. cumque labor in orbem iret, ipseque Almeida & cæteri principes, ad exemplum, suam obirent vicem; non die non nocte intermissum opus, vigesimo die absolutum est: arcique ab Diuo Iacobo inditum nomen, quod eius Apostoli die ipso natali vrbem expugnassent, ac tyrannum inde expulissent. Constitutis Quiloæ rebus, & firmo præsidio arci imposito, itemque nauigijs ad oram tutandam relictis, Mombazam petijt classis. Ea vrbs in parua eiusdem nominis insula, quam æstuarium efficit, excelso ad conspectum tumulo posita, portum habebat duobus propugnaculis munitum: in quibus tormenta è Lusitanico naufragio nuper extracta, vt supra diximus, barbari collocarant. ijs cùm aduentantem classem aditu prohibere conarentur; nostrorum ictibus breui disiectum vtrumque castellum,

ac li-

A ac liber introitus Almeidæ patuit. missis deinde ad tentandi reguli animum nuntijs, cùm nihil pacati responderetur; Almeida trifariam adortus vrbem, Assumptæ in cœlum MARIAE Virginis die festo vi cepit, ac direptam incendit. multi ex hostibus interempti, multi in seruitutem abducti. Regulum, inter ipsam dimicationem desperata victoria fugientem syluæ texêre. Transmisso inde sexdecim diebus Oceano, Anchediuam insulam tenuit classis. ea insula quod in littus imminet Indicum, ac tutam stationem nauibus præbet, ibi quoque ex Emmanuelis præscripto castellum excitatum. Hinc Almeida Cananorem traiecit; ac summa Regis voluntate ad tuenda mercimonia optimo loco arcem exstruxit, præsidioque communijt. Per idem tempus Lusitani qui ad Colanum agebant, contracta temere cum incolis & Arabibus rixa, ad vnum omnes interempti sunt. Eius rei cognoscendæ, ac sedandi tumultus causa, Laurentius Almeida Francisci filius classe profectus, cùm superba responsa tulisset, commisso prælio, Arabum onerarias ad viginti magno ardore militum captas incendit. quo item in prælio illud in primis accidit memorabile. pila è maiore tormento in scu-

B tum Ioannis Hominis Lusitani contorta, ad ipsius pedes sine vlla prorsus læsione defluxit. Interea grauis iam ætate Rex Cocini Trimumpara, de gentis more deposito gubernaculo, se in solitudinem ad colendas Brachmanarum superstitiones receperat, ac sororis filium Naubeadoram natu minorem hæredem reliquerat regni, maiore præterito, quod nuper in bello Calecutano ad Zamorinum vnà cum alijs principibus defecisset. is dolore incensus amissi patrimonij, cùm nouum deinde Regem vexaret, exerceretque, ac popularium solicitare animos non desisteret; profectus Cocinum Almeida, Trimumparæ iudicium ac voluntatem ratam voluit esse: donatum pretiosis muneribus Naubeadoram in fidem recepit, ipsiusque patrimonium ac regnum, Emmanuelis auctoritate opibusque constituit. dein impositis mercibus naues duodecim anno insequente in Lusitaniã remisit: ipse ad res Indicas administrandas, regesque socios tuendos (quòd ita in mandatis habebat ab Emmanuele) Cocini permansit. Plures tum è Lusitania classes, nondum exploratis ad plenum tempestatibus, eodem anno deinceps, vt quæque parata erat, in varia cogniti nuper Oceani littora mittebantur. Itaque paulo post Almeidæ profectionem, vir egregiè

C fortis, Castellano patre natus, Petrus Gnaia, nauibus sex ad Sofalam venerat, vt arcem in eo tractu, si qua posset, ædificaret; ac simul in auri pretiosa commercia Lusitanos induceret. Tenebant ea loca tum Saraceni ab vrbe Magadaxo primùm, dein à Quiloa profecti: & ingenti lucro cum finitimis Cafribus, qui in Monomotapæ Regis imperio varijs locis aurum effodiunt, Indicas vestes, & alia mercimonia commutabant. Sed inter Quiloanos tumultus Prætor eò missus Izufus, vir astutus & audax, defecerat nuper ab tyranno Abrahemo; perque fraudem in eius terræ possessionem inuaserat. Ad hunc, iàm ætate confectum, & luminibus captum Gnaia cùm adijsset; primùm ostendit, quantum ex Lusitanorum societate & commercio vtilitatis capere posset. dein petijt, ob eam ipsam rem, vti ad merces custodiendas castellum in ijs finibus ædificare sibi liceret. id non magis aduenis, quàm incolis præsidio contra finitimorum incursiones futurũ. ac simul de Regis Emmanuelis benignitate opibusque multa differuit. Ille, non tam ratione societatis adductus (quippe qui nec Lusitanorum mercibus indigeret, & graues accolas fore procul dubio cerneret) quàm fama perterritus eorum, quæ ad Quiloam ac Mombazam erant gesta, perhonorificè accepit virum, ac postulatis in speciem libenter annuit: quamquam acriter obsistente Mengo Musafo genero, viro acri, & bellicoso:

quem ſenex ea potiſſimum ratione lenijt, fore vt Luſitanos inſolita cæli D
intemperies, & loci grauitas, ac paluſtres humores paulatim abſumerent,
vel certè ſic afficerent, vt à paucis armatis deleri ſine periculo poſſent. Gna-
ia dynaſtam ſpe liberaliorem nactus; locum quà flumen in mare effundi-
tur, ædificationi deſignat. & quòd cæmenta non ſuppeterent, caſas è robu-
ſta materia raptim exſtructas, duplici vallo, & propugnaculis, & foſſa cir-
cundat. Neque ita multo poſt, vti prædixerat Izufus, aduerſa valetudine
tentari aduenæ cæpti: pauciſque diebus adeò peruagata vis febrium eſt,
vt ex vniuerſo præſidio vix quadraginta ſupereſſent, ad arma ferenda, &
vigilias obeundas idonei. Quam occaſionem ratus Arabs de medio tol-
lendæ inuiſæ nationis, exſtimulante præſertim aſſiduè Muſafo genero; ta-
men ſuis duntaxat opibus rem aggredi non eſt auſus. Mocondes erat Ca-
fer, vicinis locis pro Monomotapæ Rege præpoſitus. Hunc per nuntios
Izufus admonet, Europæos piratas, qui maritimam oram dudum infe-
ſtam habuerint, denique ad ſe delatos; intra lignea ſepta, quæ ſibi ipſimet
circundederint, fame & ſqualore pæne confectos teneri. Si in partem
prædæ venire animum inducat, ſe rem in eius aduentum integram ſeruatu-
rum. Haud fruſtra miſſa legatio. Mocondes, omnis humani expers iu- E
ris, aduentitij lucri nec opinata ſpe illectus, ingentem trahens popularium
turbam, celeriter affuit. neque tamen Luſitanos fefellit, ab exſulibus Sara-
cenis tota de re feſtinè præmonitos. itaque & ænea tormenta, ignotum Ca-
fribus ad id tempus machinæ genus, idoneis locis occultè diſpoſita fuerant;
& cùm à valentibus intentiore cura excubiæ agitabantur; tum ipſimet
ægri, quippe quibus periculum & indignatio præter ſpem adderet vires;
ſeſe ad defenſionem forti animo comparauerant. Mocondes, artis bel-
licæ prorſus ignarus, ac numero maximè fretus (hominum autem ad
ſex millia ſecum adduxerat) Arabum ductu monituque faſcibus ſar-
mentorum ex agro collatis, ad caſtellum copias incompoſito agmine ad-
mouit: completiſque foſſis, noſtrorum paucitate contempta, Cafres alij
vallum ſcandere, alij conuellere nitebantur; cùm in confertam multitu-
dinem, ac nihil tale timentem emiſſa repente ferrea procella, tantam edi-
dit ſtragem, vt relicta oppugnatione attoniti, pauenteſque barbari ſe in
proxima nemora confeſtim abdiderint. ac ne ibi quidem tutò eſſe licuit.
ſiquidem continuatis bombardæ ictibus, magno impetu diſſultantia arbo-
rum fragmenta, ſemiermes, incautoſque miſerè lacerabant. cui tanto ma- F
lo cùm nullum, præter fugam, remedium occurreret; rabie ab Luſitanis in
Arabas verſa, vulgo fremere quòd ſe fallacibus promiſſis ad bellum cum
ipſis Dijs gerendum euocaſſent. atque, vt eſt rapaciſſima gens, ne prorſus inanes abſcederent, Izufi agro vaſtato, & oppido ipſo magna ex parte di-
repto, in patriam reuertêre. Ac ne Luſitani quidem inultã paſſi perfidiam.
Poſt Cafrum profectionem, cognito Izufum eiuſque ſatellites, nihil mi-
nus quàm noſtrorum eruptionem timentes, negligentius agere; noctis in-
tempeſtæ ſilentio, Gnaia, ſtrenuis cum aliquot viris aduerſo flumine in re-
giam ſubuectus, Izufum ipſum, & paucos familiares occidit. dein, priuſ-
quàm populi concurſus in regiam fieret, inſigni facinore perpetrato, ad
ſuos eadem nocte incolumis redijt. Poſtridie, cùm res emanaſſet, ira o-
dioque incenſi barbari quàm maxima coacta manu, denuò caſtellum ad-
orti; & eodẽ quo nuper euentu, plures & integri à multo paucioribus & im-
becillis, cum cæde & ignominia repulſi. Poſt hæc, inter eos certari de ſuc-
ceſſione cæptum. Cumque Muſafus prepollens viribus, & popularium gra-
tia; Izufi liberos patrimonio exturbare niteretur; & ſatis appareret, ius in
armis fore; alter ex ijs, nomine Solimanus, ad Gnaiam confugit ſalubri
vtriſque conſilio: ſiquidem Luſitanorum ope Rex declaratus, fidelem ſe
viciſſim

A viciſſim illis amicum ac ſocium ex eo tẽpore præbuit. Interea Zamorinus, tametſi cum lætis admodum promiſſis ab Sultano redierant oratores; tamen, imminente Luſitano veritus ne ſera eſſent Aegyptiaca auxilia; contracto ingenti fabrum naualium numero, maiorem quàm antea claſſem omni ſtudio ædificabat, diſpoſitis circa omnes portus cuſtodijs, ne quid rumoris de tanto apparatu ad hoſtes efflueret. Namque Laurentium, diſperſis nauibus Malabarica tenentem littora, & Aegyptios Arabaſque negotiatores magnò intercipientem rei Calecutanæ damno, quàm maximè incautum & imparatum placuerat adoriri. Verùm ex vrbe Calecuto clã elapſus Ludouicus Patritius Romanus (qui cognoſcendi ſtudio, vt fit, mercatoris habitu in Indiam penetrauerat, idemque hæc ipſa deinde litteris conſignauit) Almeidæ vtrique, & filio & patri cuncta ex fide retulit. Neque ita multò pòſt, è varijs oræ Malabaricæ portubus in vnum coacta Zamorini claſſis ad Laurentium rectà contendit. ea fuiſſe dicitur celſarum nauium amplius ſexaginta; lemborum, ac paronum, biremiumq; ad centum & triginta, omni telorum genere, & numero militum inſtructiſſima. Ad eius famam, Laurentius, patris iuſſu naues non plus vndecim admiſtis triremibus paucis raptim adornauerat, Luſitanis, præter nautas, impoſitis octingẽtis. Vt ad ictũ

B bombardæ ventum eſt, conſpicatus Laurentius tantam hoſtium multitudinem; expiatis de more noxis, primùm omnium ædem MARIAE Virgni Victrici vouit, ſi ea pugna barbari fuſi ac fugati eſſent. dein, paucitati ſubueniendum ratus arte, ne à Malabaribus circũueniri poſſet; tormentis, qua parte virium longè præſtabat, eminus rẽ gerere inſtituit. atque ob id ipſum ex alto directis in prælium nauibus, leni Auſtro flante, ſimul & venti beneficium, & congrediendi arbitrium hoſti præripuit. Ac primo ſtatim certamine, cùm in ſyluam adeo denſam irrita nulla propemodum ab Luſitanis incideret plaga; neque ex tanto interuallo vel tormenta ferrea, quibus tum vtebantur hoſtes, vel ſulphurei pulueris ollę, vel ſagittarũ imber noſtros admodũ lederẽt; multæ paſſim omnis generis naues hoſtiũ aut depreſſæ, aut in littus eiectæ. Ac, diſſipatis demum ordinibus, quod antea conſultò vitarat Almeida pugnam è propinquo conſeruit. Prætoria nauis erat hoſtium, tum aluei magnitudine, tum armatorum frequentia inſignis. In hanc harpagonibus ferreis comprehenſam Almeida cum fortiſſimis aliquot bellatoribus incredibili pæne auſu tranſilijt; tantoque ardore animi & corporis dimicatum eſt; vt è ſexcentis propemodum armatis, quot eam tuebantur, ſuper-

C fuerit nemo, exceptis ijs, qui nandi peritia freti, ſe in pelagus præcipites dederant. Pari conatu, verùm ſucceſſu diſſimili, Nonnius Vaſcus, modica naui, & exigua militum manu, multò maiorem, & propugnatoribus inſtructam fermè quingentis, inuaſerat. cumque pauci à pluribus circumuenti premerentur, extremo iam in diſcrimine laborantibus victor Almeida ſubuenit; nec modò ſuos è periculo eripuit, ſed etiam naui hoſtium, trucidato vel depulſo præſidio, potitus eſt. Inde iam certa victoriæ inclinatio ad Chriſtianos facta, & Laurentius haud cunctanter inſequutus trepidam ac pauentẽ hoſtiũ claſſẽ, aliquot inſuper naues partim expugnauit, partim tormentorũ ictibus perforatas demerſit; palatæ aliæ contento curſu Calecutum maximè repetentes, cùm longinqua fuga, tum quòd eas terror ipſe longè lateque diſtulerat, ex imminenti clade euaſerunt. Almeida, tribus circiter hoſtium millibus cæſis, ſex tantùm è ſuorum numero deſideratis (quæ res diuinum auxilium ſine vlla dubitatione monſtrauit) captiuas trahens onerarias nouem, ingenti parta præda ſimul & gloria, Cananoris portum, cuius vrbis in conſpectu res erat geſta, magna cum totius populi, ac Regis ipſius gratulatione, ſoſpes introijt. ac primùm omnium, MARIAE Virgini Victrici, quam initio prælij vouerat ædem, faciendam locauit. deinde Coci-

num ad Franciſcum patrem cum alijs nauarchis iter intendit. Per eos dies D
Sabaius, qui Idalcanem genuit, præcipuus Decaniorum tyrannus, qua in regione Goà vrbs eſt, opportunitatem nactus dum ad Cananorem diſtinetur Almeida, ſexaginta actuarias naues ad Luſitanos ex Anchediua inſula pellendos miſit, præfecto claſſis, & auctore totius conſilij Antonio Fernando Luſitano exſule ex ijs, quos ad cognoſcenda loca genteſque Petrus Aluarus Capralis, vt ſupra dictum eſt, Quiloæ reliquerat. Is, ad ſpem vberioris ſtipendij tranſmiſſo Oceano, cùm ſe ad Sabaium contuliſſet, eiurata per ſummum nefas Chriſtiana religione, Abdalæ nomen aſſumpſerat: &, quòd rei maritimæ, & naualis fabricæ peritus eſſet; apud Goanos, talium rerum adhuc rudes, magno in honore habebatur. Igitur ad Anchediuam exſcenſu facto, nuper ædificatam à Luſitanis arcem omni conatu oppugnare inſtitit. Præerat arcis præſidio Emmanuel Paſſanius, ſpectata fide ac virtute vir, ex vrbe Italiæ Genua claro genere oriundus. Hunc, in ſubita re, quamquam ab alijs rebus imparatum, non defecit animus. ac dierum aliquot oppugnationem, cùm vrgeretur vndique, præclarè ſuſtinuit. ac demum Abdala, victricis claſſis iam iamque aduentantis perterritus fama, quàm celerrimè ſe- E
fe irrito incepto ex Anchediua proripuit. Sed ea poſtmodum arx, quòd valido præſidio propter hoſtium propinquitatem indigeret, ne Luſitanicæ res in tanta paucitate diſtraherentur, ab ipſismet Luſitanis eſt diruta. Inde, ad Franciſcum affertur, Saracenos mercatores, à Molucis, & ab aurea Cherſoneſo redeuntes, ne in Luſitanica præſidia inciderent, longiore ambitu capto, per Maldiuas inſulas in Arabiam tendere. Quocirca Laurentium filium ad eos inſectandos proficiſci iubet. Is cùm incognita ſulcaret maria, æſtus impetu primus omnium Luſitanorum ad inſulæ Ceilani littora abripitur, quam inſulam, vti ſupra dictum eſt, veterem eſſe Taprobanam Ioannes Barrius multis argumentis affirmat. hæc, ouali maximè figura ducentarum circiter & quadraginta leucarum ambitu, leucas in longitudinem ſeptuaginta octo patet; in latitudinem, quattuor & quadraginta. atque à Cori promontorio, vt ſupra diximus, auulſa freto vadoſo, Piſcariæ, quam appellant, oræ prætenditur, ea cæli clementia, ſoli vbertate, & copia fluminum aquarumq; perennium, vt primorum parentum ſedes olim perhibeatur fuiſſe. varia pecorum armenta, necnon elephantos gignit egregiè bellicoſos ac dociles: cæteris metallis caret, ferrum incolæ effodiunt. plurimas fert gemmas, verùm præcipua claritate ſapphyros, chryſolithos, pſeudo- F
palos, ac pyropos: itemq; aromata pretioſa, cinnama, cardamomum, piper, ac palmas eximiæ bonitatis. Ad hæc, vel in primis iucundo ſpectaculo ſyluoſi montes ad effigiem theatralem inflexi, vaſtam planitiem oblongo circuitu in caueæ formam includunt: quorum vnus in arduam & ſubrectam altitudinem pænè ſeptem leucarum exſurgit; habetque in ſummo æquatam agri planitiem, ex cuius medio bicubitale ſaxum eminens ad inſtar menſæ, veſtigium demonſtrat impreſſum inclyti ſanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli quondam in ea loca veniſſe tradunt, vt gentem ſuperſtitionibus deditam fabuloſis, ad vnius Dei cultum religionemque traduceret. ergo tantæ venerationis eſt locus, vt à leucis amplius mille, omnium ordinum peregrini, ac præſertim Iogues, illuc pietatis cauſa contendant ingenti labore: ſiquidem, præter cæteras itineris difficultates atque pericula, in eius etiam montis cacumen, non niſi per adactos clauos ferreaſque catenas aſcenſus eſt. Haud abſimile vero videtur, quod aiunt quidam, in eo, quod dixi, veſtigio, quamquam extincta iam nominis antiqui & peregrini memoria, coli Eunuchum Candaces Aethiopum Reginæ, quem cùm alij ſcriptores, tum verò Dorotheus Tyri Epiſcopus (qui, Conſtantino Magno

impe-

A imperante,& sanctitatis & doctrinæ laude præcelluit) in Arabia Felice, totaque Erythra,& in Taprobana,Christi Euangelium promulgasse testatur. Porrò insula vniuersa, nouem in Satrapias vel regna diuiditur: estque ad omne commercium, vel frequentia portuum, vel ipsa loci regione in primis accommodata. Laurentius in Calles portum inuectus, cum regulo per legatos inita societate,columnam, cum inscriptione, testem sui aduentus,in littore posuit:dein omissa propter incommodum anni tempus Maldiuana profectione, cum lætis admodum nuntijs ad parentem reuertit. Inter hæc, Tristanus Acunia, Alphonso Albuquercio comite, cum valida classe in Indiam destinatur: quem ex itinere inuasit cupido Madagascaris insulæ naturam ac regionem explorandi. itaque vel contra sententiam Albuquercij(qui,ne temporibus excluderetur, maturandum aiebat) appulsis ad insulam nauibus, cognitum est, maritima fermè ab Saracenis; interiora à Cafribus incoli: terram esse gingiberis,cariophylli, & argenti feracem. quæ dum Tristanus curiosè perquirit, aduersisque subinde tempestatibus nec opinato subsistere cogitur; interea (quod Albuquercius præclarè monuerat) idonea transmissionis Indicæ tempestas effluxit. certis enim & anniuersarijs fermè flatibus orientalis nauigatur Oceanus, quos
B hodie vulgus,vt ego quidem interpretor,ab ipso ventorum impulsu,motiones appellat. Eæ si quo casu præterlabantur, dum denuò recurrant, multorum mensium sæpè mora cæptis interuenit. Igitur,ne frustra interim tempus absumeretur; à Madagascare Melindem est ventum: & Oiensis dynasta Melindio Regi ob Lusitanicam societatem admodum, vt ferebatur,infestus,eiusdem Regis rogatu ab Lusitanis prælio victus, & Oia vrbe pulsus occiditur. quo terrore perculsus Lamensis finitimus regulus, in Tristani fidem vltrò concessit, & stipendiarius Emmanuelis Regis est factus. Ex eo loco ad Brauam ciuitatem classis accessit. ea cùm pactum superioribus annis tributum pendere abnueret, capta est à nostris certamine haud leui. Sex armatorum millia barbaris animos fecerant. Verùm vbi descensum à Lusitanis, & collato pede res geri cæpta est,ferociam posuêre. Magna edita cæde fusi,& fugati plerique. Decurionibus tamen fides in patriam ad extremum vsque spiritum egregiè constitit. acriter dimicantes in vestigio cuncti mortem oppetere, quàm occidenti reipub. superstites esse maluerunt. Vrbs deinde congestis dudum diuitijs opulenta,à militibus fædè crudeliterque diripitur. Qua in re vindex rapacitatis atque sæuitiæ
C euidenter apparuit numen. auiditate prædæ gregarij milites aliquot,mulierum manus ad armillas annulosque extrahendos inscio duce præciderant.ij, dum spolijs onusti scapha onerarias repetunt,ad vnum omnes in portu ipso demersi, repentina morte crudelitatis & auaritiæ pœnas dedêre. scapha, cùm sub aquis aliquandiu latuisset, quasi perfuncta debiti supplicij ministerio, rursum emersit. Tristanus & cognitum scelus valdè improbauit, & cæteros graui edicto ab eiusmodi immanitate compescuit. A Braua post hæc ad Socotoram insulam maris Erythræi transmissum est. Christiani iam inde ab Apostoli Thomæ aduentu incolebant: sed ipsa locorum asperitate, & diuturno pastorum desiderio pæne efferati. Subterraneos inhabitant specus: in bello fundis eminus certant, cominus gladijs è mero ferro, quod mortuum vulgus appellat. victitant milio, careotis, & lacte. cum mercatoribus poma permutant; itemque cinnabarim, & aloen omnium laudatissimam. Quod ad cultum diuinum attinet, ex Iacobitarum hæresi, propter vicinitatem Aethiopiæ, vitia multa traxêre. nam & à Romani Pontificis auctoritate seiuncti sunt, & circunciſionem, alioſque ritus Iudaicæ ſuperſtitionis vſurpant.

pant. neque tamen nulla retinent veſtigia ſanæ religionis: nam & ieiunijs D
anniuerſarijs placant Deum,& precandi ſtata quotidie tempora obſeruant,
& ſanctam Crucẽ eximiè venerantur:huius imagines cuncti gerunt è ceruice ſuſpenſas:huic pro ipſorum tenuitate ſacras ædiculas exſtruunt: quò vbi conuenêre frequentes, Hebraicè concepta precationis verba præit vnus; tum inſtar chori cætera turba ſubſequitur. Quo tempore Triſtanus ad eos venit,annis iam ſex & viginti Rex Fartacum ex Arabia miſſis eò militibus mille,Beninum portum per vim occuparat:validaque arce impoſita, Chriſtianos admodum ſæuo premebat imperio. Ad eos liberandos, atque ad Catholicam Eccleſiam adiungendos, ab Emmanuele Rege miſſus Triſtanus, cùm Beninum attigiſſet;Fartacas,qui in eo præſidio erant centum circiter & triginta,comiter ad colloquium euocauit.ij, cùm ab inſita genti ferocia,omnem cum Luſitano pacis conditionem aſpernarentur; ſcapha circumuectus,& contemplatus loci naturã Luſitanus Imperator, duobus locis armatos expoſuit.neque præfecto Abrahemo cum ſuis ad erumpendum defuit animus.Verùm vbi mox inter primores fortiter ciens pugnam ipſe dux cecidit,extemplò fuſa reliqua acies:ac nõnulli ad incolas,è quorum ſtirpè vxores,liberoſque ſuſceperant,confugêre:cæteri ad octoginta pernici velocitate arcem adepti,portas occludunt.tum à Luſitanis admotæ certatim ſcalæ: E
tranſgreſſique mœnia,ex interiore parte clauſtra perfringunt.inde patentibus portis admiſſum agmen,& incluſi intra turrium penetralia Fartaces,nequicquam ad ſpem veniæ ſalutiſque inuitati, cùm pertinaciſſimè ſe defenderent,omnes,præter vnum,occiſi.è Luſitanis, dumtaxat vnus in ipſo certamine occubuit.ſex poſtmodum è vulneribus perière. Arce capta, nuntij ad incolas miſſi,qui nouæ claſſis metu in auios montes vnà cum coniugibus liberiſque perfugerant.ij,cognito aduenas Chriſtianos eſſe, ad arcem accurrunt,& Fartacum iniurias grauiter queſti, ad pedes Triſtani cum lacrymis acciderunt,per Chriſtum IESVM obſecrantes, vt è tam acerba ſeruitute, ijſdem ſacris deditam,eiuſdemque conſortem ſpei nationem eriperet. Quibus ille,ſe vel ob id ipſum ab Emmanuele Rege,ſalutis eorum cupidiſſimo, in ea loca deſtinatum eſſe reſpondit;quamobrem & præſidium ad Mahometanos arcendos,& ſacrorum antiſtitem curandis incolarum animis libentiſſimè relicturum. itaque fano Arabum expiato, & in cultum Virginis MARIAE conuerſo,arcis cuſtodia cum idonea manu Alphonſo Noroniæ Luſitano concredita eſt:rei verò Chriſtianæ præpoſitus eximia ſanctitate vir, Antonius Laurerius Franciſcanus: qui tollendis vitijs, quæ in hominum mores ac religionem irrepſerant, incoliſque ad veram pietatem ac virtutem erudiendis,aliquot annos planè Apoſtolico munere eſt functus. Inter hæc,elapſi è prælio Fartaces,criminando Luſitanos,& imperitum vulgus inſtigando, varios motus ciebant.ad eos comprimendos motus,Arabicumque,& Perſicum Oceanum pro Emmanuele obtinendum, Triſtanus, quòd ita in mandatis habebat, Albuquercium cum nauibus dumtaxat ſeptem, propugnatoribus fermè quadringentis & ſeptuaginta,reliquit: ipſe, circiter Idus Auguſti,nactus tempeſtatem idoneam, cum reliqua claſſe in Indiam curſum intendit. Inter hæc vertente iam anno,cùm non optata modò claſſis, ſed nullum prorſus nauigium è Luſitania adeſſet; magnus Chriſtianos omnes,qui in India verſabantur, metus inceſſit, mœrorque. Acuebant curas,pæne in religionem verſa prodigia, quòd per eos dies & ſol tanta ex parte defecerat,vt circa meridiem ſtellæ apparerent; & ingenti motu ex interuallis concuſſa terra tremuerat. Iam Zamorinus, tempus aduenisſe ratus, nominis Luſitani tandem aliquando extinguendi; haud ſegniter inſtaurabat bellum, ſolicitabatque legationibus & promiſſis cùm alios,tum præſertim Cananoris Regem, ſibi priuatim obnoxium; quòd mortuo Rege qui

cum

A cum Lusitanis pepigerat fœdus, ipsius præcipuè studio & opibus in regno sue cesserat. Et per eos fortè dies, odiū Indorum in nostros, temerarium cuiusdam Lusitani factum vehementer accendit. Aethiopici, Arabicique, & Indici maris possessionem, Lusitani adeò pertinacibus animis occuparant, vt nemini prorsus nisi ex eorum auctoritate, & quidem patentibus consignata litteris, ea nauigare liceret maria; ducesque in idipsum dispositi totā eam oram nauium præsidijs tuebantur. Ex ijs vnus, Malabaricum mare pererrans, cùm in Cananorensem onerariam incidisset; Calecutanos esse homines, & prolatum à nautis Lusitanicum diploma, nonnullis indicijs falsum & surreptitium suspicatus, confestim aggressus nauem expugnat; nautas, vectoresque, in ijs vnum è prima nobilitate, in velum insutos, haud longè à portu Cananoris in mare demergit. verùm disrupto mox linteo, cùm nota ciuibus corpora ad ipsam vrbem pelagus eiecisset; tāta ciuitatem repentè comploratio, luctusque compleuit; tantæ in eius facinoris auctores, quos haud leuibus argumentis Lusitanos fuisse coniecerant, excitatæ sunt iræ; vt cuncti consensu ad Regem adierint; iamque per se inclinatum eius animum perfacili momento ad oppugnationem arcis impulerint.

B Nec pro tam atroci iniuria satisfactionem accipere, quòd nauarchum Almeida multis rationibus factum excusantem, ac deprecantem ignominiam, grauibus verbis increpitum, ac præfectura priuatum, in ordinem redegisset. At Laurentius Brittus arci præpositus, ex propinquo in omnes barbarorum conatus excubans animo, vbi de eorum consilijs per exploratores cognouit; illicò ab Almeida subsidijs & commeatu accersito, arcem firmat, intendit vigilias, stationesque disponit. ac præsertim spectantia in vrbem propugnacula, nouis insuper additis munimentis, diligenter instaurat. Rex item, fossa valloque à portu ad apertum mare perducto, oppidum ab arce interscpit, exiguo transitu ad procursationes relicto. Cumque multos iam dies, suspecti inter se, vitandis inuicem ac struendis insidijs exegissent; tandem exspectata ab Calecuto auxilia Cananorem adueniunt, hominum ad viginti millia. Inde nulla oppugnandi mora est facta. Puteus inter oppidum arcemque medio ferè spatio intererat: vnica Lusitanorum aquatio. circa eum puteum minuta prælia, prohibentibus aquatores hostibus, fieri cœpta. Cumque è Lusitanis aliquot ferme quotidie aut caderent, aut vulnerati discederent, & aqua modica sanguine multo constaret; Laurentius, Thomæ Fernandi architecti

C monitu, specum opere subterraneo ad ima putei occultè perduxit; fistulaque ac statumine appositō, locum ita concamerauit, vti ne quid supernè latices vlla ratione posset inficere. dein per speciem aquandi, eruptione facta, nostri glebas certatim inijciunt; ac puteum, ne hostibus vsui esse possit, obturant. Cuius rei miraculo attoniti barbari, nouæ scaturiginis aliquid intra arcem exstitisse videlicet rati, munitiones aliò transtulêre: dein quies vtrinque fuit, dum orbiculari forma ingentes gossipio saccos inferciunt, quibus contra tomentorum ictus ante se prouolutis, virgultorum fascibus opplerent fossas, vallumque rescinderent. ea machinatio extremam pæne perniciem obsessis attulit. quippe contortos è bombarda globos gossipinum tomentum excipiebat adeò lentè, vt eorum impetus ipsa mollitie frangeretur. hinc, pone latitantes armati, magno sublato clamore prope iam ad fossas læti peruenerant; cùm in obliquum agmen, ex arce, diuino prorsus instinctu directa maiora tormenta, concerptis momento saccis, & gossipium ipsum, & gossipio fretos Malabares fœda cum laceratione disijciunt. Simul etiam Brittus cum delecta manu portis erumpens,

dissi-

dissipato ac territo hosti acriter institit, magnaque edita strage cæteros in D
præcipitem fugam auertit. Ex eo barbari segniores facti, cùm neque aperta proficeret vis, & in eiusmodi congressibus promptissimum quemque, vt fit, è suis amitterent; omissa oppugnatione, operibus & munitionibus claudere nostros instituunt, eo maiore fiducia, quòd non terra, non mari, noui commeatus in arcem subuehi possent, clausis itineribus, & hyeme per eos dies admodum sæuiente. Interim crebræ à nostris eruptiones haud exiguo cum hostium detrimento fiebant. Quo in genere præcipuum decus tulit omnium consensu Guadalaiara, natione Castellanus. is turbidam ac perfrigidam tempestatem nactus, cum eximijs centum & quinquaginta viris nocte concubia in hostium stationes impetu facto, partim sopitos imbre cadente vigiles, partim algore nocturno torpentes oppressit. cæsi in eo tumultu Malabares ferme trecenti; & ferrea aliquot tormenta capta, & commeatus aliquantum. Intentiores inde custodiæ haberi ab hostibus cæpræ. boues etiam interdum ad obsessos in insidias illiciendos propulsæ, quas felici conatu cæsis insidiatoribus cùm in arcem nostri semel iterumque abstraxissent; ea spe frustrati delusique Malabares artem desiêre, ne duplici pecorum hominumque iactura, hostes insuper E
alerent. Ijsdem ferme diebus, per famuli negligentiam accensa noctu lucerna, casas aliquot Lusitanorum ex arida materia, folijs, paleisque momentò combussit. eo incendio, multò maxima pars commeatus absumpta. quæ res tam aspero ac difficili tempore Brittum grauiter admodum perculit. ac ne cæteri desponderent animos, omni arte damnum celare conatus est: sed & longè arctior solito in diuidendis cibarijs parcimonia, & ob id ipsum crebra seruitiorum transfugia, rem & Lusitanis, & hostibus prodidêre. itaque omnibus pæne consumptis, ad extremam ventum erat inopiam; neque iam muribus fœdisque alijs animalibus abstinebatur; cùm diuinitus (vt sæpe aliâs) oblatum nec opinanti Lusitano remedium est. Templum in extrema arce erat Virgini Victrici, vt supra diximus, ab Laurentio Almeida exstructum. Ad id templum, desperato pæne omni humano subsidio, Lusitani quotidie confluebant, opem cùm à Deo, cælitibusque, tum præsertim ab ipsa Virgine Dei matre enixè petentes. Ne se, in alieno ac barbaro solo, tot vndique cinctos angustijs, tot pressos malis; fame ipsa denique enectos, Christianos ipsos, & à Christo filio sibi commendatos clementissima Regina cæli despiceret: suis peccatis noxisque, quas ipsi F
innumerabiles faterentur, ab irato Deo veniam & pacem exposceret; neque iam de corporis modò, sed etiam de animorum salute periclitantibus, in tempore subueniret. Haud incassum missæ preces. Ipsomet festo Assumptionis die, ne quid miraculo rem posset eximere, solito vehementius intumescens pelagus, ingentem locustæ numerum ad ipsas templi radices eiecit. quæ à Lusitanis gratulabundis auidè collecta, in multos dies abūdè suffecit: nec validos tantùm sæua fame, verùm etiam (vt salubris est cibus) ægros diuturno morbo leuauit. Iamque appetebat ver; nec dubium erat, quin suis laborantibus primo quoque tempore suppetias laturus esset Almeida. quocirca ratus anteuertendum Cananoriùs, omni conatu rursus oppugnationem simul terra marique experiri constituit. & Zamorinus vrgebat assiduè, segnitiem incusans, & noua auxilia subinde submittens, prorsus, vt Cananore iam sub signis numerarētur militum ad quinquaginta millia. Actuaria etiam facili appulsu coacta ad ducenta. in quibus erant turrita nōnulla, cuiusmodi nuper aduersus Patiecum Calecutanus ornauerat: itemque alia inter se iuncta, & constrata ratibus; quò plures simul armatos in terram exponerent. Hæc omnia, vt Lusitanos fallerent, quàm occultissimè comparata. & stationes interim quietæ erant, quò facilius ad

socor-

A ſocordiam obſeſſos adducerent. Sed è regijs propinquis vnus, æquè acerbo in Zamorinum odio incenſus, ac propenſa in Luſitanos volũtate, quòd eorum opibus ac ſtudio creſcere ſe poſſe confideret; non ſolùm commeatus furtim ex occaſione ſummittebat interdum, verùm etiam per idoneos internuntios circunſeſſis arcana cuncta nudabat. Ab hoc igitur Brittus cognitis opportunè conſilijs hoſtium, pro ea copia, quam habebat, aditus omnes maritimos terreſtreſque ſepſit quàm firmiſſimo præſidio militum, & propugnacula tormentis, & omni genere telorum inſtruxit; nec vigilias cuſtodiaſque remitti per negligentiam vel defatigationem, vnquam eſt paſſus. Ergo vbi deſtinata oppugnationi affuit dies; prima luce Cananorius terreſtribus copijs magno ſublato clamore quàm tumultuoſiſſimè vallum aggreditur, haud dubius fore, vt ad eam partem tuendam ex omnibus locis Luſitani concurrerent; ita ex altera parte libero nauium acceſſu expoſitis repente militibus, nullo prope certamine arcem in poteſtatem eſſe venturam. Sed eum longè fefellit opinio. Siquidem vnde victoriæ principium putabat futurum; inde fugæ turpis initium exſtitit. quippe claſſiarij primò audacter ad terram appulſi, vbi ſecus ac promiſſum fuerat, frequentes in portis valloque armatos vidêre; ſubito pauore perterriti, & miſſilium variæ magnitudinis nimbo diſiecti diſſipati-

B que, multis paronibus ac lembis momento dilaceratis aut depreſſis, vix tentata deſcenſione terga verterunt. ac tum denique à Luſitanis ad terreſtres aditus tuendos omni ex parte concurſum eſt. Ibi atrox prælium fuit: ſcandenteſque iam vallum pluribus locis audaciſſimi quique Malabares cominus trucidati; tormentis verò eminus longè atrocior edita cædes eſt. inde turbati hoſtes: & nequicquam increpante ignauiam Rege ducibuſque, acies vniuerſa fugam arripuit. cæſorum ea pugna hoſtium numerus relatus non eſt: magnum procul dubio fuiſſe conſtat. è Chriſtianis (quod vix credibile videatur) planè deſideratus eſt nemo. Atque is dies vltimus oppugnationis fuit. tentatæ dein vtrinque per mutua colloquia voluntates, & de pacis conditionibus agi cæptum: quas Laurentius ipſe ſibi ſuiſque perhonorificas tulit: neque Cananorius reijcere eſt auſus, partim diuturni belli tædio feſſus, partim etiam Triſtani Acuniæ metu perterritus, qui per eos ipſos dies Oceano ſecunda nauigatione tranſmiſſo, Cananorem incolumi claſſe tenuerat. Eius maximè aduentu ſoluta obſidio

C eſt: cuius ad quattuor menſes forti animo toleratæ, decus eximium Laurentius & commilitones tulêre: quamuis adeò lætos & inſperatos euentus, periti rerum æſtimatores Diuinæ Bonitati ſine vlla dubitatione tribuerent: cuius beneficio & vltimæ inopiæ ſubſidium præter exſpectationẽ fuiſſet oblatum; & Cananorius princeps tanto ſuo periculo, Regis affinitate poſthabita, contra conſuetudinem gentis, in Chriſtianorum cauſam ac partes planè diuinitus inclinaſſet. Renouato fœdere, obliuio præteritorum indicta; iunctæq; iterum dextræ, & Malabares in ſuas quiſque domos fremente Zamorino dilapſi. Inde ad Cocinum proceſſit Acunia. eius aduentu Luſitanorum animi confirmati recreatique, & vario aromate ex conuecta iam copia in naues impoſito, infeſtis claſſibus duplicato nauium numero, ab vtroque ſimul imperatore Pananem eſt ventum. In ea tum ſtatione complures onerariæ pretioſis refertæ mercibus hyemabant. inſtitores erant Saraceni, furtiuo curſu per intermiſſa cuſtodijs Luſitanorum loca in portum illapſi. & Zamorinus præparatis iam ante copijs, ſi quid ab Cocino moueretur, locum præclarè munierat vallo circundato, & duobus ad introitum caſtellis magno cum tormentorum apparatu excitatis. cohortes præterea quattuor in eo præſidio collocarat. Noſtri ſub veſperam in Pananis conſpectu cùm in anchoris conſtitiſſent; inſolita claſſis magnitudine

permo-

permoti barbari, totam eam noctem in renouandis augendiſque munitio- D
nibus poſuêre. Delecta verò Saracenorum manus, Mahometis fanum in-
greſſi, de gentis more coniurant, ſe non niſi victores è prælio redituros.
Si ſecus faxint, ſe ſe caputque ſuum diris omnibus deuouent. Vt pri-
mùm illuxit, communicato iam ante conſilio Luſitanus imperator v-
terque adoleſcentes filios Laurentium, & Nonnium cum ſcaphis & actua-
rijs iubent præcedere, quòd ea nauigia, propter humilitatem, minus ad
obliquos bombardæ ictus paterent. ipſi mediam aciem cum triremibus.
aliquot ſibi depoſcunt. agmen clauſêre onerariæ. Ac iuuenes quidem,
obſeruato maris acceſſu, per media tela globoſque inter vtrumque caſtel-
lum audacter inuecti: eo minore detrimento, quòd ex præſcripto milites
interim ſtrati iacebant; & librata in excelſas maximè naues Malabarica tor-
menta irritis ictibus aëra feriebant. Vt noſtros iam intra portum illatos
vidêre, deuota præcipuè capita Saraceni, alienatis ab omnis periculi
ſenſu animis, certatim in prælium ruunt, ſeque vltrò in aquas immit-
tunt, ac nauigia maximè ducum conferti circumuenire nituntur. Pau-
lulum moræ fuit, dum lymphata cohors, gladijs, contiſque, & incitato
remorum pulſu perrumpitur. tum raptim in terram deſcenſum. iamque E
ſub ipſo vallo varijs locis eò ſæuius pugnabatur, quòd vſum oculorum
intermicantibus fulgetris denſus è ſulphureo puluere fumus abſtulerat.
diſſoni tantùm clamores, & morientium gemitus paſſim exaudiebantur. Simulatque euaneſcente atra nebula redijt lux; Luſitanus ſignifer cum ſtrenuis aliquot viris in vallo conſpectus, reliquorum animos ad æmulationem decoris & gloriæ vehementer accendit. & imperatores ambo, teſtes cuiuſque virtutis, & hortatores aderant. cum deuotis maximè Saracenis atrox erat pugna. Ex ijs, vnus, notæ fortitudinis Centurio, Laurentium conſpicatus, & è procera ſtatura, totoque corporis habitu, ratus, id quod res erat, principem virum eſſe; condito ſubter clypeum corpore curuus ad eius genua ſuccidenda proſilijt. ille, pedibus leui momento reductis (vt erat in primis exercitatus, & agilis) elatam vtraque manu machæram in hoſtem demiſit ijs viribus, vt barbari caput ad ipſum vſque pectus horrendo prorſus hiatu diffiderit. Inde non dictis magis quàm factis prælium ciens, obuios aliquot ſternit. Nec ſegnius ab Nonnio cæteriſque res geritur. Cùm aliquandiu barbari præter ſolitum reſtitiſſent; victa demum ardore Luſitanico Indorum F
pertinacia eſt; nec impreſſionem noſtrorum vltrà ſuſtinuêre. A Malabaribus maximè fuga cæpta, cæteros traxit. Deuoti duntaxat Arabes, cùm pauci iam, & vulneribus feſſi trucidarentur; obnixi corporibus (tanta vis eſt nefariæ ſuperſtitionis) ad vnum omnes addictas æternis ignibus animas profudêre. Interim, pari ex alia parte conatu hoſtium naues oppugnabantur. nautæ propugnatoreſque, quandiu ad caſtella æqualibus viribus certatum eſt; egregiè dimicarunt. vbi inclinatam terreſtrem aciem, & incolas fugatos vidêre; ipſi quoque certatim in mare deſiliunt. complures inter enatandum occiſi. Ac tum denique ambo caſtella imperatorum iuſſu diſturbata, & euerſa. nec modò naues cum ipſis oneribus inflammatæ, ſed oppido quoque diuitijs inclyto ſubditæ faces, demirantibus barbaris, tantam tamque paratam opum vim ab hoſte contemni: militibus verò, tot periculorum præmia eripi ſibi, perquàm indignè ferentibus. Verùm Almeida conſultò exercitum à præda continuit, ne in occupatos rapinis palatosque, repentinus aliquis, vt ſæpe contingit, è vicinis locis impetus fieret. Magnus vtrinque eo prælio ſauciorum fuit numerus. deſiderati ex hoſtibus ad quingentos; è noſtris duodeuiginti non amplius. Eius cladis nuntium Zamorinus ægerrimè tulit. Duces Luſitani coniun-

A coniunctis classibus Cananorem petiêre. atque ibi demum ingenti cum amoris ac beneuolentia significatione digressi, Acunia vela fecit in Lusitaniam; Almeida retrò vnde venerat Cocinum tetendit. Dum hæc apud Indos geruntur; interim Alphonsus Albuquercius, pacata Socotora, Arabicum & Persicum Oceanum exigua, vt dictum est, obtinebat classe. Is ab oppido Adeno, & Arabicis faucibus (nam ea quoque littora explorare placuerat) aduersa tempestate repulsus; ad Armuzianas res Diuina magis ope, quàm humanis viribus fretus, animum adiecit. Armuziæ regnabat eo tempore Zeifadinus hoc nomine secundus, admodum puer, stipendiarius Ismaelis, cognomento Sophi, Persarum Regis: eratque in tutela paterni mancipij Ataris Eunuchi, eximia sagacitate viri: cuius omnia consilia eo spectare videbantur, vt, quoad viueret, penes pupillum diadema & regium nomen; penes vnum se arbitrium ac potestas rerum omnium esset. iamque per eam tutelam, cunctis inuisus, ad intolerandam superbiam, opesque peruenerat. Hoc tam impotenti dominatu Albuquercius Regem, & populum liberare; & Emmanueli vel in primis id cupienti, omni ratione conciliare decreuit. Igitur Lusita-
B norum animis in rerum ingentium spem & cogitationem erectis, ad ostia Persici sinus iter capessit: ac prosperè circumuectus Siagrum promontorium, quod Rosalgatum hodie vocant; ad Calaiatum nobilem vrbem Armuzianæ ditionis applicat naues: missoque nuntio, ciues ad colloquium euocat. illi repentino metu compulsi (iam enim inclytum erat apud eas nationes Lusitanorum nomen) ne quid acerbius paterentur, non modò aduenientem Alphonsum benignè excepêre; verùm etiam conscriptis pacis & amicitiæ conditionibus abeuntem largo commeatu, & omni officij genere prosequuti sunt. Longè dissimiles animorum habitus ad Curiatum Lusitanus offendit. incolæ, dum hostis in vicino moratur, & copijs & operibus ita sese munierant, vt omnem pacis mentionem superbè respuerent; ac propius nihil est factum, quàm vt interpretem ab Albuquercio de fœdere ac societate missum, iaculis ac sagittis obruerent. Ad eam ferociam reprimendam Albuquercius illicò bombardis ignem admoueri, & omnia circa magnis concuti fragoribus iubet. Cùm nihil ne eo quidem terrore oppidani commouerentur; postridie vrbem iusta oppugnatione adoriri constituit. Tumulus erat ad insulæ
C modum ex aqua paululum eminens; qui æstu recedente adiri ex vrbe pedibus poterat. In eo tumulo barbari tormenta aliquot cum firmo præsidio collocarant, vt in auersos intentosque in vrbis oppugnationem nostros impunè iacularentur. Eo periculo animaduerso Albuquercius Alphonsum Lupium Costam, & Antonium Campensem cum expeditis militibus ad exturbandos inde barbaros celeriter mittit. Neque illi defugêre periculum. ingenti conatu stationes aggressi; aliquot Mahometanis occisis, cæteris in oppidum actis, haud tamen sine suorum cæde vulneribusque, locum occupauêre. Tum verò Albuquercius nequicquam prohibentibus oppidanis, ad littus cum robore copiarum exscendit. ac valida impressione facta, proruto vallo, euulsisque cancellis, intra ipsam vrbem prælium intulit. Ac primò, quamquam iniquo iam loco positam rem oppidani animo atque audacia sustinebant. dein, cùm acrius vndique Lusitanus instaret; non tulêre diutius impetum. effusa omnes fuga, per auersam vrbis portam, de gentis more syluas ac nemora petiêre. Albuquercius, ad aliorum terrorem vrbe direpta & incensa, Mascatum octo leucas inde processit. Is locus, quò iam ab Armuzia propius aberat; eò tum operibus firmior, tum viris armisque erat instructior. itaque Albuquercius, magnam videlicet ratus dimicationem instare, se suosque parabat

ad prælium. Cæterùm miſſo ad tentandos animos internuntio, præfectum D
vrbis vel in primis mitem ac liberalem, contra quàm putârat, expertus eſt.
Igitur inſtituta certis legibus amicitia, præfectus magnam pecoris, & oryzæ, & careotæ numerum, tributi quodammodo nomine, in claſſem exhibuit. is commeatus dum in naues imponitur, & ſecuri Luſitani ad littus aquantur; ecce tibi repentinus armorum ſtrepitus, & diſſonæ voces.
Pridie ſub noctem Arabes ad duo millia oppidum ingreſſi; præfecto non
ſine contumelijs ac probris increpito, quòd locum adeò propinquum regiæ, & opere præſidijſque munitum, per ignauiam ac metum vagis latronibus prodidiſſet; fruſtra nitente eo factum excuſare, populum ad arma
conciuerant; atque vbi illuxit, infeſti mare petebant; quò Luſitanos oneribus & aquatione occupatos, in ipſo littore opprimerent. Præfectus, Arabas ab ea mente reuocare conatus, cùm nihil omninò proficeret; Deos,
hominesque conteſtans violari ius gentium, vrbique exitium imminere;
vt fidem pro virili parte præſtaret, ad littus accurrit, noſtroſque præmonuit, vti ſeſe in naues extemplò reciperent. Vix inde tumultuario conſenſu abduxerant ſcaphas; cùm infenſi adſunt Arabes, ac miſſilibus primùm è littore noſtros abeuntes laceſſunt: dein è propugnaculo claſſem E
ipſam tormentis maioribus impetunt. Ad ea vel capienda, vel occæcanda tormenta, miſſi aliquot è claſſe, cùm malè multati redijſſent; poſtridie Albuquercius copias omnes ad vrbem expoſuit. Ibi verò, accenſi
ira Luſitani, quòd interpoſita pactione per fraudem oppugnati fuiſſent,
ingenti ardore prælium ineunt; perfidos Arabas, ruptores fœderum appellant; magnam vbique edunt cædem; factiſque ſimul ac dictis iniuriam
puniunt. Cùm obſirmatus hoſtis aliquandiu reſtitiſſet; ad extremum renouato impetu Luſitani acriter inferunt pedem, ac nouas munitiones ea
ipſa nocte perductas magno auſu tranſiliunt: cumque intra mœnia confugeret hoſtis, hærentes in terga prius quàm portas occluderet, velut vno
agmine irrumpunt; turbatamque ac pauentem Arabum aciem toto oppido expellunt. Fuſis fugatisque hoſtibus, ad prædam permiſſu ducis diſcurrit miles. dein ſubditis ignibus, non oppidi tecta modò, ſed naues etiam in portu arsêre complures. In eo tumultu, cum alijs ipſe quoque vrbis præfectus per imprudentiam occiſus. quam rem Albuquercius ægerrimè tulit; & quando viuum pro meritis tueri & ornare nequiuerat; de-
functi ædibus cum cura conquiſitis, ne diriperentur, cuſtodes appoſuit. F
Cæterùm vrbis excidium comprobari diuinitus quodammodo viſum eſt.
Excelſa Mahometis conſpiciebatur ædes, egregio in primis opere perfecta. Ad eam diſturbandam inflammandamque immiſſi fabri dum columnas demoliuntur, totum repentè ædificium corruit. Cùm eliſos ruina & pondere nemo non crederet, intacti præter ſpem & incolumes cuncti euasêre. Inde ad Xoarem vrbem eiuſdem oræ progreſſus, incolas alieno doctos malo ſine certamine in fidem ac deditionem accepit. Biduum ibi moratus, cùm ad Orfazanum adijſſet, oppidum incolarum fuga deſertum reperit. Exhauſta inde præda per triduum. ab incendijs, quòd regiæ propinquus admodum erat locus honoris cauſa temperatum eſt. Ex eo loco, claſſe inſtaurata & refecta, ad caput belli Armuziam eſt ventum.
Ad famam Luſitanicæ claſſis Atar Eunuchus præter vrbanas copias, magna inſuper auxilia è Perſide Arabiaque contraxerat, & noua exſpectabat in ſingulos dies. Ingentem præterea nauium numerum habebat in portu: minoris formæ actuarias amplius ducentas, maiores onerarias ad ſexaginta. in ijs duas inuſitatæ magnitudinis; quarum alteram Principem, alteram nomine Merim vocabant. octingentas amphoras capiebant ſingulæ. Haſce duas, præter naualem turbam armati mille, cæteram claſſem

duo

A duo circiter millia tuebantur. Albuquercius tormentorum genere,& virtute militum haud dubiè præstabat:cæteris rebus longè erat inferior. verũ ad ostentandam animi fiduciam, fulgentibus vndequaque vexillis,cũ horrifico bombardæ reboatu (ea maritima saluratio est) portum inuectus, sub ipsas quas dixi maximas naues iaci anchoras imperat. Ibi cùm aliquandiu frustra exspectasset,præter insitum in Mahometanos odium insuper irritatus,quòd nemo ad se, vt fit,resalutandum accederet;Zeifadino puero, tutoribusque palam nuntiari iubet: Emmanueli Regi Lusitaniæ contra nominis Christiani hostes, ac Mahometanos præsertim, funestum ac perpetuum bellum hæreditario pęne iure susceptũ. id nõ nisi alterius partis deditio ne posse finiri. Si in fidem eius ac potestatem venire animum inducant, & vectigal annuum pendere,multorum Africæ, Asiæque Regum exemplo; se inde cum bona pace abiturum.sin iugum recusent;pro certo habeant, secum ad internecionem vsque certandum. tertiam conditionem esse nullam. Atar,tam acri denuntiatione suspensus,tametsi terrestribus naualibusque copijs abundabat,vt dictum est;tamen quò magis ex tuto rem gereret;blandis verbis & callida tergiuersatione rem extraxit, dum exspecta-
B tę in singulas horas nouæ sociorum cohortes adessent.ijs proxima nocte in vrbem admissis; tantum spei & audaciæ barbaro accessit: vt quasi explorata iam victoria, Lusitanos mox captiuos futuros, ad supplementum nautarum & remigum in suam ipse classem præpropera gratulatione describeret.itaque ob id ipsum suis accuratè præcepit, darent operam, vt quàmplurimi ex hostibus viui in potestatem venirent. Dein omissis ambagibus Albuquercio respondit: Armuzianos Reges non pendere aduenis vectigal; sed ab ijs exigere consueisse. Si pari cum cæteris negotiatoribus iure Lusitani esse velint; fore illis agendi contrahendique in eo portu potestatem,& copiam: sin vim, & iniuriam moliantur; sensuros quantum armati Arabes, Persæque seminudis Cafribus, & inconditis Aethiopibus antecellant. Plus viginti hominum millia sub signis habebat Eunuchus.iamque minimè dubius adesse certamen, & multo milite instruxerat classem; & cutulia tormenta,ac mercenarias cohortes ad terrorem littore toto prætenderat. oppidani ad spectaculum intenti, non mœnia modò turresque in mare versas, verùm etiam tecta, & fenestras oppleuerant. Albuquercius, vbi & ex apparatu hostium, & ex Eunuchi
C nuntio præceptam animo dimicationem instare perspexit; naues primùm suas mediocribus interuallis ita disposuit, vt neque circumueniri à pluribus facile possent; & leni circumactu singula deinceps tormenta in hostes obuerterent. Dein precatus immortalem Deum, vt sibi pro nominis Christiani gloria prælianti propitius adesset; nauarchis iam sua sponte sat incensis cupiditate victoriæ præcipit; eminus initio bombarda rem gerant; congressu abstineant,quoad ab se primum consertum ex propinquo prælium sit. vbi tormentis disiectam & dissipatam barbaram classem,ac se cominus iam dimicantem viderint;tum demum in proximas quisque hostium naues fidenter inuadant. Sub hæc, ingenti clamore, concrepantibus buccinis, tympanisque, pugnæ signum vtrinque propositum: ac simul tormentis passim ignes admoti. eodemque pæne momento & aciem oculorum coruscantes vndique flammæ perstringunt; & aures exsurdant horrenda tonitrua; & meridianæ luci cæcas tenebras noctemque atra nubes obducit. Necdum caligo euanuerat; cùm speculatoriæ hostium naues destinato procursu in nostros imbrem sagittarum effudêre: dein, cùm propter agilitatem momento refugerent; ac rursus incitato remigio interiores telis hostium fierent; haud exigua improuiso malo clades Lusitanis illata,confixique non pauci. At barbaris læto successu, mutuis-

que adhortationibus in tantum creuit audacia, vt iam conferre pedem, D
& naues Christianas certatim scandere niterentur. Tum verò ex omni parte contis mucronibusque repetiti audaciſſimi quique præcipitantur in mare; dein minoribus machinis ad libellam aquę disposítis; nauigia complura merguntur. Hunc maximè in modum ea pestis auersa. Atar, multitudine maximè fretus, & oculis vtramque metiens classem, primò contemptim prælium inierat: & egregiè instructo parone ordines interuectus, militem ad prædam verius quàm ad pugnam hortabatur. Sed mox volitantium pilarum stridore perterritus, tuto loco se se ad littus post onerarias abdidit, quò simul suis, & fugientibus in terram obstaret, & noua identidem subsidia laborantibus opportunè submitteret. Inter hæc, fumo iam abscedente, onerariæ remulco propter inopiam venti attractæ concurrerant; iniectisque ferreis manibus, quam quisque indeptus erat nauem, in eam transilire, ac nudare propugnatoribus conabatur. Ante alios Albuquercius, Principe naui, itemque alia crebris ictibus perforata, ac depressa, ingentibus animis Merin inuaserat. Non vigore animorum, aut corporum, nec naualis belli scientia par Lusitano erat Persa. tantùm abundante multitudine cùm anceps aliquandiu stetisset pugna; tandem à nostris in hostilem nauem ingenti ardore transcensum est: E
obtinebatque iam cædes omnia; cùm desperatis denique rebus barbari, in aquas ex omni parte desiliunt. Hinc reliquis terror iniectus; vt eximiam armamentis, & aluei magnitudine, ac militum numero nauem expugnatam vidêre. fugientesque passim, seque in mare mittentes, partim è scaphis occisi, partim fluctibus hausti; multi etiam increpante nequicquam Eunucho in terram euasêre. Albuquercius victoria vsus, complures naues in potestatem redegit; multis ignes iniecit: quas præcisis anchoralibus vehementior venti coorta vis, toto pelago collucentes Carmanicum ad littus abripuit. Eodem impetu naualibus etiam faces illatæ, magno periculo, ne suburbana, & ipsam denique vrbem, ædesque regias flamma peruaderet. Hisce tot malis fracta demum Ataris contumacia est. ac metu perculsus ancipiti, ne simul externam vim, & domesticam inuidiam sustinere non posset; oratores pacis veniæque petendæ confestim ad Albuquercium misit. Parceret iræ; cædibusque & incendijs temperaret: sat iam magnas temeritatis & peruicaciæ pœnas exactas. quicquid præterea damni Armuzianæ rei intulisset, id Lusitanæ illaturum, quandoquidem Zeifadinus se suaque omnia in Emmanuelis fidē permittere paratus F
esset. Respirandi tantùm daret spatium, dum sedatur militaris tumultus, dum muliebris ploratus, & pauida concursatio vulgi reprimitur. postridiè Albuquercium ipsum victis quas vellet pacis leges omnium consensu dicturum. Hæc trepidus orator, & supplex, per interpretem exposuit. Albuquercius, qui nec in perniciem vrbis pugnaret; & milites diuturno labore fessos, quiete reficere cuperet (certamen à meridiano ferme diei tempore in vesperam extenderant) parta iam victoria, receptui canit. Eunucho per eosdem interpretes renuntiari iubet: se, quamuis captam pæne vrbem sine controuersia posset euertere; tamen Zeifadini gratia, cuius ętatem à culpa abesse intelligeret; incitatos Lusitanorum impetus de industria reuocasse: insequenti luce Atar ad conditiones pacis adesset, fidemque promissi præstaret. in præsentia licere illi subditos naualibus ignes extinguere. veruntamen caueret etiam atq; etiam, ne fallendo postmodum, longè sæuius in Lusitanorum pectoribus excitaret incendium. nihil eos æquè ac perfidiam, & fraudem, ac dolos odisse. Cum hoc responso oratores dimissi; & in stationes è prælio reditum est. Inter paucas, præcipuè memorabilis hæc fuit victoria. Desiderati ex hostibus mille sexcenti;

A centi; è noſtris non amplius decem. ac præſentis è cœlo ſubſidij haud dubiam fidem cùm alia multa fecêre; tum verò fluitantia mox Mahometana cadauera, ſagittis (cùm eo teli genere Chriſtiani carerent) pectore aduerſo transfixa: vt ab illis miſſæ, in ipſoſmet retortæ diuinitus viderentur fuiſſe. Albuquercius, ducibus militibusque pro merito cuiuſque collaudatis, ne quid ea nocte repentini ab vrbe motus exiſteret; acriter intendi vigilias iuſſit. Poſtero die, vti condictum erat, de conditionibus agi cœptum. Pax ita conuenit, vti Zeifadinus, alter eo nomine Armuziæ Rex, in Emmanuelis Luſitaniæ Regis clientelam, ac ditionem quàm optimo iure concederet: eidemque Emmanueli Serafinum (is nummus aureus eſt) millia quindecim tributi nomine penderet in ſingulos annos. Præterea, locum Albuquercio ad arcem ædificandam, ipſius Albuquercij arbitratu, aſſignaret; ædificationemque adiuuaret præſenti pecunia, cæmentis, & operis. denique, dum exſtruitur arx, ædes interim in vrbe Luſitanis ad negotiandum ac diuerſandum idoneas commodaret. Emmanuel viciſſim Zeifadinum in fidem ac patrocinium benignè ſuſciperet; & vbi neceſſe foret, ab hoſtium incurſibus omni ope tueretur. In hæc, ſolenni ritu data fide acceptaque, primùm om-
B nium locus exædificandæ arci deligitur, ex altera parte in mare verſus, ex altera ad ipſam regiam pertinens; quò ſimul ad maritima ſubſidia libero eſſet aditu, & ipſa propinquitate Regem regioſque in officio contineret. Cæterùm, quæ res Luſitanici imperij firmamentum fore videbatur; ea vel in primis omnia labefactauit ac perdidit. Aedificio quippe inchoato, ſuccedentibus inuicem claſſiarijs, cùm Albuquercius parceret nemini, quin etiam ipſe ad cæteros animandos, operi manus interdum admoueret; noſtrorum paucitas, quamquam artificiosè obtegente Albuquercio, facilè patuit. Duo millia bellatorum, vt minimum, eſſe barbari putarant, cùm vix ad quingentos, vt ſupra dictum eſt, ſumma pertingeret: dein, Atare magnis præmijs clam ſolicitante, transfugia maximè fabrum ac nautarum fieri cœpta. quos cùm Albuquercius minaciter ab Eunucho repeteret; ille ſubinde varijs mendacijs, & fruſtrationibus eludebat. Per idem tempus è Perſide legati duo ad Armuziam appulſi, vt ab Zeifadino vectigal annuum Iſmaelis nomine exigerent. Ea ſeu vera fuit, ſeu ad metum Luſitanis incutiendum,
C ab Atare in tempus ficta legatio; confeſtim ad Albuquercium à Zeifadino defertur. ille, præſenti animo, & hilari vultu, Regem ſine cura eſſe iubet: ſeſe cum legatis illicò tranſacturum. dein globis aliquot è ferro liquato, haſtarumque cuſpidibus, & miſſilibus varijs in ferculum impoſitis, cum eo ferculo mittit qui ſuo nomine Perſis apertè denuntient; ab ijs, qui in Emmanuelis fide, & imperio ſint, alienis Regibus, ſi laceſſant, tributum ex ea moneta perſolui. qua ludificatione vehementer offenſi legati, re infecta, pleni minarum irarumque in Perſidem rediêre. Interea cùm arx, quamquam acriter inſtante Albuquercio, tamen tardius cupiditate omnium creſceret; Luſitana ipſa pubes atque nobilitas indignari ac fremere; ſe tot iam dies in ſeruili opere detineri; cùm interim Aegyptiæ naues contra Emmanuelis edictum impunè toto ferantur Oceano, quarum opibus ditari omnes nullo negotio poſſint. Nam quod ad ipſam arcem attineat; cui non apparere ludi operam, vel potius prodi ſanguinem Luſitanum? quippe, ſimul atque ab Armuzia ſoluerit claſſis, metu omni ſublato, & arcem, & præſidium ipſum Perſis, & Arabibus illicò prædæ futurum. Ergo, per tot miſerias & ærumnas id agi; vt, Luſitanorum humeris & ſudore, caſtellum aduerſum ipſoſmet Luſitanos in barbaro ſolo exſtruatur. Hæc, & alia id genus, quæ in tali re ſegnities & auaritia ſuggerit, occultis primùm inter paucos agitata ſermonibus, paulatim in vniuerſam claſſem manarunt.

Nauarchi, qui alienæ leuitati & licentiæ moderari debuerant, vltrò ſe tu- D
multuanti militi duces, & auctores præbent. Denique, ipſorum nomine, libellus ſingulorum chirographo ſubſcriptus, ad Albuquercium à publico ſcriba defertur: in quo erat; nautas & milites omnes iamdiu profectionem ex eo loco poſtulare. fruſtra ibi teri tempus, finitimasque nationes, quibus nulla ope reſiſti poſſit; atque Iſmaelem in primis Perſam, eo facto irritari; cui ad eam diem Armuziani Reges tributa perſoluerint. Qui vt maximè ſileat; & impoſitam ſuis ceruicibus arcem incolæ æquo animo patiantur; minimè tamen expedire, omiſſa Indica nauigatione, mariſque cuſtodia; tenues adeò copias in tot, ac tam longè diſiuncta præſidia diſſipari, carpique. Proinde claſſem vel ad Arabicam oram tuendam reduceret; vel in Indiam traijceret ad Prætorem Almeidam adiuuandum. Id ni faceret; minimè ex Emmanuelis re, & boni ducis officio facturum videri. Hæc à minoribus præfectis Imperatori propoſita. Verùm ea denuntiatione Albuquercius, & natura minimè blandus aut in milites ambitioſus, & regere non regi, à ſuis præſertim, aſſuetus; adeo deterritus ab incepto non eſt; vt lectum mox libellum in ipſas muri compages per contemptum includi à ſtructore imperauerit. id verò perquam indignè paſſi Nauarchi: non modò nihil ſe tam be- E
nemeritos impetraſſe, verùm etiam ludibrio fuiſſe conſentientem omnium voluntatem atque iudicium. itaque ipſiſmet ſine intermiſſione inſtigantibus, nautici, rerum nouarum cupiditate, plerique, & in Imperatorem odio magis ac magis accendi; paucos ingenita probitas, aut metus, aut verecundia continebat. cæteri deſidia, negligentia, prauitate certare: ſi ad teſſeras & accipienda imperia vocarentur; vix ad nomina reſpondere: ſi maturandum quippiam eſſet; operam conſultò remittere: ſin cautè & conſideratè agendum; vniuerſa præcipitare, miſcere, confundere: præſentem Albuquercium contracto vultu intueri; abſentem exſecrari, & proſcindere male dictis: denique, ad apertam pæne ſeditionem res haud dubia animorum inclinatione ſpectare. Nihil horum Eunuchus interea neſciebat: quippe, & ab infenſis omnia vulgabantur; & ipſe diſcordiæ ſerendæ alendæque artifex mirus, præfectorum pleroſque donis ac promiſſis priuatim ſibi habebat obnoxios. itaque noſtrorum diſſenſione fretus, iugum excutere, ac bellum reparare ſine mora conſtituit: grauiter ſemetipſum accuſans, quòd Chriſtianis hominibus adeo & numero paucis, & voluntate diſſentientibus, regnum Regemque præceleri deſperatione prodidiſſet. Igitur officinis F
in proximo per transfugas inſtitutis, ænea clam tormenta conflare; noctu armatos in vrbem admittere; naues in tutam ab incendio ſtationem occultè ſubducere; coniunctos arci parietes perfodere pluribus locis, vt in noſtros munientes repente impetum faciat. ijs rebus per Abrahemum quendam Ataris inimicum ad ſe delatis, Albuquercius inteſtinæ prius fraudi, tum externæ obuiam eundum ratus, Nauarchos alloquitur. docet quanto in periculo ipſorum culpa res ſit. Atarem, Chriſtianorum maximè certaminibus odijsque ſubnixum, extremam cunctis moliri perniciem. diſcordiæ mala, ſacramenti religionem, Emmanuelis Regis præcepta commemorat. caueant, neglorioſam adeò victoriam, ac pæne diuinam, cuius fama iam longè lateque manauerit, perfidis coitionibus, ac deteſtabili animorum obſtinatione corrumpant. Hiſce caſtigationibus, miniſque inſuper exterriti præfecti, cùm ſeſe purgarent, & in officio fore promitterent; Luſitanos quique in vrbe, quique in arce verſarentur; illico in naues cum omni inſtrumento Albuquercius reuocat. Inde patefacta ſua conſilia ſenſit Eunuchus; neque vltrà iam diſtulit bellum. Nauis actuariæ carina erat ab Albuquercio in littore poſita: in eam primùm inijcit flammas: deinde in claſ-

ſem

A ſem noſtram ex vrbe varij generis tela contorquet. Albuquercius, nequic-
quam Rege, regijſque præmonitis, vt fœderis & iuriſiurandi memores, pa-
cta fidemque ſeruarent; applicitis ad terram nauibus, vrbem continuis octo
diebus pergit quatere. Ea diuerberatione quamquam ciuibus luctuoſa; ta-
men cùm haud ita multum ad ſummam vniuerſi proficeret belli; ab oppu-
gnanda ad circunſedendam Armuziam vires, & conſilia tranſtulit. Neque
admodum difficilis fore videbatur obſidio vrbis in aridò ac ſitienti ſolo
pæne cunctis non modò ad cibum, ſed etiam ad potum importatis vtentis;
& vna ſitus opportunitate, vt ſuprà dictum eſt, in admirabilem celebrita-
tem, frequentiamque perductæ. Siquidem, paucis exceptis oleribus, nihil
ferme tota inſula ferìtur. Ciſternæ aliquot intra ipſa mœnia cadentem è
cælo excipiunt imbrem, idque perrarò. Ad Turumbacum (quattuor ab vr-
be millia paſſuum is abeſt locus) aliquot numerantur putei; cætera mirum
in modum ſqualent, arentque. Albuquercius Nauarchis ad opportuna lo-
ca diſpoſitis, ſcaphas etiam remige ac milite inſtructas inſulam dies nocteſ-
que circuire iubet. multa paucis diebus nauigia cum ipſis commeatibus in-
tercepta. nautæ militesq; ad terrorem deciſis naribus, auribus, manibusq;
B in littore expoſiti. Præterea Turumbacum Georgius Barretus Caſtrius
cum expeditis octoginta viris noctu profectus, circa quartam ferè vigili-
am, quod tempus altiſſimo ſomno merſos homines tenet, nec opinato ad-
uentu ſopitos palatoſque cuſtodes oppreſſit. ſagittarij ducenti; equites quin
que & viginti in eo præſidio erant. cæſi cum ipſo præfecto plerique, & cæſo-
rum corporibus peditum equorumque, & alia materia oppleti putei. ac, ne
aperiri denuò poſſent, cum delectis non amplius viginti viris in ea ſtatione
relictus Laurentius Syluius Caſtellanus egregia virtute Centurio. Aduer-
ſus eum manipulum cohortes aliquot ex vrbe cùm erupiſſent; circumu-
entos Luſitanos, & in orbem pugnantes, ad vltimum iam diſcrimen ad-
duxerant. ac ſuperfuiſſet nemo, ni Albuquercius in omnes hoſtium mo-
tus intentus, cum centum & quinquaginta armatis celeriter affuiſſet. eius
aduentu integrata pugna, & ex altera parte Atar, & Rex ipſe hortatores ade-
rant: ex altera, inter primos ordines Albuquercius prælium ciebat acerri-
mè. ad extremum, ſuperante hoſtium multitudine, pluribus iaculis fru-
ſtra petitus, cũ ictus omnes impenetrabile ſcutum, & egregia lorica reſpue-
ret; haud tamen exiguo cum vitæ diſcrimine, pleriſque ſuorum ſaucijs, vno
C tantùm deſiderato, ſeſe ad ſcaphas in proximo ſtantes recepit. Ex hoſtibus
cecidêre complures. in ijs princeps iuuentutis Amis (qui honoris vocabu-
lo xa dicebatur) manu promptiſſimus, cui nuper ob coniurationis crimen
exſulanti, reditum in patriam Albuquercius ipſemet impetrauerat; ac tum
ex cataphracto equo in liberatorem ſuũ impia tela torquenti, miſſus in in-
certum è tormento globus femur alterum abſtulit. Acriore inde cu-
ſtodia cùm omnes vndique commeatus ab vrbe arcerentur; inopia primũ,
dein fame ſitique vrgeri ciuitas cæpta: quæ mala cùm diutius ferri natura
ipſa non ſineret; concurſus quotidie plebis in regiam fiebat deteſtantiũ bel-
lum, ſibique, & vxoribus, ac paruis liberis alimenta precibus iratis efflа-
gitantium. Atar interea per idoneos viros tumultum ſedare vix poterat:
& incaſſum propinqua Perſarum auxilia, & explorata victoriæ ſpes iactaba
tur: ingens quippe rerum deſperatio populum ceperat; iamque in eo res
erat, vt Albuquercius vrbem malo ſubactam rurſus in poteſtatem accipe-
ret, legeſque denuò imponeret victis; cùm nihil tale merentem, in ipſo ar-
ticulo rei ad exitum perducendæ, Nauarchi fere omnes repente deſtituu-
unt; & paſſis velis in Indiam conſenſu tranſmittunt. neque id modò, verùm
etiã ad ſuam ipſi leuandam infamiam, vt fit, inſontem Albuquercium fictis

criminibus vltrò apud Almeidam Prætorem insimulant. Ab iis tali tem- D
pore desertus Albuquercius, Quexomen tamen insulam subita incursione vastauit; ac subsidio venientes Armuzianis duos Larecij Regis propinquos cum sagittarijs quingentis cæcidit; & in conspectum vrbis cadauera vtriusque proiecit. Sub idem tempus, è captiuis est cognitum, ab Lara Carmaniæ vrbe, & Bahareno insula Persici sinus, classem aduentare nauium septuaginta, rebus omnibus ad dimicandum paratam. ac simul ab Socotora nuntij tristes venêre; arcem Lusitanam præsidiumque in summo versari periculo. Fartaces, post Christianę classis profectionem, concitatis denuò ad arma incolis, acriter Lusitanos premebant. Harum rerum fama permotus Albuquercius, nouis commeatibus ex hostico duas, quæ solæ supererant, naues instruxit. ac dolore tantæ ad irritum cadentis victoriæ fremens gemensque, Socotoram Ianuario mense repetijt. Eius aduentu soluta statim obsidio est; fugati denuò Fartaces; & Socotoranis, quòd iterum defeciſſent, multæ nomine, grauius vectigal impositum.

Libri tertij Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER QVARTVS.

A SEQVITVR annus octauus à seſquimilleſimo, inſignis graui clade Luſitanorum, & acerbo Laurentij Almeidæ eximij bellatoris interitu. Is, cùm ad Cocinum è Ceilano inſula reuertiſſet; ad cuſtodiam inde Malabarici maris nauibus octo prodierat. Interea Calecutanus,& Arabs, ſuæ vterque gentis ac ſectæ populos Regeſque ad arma inſtigare; accuſantes ignauiam, quod abditi intra mœnia & portus, alienigenas homines, natura, ſermone, legibus, inſtitutis multo magis quàm maris atque terrarum interuallo diſiunctos, tamdiu vagari toto pæne Oriente populabundos, neque claſſes modò, ſed iam, ſi Diis placeret, colonias quoque in Aſiam arbitratu ſuo mittere paterentur. Huiuſmodi caſtigationibus monitiſque cùm alios principes ac dynaſtas, tum verò Mamudium Cambaiæ Regem, prępollentem ea tempeſtate opibus armiſque in cauſam traxerant. Eſt autem Cambaiæ regnum, quà bicornis Indus in mare fertur, ſoli vbertate, finium amplitudine, fluminū, vicorum, vrbiumque frequentia inclytum in primis. Ab Oriente Mando-
B am terram; ab Occidente Nautacos, ſeu Gedroſios attingit: à Septentrione Sangæ, ac Dulcindæ regnis; à Meridie mari, & limite Decanio terminatur. Ipſa regio, Cambaia: populi, incertum vnde, Guzarates appellantur: ſuperſtitionibus, & mercaturæ apprimè dedita gens, bello admodum inutilis. itaque externo fere milite Reges vtuntur. Ac Mamudius, quòd erat ex hæreſi Mahometana, Aegyptium Campſonem eiuſdem ſuperſtitionis præſidem per litteras ac legatos vrgere non deſiſtebat, vt promiſſa Zamorino auxilia tandem aliquando ſummitteret. Idipſum Zamorinus, & Aegyptij negotiatores aſſiduè flagitabant. Hiſce tot ſtimulis actus Campſon, quamquam ſuopte ingenio pacis quàm belli cupidior; tamen cognita ex Mauro monacho ferocia Regis Emmanuelis, Chriſtianæ quidem rei in ſuo regnō pepercit, quod ita futurum Emmanuel ſagaci coniectura proſpexerat; cæterum ad exturbandos armis ex India Luſitanos, quando nihil prorſus mīnæ valuerant, animum & curas intendit. Igitur ad materiam nouæ claſſi petendam, onerariæ quinque & viginti cum valido præſidio Mammalucorum (ea erant Aegypti robora) in Ciliciam deſtinatæ. In eas cum oneri-
C bus redeuntes diuinitus factū eſt, ad vniuerſi deinde omen euentus, vt Andreas Amaralius Luſitanus, qui tum erat in principibus Rhodiæ militiæ, cū nauibus egregiè inſtructis decem, incideret. Is audacter commiſſo prælio, Mammalucis ferme trecentis occiſis, onerarias ſex depreſſit, quinque captiuas abduxit; cæteras in fugam actas fœda coorta poſtmodum tempeſtas lacerauit, ac diſtulit: decem tantùm quaſſatæ fluctibus Peluſium tenuêre. inde aduerſo Nilo Cairum ſubuecta materia, & à naualibus fabris particulatim elaborata, tridui itinere camelis Suezium maris rubri deuehebatur. ibi demum intextæ, & compactæ carinæ cum neceſſarijs armamentis de-

1508

tis deductæ sunt. Eæ fuêre in præsentia triremes tantùmmodo sex, celsiores D
onerariæ quinque; ad quas Calecutanus orator Maimames, de quo supra diximus, Mahometicæ prauitatis antistes, cum vna longa naui se adiunxit. In eam classem, præter nautas remigesque, Mammaluci mille & quingenti propugnatores impositi. Expeditioni præerat Hocenus Persa, qui patria lingua Mir, hoc est dux siue præfectus, honoris causa fuerat appellatus, rei nauali gloria per id tempus admodum illustris. Hunc, Maimames regionum peritus, præter littus Arabicum, superato Persico sinu, ad insulã & oppidum oræ Cambaicæ seu Patalenæ Dium adduxit: quam regionem priscis Carmaniam fuisse nonnulli recentiores falsò putarunt. Huic insulæ imperitabat eo tempore Iazius, natione Sarmata, quem olim finitimi Turcæ, prædam è Christianorum agris agentes, à nutricis vbere auulsum vnà cum alijs infantibus pueriscque in seruitutem abduxerant. Mahometanis inde sacris initiatus, vt erat lacertoso corpore, ac viuido in primis ingenio, ad summam sagittandi scientiam quotidiana exercitatione peruenit: ac per manus, vt fit, alijs alijsque diuenditus dominis, in regnum denique Cambaiæ defertur, & Regi Madrafaxao Mamudij parenti pro amicitia dono datur à mercatoribus. Apud quem, augurijs mirè deditum, cùm E
sagittariæ artis egregium specimen præbuisset, immunda inter volandũ aue destinato confixa; ab ea primùm laude commendatus, dein alijs quoque muneribus prudenter ac dexterè obeundis non vulgarem gratię locum breui tempore nactus est. Cùm in dies familiaritas crescceret, libertate donatum Rex in prætorianorum ordines cum largo stipendio adscribit. dein, virtutis ergò, Melicum vocabulo gentis appellat. postremò vicum ei maritimũ, & insulam, de qua dicebamus, Dium, iure beneficiario attribuit. Eã insulam, vestigijs tantùm dirutæ quondam vrbis nobilem, cæterùm eo tempore tectis & incolis infrequentem, Iazius, tum loci opportunitate (quòd medio veluti è spatio facilis inde vel in Arabica littora, vel in Decania regna decursus est) tum vigilantia solertiaque pelliciendis vndique mercatoribus, ad insignem celebritatem breui perduxit: sepsitque insuper mœnibus, & propugnaculis. Ad hæc, trans euripum, seu fretum, quod insulam facit, in orientali continentis plaga oppidum condidit, receptaculum aduenis militibus, maximè Turcis; vt ab Diensibus freto diuisi, rixandi cum ijs actu multuandi causas procul haberent: id oppidum primò Gogala, dein Rumepolis vocitatum ab ipsa re. Duplicis quippe generis Turcæ versantur apud Indos, militiæ causa mercede conducti: Asiatici, & Europæi: illos æquè Indus ac Lusitanus proprio nomine Turcas; hosce, quod à Byzantio ferme euocantur, quo translatum ab vrbe Roma quondam imperium est; corrupta Græca voce Rumes, quasi Romæos appellant. huic ergo nationi Iazius, vti dicebam, separatum ab incolis locum ad commorandũ attribuit. Tum etiam pecunijs in dies auctus, prædatoriam classem haud contemnendã instruxit. Hic aduenientem cum exspectatis iam pridem auxilijs Hocenum gratulabundus accepit. ac sese, quòd ita Cambaiæ Regi cordi esse intelligeret; adiutorem illi & socium ad omnia fore professus est. Cõmunicatis inter se consilijs, dum de ratione gerendi belli deliberant; à speculatoribus affertur, Laurentium Almeidam cum paucis nauibus ad Ciaulum stare, expositis in terram copijs, nihil minus quàm de aduentu classis Aegyptiæ cogitantem. Vltra Dium leucas circiter quinquaginta id emporium est; duas recedit introrsus à mari. Præterlabitur eiusdem nominis fluuius, quem, vt cæteros ferme Orientis amnes, longo tractu æstuarium influens, capacem ac patientem omnis generis nauium reddit. Ei tum oppido imperitabat Nizamalucus, vnus è Decani regni præfectis, qui Rege in custodiam incluso, totum eius imperium sibi nefaria conspiratione

diui-

A diuiſerant. Quæ portio Nizamaluco obuenit, in eius ora maritima Ciaulum eſt. ipſe mediterraneis maximè ſe regionibus continebat. ac licet ob diuerſitatem religionis, ac generis, Chriſtianos odiſſet; quæſtus tamen, & commercij cauſa, mandauerat præſidibus loci, vt cum aduenis Luſitanis amicè ac liberaliter agerent. Ergo, dum ibi ſecurus moram ducit Almeida, vt Cocinenſibus onerarijs, quæ ad Ciaulum ſtabant, præſidio redeuntibus eſſet; incerto auctore affluxit rumor, Aegyptias naues complures cum egregio militum armorumque apparatu in Indiam penetraſſe. Primò nihil eiuſmodi ſermonibus commouetur Almeida. increbreſcente dein fama, concilium aduocat. omnibus incredibilis viſa res. quibus enim machinis, naues, maioris formæ præſertim, ab interno in externum mare, tanto continentis terræ ſpatio tranſuehi, aut quomodo nouam in Arabico intimo ſinu claſſem ædificari, ornarive potuiſſe, locis circa ſiticuloſis arentibuſque, nulla ferme cædua ſylua, nulla ferramentorum, nulla fabrum, ac nautarum, aut remigum copia? Scilicet anniuerſarias à Meca naues maiore fortaſſe quàm ſoleant præſidio Dium appulſas. id vulgo cuncta in maius attollenti claſſis inuſitatæ ſpeciem præbuiſſe. Ad hæc, inanes ſæpe iam ante rumores ad Luſitanos terrendos conſultò
B diſſipati, & vana ac fallacia incolarum ingenia memorantur. Hiſce alijſque id genus argumentis eleuata nuntij fides: & Laurentius, de more, certa minibus ludicris militariter tempus terebat; cùm ab ijs, qui carcheſia ſpeculandi cauſa tenebant, aduentans repente conſpicitur claſſis, incerto, propter diſtantiam, numero & genere nauiũ. Hocenus is erat, dum ſuam Iazius quoque claſſem expedit, ad opprimendum, vel certè diſtinendum Almeidam celeriter antegreſſus. Initio, Albuquercius, quòd ex Arabia dudum exſpectaretur, adeſſe creditus à noſtris. Mox, vbi propinquitas ipſa Mahometanas naues peritis taliũ rerũ aperuit; repente nuntijs alijs ſuper alios miſſis, Almeida vagos in littore præfectos, & milites raptim naues conſcendere, arma capere & aptare ad prælium iubet. Vix dum iuſſa peregerant, cùm Aegyptij demiſſis antennis ad pugnam inſtructi portum inuehebantur. Trepidos inopinata re Luſitanos, metuq; perculſos, in poteſtatem haud ita magno negotio venturos putauerat barbarus. aſt vbi præſentiore quàm credi poſſet animo frequentes armatos ad margines nauium, & pro tabulatis & caſtellis aſpexit; ex tuto rem aggredi, & Iazium omnino opperiri conſtituit. in agmine tantum eo die leuiter dimicatum eſt, neutris vniuerſi certa-
C minis aleam ſubire auſis. Hocenus, ad vitandum congreſſum ordine ſimplici præteruectus, paulo ſupra noſtrorum ſtationem, ad ripam fluminis loco vadoſo naues applicuit; quòd eæ plano alueo de induſtria fabricatæ, multo minorem quàm Luſitanæ aquarum altitudinem poſtularent. Proxima nox animando vtrinque milite, & corporibus curandis inſumpta. Poſtridie, ignarus Hoceni conſiliorum Almeida, venturique mox ab Dio ſubſidij, vltro ſublatis anchoris ad hoſtem ſubit infeſtus. Maxima Luſitano ſpes victoriæ in dextris erat, ſi naues Aegyptias iniectis harpagonibus cõprehendere, ac pugnam ex propinquo cõſerere potuiſſet. Vbi eos ab exoptato congreſſu natura loci prohibuit; tormẽtis admoti confeſtim ignes, & miſſilibus vndiq; certari cæptum. Inde laniari ſubito corpora; & nauiũ latera atq; armamẽta perfringi; & horrendo fragore, varijſq; clamoribus, ac miſto vulneratorum & morientium gemitu cuncta perſtrepere. Barbari, & multitudine defenſorum, & omni telorum genere ex præparata in id ipſum copia; & numero ac forma ipſa nauium ſuperabant, quippe, præter quàm quod erant tectæ picatis funibus à puppi ad proram vſque reticulato opere pertinentibus; tanta erat inſuper earum celſitudo, vt in noſtras apertas, libratiora ſupernè iacula, & certiore ictu pleraque inciderent.

Verùm

Verùm iniquitates omnes vincebat audacia Luſitanorum, & inexplebilis D
quædam gloriæ laudiſque cupiditas. Multi eo die ex vtraque parte interfecti, plures vario telorum genere fauciati. Laurentius ipſe, conſpicuo loco prælium ciens, duabus deinceps ſagittis haud ſine acri doloris ſenſu configitur. Sacrificulus quoque Maimames, dum infra puppim, abdito loco Mahometem adorat, miſſo temere globo diſcerptus, obitæ cum tanto labore legationis, & concitati aduerſum Chriſtianos belli præmium egregium tulit. Hoc maximè modo pugna propemodum æquo Marte in veſperam extracta, Iazius cum actuarijs circiter quadraginta ſuperuenit. Ad eius aduentum index lætitiæ clamor ab hoſte ſublatus: & incerta victoria prælium, laſſitudo, & appetentes iam tenebræ diremerunt. Iazius Luſitanam claſſem perrumpere nequaquam auſus, ad oſtium fluminis anchoras iacit. dein ſilenti nocte diuerſam abradens ripam, quàm longiſſimè à noſtris potuit, ſeſe cum Hocenoconiunxit. Ea re animaduerſa, ex templò ad Almeidam duces Luſitani conueniunt. Sat iam decoris ac laudis ex vtriuſque diei certamine partum demonſtrant. nunc tanto incremento auctis hoſtium copijs, cedendum aiunt tempori; & nulla interpoſita mora naues ex arcto & impedito loco in altum explicandas. Hæc pro ſua quiſque parte ſuadere præfecti. Almeida, vt erat exiſtimationis ac dignitatis nimio plus retinens, nocturnæ fugæ ignominiam veritus, cedendum vtique, E
ſed ſenſim, & oborta demum luce, reſpondit, neque vllis cuiuſquam obteſtationibus demoueri ſe de ſententia paſſus eſt. Vbi diluxit, accerſitas iam à Ciaulo ſociorum onerarias Luſitanicis intermiſſas, retrorſum æſtu ſecundo iubet ad mare tendere. ipſe, quod periculoſiſſimum erat, antecedentium tuenda terga ſibi deſumpſit. Barbari noſtros conſpicati abeuntes, illicò ſubſequuntur; teliſque ac tormentis morari ac retinere contendunt. In eo tumultu fortè ita accidit, vt inſcijs omnibus, maioris formæ ferrea pila ſub ipſum clauum adacta perincommodo loco nauem Almeidæ perforaret. inde accepta clam aqua paulatim alueum degrauabat: ac tanto denique pondere in piſcatorios cancellos, tranſuerſo amne prætentos, impegit; vt iniectis à Pelagio Soſa trierarcho loris, quamquam acerrimè concitato remigio, nulla inde vi vnquam auelli potuerit. Cùm vndique inſtaret hoſtis, & iam progreſſi nauarchi, animaduerſo periculo fruſtra in aduerſum æſtum (& eſt ibi ad inſtar euripi rapidiſſimus) ad opem Almeidæ ferendam toto impetu, niterentur; egregia velocitate lembus à F
nautis imperatori ad fugam offertur. Hortari omnes, & orare, vt confeſtim illucè naui deſiliat, ſeque Franciſco parenti, ciuibuſque, & Emmanueli Regi ſeruet incolumem. At ille, fortibus oculis, Deus, inquit, ac ſuperi omnes, tale flagitium auertant, vt cariſſimos commilitones meos, adeo de me, deque parente meo, ac de communi patria benemeritos, in extremo diſcrimine derelinquã. Dein, reiecto nauigio, propugnatoribus ad loca idonea diſtributis, qua maximè parte laborari animaduertit, eò celeriter aduolat. Tam inſigni virtutis & caritatis exemplo reliqui mirum in modum animati. Nulla, quamquam in tantis anguſtijs, mentio deditionis, aut pacis. Cuncti ſeſe ad vitam præclaro exitu decorandam intrepidè comparant. At ex altera parte barbari, in eo verti victoriam rati, ſi duce hoſtium aut viuo aut mortuo potirentur; omiſſis cæteris nauibus, vnam prætoriam circumſiſtunt. neque tamen ad inuadendum, vel ad rem propius gladio & cuſpide gerendam eſt animus: tantùm ex interuallo incendiarias ollas, & ſagittarum exanima, & plumbeam procellam in noſtros effundunt. Cum biremibus maximè iniquum certamen erat. Eæ, ne reſpirandi ſpatium hoſti daretur, prope ad Numidarum equitum ſpeciem in turmas diuiſæ, cùm in orbem pugnæ ſuccederent, agilitate incredibili procurrentes inuicem

ac re-

A ac refugientes, immobilem, & hærentem vno loco prætoriam, haud tamen impunè eludebant. quippe non pauci, & promptiſſimus ferè quiſque, dum incautius ſubeunt, deſtinatis è ſuperiore loco iaculis figebantur. Inter hæc, Laurentio, propter magnitudinem & animi & corporis in primis ad ictum opportuno, excuſſa è tormento pila dimidiatum femur abripuit. Eo vulnere debilitatus, cùm ſeſe ad ſellam malo appoſitam reclinaſſet, ſuos ex eo ipſo loco ad gloriam ac decus intermortuis vocibus adhortanti, ac propoſita morientibus pro Chriſti nomine referenti præmia, globus alter, auulſis à pectore coſtis, fœdo & horribili aſpectu præcordia patefecit. Corpus lacerum, quò minus conſpici poſſet, raptim à ſtipatoribus è ſuperiore loco detractum in tabulata proijcitur. & noſtros iam ſanguis, iam tela defecerant: reliquis ex omni numero duntaxat viginti, & ijs quidem ipſis perpetuo labore ac defatigatione confectis. Tum demum hoſtes ad Prætoriam ſuccedere, in eamque nudatam propugnatoribus tranſilire auſi. Duorum hinc Luſitanorum perditis in rebus facinora memorantur egregia. Vernaculus erat alter Almeidæ, Laurentium Frerium Catum vocabant. Is inter pugnam lumine captus ictu ſagittæ, cùm ab heri
B cadauere auelli non poſſet altero cruorem, altero lacrymas oculo ſine fine profundens, ab irruentibus repentè Mahometanis opprimitur. neque ſe tamen circumuentus abiecit, ſed præſenti ſtrinxit animo ferrum: ingentique edita ſtrage, & hoſtium corporibus domino tumulato, ſuper eam denique ſtragem, præclarè ſeq; & Imperatorem vltus occubuit. Speculator & carcheſij cuſtos erat alter, Andreas nomine Portuenſis. hic plumbea glande ſaucius humerum, & inſuper vſu læuæ manus amiſſo, nihilominus dextra plus biduum ex ipſo carcheſio dimicans, barbaris in tantæ virtutis admirationem adductis, accepta demùm incolumitatis fide ſe dedidit: ac ſuis poſtea reſtitutus, & honore (vti erat æquum) & ſtipendijs auctus eſt. Cæterùm potiti Prætoria Mahometani, traditis in cuſtodiam ijs, quos in poteſtatem viuos acceperant, partam tanto ſudore & ſanguine victoriam inter ſe gratulantur: per eos quippe dies è ſuis omninò ſexcentos amiſerant, cùm è Chriſtianis cecidiſſent haud amplius centum, & quadraginta. ergo ad humandos commilitones de more conuerſi; & Mahometano antiſtiti Maimami, quòd inter adorationem obierat, quam ipſi vulgò Zalam appellant, vtpotè ſine controuerſia in cœleſtes relato, fa-
C num cum perpetuis luminibus poſuêre. adeò vel adumbrata virtus, & ficta religio, in admiratione, & honore etiam apud barbaros eſt. Almeidæ corpus, quæſitum ad ſepulturam, quantauis adhibita cura dignoſci non potuit. Luſitanicæ naues, quæ maturè diſcrimen effugerant, cùm in oculis pænè ducem amiſiſſent, opitulandi facultate præciſa; inde ad Cocinum plenæ luctu ac mœſtitia reuertuntur. Cladis eius nuntium, Prætor Almeida, vt dignum erat illa perſona, ſapienter tulit: præclarè, vt in malis, cum Laurentio filio actum affirmans, quòd nulla accepta ignominia, contra nominis Chriſtiani hoſtes egregiè dimicans, extremum obijſſet diem. Simul, cùm inſolita victoria elatos barbaros intelligeret, ad eam ferociam reprimendam, contractis vndique nauibus militibuſque, ſeſe impigrè comparabat. Inter hæc, Albuquercius compoſitis ad Socotoram rebus, nauibus tribus è Luſitania nuper eò delatis, & epibatis fermè trecentis, Armuziam repetit, inſpiciendi magis cauſſa, quàm quod tantulis copijs vrbem recipere ſe poſſe confideret. Calaiatum ex itinere primum, cuius ante meminimus, Armuzianæ ditionis emporium, quod ab Emmanuele Rege deſciuiſſet, improuiſo aduentu cœpit, ac præda exhauſta, ignem tectis iniecit. Inde prouectus in Armuziæ vrbis conſpectum, haud modico auctam incremento arcem offendit, ac turres ad

alteram vſque contignationem Ataris cura perductas. præterea, nouum ag- D
gerem, & vallum vrbi circundatum, æneis tormentis ad opportuna loca di-
ſpoſitis. ingentem deniq; commeatus, & aquæ vim, per eos menſes inuectam,
Rege regijſque de infeſto Luſitanorum reditu haud ſine cauſa ſolicitis. Al-
buquercius, nauigijs tantùm aliquot interceptis, ne tentata quidem oppug-
natione, ad Nabandem continentis oppidum è regione Armuziæ repente
deſcendit. Validum erat ibi Zeifadini præſidium: & locus tortuoſis ad obli-
quum ictum munitionibus Indico more cinctus. omnia tamen Luſitanus fe-
lici conatu perrupit; cæſoque præſidio, oppidum direptum incendit. Vaſtatis
dein circa agris, cùm litteras ab Emmanuele accepiſſet, quibus iubebatur Al-
meidæ Prætori in adminiſtratione ſuccedere; Oceano tranſmiſſo Cananorē
venit, quò Prætor item paulo ante ſeſe ab Cocino cōtulerat. Ab eo cùm Al-
buquercius prouinciam ex Emmanuelis decreto repeteret; nondum, ait Al-
meida, maturum eius rei tempus aduenisse. Pulſis ex India Mammalucis, &
pacata prouincia, ſeſe tum denique magiſtratu abiturum. Ardebat cupidi-
tate Prætor, filij necis, antequam è prouincia diſcederet, vlciſcendæ. præte-
rea, exulcerato fugitiuorum calumnijs, & criminationib⁹ animo, malè iam-
pridem de Albuquercio ſentiebat. itaque, vt ſunt nimium acuta ad ſuas con- E
firmandas, & fouendas opiniones hominum ingenia; interpretatus, neque
è Luſitana re, neque ex Emmanuelis maieſtate eſſe, tantum imperium, teme-
rario, & impotenti, & dubiæ ſanitatis viro committi; nequicquam expoſtu-
lantem Albuquercium, per ſpeciem capiendæ quietis, & relaxandi à tot la-
boribus animi Cocinum ablegat. ipſe nauibus vndeuiginti, & milite, & in-
ſtrumento bellico præclarè ornatis, Cananore profectus circa initium anni
inſequentis (qui fuit ſeculi huiuſce nonus) ad Anchediuam inſulam tenuit.
ibi dum nautici aquantur, alloquendos præfectos ac milites ratus, concione
aduocata, ita diſſeruit. Quando peccatis factum eſt meis, vt mihi, vobiſque «
Laurentium & comites ex vniuerſa nobilitate delectos, in medio curſu æta- «
tis, honorumque caſus magis aduerſus (quod ſcitis ipſi) quàm hoſtium vir- «
tus eriperet; non ignoro, fortiſſimi viri, quiddam inſuperà me piaculi contra- «
ctum eſſe, quod inſolita victoria tandiu exſultare Mahometanum, & nefa- «
ria paſſim vexilla gratulabundum explicare ſim paſſus; ac non protinus ab «
triſti nuntio, quamuis parua & ſubitaria manu, ad expetendas ab ijs pœnas, «
vna fretus immortalis Dei præſentia duxerim. quid enim, tali præſide ac du- «
ce, non audendum nobis fuit? Ille, gentem noſtram ex remotiſſimis regioni- F
bus, ad Liberi, & Herculis, & Alexandri veſtigia melioribus multo auſpicijs, «
& fructu longè ſolidiore calcanda, ſubditis æternæ gloriæ facibus incitauit. «
ille, nobis, aduerſus impuros nominis Chriſtiani aduerſarios, & pia toti- «
es arma induit, & de tot tamque opulentis nationibus clariſſimas terra ma- «
rique victorias peperit. ille, paucitati noſtræ vires atque animos dedit, «
hoſtium multitudini formidinem ac terrorem iniecit. ille, nobis, in alio «
pæne terrarum orbe rerum omnium preſſis inopia, diuinitus opem ac ſub- «
ſidium tulit: Afrorum, Arabum, Perſarum, Indorumque tam ſæpe con- «
ſpirationes, machinas, apparatus momento diſcuſſit. vt optimo iure, «
nunc etiam, vel exiguis copijs ad retundendam inſolentis barbari auda- «
ciam proficiſcens, vnica numinis diuini fiducia ſecundos mihi rerum euen- «
tus non ſine cauſa polliceri potuerim. Quid ergo tam laudabiles impetus, «
& digna viro conſilia retardauit? Fatebor ingenuè id quod res eſt, Luſita- «
ni. humano quodam timore ſum veritus, ne ſi ad hoſtes ita multos, & re- «
centi victoria feroces, non prouiſis ante commeatibus, non euocatis Re- «
gum ſociorum auxilijs, non iuſta claſſe, & inſtructa hoc militum robore, «
extemplò tetendiſſem; in aliquam fortaſſe reprehenſionem incurrerem, «

quod

A „ quod iracundia præceps, domeſtici doloris cauſa communem rem in aper-
„ tum diſcrimen obijcere minimè dubitaſſem. ita, dum ſummam rationum
„ mearum tacitus apud me ſubduco, nimium fortaſſe cautus, quàm parum
„ prudens aut amans reipub. videri hominibus malui. Nunc, quando & De-
„ um ipſum, cuius agitur cauſa, propitium, vt ſpero, & claſſem ita ornatam ha
„ bemus, vt nihil meritò deſiderari à quopiam poſſit; eſt ſanè, cur celſo, & e-
„ recto animo ad vlciſcendam Laurentij, & popularium necem ſine mora
„ pergamus. veruntamen, antequam iniuriam hanc bello perſequimur, de-
„ lenda nobis eſt macula, magno meo cum dolore iam ante ſuſcepta: quod
„ Sabaium hunc, Decanium tyrannum, tot menſes impunitum eſſe permitti-
„ mus. Hic, qua impudentia atque audacia cum Nizamaluco, & cæteris Deca
„ ni regni præfectis, commiſſum ſibi ab Rege ſuo imperium, per ſcelus, frau-
„ demq; poſſedit; eadem & cum hoſtibus Luſitanici nominis conſociauit ar-
„ ma; & diſtentis ad Cananorem noſtris, ædificatam hoc ipſo loco à nobis
„ arcem, nequiſsimo transfuga duce non dubitauit inuadere. Quas ob res, e-
„ quidem caput ipſius regni Goam aggredi cogitabam. ſed quod ab alto re-
„ tractior, (vt audio) & ab hiſce nouis hoſtibus nimium remotus eſt locus,
„ rem in tempus aliud differemus. Dabulum æquè nobile eiuſdem ditionis
„ emporium, atque à mari, & AEgyptijs ſtationibus haud ita ſeiunctum,
B „ in præſentia petere eſt animus. id vbi prope in conſpectu vrbis Dij ceperi-
„ mus; tum, perculſis recenti pauore barbaris, in Cambaianum, & Aegyp-
„ tium ſigna infeſta vertemus; & glorioſum, Chriſto fauente, de vtriſque age-
„ mus triumphum. Quod vt ita futurum eſſe pro certo habeam, cùm alia
„ multa, vt dixi; tum veſtra in primis, Luſitani, egregia virtus & alacritas
„ facit. cui, quoniam ita de me, deque ſanguine meo meremini, ego quo-
„ que (ſic me Deus bene iuuet) pro mea parte non deero. Magno ſilentio,
maiore cum aſſenſu auditus eſt Imperator. atque ad non dubiam victoriæ
ſpem incredibilis ex omnium fronte, oculisque animorum ardor emicuit.
Inde magiſtri Dabulum dirigere naues iuſſi. Id oppidum oræ Decanæ,
eodem ferme quo Ciaulum ſitu, magnifico impoſitum flumini, duas fer-
me leucas recedit à mari. ac tum, aſſiduo concurſu negotiatorum, & cu-
mulatis longa pace diuitijs erat inſigne. Quocirca Sabaius, præclarè con-
ſcius cuiuſmodi ſe in Luſitanos præbuiſſet, caſtello ad portus aditum ex-
ſtructo, vrbem inſuper aggere, & vallo munierat, præſidioque firmarat
militum varij generis ſex circiter millium, in quibus erant mercenarij
C Turcæ quingenti. Itaque ex tanto apparatu Saracenus loci præfectus adeò
erat animo ſoluto, & ſecuro, vt ad Luſitanicæ claſſis rumorem, non mo-
dò quicquam ex vrbanis apothecis, vt fit, in remotiora loca aſportari ve-
tuerit; ſed etiam oblectationis cauſa, vxorem è villa, fœminaſque alias
nobiles ad ſpectaculum euocarit. Erant in Almeidæ claſſe Luſitani bella-
tores mille, & trecenti: & è ſocijs vrbibus quadringenti Malabares, quo-
rum ſinguli de more ſeruos in armis exercitatos plures paucioreſue pro
cenſu in expeditionem eduxerant. Vt in conſpectum Dabuli ventum
eſt, nocte in explorandis vadis inſumpta, poſtridie Almeida triremes ad
oppugnandum caſtellum præmiſit. ibi dum tormentis, & iaculis vtrin-
que certatur, ipſe interim cum ceteris copijs abſque vlla trepidatione in
terram egreditur. Ad aggerem ſubeunti, patentibus portis vndique ſe-
ſe hoſtes effundunt. Quandiu miſſilibus agebatur, æquis viribus dimi-
catum. dein, cùm ſeſe Luſitani acrius intuliſſent, & collato pede aduer-
ſa corpora gladijs haſtiſque confoderent; commota primùm hoſtilis acies;
deinde, vincente pudorem metu, in fugam auerſa. Et Luſitanos, præter
inſitam virtutem & audaciam, illud etiam non mediocriter iuuit, quod
conſerta iam pugna, oppidani è turribus ac propugnaculis tela neceſſa-

riò ſuſtinebant; ne ambiguo ictu in ſuos noſtris permiſtos inciderent. ita, D
dum intra vrbem ſeſe effuſo curſu barbarus recipit; eodem impetu tergis inſiſtens Luſitanus irrumpit. Ibi verò, quantam vim ad efferandos homines habeat ira, perſpici potuit. Siquidem externi, qui prælio ſuperfuerant, cùm ſe per auerſam oppidi partem eieciſſent, in oppidanos, nullo ſexus vel ætatis diſcrimine, ab Luſitano ſæuitum eſt. dein tectis publicis priuatiſque ſubditæ faces: ac prædæ magna pars raptim ad mare auecta. multo plus tamen voraciſſimus ignis abſumpſit. & mortales plurimi, cùm ſe metu mortis varias in latebras abdidiſſent; aut ruina oppreſſi, aut enecti fumo, aut ignibus hauſti ſunt. Neque vrbe tantùm ſeſe flamma continuit: naues quoque in portu aliquot eodem incendio conflagrarunt. Ab hoc tam claræ vrbis excidio, cuius fama confeſtim longè lateque manauit, Dium victrici claſſe prouectus Almeida, ante ipſas portus fauces, parato ad pugnam agmine conſtitit. Hocenus, cùm de hoſtium progreſſu per exploratores in ſingula pæne momenta certior fieret, obuiam ire noſtris, & in alto collatis viribus dimicare decreuerat. Sed Iazij ſuaſu deinde mutato conſilio, intra portum ſeſe continuit, vt vno tempore maritimis, atque terreſtribus auxilijs contra Luſitanum vteretur. Nam præter Aegyptias, & Dienſes naues, & parones ferme octoginta, qui ab Calecuto per eos dies acceſſerant; E
in muris etiam ac littore toto, varij generis tormenta erant locis idoneis collocata: & Iazius cohibendi à fuga militis, & nouas identidem copias è terra ſubmittendi prouinciam ſibi deſumpſerat. Almeida, vbi præter opinionem incluſos intra munimenta vidit hoſtes; idipſum victoriæ omen interpretatus, reliquum diem contemplanda natura loci, & conſultando conſumpſit. Hoceni prætoriam ſibimet inuadendam ipſe delegerat. Sed prohibitus conſenſu ducum, quod in eius capite ſalus omnium verteretur, glorioſum facinus nauarcho egregiè forti Nonnio Vaſæo Pereriæ delegauit. Nocturnum dein tempus, partim ſtationibus ad pugnam diuidendis, partim curandis corporibus, &, quod caput erat, animis ritè expiandis eſt datum. Poſtridie, vt maris acceſſus apparuit, & meridianus ventus ex alto vela percuſſit; æſtu ſimul & flatu ſecundo, claſſis inſtructa, portum audacter inuehitur. Agmen præibat Nonnius cum ducentis fermè propugnatoribus aut vincere paratis, aut mori. tum cæteri ſingillatim propter anguſtias, & vadi pericula ſequebantur. Poſtremo loco ſubſtitit Prætor ad hoſtium actuaria diſtinenda, ne in noſtros F
certamine occupatos, repentinis de more incurſionibus ab tergo impetum facerent. Dein, edito pugnæ ſigno, ſublatus vtrinque clamor; & buccinarum cantus, ac tympanorum ſonitus ex omni parte perſtrepuit; mox tormentorum fragor, ædificijs intrementibus, pelagoque vibrante, omnium aures longo remugitu compleuit. Tum, intrepidè procedenti Nonnio, globus ab hoſte contortus, nautas ipſos decem, demittendis antennis intentos, vno impetu lacerauit, ac perdidit. ac nihilo ſegnius ille in medios barbarorum ordines inferre ſeſe, quoad comprehenſa ferreis vncis Hoceni Prætoria, prælium atrox vtrinque commiſſum eſt. nec prohiberi Luſitana vis potuit, quominus in hoſtilem nauem ingenti tranſcenderent ſaltu; diſiectiſque aut ruptis retium tegumentis, cominus haſta gladioque rem gererent. ibi acerrimè dimicanti Nonnio guttur ſagitta confixum, quo ex vulnere poſt triduum perijt. Neque ad caſum ducis, vt fit, perculſi cæteri: quin irritati potius, ardentibus animis integrant pugnam. Pari fortitudine ab cæteris nauarchis vbique certatur. Neque barbarus, miſſilibus quàm gladio melior, flagrantes Luſitanorum vultus, collatumq; pedem, & micantes
vndi-

A vndique mucrones ferre diutius valuit. Hocenus ipſe, vt inclinatam haud dubiè pugnam animaduertit, quàm occultiſſimè ſeſe in lembum, tales ad vſus paratum, demiſit. atque, vt venalis & fluxa eſt barbaris fides, veritus, ne Chriſtianis ab Iazio poſtmodum proderetur, in terram egreſſus, equos arripuit; ac, ne ſalutato quidem hoſpite, confeſtim ad ipſum Cambaiæ Regem plenus cladis & ignominiæ peruolauit. Calecutani quoque, cùm depreſſas iam, aut expugnatas aliquot ſociorum vidiſſent naues, multis etiam ipſi paronibus amiſſis aut laceris; inſulam circumuecti, ex altero euripi oſtio, humilibus tantùm nauigijs propter vada & ſcopulos peruio, Calecutum trepida fuga repetiuêre. Triremes Hoceni duas, in fugam verſas, Rhotericus Soarius inſecutus, epibatis exuit, ac puppi religatas ad Almeidam victor attraxit. iamque deſperatis omnino rebus, cùm ſeſe hoſtes paſſim in mare præcipites darent, inſtante vndique è ſcaphis ac triremibus Luſitano, cæruleos fluctus atro ſanguine infecerant. ac nequicquam Iazius littore toto diſcurrens, fugam ſtricto mucrone ſiſtere nitebatur. Vna reſtabat eiuſdem Iazij nauis, & robore, & celſitudine, & numero defenſorum inſtar egregiè muniti caſtelli: tecta inſuper crudo boum corio, ad repellenda iacula du-
B ro, ad fallenda veſtigia lubrico, ad prohibenda incendia madefacto. Ea nauis, cùm auſos non ſemel inuadere Luſitanos, magno ſemper eorum damno ac vulneribus repuliſſet, ad extremum crebris tormentorum ictibus repetita, pluribuſque perfracta locis, tandem aliquando ſubſidit. Illud verò non ſine miraculo à peritis animaduerſum. Nonnij nauis, dudum vetuſtate fatiſcens, trahenſque ſentinam adeo, vt antlias binas pæne ſine intermiſſione requireret; ea totâ dimicatione, quæ à meridie in veſperum vſque protracta eſt, haud vno loco pertuſa, nihil tamen aquę prorſus admiſit. eadem, finito mox prælio, multis partibus plures vno tempore vndas accepit. Cæſa eo die feruntur hoſtium ad triamillia, & Mammaluci ferè omnes aut capti, aut interfecti. è noſtris duo, & triginta cecidêre: vulnerati, miſſilibus maximè, plus trecenti. Qua in re durities, & frugalitas eius ætatis Luſitanorum euidenter apparuit. Siquidem ad obligandum Nonnij vulnus, adeò linamenta defuêre; vt in idipſum, è ſuis tunicis vnâ (leuis dictu res, cæterùm haud quaquâ negligenda) Prætor ipſe protulerit. Vt iâ, pæne portenti ſimile videatur, adeò maſculum nuper aſperumque in armis genus, ad tantos tam breui deflexiſſe veſtium apparatus, conuiuiorum elegantiam, & ex-
C quiſitæ ac lautæ ſuppellectilis inſtrumenta. Sed nimirum, quæ ſoli vbertas, & affluens copia rerum omnium, ad Capuam Pænos; in Græcia Syriaq; Romanos emollijt; eadem in Oriente, per Indorum, Sinarumq; commercia, varijs captos voluptatum illecebris Luſitanos infregit. ac primò pauperta tis contemptus in mores eorum inuectus: inde luxus, otiumq; ſucciſis indu ſtriæ ac parcimoniæ neruis, priſcam ſeueritatem, & diſciplinam, ingenti bonorum dolore labefactauit ac ſoluit. Verùm eo quod expoſitum eſt prælio, hoſtiles naues, vt dixi, variæ magnitudinis demerſæ complures. roſtratæ maiores quattuor, onerarię totidem in poteſtatem venêre. in ijs, præter machinas, & bellicum inſtrumentum, auri, argentique vis ingens, & multum pretioſæ veſtis inuentum: è quibus Almeida nihil omnino attigit. militibus ea cuncta largitus eſt. regia tantùm Sultani vexilla tria in Luſitaniam miſſa, & in templo Chriſti ad Nabantiam, ſeu Tomarium, ab Emmanuele Rege ſuſpenſa: quorum in vno, ad contumeliam nominis Chriſtiani, captæ & occupatæ Hieroſolymæ argumento, in modum trophæi depicta, ſacroſancta altaris, myſteria videbantur. Ita, Chriſto ſuperisque fauentibus, præclarè demptum cladis proximæ, ſi quod erat, dedecus; & Aegyptijs cum fœnore multo repenſa Laurentij cædes eſt. neque id optimum eius pugnæ fuit; ſed quòd vna expeditione territis latè nationib⁹, Regibusque,

Indici maris imperium in multos deinde annos Luſitano firmatum. Quo magis demiror, inſignem adeò teſtatamque victoriam ſilentio prætermiſſam à Paulo Iouio æquali eorum temporum ſcriptore: præſertim cùm diſertè ipſemet, belli huius initia cauſasque tradiderit. Ex eo die Almeida, luctu & ſqualore depoſito, cùm Deo immortali gratias, vti debebat, egiſſet; Iazio quoque erroris veniam ſuppliciter petenti, ſpondentique ſe enixè daturum operam, vt omnes Indiæ ſatrapas, Regeſque fide in Emmanuelē & obſequio ſuperaret, pacem dedit ijs legibus, vt naues Aegyptias, quæ prælio ſuperfuerant, traderet cum vniuerſo apparatu. itemque Luſitanos ad Ciaulum captos illicò reſtitueret: poſtremò, vt multiplici commeatu Chriſtianam inſtrueret claſſem. omnia ſedulò, & obedienter facta. neq; illi quicquam in præſentia grauius imperatum eſt, & ab oppugnanda vrbe Dio, quā uis præclara ſeſe daret occaſio, temperatum à Luſitanis, non tam in Iazij gratiam honoremue, quàm ne Cambaiæ Regem, cuius vel in primis Emmanuel amicitiam expetebat, eo facto laceſſerent. Inde ouans Prætor ingenti cum gratulatione Cocinum reuertit: & ex itinere, Nizamalucum ipſum tātæ victoriæ perterritum fama, ad perſoluendum Luſitano Regi annuum vectigal, quod antea ſemper abnuerat, negotio nullo perduxit. Eandem fœderis conditionem, eodem perculſus terrore ſubijt regulus Baticalæ: quod oppidum oræ Canarinæ, vltra Goam eſt leucas quinque circiter, & viginti. Interea Emmanuel ab Andrea Amaralio (cuius virtute redeuntem è Cilicia Sultani claſſem in Rhodio mari fuſam ante docuimus) de hoſtium apparatu, conſilijsque præmonitus, nondum tamen cognita Laurentij nece, Fernandum Cotinium è prima nobilitate virum, cum nauibus quindecim, & tribus armatorum millibus, in Indiam deſtinarat, vt pulſis inde Sultani copijs, & remiſſo in Luſitaniam Almeida, ſeſe cum Albuquercio Prætore coniungeret, ipſamque totius belli originem fomitemque Calecutum vrbem inuaderet, deleretque. Cocini tum inter Almeidam, & Albuquercium, inſtigantibus vtrinque peruerſis hominibus, de ſucceſſione fædè admodum certabatur. Cotinij aduentu ea controuerſia ſtatim ſedata eſt; & Almeida, quippe cui nihil eſſet obſeruātia, & fide in ſuum Regem antiquius, depoſito ſine mora magiſtratu, repudiatiſq; improbis ſuaſoribus, cum Albuquercio in gratiam redijt. Ducis huiuſce, oppidò miſerandum ſcriptores exitum tradunt. Cùm circiter quadriennium Indiæ præfuiſſet, Luſitaniam repetens, circa Bonæ ſpei promontorium, ad reficiendos è diuturna iactatione comites, & ſimul aquandi & petendi commeatus cauſa, in terrā exſcendit. mox, dilapſis ad proxima tuguria Luſitanis, inter emendum, vt fit, rixa cum incolis, quorundam temeritate cooritur. Ad eum ſedandum tumultum, ſuosque tuendos, Almeida, raptis quæ fors obtulerat, armis, cū aduolaſſet; concurſu repente ex vicinis pagis facto, priuſquam ad naues receptum haberet, præuſta ſude tranſfigitur: nixuſque illicò genibus, manus oculoſque in cælum attollens, ingenti omnium dolore exceſſit è vita. Circa eum veterani complures, in ijs egregij bello duces duodecim, dum inſta bili veſtigio in arena luctantur, ab hoſtibus mira corporum agilitate, petiti eminus iaculis, eodem leti genere periêre. Ita, clariſſimus Imperator, & vir integerrimus, cùm Europam, Aſiamque victorijs peragraſſet, in Africæ demum ignoto littore, ad ludibrium rerum humanarum, ab nudis ac teterrimis Aethiopibus interfectus, & ſpoliatus, non modò paratis ab Rege præmijs, verùm etiam ſepulturæ honore, & ſupremis exſequijs caruit. Per idem tempus, haud abſimilis caſus ad Calecutum Luſitanos afflixit. Profectus ad excidium eius vrbis triginta nauium claſſe Cotinius, Prætore Albuquercio eiuſdem expeditionis adiutore ſocioque, quamquam acriter obſiſtentibus

oppi-

A oppidanis,copias tamen omnes ad littus expoſuit.Inde expugnato caſtello, quod portus faucibus imminebat; Albuquercius ad vrbis incendiũ, Cotinio ad regiã ipſam occupandã, ac diripiendã præmatura feſtinatione cõtendit. Et Albuquercius quidẽ,incolis metu perterritis,haud ita difficili negotio tectis ignes iniecit:quorũ pars magna(quippe ligno folijsq; conſtabant) illicò flãmis abſumpta.Cotinius regiã,abſente per eos dies Zamorino,audacter aggreſſus,magna ex parte cæſo præſidio, clauſtrisq; refractis, per vim irrupit. hoſtes,ex compoſito ſimulata deſperatione fugaq;,ſeſe per poſticũ in ſyluas eijciũt.Cotinius,potitus iã ædibus, quaſi nil vltra periculi ſupereſſet, ex lõga defatigatione,æſtuq; vehementi, & noctis ꝓximæ preuigilio, quietis aliquãtulum capiebat;cùm ſubita conuerſione rerũ ſors belli immutata eſt.Multa erant in regijs ædibus diuturna cura ſtudioq; congeſta,quæ,ſubiectapræſertim oculis, cupiditatẽ incenderent. Ad ea certatim rapienda, ſuisq; ipſimet humeris auehenda Luſitani,dũ auidè huc illuc,ab re bene geſta ſoluti, palatiq;,diſcurrunt;interea ſpatiũ datum Nairibus ad auxilia conuocanda, quæ ex vetere gentis diſciplina,ad certas ſignificationes,momẽto conueniũt. de-
B in conglobati, hortatiq; ſe mutuo ad ſui Regis iniurias fortiter vindicãdas, repente in regiã impetum faciunt;noſtrosq; oneribus impeditos, & deprehenſos errore viarũ, ſub ſarcinis paſſim obtruncant, iaculisq; conuulnerãt. Cotinius ipſe,dum ſerò ſuos à prẽda reuocat,ab hoſtibus intra ſeptum regiũ oppreſſus,ac trucidatus,occubuit.Et Albuquercius, ad opẽ laboranti ferendã trepido nuntio excitus,cùm refugientẽ,&conferram in anguſtijs turbam fruſtra perrumpere niteretur,vulneribus duobus acceptis,ad hęc,graui ſaxo in eum ſuperne deiecto,ſemianimis cadit:ægreq;ad naues relatus,ancipiti aliquot dierũ curatione conualuit.Periêre eo die Luſitani partim hoſtium telis petiti,partim in fuga à ſuis obtriti, amplius octoginta. ſauciorũ numerus relatus circiter trecentorũ.Eius cladis culpã ſcriptores in vnũ Cotinium cõferunt. quòd is palmã euerſi Calecuti cùm intemperantius adamaſſet; non exſpectatis Albuquercij ſubſidijs,quò gloriam rei geſtæ præcerperet, ignoto itinere,caloribus maximis, ad regiam antecedens,temere ſeſe in apertum capitis diſcrimen obiecerit;neque Emmanuelem Paſſanium audierit ſpectata æquè prudentia ac fortitudine virum, in ipſo rei gerendæ articulo ſapienter monentem caueret inſidias, militemq; à præda & diſcurſu quàm diligentiſſimè contineret. Neque tamen incruenta fuit hoſtibus victoria.
C Plus mille, vel igne conſumpti, vel in pugna deſiderati. Eadem æſtate, qua hæc ad Calecutum gerebantur, Antonius Laurerius,Franciſcanus, cuius ante meminimus,è Socotora Indiam petens, ad Surratum oræ Cambaicæ facto naufragio,cum aliquot Luſitanis ad Mamudium Regem captiuus abducitur.Et Didacus Lupius Sequeria ad ineundam cum Malacenſibus amicitiam, è Luſitania miſſus, cùm ad Cocinum appuliſſet ſupplemento in naues accepto,in Orientem porrò curſum extendit.ac ſuperato Cori promontorio,præter Gangeticum ſinum alto vectus Oceano,ad Somatram primus (quod quidem exſtet) omnium Luſitanorum acceſſit. Ea inſula, pari ferme ac Ceilanum genere loci,à Septentrione in Auſtrum obliquè porrecta, ab continente,in qua Malaca vrbs eſt, anguſto & periculoſo diuiditur mari.atque ob idipſum peninſula quondam credita eſt, quòd ob frequentia vada, ſyrteſque nondum interiore patefacta nauigatione, iſthmo quodam annexa continenti procul intuentibus videretur:cuiuſmodi errore ad Siciliam captus olim eſt Annibal. Sed noſtrorum temporum audaciæ, vt nihil imperuium;ſic multo plura iam cognita & explorata ſunt. Longitudo inſulæ,ducentas leucas, & viginti;latitudo, qua maximè patet, ſeptuaginta non amplius colligit. Auri eſt apprimè ferax (ex quo Cherſoneſum auream priſci appellarunt)nec non ſtamno, ferro, vitro,ſulphure abundat, inſignis

inſuper fonte perenni,ex quo naphta inſtar olei manat: & excelſo conſpe- D
cta monte (Balaluanum incolæ vocant) qui ad ſimilitudinem Sicilienſis
Aetnæ,fumum, & flammas horribiles euomit.Regio eſt,ob frequentiam
fluminum, ac paludum, nemorumque denſiſſimorum, graui admodum
cœlo,ac præſertim aduenis vehementer infeſto.Eſyluis,inter alia, primæ
notæ ſandalum album,agallochum,& exſudans in modum reſinæ caphu-
ra legitur,quam ignari Arabicæ linguæ camphoram vocant: itemque vul-
gare piper,& piper oblongum, zingiber, caſia.ſuper hæc, magnam bomby-
cis quoque,ad veſtes delicatiores,copiam mittit.Incolæ, milio ferme, & o-
ryza,& ſylueſtribus victitant pomis. Frumentum, & cæteram orbis noſtri
ſementem terra non patitur.Interiora, indigenæ tenent dediti ſimulacris:
littora,Mahometani: quæ peſtis ante ducenteſimũ circiter annum inuecta,
per vim compulſis ad montana incolis, maritimam planitiem, & loca ma-
ximè opportuna commercijs,occupauit. Ditio tota, complura in regna tri-
buitur,quæ recenſere hoc loco non eſt operæpretium.Sequeria igitur in ea
loca delatus,cũ Pedirenſi prmùm, dein cum Acenorum Rege pacẽ & ſocie
tatẽ æquis legibus inijt:& eius rei monumento columnam in vtroq; littore
ſtatuit.Ab Somatra cùm breui traiectu Malacam veniſſet, tentata prius per E
interpretem Mamudij alterius tyranni voluntate(is erat ex Arabia oriun-
dus, & ſenſim collectis viribus, à Sionis ſeu Sabanni Rege, qui trans Gan-
gem latiſſimè dominatur,per ſummam fraudem iniuriamque deſciuerat)
Hieronymum Texeriam ab Emmanuele Rege legatum quàm ornatiſſimo
comitatu in terram expoſuit. Ei frequenter ab aulicis obuiam itum; & ma-
gnificè inſtrato impoſitus elephanto,ad regiam ingenti celebritate deduci-
tur.Dein prolata munera, & litteræ Emmanuelis,Arabica lingua conſcri-
ptæ. Societatem & commercium poſtulabat Emmanuel. & ſibi magnifi-
cum Malacenſis ducebat, ſecum ab Rege tam inclyto, ex vltimis terrarum
finibus expeti fœdus.itaque peracto primæ ſalutationis officio,pax,& ami-
citia, magna partis vtriuſque voluntate conuenit.Sed hæc tam læta initia
eundem videlicet exitum habuêre,quem Calecutana ſub aduentum Vaſci
Gammæ decem ante annis habuerant.Saraceni,& Arabes Malacæ negotia
bantur:Luſitanis præter cauſam religionis,ob accepta inſuper ab eis incom
moda,& ademptam maris poſſeſſionem,infeſtiſſimi.ij,quemadmodum an-
tea Zamorinum, ſictum Mamudium hunc, inſigni perfidia ac leuitate vi-
rum ex nefaria pſeudoprophetæ diſciplina, per coemptos pecunia calum- F
niatores,ac præcipuè præfectum vrbis, quem vocant Bendaram,fictis crimi
nibus in Luſitanos quàm acerrimè concitant.Gentem ab extremo Occiden-
te,omnium quæ ſub cœlo ſint,ſæuitia & rapacitate maximè deteſtabilem,
exitio natam Orientis, quocunque ſeſe ſpecie ſocietatis inſinuent, ibi arce
confeſtim ædificata, incolis acerbiſſimæ ſeruitutis iugum imponere.Teſtes
eius rei Cocinum,Cananorem,Armuziam,Sofalam citant.proinde, quod
optimum eſt,alienis doctus euentis Rex pacem caueat inſidioſam, ac fune-
ſtam;rebuſque ſuis maturè proſpiciat. non plus quinque latronum naues,
valdè imminuto & nautarum, & militum numero, intra ipſius præſidia &
portum incluſas teneri:ſi paululum modò,in id quod eſt opus, animum &
cogitationem intenderit;nullo prope certamine cunctos ita opprimi ac de-
leri poſſe,vt ne nuntius quidem cladis vllus omnino ſuperſit.Hiſce igitur,
& alijs id genus argumentis, licet ius gentium, & fœderis religio non parũ
obſtaret;tamen improuidũ viri fallacis animũ,& ſuapte natura Chriſtianis
infenſum,Arabes in ſuam ſententiam facile pertrahunt.Infandi ſceleris in
præſentia talis ratio initur.Per ſummam officij ſimulationem tyrannus Se-
queriam, & præcipuos ex eius comitatu ad conuiuium inuitat; ſuggeſtu
præcelſo ad cænaculi amplitudinem extructo,& pretioſis tapetibus ac peri-

ſtroma-

A ſtromatis adornato regium in morem, & quidem in ipſo littore, ſcilicet honoris cauſa, ne Luſitanus dux, in tanta peregrinorum colluuione, longius ab ſuis abſcedere cogeretur. ibi inter epulas incautum hoſpitem, comitesque propalam trucidare, eodemque momento naues adoriri placuerat. Sequeria, quamuis ad eam diem conſultò pedem è naui non extuliſſet; tamen multis precibus inuitatus, ne fidem hoſpitij ſuſpectam habere videretur; ſe ad feſtas dapes venturũ promiſit. dein, coniurationis indicio ad eum delato (neq; enim in vrbe deerant qui facinus improbarent) ſociorum hortatu, ſub ipſum cõuiuij diem per internuntios morbum excuſat. Ea ſpe deluſus Mamudius, aliam fraudem, ijſdem architectis & ſuaſoribus, machinatur. Mos erat Malacæ, qui & in alijs emporijs; vt primus quiſq; emptor ad vrbem acceſſiſſet; ita eũ ante alios cum oneribus miſſum facere. Ea lex quoniam ſi obſeruaretur, Luſitanis, qui recentes aderant, diutius erat in portu commorandum; oſtendit tyrannus, ſe, cùm Emmanuelis, quem plurimi faceret; tum ipſius etiam Sequeriæ cauſa, qui ex tam longinqua regione veniſſet; extra ordinem aromata & merces exhibere Luſitanis decreuiſſe: verũtamen, quoniam id periniquo paſſuri ſint animo cæteri negotiatores;
B qui iamdudum onera præſtolentur; curandum eſſe vt quam primũ, & quanta maxima diligentia res trãſigatur. Ad certum diem quattuor ſeorſum locis quamplurimos Luſitanos cum ſcaphis præſto iubeat eſſe. mandaturum ſe, vt quæ maximè cupiant, ab apothecæ curatoribus nulla mora interpoſita proferantur. Lætus ea cõditione Sequeria, & gerendi negotij cauſa diſſimulatis ijs quæ de conſpiratione cognorat; Mamudio, pro tam propenſa in Emmanuelem voluntate, gratias agit ingentes. Inter hæc, à tyranno claſſis lemborum aliquot ſilentio comparatur; & impoſitis ſagittarijs, in occulta ſtatione poſt ſuburbanum promontorium collocatur. Vtimutis erat ex inſula Iaua, quem honoris vocabulo Raiam appellabant: ſecundũ Regem opibus & clientelis longè princeps Malacenſis emporij. Huius filius, Patiacus nomine, cui paucis illis diebus cum Luſitanis cõtracta familiaritas erat, conſcendendi ad præfinitum diem pro amicitia nauem Sequeriæ cum aliquot armatis, & iugulãdi repente ducis negotium ſuſcipit. ſtationes præterea armatorũ locis idoneis diſponuntur, vt in Luſitanos, quique in vrbe verſarentur, quique emendi cauſa ſcaphas ad littus appuliſſent, ex omnibus locis impetus fieret. ſimul etiam ſubornati, qui eo die, per ſpeciem vendendi cõmea
C tus, ad Luſitanicas naues accederent; nauiumq; cuſtodes, ignaros imminentis exitij, diſtinerent. Edictum omnibus, vt nihil mouerent, antequã è loco excelſo editum fumo ſignum aſpicerent. Ad eam verò ſignificationem, & claſſis parata, ſubitò ex inſidijs in ſemiplenas inuaderet Chriſtianorũ naues; & cæteri pro ſua quiſque parte rem terra, marique impigrè gererent. Vbi dicta facinori dies affuit, Sequeria, cui nihil erat longius, quàm vt ad Emmanuelẽ nuntios aperti Malacenſis cõmercij perferret; ſcaphas aliquot cũ mercaturæ adminiſtris ad loca deſtinata dimittit. Ipſe interim oblectãdi animi cauſa, vt fit, latrunculorũ luſu tempus terebat; cùm Vtimutis Raiæ filius cũ aliquot armatis per cauſam ſalutandi ſuperuenit. Aduenienti, cùm omiſſo ludo Sequeria prodiret obuiam officij cauſa; Quin tu, inquit ille, cæpta proſequeris? nam & apud nos quiddã haud abſimile genus oblectamenti eſt; &, quibus potiſſimũ rebus ab iſto veſtro diſcrepet; diſcere vehemẽter aueo. Cũ Sequeria ad certamẽ ludicrũ, moris amico gerẽdi cauſa reuertiſſet; interea Patiacus exſpectãs quàm mox fumus attolleretur: varia ſciſcitãdo animum tegere: ac licet ab inſita genti fallacia ſimulationẽ vultu egregiè ſuſtineret; tamẽ ſenſibus intimis è concepto ſcelere æſtuabũdus, modò reſidere, modò conſurgere, tum ſicę manubrium identidem ſtringere. & is quidem, quam-

quam

quam ad cædem paratus, præclarè ſibi temperauit, quò minus præpropere D
conſilia patefaceret. Non eadem cæteris patientia in præſtolando fuit. Nam
& qui venalem annonam ad naues admouerant, & qui in ſcaphas ex vrbe
imminebant, per tumultum ac trepidationem, furijs inſtigantibus, non ex-
ſpectato ſigno coorti ante tempus in Luſitanos irruunt: iamque pluribus lo
cis, inſcio Sequeria, cædes fiebat; cùm nauta è ſummo carcheſio & geſtus eo-
rum, qui cum gladijs aderant, ſpeculatus, & rixa eminus animaduerſa,
confeſtim ducem inclamat, Deum, hominesque conteſtans paratam frau-
dem; mucrones in caput eius inſtare; Luſitanos ad vrbem circumuentos oc-
cidi. Ad eas voces quaſi è profundo veterno excitus Sequeria, abiecto al-
ueolo ferrum capit; idem comites, & nautæ faciunt. Sicarij, conſcientia exa-
nimati, in ſubiecta nauigia momento deſiliunt. ille, miſſis properè ad lit-
tus armatis, qui ſuos laborantes protegerent, & ad naues feſtinè reciperent;
ad omnia prouidenda, quæ in tali re opus eſſent, extemplò diſcurrit. Et iam
edito ſigno, lembi hoſtium ex alto aderant. id vbi Sequeriæ nuntiatum eſt;
ne loco arcto & impedito repente oppreſſus, tormentorum vſum, quibus in
tanta militum paucitate maximè nitebatur, amitteret, præciſis raptim an-
choralibus, è portu ſe proripit; & obuiam hoſti procedit. dein è tormentis
æneis ferrea miſſilia horribili fragore contorquens, barbaros ita cõterruit,
vt ne tentato quidem certamine, velis, remiſque ſeſe in fugam præcipites E
dederint. ijs diſſipatis, ad ſuorum reliquias colligendas in priſtinam ſtatio-
nem reuertit. neque auſus deinde quiſquam ei negotium faceſſere. In eo
tumultu cæſi Luſitani fermè triginta; paulo plures in vincula abrepti. in
quos ne grauius à tyranno conſuleretur; ab vrbe quatienda, & ab incendijs
nauium Sequeria ſeſe continuit. Cæterùm temperare non potuit, quomi-
nus Mamudio renuntiari iuberet, Luſitanos tam inſignem tamque atro-
cem iniuriam, fauente Deo fœderum teſte, propediem eſſe vindicaturos. in
præſentia, quòd ſtata reuerſionis tempeſtas adeſſet, quæ motio in ijs locis
non niſi tertio quoque redit menſe, ne apud conſceleratos, & perfidos ho-
mines diutius ageret; velis in Occidentem datis, obuios aliquot barbaro-
rum iuncos (onerariæ nauis id genus eſt) pretioſis mercibus refertos expu-
gnat; tum nauibus duabus Cocinum miſſis, quæ de ſtatu rerum Malacen-
ſium Prætorem Luſitanum docerent; ipſe India, & Arabia ad dexteram re-
licta, Bonæ ſpei promontorium præteruectus, ingenti labore ad Tertias in-
ſulas, atque inde in Luſitaniam rectà contendit. Et Sequeriæ quidem naui- F
gatio hunc habuit exitum. Albuquercius interim valetudine recuperata, &
refectis è Calecutana clade ſuorum animis; in id maximè operam dabat; vt,
quæ contra ipſius exiſtimationem ab iniquis ad Emmanuelem Regem de-
lata eſſent; re ipſa magis & factis, quàm litteris aut oratione refelleret. In
primis, ad Armuzianum bellum, quod ille iam diu coquebat; nauales co-
pias, & omnia machinarum genera, quàm acerrimo ſtudio comparabat: ac
breui, non die, non nocte intermiſſa cura, nauium vnius & viginti claſſem
omnibus rebus inſtruxit. in eas Luſitanorum duo circiter millia, præter au-
xiliares, impoſita. Dein oratoribus principum, & regulorum auditis, qui
ad eum initio præturæ officij cauſa confluxerant, cum ijs, quas dixi, copijs in
conſpectum oræ Decanæ prouehitur. parantique porrò in Arabiam tende-
re; nec opinata ſpes commodi propioris affulſit. Goa eſt vrbs (cuius haud ſe-
mel iam eſt mentio facta) in Ticuarino inſula, quam, & ignobiles alias com-
plures, anguſto interfuſum euripo efficit mare: illa quidem, & ſoli vbertate,
& egregij portus amplitudine, & ædificiorum, incolarumque frequentia in
primis Indiæ totius viſenda. Ab ea non longè diſtat Onoris regnum: cuius
regni paruam inſulam, haud contemnenda tum claſſe obtinebat egregius
virtute nauali dux, nomine Timoia. Is, tyranno Sabaio, cuius ante memini-

mus,

A mus,& Mahometanis Goæ inquilinis cùm alijs de cauſis erat infenſus;tum ob auocatã illuc ab Onore,& Baticala, inclytis quondã emporijs, mercaturam.itaq; & Saracenis,Aegyptijſq; negotiatoribus Goã petentibus plurima damna inferebat;& cõiuncta cum Luſitanis cauſa,miro quodã ardebat ſtudio de Emman. Rege benemerendi. quocirca iamdudũ Franciſco Almeidæ ſuã operam enixè detulerat;& tum ab Albuq. ad colloquium euocatus, cõfeſtim accurrit;atq; inter cætera nũtiat,ab euerſo Dabulo Sabaiũ prorſus implacabili in Luſitanos ira concepta, naues ædificantem, magnis præmijs veteranos vndiq; milites contrahentem,ingenti machinarũ omnis generis comparato iam numero, cùm bellũ primo quoq; tẽpore Chriſtianis inferre cogitaret; in ipſo conatu rei aggrediẽdæ letali morbo conſumptũ.Eius morte & multos è ſubiectis populis rebellaſſe; & finitimos Reges ad veteres vlciſcẽdas iniurias repente coortos. hinc, Idalcanem filium, exiguo rerum vſu, vixdum locatum in ſolio,cùm domeſticis, tum externis bellis vehementer implicitũ atque diſtrictum teneri:Goam ciuitatem, magna ex parte dilapſo tyranni exercitu,inteſtinis prẽterea diſcordijs laborare.Pro certo ſe habere, ſi Albuquercius,omiſſa interim Armuzia,ad Goam rectà contendat; fore,
B vt opportunam ad omnia inſulam,& vrbem in primis opulentam, aut metu,aut armis in poteſtatem accipiat. Ac ne verbis duntaxat captare gratiam videatur;ſemet,ni Luſitani reijciant,cum ſuis omnibus copijs in partem laboris periculiq́ue venturum. Albuquercius, collaudata Timoiæ fide atque conſtantia,concilium vocat.Nemini ſpernenda res viſa. quippe, Armuzianam expeditionem in alia tempora differri poſſe:Goæ potiundæ,ſi tam cõmoda præteruolet opportunitas; reuocari non poſſe. Cùm hæc ſententia magno cum aſſenſu pleriſque inſediſſet; Timoia,per ſpeciem Armuziani belli,ad conſcribendos in vicino milites dimiſſus,paulò pòſt cum peditatu, & longis nauibus quattuordecim ornatiſſimis affuit. Sub eius aduẽtum, Albuquercius,mutata repente nauigatione, Goam peterent, magiſtris edixit. Cùm in ipſo ore portus in anchoris conſtitiſſet, Antonium Noroniam ſororis filiũ,&Timoiam cum actuarijs prẽmittit ad oppugnanda caſtella duo, ex vtraque parte aditus poſita. quorum alterũ in ipſa inſula Panginum,alterum in continenti Bardeſium appellabant.ijs felici euentu captis, cæſoq́; aut fugato præſidio,mittit qui oppidanis denuntient, ſi voluntate vrbẽ tradere,& Chriſtianam clementiam, quàm vim experiri malint; ſe & legibus
C ipſorum paſſurum eos viuere;& tertiam partem tributi, quod tyranno pendere ſoleant,remiſſurum.ſin minus;obſidionis mala, & omnẽ belli cladem exſpectent.Goani,diſſipatis fuga militibus,& abſente Idalcane ad fines regni tuendos,iam antea trepidabant.Tum verò,non modò expugnatis arcibus territi,ſed etiam benignitate promiſſorũ illecti, pulſis aduerſæ factionis hominibus,Albuquercium & Luſitanos ingenti gratulatione patentibus portis admittunt; eiq́ue,deditionis inſigne, claues oppidi , & arcis in qua erant ædes regiæ,porrigũt. Albuquercius, cataphracto equo ſumma omniũ ordinum frequentia vrbem inuectus,Crucis vexillum pietatis cauſa præferente quodam ex Dominicana familia, primùm omnium, Deo immortali, partam ſine cruore victoriam gratulatus,promiſſi fidem ciuibus egregiè præſtitit: vrbẽ,& arcem diligẽter inſpexit; grauiq́; ante omnia edicto milites à prẽda,iniurijſq́;continuit.In naualibus,partim inchoatæ,partim abſolutę varij generis naues inuentæ nõ paucæ.armamẽtarium,telis,tormentis æneis, ſulphureo puluere,& omni apparatu bellico refertiſſimũ. & in ſtabulo regio militares equi permulti,quos è Perſide aduectos(nã India eiuſmodi armentis caret)Malabarici,& Canarini,& Narſingę Reges impenſo parant pretio. Ad hæc, locandis publicis vectigalibus, tollendis ex inſula latrocinijs, & componendo ciuitatis ſtatu,reliquum æſtatis inſumptum.Iam enim vrbem illam

illam, Albuquercius, propter eximiam (vti diximus) agri bonitatem, & op- D
portunitatem loci, (quod quasi cardo inter Cori promontorium, & Cambaiæ littus interiacet) ad continendas in officio cunctas eas nationes, caput ac sedem Indici imperij destinarat. Dum igitur componendis insistit rebus, ac potissimum cõciliandis incolarum animis, haud ignarus vim ac metum, exclusa beneuolentia, malos diuturnitatis esse custodes; interea Idalcan, amissæ Goæ perculsus nuntio, pacem vel iniquis conditionibus cum hoste interno pariter & externo componit. dein, auctis maiorem in modum copijs, ad Goam extemplò contendit. Ducem habebat in castris, eximia rei militaris peritia, Camalcanem nomine. Hunc, ad tentandum æstuarij, transitum, quo insula cingitur, cum expeditis octo millibus peditum, equitibus mille & quingentis præmittit. ipse cum cætero exercitu (ea erant equitum quinque, peditũ plus quadraginta millia) tardius propter machinas, & impedimenta subsequitur. Camalcan, celeritate vsus, ad ipsum littus applicuit castra. Eius aduentu, præsertim quod Idalcan cum reliqua copiarum mole propediem affuturus nuntiabatur, magnus tota insula motus animorum est factus. Duo incolarum genera Goam habebant. inquilini alteri è secta Mahometana, qui dudum ex Arabia profecti, vt supra dictum est, magnam E
Africi, & Asiatici littoris partem insederãt. alteri indigenæ, deorum inanium cultores. Illi, ab insito in Christianos odio, eiusdem superstitionis hominem, Sabaij filium, Regem expetebant: hi, metu ne deditæ sine sanguine vrbis pœnas postmodum luerent; eius flagitij turpitudinem & culpam redimere insigni aliquo promerito nitebantur. Ergo inter sese clam officijs in Camalcanem vtrique certare: omnia Albuquercij consilia (quoad possent) per occultos internuntios patefacere: ad transitum hostes non hortari modò, sed etiam in idipsum naues ex occasione summittere: denique nulli rei deesse, quæ ad Idalcanis aut placandam iram, aut gratiam ineundam facere videretur. Neque ad barbaros modò pertinebat hoc malum. ipsos etiam Lusitanos quadam ex parte furor inuaserat: atque vt ad Armuziam nuper, sic tum dementiæ & imperitiæ Prætorem accusabant, quod Idalcanis maximè absentia fretus, vrbem tot tamque potentibus vndique nationibus cinctam, adeò parua manu inuadere esset ausus; & inanis gloriæ cupiditate, relictis non minus quæstuosæ, quàm honoratæ mercaturæ compendijs, Lusitanicas opes, & parta ad eam diem decora in apertum periculum temere F
coniecisset. Albuquercio, in tantis rerum angustijs, tamque multiplici discrimine, tamen neque animus, neque consilium ad omnia defuit. Ac Lusitanos quidem, quando animaduertendi non erat locus, admirabili quadam lenitate, ac patientia sustentabat. Ex incolis, capita coniurationis, per speciem consultandi in arcem euocatos (ij fuêre amplius centum) repente vinciri iussit. Miracenum è principibus ciuitatis, quem ille demerendi causa quadringenariæ cohorti præfecerat; interceptis eius ad Camalcanem litteris, continuò stipatoribus sui corporis tradidit, sparis, haud inusitato mortis genere, fodiendum. laqueo insuper, aliquot è turba suspensi. cæteri ad incertos rerum euentus in vinculis adseruati. Iam verò, ad arcendum insula Camalcanem, idoneis locis tormenta cum præsidijs collocata, propter Lusitanorum paucitatem, incolis necessario admistis, quos quidem Albuquercius minimè infidos, aut ab se alienos existimauerat. Subductis præterea in tutum leuioribus nauigijs, ne hosti ad trãsitum vsui forent; nobilibus trierarchis circumeundæ sine intermissione insulæ negotium est datum. Camalcan varijs locis haud semel conatus traijcere, cùm tormentis vndique pelleretur; ad extremum silentio noctis tempestatem nactus turbulentam ac pluuiam, cuiusmodi multæ per autumnum existunt; ratibus peditatum; vitilibus nauigijs, corio circunsutis, equitatum traijcere instituit. neque ita difficilis

A cilis tranſmiſſio fuit, tenebrarum & imbrium iniuria, proſpectus & ignium beneficio Luſitanis adempto. Ac nihilominus inter tumultum aliquot abreptæ rates, cæſique ex hoſtibus, aut demerſi non pauci. Sed ingruenti omni ex parte multitudini vltrà obſiſti non potuit. Primi agminis ductor erat Zufolarinus, notæ audaciæ vir. is, cum duobus fermè partim equitum, partim peditum millibus primùm in ſicco ſtatuit ſigna: dein, cùm iam diluceſceret, Camalcan illicò ſubſequutus. iamque paſſim armati in terram exponebantur: & è ſtationibus incolæ, mutata repentè fide, cùm ſeſe ad hoſtem adiungerent; Luſitani ab ſuis deſerti effuſa fuga vrbem vndique repetebant. cæterùm ne ibi quidem tuto conſiſtere licuit, oppidani conſpectis intra inſulam Idalcanis inſignibus, in Luſitanos tota vrbe diſperſos adeò vehementer ſe intulêre; vix vt illis in arcem confugiendi ſpatium fuerit. eodem ij etiam qui mare tenebant, ſaluis nauibus, tormentiſque recepêre ſeſe. Interea Camalcan cum cæteris copijs per otium tranſgreſſus, ad duas arbores (ita locum appellant) haud longè ab vrbe conſedit. Atque vt receptæ Goæ decus Idalcani præriperet; per Luſitanum exulem Ioannem Machiadum, qui ſpecie deſertoris apud Idalcanem ſtipendia faciebat, Albuquercio pacis conditiones obtulit; magnoperè ſuadens, vt appropinquante iam hyeme, tam arctis commeatibus, tanto inferioribus copijs, ante Idalcanis aduentum vrbe excedere, quàm belli fortunam temerario auſu periclitari mallet. Haud inania proponebātur: & cùm aliæ multæ Albuquercium
B difficultates angebant; tum nihil magis, quàm hyemis imminentis incommodum: quod à Maio menſe, qui tum agebatur, ad vſque Septembrem, in Oceano Indico ſæuiſſimi turbines, ac fœdiſſimæ exiſtunt procellæ: quarum impetu fauces Goani portus, aggeſtis arenæ cumulis, per eos dies ita obſtruuntur, vix vt minoribus nauigijs, & magno cum labore tranſitus pateat. Ac nihilominus, Albuquercius, cùm tanta rerum ac temporum iniquitate premeretur, exiſtimationis ac dignitatis rationem antiquiſſimam duxit. Idalcanem exſpectare; oppugnationem, quoad poſſet ſuſtinere; & vbi demum cedere neceſſitas coegiſſet, in ipſo portu inuitis hoſtibus hyemare conſtituit. Camalcan, Albuquercij pertinaciam demiratus, experiendi magis vires cauſa, quàm certa victoriæ ſpe, machinis nondum aduectis, multifariam Luſitanos aggreditur. à quibus cùm egregiè propugnantibus, haud ſine detrimēto recederet; interea cùm vniuerſo exercitu bellicoque inſtrumento Idalcan affuit, omnemque latè regionem tabernaculis occupauit. Deſertis propter paucitatem noſtrorum Pangino, & Bardeſio caſtellis, præſidia cùm tormentis impoſuit. Dein, cognita Luſitanorum peruica-
C cia, vt rem quàm minimo ſuo damno conficeret; intercluſo vndique exitu, veluti indagine cinctos, fame ac deſperatione compellere ad deditionem decreuit. id quò facilius adſequeretur; miſſo caduceatore ſimulatā pacem offerebat obſeſſis. ipſe, dum de conditionibus agitur, paulò infra vrbem, quà in anguſtias cogitur æſtuarium, multa ſaburra grauatam onerariam ad inſtar molis demergit. dein, cùm ad alteram eodem modo ſupprimere maturaſſet, animaduerſo periculo trepidi nautæ rem ad Albuquercium deferunt. conſilium habetur extemplò. neque vlli dubium fuit, quin proxima nocte priuſquam planè interſeptus euripus eſſet, ſeſe ex letalibus ijs cancellis eriperent. Igitur, luminibus crebris in ſpeciem relictis, quarta vigilia ex arce ſenſim excedunt. neque tamen licuit fallere intentos ad cuncta oppidanos. fugā ignis maximè prodidit, armamētario iniectus. Ergo confeſtim in abeuntes ex vrbe fit impetus; & Albuquercius cùm agmē cogeret, equo ſuffoſſo vix tutum ad naues receptum habuit: inde ſublatis per magnā trepidationem anchoris, cùm vndique tela volitarent, præmiſſi qui trāſitum diligenter inſpicerent: ac vix iam ſingulas anguſtię capiebant naues. itaque

ægrè admodum traducta classis, remotiorē ab vrbe locum hybernis cepit. D
Hoc defunctos discrimine tam graui, alia deinceps atque alia incommoda
Lusitanos excipiunt. primùm ipsa loci natura, multiplici & anguloso littorum flexu; vt inter nauigandum, quotiescunq; res id exigeret, aperta iaculatoribus identidem præberent latera. dein adempta facultas aquandi, omnibus circa ab hoste insessis: vt ex ipso æstuario, hyemalibus pluuijs non nihil temperata salsugine, amaros latices, & lutulentos haurire sitis intoleranda compelleret. omnis deniq; cōmeatus tanta paulatim inopia premi cæpti, regijs equis quos in frusta dissectos sale condierant, quamuis accurata dispensatione consumptis; vt vulgò mures, & putria animalia, pro cibo nautis ac militibus essent: quidā etiam, detracta scrinijs coria, cacabis vtcunq; mollita commanducare niterentur. Inde vagari passim morbi: & squallētia tabe ac macie corpora, miserandum in modū absumi. Sed cùm tot vndiq; instarent mala, nihil tamen æquè Lusitanos vrgebat, ac dispositā in vtroq; castello, de quibus antea demonstrauimus, maiora tormēta: ea cùm à fronte, à latere, à tergo pæne assiduè nostros impeterent; maximo incōmodo captā relinquere stationem, & latebras mutare subinde cogebant. Aduersus eam perniciē Albuquercius aliquid ex Lusitana consuetudine audēdum ratus; E
consilium cepit prima specie temerariū, & anceps; cæterùm exitu paruit, extremis in rebus fortissimos quosq; conatus esse tutissimos. Valido præsidio Idalcanis ambo castella tenebantur. sed tanta barbarorū ab secundis rebus erat negligentia, quod à Lusitanis fame ac lue dira pæne confectis, deditionem in singula momenta exspectarent; vt non vigiliarum ordo, non stationum locus, aut numerus teneretur. Soluti ac securi milites, quasi nihil omnino timendū esset, somno & perpotationibus tēpus terebant. Ea socordia satis cōperta, Albuquercius, acerrimos viros ex vniuersa classe trecentos deligit. hos, & sua sponte ineēsos cupiditate vindictę, & magnis insuper pollicitationibus incitatos, bifariā diuidit, cumque egregijs ducibus noctu diuersos ad vtrumq; castellū dimittit. Profecti silenti agmine, cuncta neglecta & soluta, custodes ante vallū inermes, ac sopitos inueniunt. Cum hisce tā imparatis, ac nihil tale opinantibus, ab Lusitano ex vltima desperatione feroci, multis simul partibus pręliū initū. Indi repētino tumultu attoniti, & ignari quid esset, velut alienata mente passim cæduntur: pauci captis armis resistūt. Sed ijs quoq; momento dissipatis, intra vallū & portas prælium infertur. neq; vltrà sustineri Lusitana vis potuit. in fugam auersi hostes: & memorabili ausu ab obsessis ac circūuentis vna nocte duo castella expugnata: F
machinæq; ac tormenta (q̄ vnā Lusitani adamārant prędā) raptim ad naues auecta. Quo tam insigni facinore ictus Idalcan, veritusq; ne tale quidpiam in suū ipsius caput Lusitani conscisceren; tabernaculū ab vrbe dicitur longius transtulisse. Post hæc, ab hoste, malleoli, & aridi virgultorū fasces oleo resinaq; perfusi, ratibus imponūtur, quos igne concepto in Christianā classem ęsta secundo repentè demitterēt. Ea re per exploratores cognita, Albuquercius anteuertit; vltroq; ipse ad eam inflammandā materiā idoneos viros ad vrbem occultè summisit. subiêre quàm maximè surdo remigio: veruntamen intentioribus iam vigilijs sensit aduentū barbarus: & cū aliquot actuarijs cōfestim occurrit. ibi sæuissimo contracto certamine, cùm hostis multitudine superaret; Antonio Noroniæ crus læuum sagitta tranfigitur, quo ex vulnere paucis diebus exspirauit. Is casus Albuquerciū grauissimè perculit; non domestici tantùm incommodi causa, verùm publici quoque damni, quod eximia spe summæ virtutis adolescētem, ac singularibus animi & corporis præditum ornamētis, Emmanuele approbante, successorem sibi in eo imperio designauerat. Neq; tamen incruentum fuit hostibus prælium: multo plures ex ijs, quā è nostris desiderati. & nisi mors Noroniæ in-

A teruenisset, Lusitani egregiè vicerant. Inde, vitandis vtrinq; insidijs aliquot dies per summas Lusitanorum ęrumnas exacti. iamque magno eorum gaudio ver appetebat: mariq́ue nondũ planè aperto, sæua necessitas, & extrema rerum omniũ inopia, nostros ad profectionem adegit. aliquot nauigia in transitu amissa. reliqua classis cùm deniq; in altum euasisset; ægri, quorum erat ingens multitudo, in Anchediuam insulam deportati; vt ibi desiderato cibo, potuq́ue, & insuper amænitate loci, & cæli clementia sese reficerẽt. Albuquercius Cananorem delatus, instaurandæ instituit classi: dein Calecutanæ opis fiducia, & adempti Cocinensis regni dolore tumultuantẽ denuò Naubeadoræ propinquum; celeriter eò profectus, cæsis aut fugatis Zamorini auxilijs, maturè compescuit, Regemque socium solicitudine liberauit. Per eosdem dies Narsingæ Rex ingenti exercitu comparato, præcipuam Sabaij ditionis vrbem Taracolum aggreditur. Ad eam tuendam Idalcan sine mora profectus; armatorum nouem millia Goę reliquerat; nouis munitionibus, quod mœnium infirmitati diffideret, circa vrbem intẽta cura perductis. Et Albuquercio, de Goa repetenda assiduè cogitanti, quod in ea re dignitas, & existimatio Lusitanici nominis ageretur; noua classis è Lusitania decem nauium cum eximio flore nobilitatis ac iuuẽtutis in tempore superuenit. His auctus copijs, purgato exercitu missione turbulentorum, nauibus
B triginta quattuor, in quibus erant bellatores egregij Lusitani mille quingẽti, & Malabares auxiliares trecenti, magno & erecto animo ad Onorem redijt. ibi cognito rei Goanæ statu ab Timoia, quem propter loci vicinitatem nihil ferme latebat; tres ab illo naues insuper accipit; eumque denuò ad cõducendos mercede milites proficisci iubet. ipse cum ijs quas habebat copijs interea rẽ aggredi statuit. omnino ingentis erat audaciæ, non exspectatis auxilijs, tam exili apparatu vrbem & operibus, & præsidijs adeò munitam inuadere. Sed si vnquam aliâs, tum vtique fortibus cæptis affuit Deus. quando quidẽ tantus è prioris belli memoria terror non oppidanos modò, verũ etiam externos inuasit; vt licet ab omnibus rebus essent paratissimi, tamẽ præ metu vix mente animoque constarent. Duo primũ castella, sub ipsum classis introitum, à custodibus, Lusitanicum horrentibus ferrum, extemplò deserta. Inde Albuquercius, directis in frontem ex vrbe tormentis nequaquã exterritus, descensione facta, multis simul partibus oppidum oppugnat. neque ita magno certamine superatis munitionibus, cùm intra mœnia sese
C Mahometani reciperent; permisti refugientibus Lusitani pariter irruunt: & omnibus vijs armatos iuxta & inermes cædunt. Atrox maximè prælium ad arcem fuit, dum fideles aliquot ex Idalcanis familia, regias ædes pertinaci tuentur pugna. sed ijs demum in vestigio trucidatis, turpem in fugam cęteri omnes effusi: alij ex muris pauidi se se præcipitant; alij ad aquas compulsi vel obtruncantur in littore; vel degrauantibus loricis, vulneribusq́ue mergũtur. maxima pars per agros insula tota dispersi. ita Albuquercius incredibili felicitate rursus vrbe potitur VII. Kal. Decembris, quo die Diuæ Catharinæ sacra natalitia celebrantur. Finito iam prælio, cum tribus peditum millibus Timoia superuenit; serius omnino, si rem confectam spectes; cæterùm ipsius victoriæ celeritas (non plus sex horis pugnatum est) sociũ ab omni vel negligentiæ, vel perfidiæ crimine vindicauit. quod equidem diuinitus crediderim factũ, ne scilicet è Christiana victoria, & singulari Dei beneficio parta, quicquam ethnicus homo sibi decerperet. Dimissi dein circum insulam equites, ad Mahometanos è latebris eruendos, magnã denuò stragem dedêre. Ita, varijs cladibus absumpta septem circiter hostium millia. è Lusitanis, quod credi vix possit, desiderati non amplius quadraginta. Post hæc, Albuquercius ad firmandum Emmanuelis nomine imperium toto pectore incubuit. ac primũ, defectionis auctoribus, exsilio & bonorũ proscri-

ptione damnatis, perfidæ ciuitati ex ipſamet Idalcanis formula vectigal in- D
dixit. dein, ad ſobolem in vſum militiæ propagandam, ſacro fonte expiatas
Indicas puellas cũ Luſitanis in matrimonio collocabat, fou batq; omni ge
nere caritatis: tum aduerſus imminẽtis belli pericula refect celeriter muri
turreſq;, & arx ipſa nouis propugnaculis aucta. In id opus dum idolorũ fa-
na, & ſepulcra ethnicorum, & alia ædificia diruuntur; in domus cuiuſdam
parietinis æneum Crucis, pendente Chriſto, ſimulacrum apparuit: euidenti
planè argumento, in ijs olim regionibus non modò Chriſtianã fidem, ſed
cum ea ſalutarem quoque vſum imaginum (quem recentes iſti ſcilicet pie-
tatis antiquæ aſſertores ac diuinæ voluntatis interpretes funditus extirpa-
re conantur) ex Apoſtolica traditione viguiſſe. magnũ verò Albuquercius,
& boni omnes inde gaudium percepêre, præſagientibus animis, eã vrbem
eccleſiamq; principem Indicæ religionis aliquando futuram. itaque ſignũ
illicò purgatum, nec ſine lacrymis, & cum ſolenni pompa & apparatu, pro
ea quæ tum ſuppetebat copia, exſtructo nuper Chriſtianorum templo illa-
tum à ſacerdotibus: atq; ad Emmanuelem deinde, talium rerum plus mul-
to, quàm auri gemmarumque ſitientem, muneris ampliſſimi loco tranſmiſ-
ſum eſt. Neque huic tantùm ſigno acceptam eam victoriam Luſitani fere-
bant; quod eius ope quodammodo introducti in vrbem fuiſſe viderentur; E
ſed etiam Diui Iacobi Apoſtoli Hiſpaniarũ præſidis euidenti auxilio: quod
amiſſa iterum Goa barbari ſine fine requirerent, quiſnam eſſet egregius ille
dux, punicea cruce, & fulgentibus armis inſignis, qui tantam edidiſſet ſtra-
gem, ac Mahometanas phalãges Chriſtianorum paucitati cedere coegiſſet.
Neque Albuquercius, cœleſtis promeriti ſeſe immemorem oſtendit. ſiqui-
dem, pietatis cauſa, incluſum vermiculati operis auro ſcipionem cum capu
lo ex pyropis & margaritis; & bombycinum petaſum addito aureo gem-
matoque conchilio; itemque pertuſos in linea globos aureos (ea peregri-
nantis olim Apoſtoli inſignia ſunt) in Palmulano Iacobeæ militiæ contu-
bernio (qui locus Oliſiponenſis agri notiſſimus eſt) poni iuſſit. ac deinde mo
riens, Compoſtellano eiuſdem Apoſtoli templo terræ Callaicæ, penſilem
ingentis formæ lychnuchum argenteum cum perpetui luminis alimento
legauit. Circa id tempus, quo hæc in India geſta ſunt, Emmanuel duodecim
fratres Cæruleos (vt appellant) è Luſitania in Congum vnà cum architectis,
& fabris, & ſplendido ſacrorum apparatu, & liberali viatico deſtinauit: vt
nouum templum vero Deo exſtruerent, ornarentque: & erudiendis porrò
ad pietatem incolis, & augendæ per baptiſmum Eccleſiæ ſedulò inſiſterent. F
Princeps eius legationis ex eadẽ familia fuit Ioannes Marianus, inſigni vir-
tute ac pietate vir. Omnes ab Alphonſo Rege ſanctiſſimo perquàm benig-
nè, & honorificè accepti. Eodemque Rege vel in primis adiuuante, per ali-
quot deinceps annos in catholica religione promouenda egregiè operam
poſuêre. Cumque ex facta diuini verbi ſemente aliæ ſubinde atque
aliæ ſegetes ad meſſem inalbeſcerent; ſupplementum in eaſ-
dem regiones ab Emmanuele ſæpius deinde
ſubmiſſum eſt.

Libri quarti Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER QVINTVS.

A RECEPTA vrbe Goa, prouiſiſque ijs, quæ ad inſulam retinendam maximè neceſſaria videbantur; Albuquercium, quippe qui ſpe & magnitudine animi plura in dies & maiora conciperet, variæ ſimul torquebant curæ. Cauendum erat in primis, ne tot vndique circumfuſæ nationes, nimium lætis Chriſtianorum ſucceſſibus, ac tantæ creſcentis in medio molis metu compulſæ, poſitis inteſtinis inimicitijs, contra communem hoſtem arma vireſque coniungerent. Occurrendum Zamorini, & Saracenorum conſilijs artibuſque, intento ſemper animo in perniciem Chriſtiani nominis excubantiũ. Conſulendum præterea Luſitanis ad Socotoram, in agro malè pacato, inter infida ſemper, & effera incolarum ingenia deſtitutis. Pungebat inſuper animum, iniuriæ Malacenſis atrocitas, & popularium ſalus è Sequeriæ comitatu, qui à Mahometanis admodum ſæua cuſtodia tenebantur; erantque nonnulli ex ijs de Albuquercio priuatim optimè meriti. Iam, de Arabico freto obſidendo, ac Mecana, & Aegyptia tollenda nauigatione, haud leuis erat ſolicitudo. ſed ante omnia, ingentis ſpiritus virum, Armuziani belli
B corrupta victoria, & amiſſæ tam opportunę, ac munitę arcis dolor angebat. Cùm hæc igitur, & alia multa vndique inſtarent; in præſentia, contra Calecutanam fraudem, inſidiaſque, Malabaricum littus intentiore cuſtodia, & maioribus copijs placuit obtineri. Porrò ad aliarum gentium vim, & conſilia præcauenda, ac partim conciliandos, partim exterrendos multitudinis animos, Albuquercius, orientalium Regum, aut populorum legatis, qui Goæ bis captæ fama vndique excitì, ad Prætorem, vt fit, ſeu fictè, ſeu ex animo gratulandi cauſa conuenerant: ea grauitate ſimul & moderatione cùm aures, tum reſponſa dedit, haud inepto artificio magnificę cuiuſdam oſtentationis adhibito; vt incertum in omnium exiſtimatione relinqueret, plus ne Luſitanæ iuſtitiæ fideique, an opibus ac maieſtati iure tribuendum putarent. Ad hæc, Iacobo Fernando Pacenſi, quem vulgi ſermone Beianum vocabant, cum nauibus tribus in Socotoram miſſo, arcem ab Acunia conditam, quando ea tanti non eſſet, deducto preſidio diruendam, & ſolo ęquã dam curauit. Reliqua erat deliberatio: è Malacenſi, Armuziana, & Arabica expeditionibus, quam capeſſeret potiſſimùm ac primùm. Ea quoque
C dubitatio exempta recentibus è Luſitania litteris: quibus apertè iubebatur Albuquercius claſſe in Arabiam proficiſci; & Adeni regulum aut voluntate, aut armis ad Emmanuelem adiungere: id ſi minus proceſſiſſet; tum idoneo quopiam loco arcem ædificare; quæ Mahometanis claſſibus omnino tranſitum intercluderet. Igitur, nauibus viginti tribus celeriter inſtructis, & impoſito milite (ij fuêre Luſitani octingenti, ſexcenti Malabares) mare rubrum, ſicut imperatum erat ab Rege, petere intendit. Neque ita multum proceſſerat; cùm ab Occidente, & à Septentrionibus aduerſi præter exſpecta

tionem obſtitêre venti.quibuſcum aliquandiu fruſtra luctatus Albuquer- D
cius,ad extremum,ne cum aperto ſalutis diſcrimine tẽpus & operam perde
ret;de minorũ ducum ſententia,quod ijdẽ flatus in Orientem,ac Meridiem
erant ſecundi,ad vlciſcendum Mamudij ſcelus atque perfidiam, & eripien-
dos è ſeruitute Luſitanos,retrò ad Malacam vela fieri iuſſit.&eodem ferme
quo Sequeria curſu ad Somatram appulit primùm.Inde renouata cum Pe-
direnſi,& Paceno regulis amicitia;dum ad Sincapuranum prouehitur fre-
tum;aliquot barbarorum naues haud leui certamine expugnat. Qua in re
illud vel in primis accidit memorabile. Vehebatur quadam è nauibus ijs
Naodabeguea Malacenſis,vnus ex eorum numero,qui nuper in Sequeriæ
exitium conſpirauerant.is in itinere oppreſſus ab Luſitanis, cùm egregiè
dimicans aliquandiu reſtitiſſet;multis demùm confoſſus ictibus ita corruit;
vt è patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox,inter ſpolian-
dum corpus,vt primùm detracta eius brachio eſt aurea armilla;(mirum di-
ctu)tamquam vaſe confracto,ita ſeſe cum anima vniuerſus repente ſanguis
effudit:cuius rei ſtupore defixi Luſitani, cùm de captiuis cauſam quæſiſ-
ſent;cognouêre incluſum eſſe in armilla os animalis cuiuſdam Sionij (Ca-
bim incolæ appellant) cuius,in ſiſtendo ſanguine virtus efficaciſſima ſit . id E
ipſum os deinde cùm in Luſitaniam deuehendum eſſet, vnà cum pretioſis
alijs rebus naufragio perijt.Atque in hunc modum barbarus ille concepti
in Sequeriam facinoris pœnas acerba perſoluit morte.quo quaſi quodam
totius belli proludio lætus Albuquercius,Malacam rectà contendit.Ad eũ
rumorem Mamudius armatorum copias,& maximam tormentorum vim,
vulgata iam arte,ſummo ſtudio comparauerat,mediocris fere magnitudi-
nis:vnum etiam ingentis habebat formæ, ab Zamorino per eos dies dono
ſibi trãſmiſſum.Verſabatur eodem tempore Malacæ Panenſiũ regulus, cui
Mamudius filiam paulo ante deſponderat : ædificata in vſum nuptiarum
ambulatoria domo perampla, rotis triginta ſubditis,vt in ea elephantis iun
cta,& aulæis ac periſtromatis adornata,cum ſolenni tripudio cantibuſque
comeſſabundi principes tota vrbe veherentur. Albuquercius ad Malacam
anchoris iactis;primùm omnium inſtitoribus & nauarchis variarum natio
nũm,inſolitæ claſſis metu perterritis,&parantibus fugam,circummiſſo na-
uigio metum omnem ademit:ſeſe nullius in damnum iniuriamue, ſed ad
ſuorum ſalutem,qui Malacæ vincti per fraudem tenerentur, eò aduenisſe.
ij ni bona fide ſibi à Mamudio reſtituantur;tum ſuum ius perſecuturum ar- F
mis:neque ſibi eſſe in animo quenquam eodem illigare bello. ſpectatores
duntaxat otioſos alieni periculi ſeſe præberent:ac peracta demùm re,virtu-
ti Luſitanicæ teſtimonium apud ſuos quiſque Reges ex fide tribuerẽt. Hoc
officio ac denuntiatione cõciliati Luſitanis fere omnium animi eò facilius,
quòd præter inſignem inuidiam facinoris in Sequeriam admiſſi,priuatis e-
tiam de cauſis erant infenſi tyranno plerique. Poſtridie Mamudius,ab in-
nata fallacia,per ſpeciem amicitiæ ad Albuquerciũ mittit Bandonium quẽ-
dã è proceribus,ſalutandi cauſa, & ſimul quærendi quas potiſſimum mer-
ces ex eo emporio cuperet:enixè curaturum Mamudiũ,vt Luſitani Regis,
& procuratorum eius præcipuã ab ſe rationem habitam eſſe appareret. Ad
ea Albuquercius;nullas in præſentia merces nominatim expetere ſeſe:cap-
tiuos tantùm,quæque per fraudem ablata Sequeriæ ſint,à Malacenſi repoſ-
cere.vbi ea ſine dolo malo receperit;tum de commercij conditionibus,ſi i-
ta videatur,acturos.Hoc accepto reſponſo tyrannus,quod eo tempore abe-
rat claſſis,in eius aduentum varijs artibus rem differre decreuit, quò ſimul
ab tergo & à fronte,nihil tale ſuſpicantes Luſitanos opprimeret.ita,præteri
ti ſceleris culpam in alios transferendo;captiuos è cuſtodia elapſos cauſan-
do,alijſq; ſuper alia mendacijs de more eludebat. inter hæc, Albuquerciũ,

frau-

A fraudis haud ignarum,anceps cura agitare.nolle impunitam tyranni perfidiam:nolle exacerbatam rursus amentiam:ne,aut ex dilatione ac lenitate hosti fiducia crescceret;aut ex damno ac dolore,barbara immanitas in captiuos innoxios,cariſſima ſibi capita,deſæuiret.ſtat ſententia, præſertim id ipſum captiuis clam per codicillos hortantibus; quoniam expoſtulãdo nihil proficeretur,malitiam ac peruicaciam ferro igniq́ue ſubigere. Nec mora, ducentos fere mittit armatos,qui diuerſis vrbis locis incendium excitent. Eo incendio,nam & ventus,& materia ipſa adiuuabat,tecta oppidi,& negotiatorum apothecæ aliquot momento conſumptæ.cumq́; porrò vagaretur flãma,conſternati ciues,Mamudij opẽ frequentes implorant. ille metu maloq́ue coactus,extemplò captiuos ad Prætoriam ſiſtit incolumes : tarditatẽ purgans;oranſq́ue Albuquercium ignes patiatur extingui;& ſecũ haud iniquis legibus pacem ac ſocietatem inſtituit. Albuquercius ingenti lætitia ſuos recepit,ex quotidiano mortis metu ac miſerrima ſeruitute,in priſtinã dignitatem ac libertatem aſſertos:& in eorum gratiam, ſæuientes flammas ab incolis cohiberi permiſit.dein,quod ad commercium & amicitiam attineret,ita reſpondit:Locum in vrbe confeſtim ſibi Mamudius attribueret
B ad ædes,ac diuerſorium firmo opere aduerſus tempeſtatum,& incolarũ iniurias exſtruendum:cuiuſmodi aliquot iam Rex Emmanuel haberet in India. Ablatas per tumultum Sequeriæ res (ni eæ comparerent) æqua æſtimatione rependeret.æquũ præterea cenſebat,impenſas ab eo præſtari, claſſem in vtramque factas à Luſitanis,quandoquidem illius damni & incommodi penes Mamudium ac ſuos culpa reſideret. Hæ pacis leges ab Albuquercio dictæ:ac,ſi minus placerent, legati vltrà vetiti ad naues redire. Mamudius,tam acri denũtiatione perculſus,conciliũ cogit.ibi, ſimul ira metuq́ue ſententias variante,diu multumq́; certatũ eſt.magna pars,& prudentiſſimus fere quiſque,fauere otio:& palam hortari,ad periculoſi belli aleam quãuis magno auri pondere redimendam.Alij contra, & Regis Mamudij dignitate,& Malacenſis nominis gloria indignum affirmare;ſi ad vnius ignoti aduenæ fremitum,ac tantuli exercitus terrorem,quantus ea claſſe vehi poſſit; per ſpeciem ſocietatis atque commercij,teterrimæ ſeruitutis iugum ſcientes ac volentes accipiant.Huius ſententiæ principes atque auctores erant, præferuido ingenio adoleſcentes regij duo,Panenſis gener, & filius Alodinus.atque horum vel auctoritate, vel gratia res pæne inuito Mamudio ad
C bellum inclinauit:intentioreq́ue inde cura ad arcendam vim omnia apparari à barbaris cæpta.& Albuquercius,cognita re,in diem tertium,qui patrono Hiſpaniarum Iacobo Apoſtolo erat ſacer,oppugnationẽ ſuis edixit.Malaca vrbs,ad maritimas commoditates,littore plano, in longitudinem vnius ferme leucæ porrigitur. Hanc ſecat amnis ex interiore Aſia defluens,in quem plus minuſue,pro varijs Lunę momentis, exæſtuat mare.idemq́; ponte iunctus egregio,vtramque partem oppidi peruiã facit.Tecta, Indico more lignea,folijs & frondibus arcent pluuias. neq; tum vrbem vlli aut muri, aut foſſæ cingebant.populus ipſe bellica laude,vt apud eas gẽtes, inſignis(& erat eo tempore ingẽs multitudo)ſua latera,more Spartano, pro mœnibus ac propugnaculis gloriabatur eſſe.Tantùm Mamudius ad loca maximè periculoſa tumultuarias munitiones raptim obiecerat.& cùm alias vrbis partes aditusq́ue,tum verò pontem ipſum magno tormentorum apparatu,preſidijſq́ue firmarat.Hiſce ita prouiſis,filio,ac genero,vt omnia circunſpicientes ad ſubita occurrerent,expedita armatorum aliquot millia ſub ſignis attribuit.ipſe ſibi cum turritis elephantis,ad hoſtiũ terrorem, ſubſidiarias cohortes, & reliquum robur iuuentutis depoſcit.Vtimutis Raia,licet in ſpecie tyranno ſuam operam,& copias enixè deferret; tamen partim occulto in eum incenſus odio, partim in omnes rerum euentus incolumitati ſuæ

proſpiciens,per fideles internuntios clam ſibi ſuiſque pacem ac veniam à D
Luſitano impetrauit.Albuquercius,non ſine cauſa lætus tanto auxilio in
tempore hoſtibus dempto,ad contemplandam loci naturam,& explorãda
tyranni conſilia totus incubuit.breuique comperit,maximum vrbis firma-
mentum in ipſo ponte conſtare;quod arcis inſtar,in omnes partes aditum,
& proſpectum haberet:eoque ſi potitus foret, non modò opportunam ad
omnia ſtationem ibi collocari poſſe; verùm etiam dirimi barbaris auxilij
mutui ſocietatem,qua,vt quiſque locus maximè premeretur; ex compoſi-
to inter ſe vti decreuerant.Vt igitur Apoſtoli natalis illuxit dies; Luſitani
clamore ſublato Sanctum Iacobum ingeminant: ac volitantibus vndique
globis,cùm pæne obruerentur;tamen talium periculorum aſſuetudine in-
trepidi bipartitò in terram exſcendunt.Quæ pars vrbis,regiam,& Mahome
tanum habebat delubrum,ea cum robuſtis cohortibus Ioanni Limæ expu-
gnanda tribuitur:Albuquercius,frequentiorem alteram vrbis partem ipſe
cum ſuis inuaſit;condicto prius, vt hoſtibus vtrinque ſummotis , illicò ad
pontem omnes accurrerent.eodem ſcaphas aduerſo flumine cum tormen-
tis militibuſque ſubmiſit,vt ſimul omnia circa hoſti infeſta redderent;&ad
noſtros,vbi res id exigeret,recipiendos præſto eſſent.Lima, deſcenſione fa-
cta, dum ad pontem feſtinat,in Alodini copias incidit.vixdum cum ijs ini- E
tum erat certamẽ;cùm à tergo repente Mamudius inſtitit.is turrito ac pha-
lerato cum propugnatoribus aliquot elephanto in prima acie vehebatur;a-
lij duo eodem ornatu præibant:tum reliquum ſequebatur agmen. Noſtri,
ancipiti circumuenti malo,fortem ac præſentem nihilominus animum in
re ſubita præſtitêre. Lima,iuſſis interim cæteris Alodino reſiſtere,ipſe Ma-
mudio cum manu fortiſſimorum iuuenum pleno gradu obuiam vadit. &
arte contra vim vſus,patefacta repente acie,aduerſos elephantos in medi-
um accipit:ac pilis certatim in eorum latera ac terga coniectis, cùm ex pro-
pinquo cuncta inhæſiſſent;conſternatus ante omnes regius elephas recto-
rem excuſſum proculcat. inde conuerſi cæteri curſu præcipiti in ſuos ru-
unt;editaque latè ſtrage,non modò turbant ordines, verùm etiã in fugam
auertunt.Mamudius,periculo animaduerſo, confeſtim è turre deſilijt; ac-
ceptoque iam vulnere,ſuorum concurſu,receptus in tutum eſt.neque alte-
rius agminis impreſſionem Alodinus vltra ſuſtinuit;& ex diuerſo iam Al-
buquercius ingenti certamine pontem occuparat.quò, cùm ex compoſito
cuncti aduolaſſent;partem alteram pontis,materia,dolijſque,& aggere mu F
niunt:alteram cùm peræquè firmare niterentur,venenatis è proximo ſagit-
tis,& aſſiduo barbarorum incurſu prohibiti ſunt.iamque longa inedia, &
laſſitudine ſimul æſtuque fatigati,cùm à prima luce in pomeridianum tẽ-
pus acerrimè depugnaſſent;vix arma ſuſtinebant. Itaque Albuquercius ſat
eo die periclitatus hoſtium vires,neque parum ſe profeciſſe ratus ad vni-
uerſæ victoriæ ſpem;conſilio ſtatim habito, receptui canit.ac ſimul pera-
ctas magno labore munitiones,ne hoſtibus forent vſui,ſuccendi iubet.quo
incendio coniuncta quoque ponti ædificia,& mercatorum aliquot apothe
cæ;& ornatiſſimæ,de quibus antea demonſtrauimus, nuptiales Regũ ædes
arsêre. Magnus Malacenſium numerus eo die deſideratus,& è noſtris inter-
fecti aliquot,cõplures vulnerati ſunt. Regulus Panis,Luſitanica ferocia ex-
territus,& rei Malacenſi diffidens;per cauſam adducendi noua auxilia, re-
licto ſocero & ſponſa,in patriam diſceſſit,neque poſtea redijt. Mamudius,
quamquam aduerſa ictus pugna,tamen omiſſa pacis mentione, vallum, &
ſtationes ad loca idonea duplicat;pontemque præſertim , valido præſidio
firmat.Viam inſuper latam,qua in vrbem intimam,ædeſque regias,ac Ma-
hometis fanum,Luſitano patebat introitus;veneno infectis tribulis occul-
tè conſpergit;actoſq; ſub terram cuniculos, certam in hoſtium perniciem;

ſulphu-

A ſulphureo complet puluere. At Albuquercius, ex eo prælio ingenti fiducia concepta, dies paucos reficiendo milite, & ſaucijs curandis inſumpſit. interea celſioris formæ iuncum, obiectis extrinſecus culcitris atq; cētonibus, ad hoſtiles ictus molliter excipiendos, omni telorum armorumque genere diligenter inſtruebat. id opus vbi abſolutum eſt, eximiæ fortitudinis dux Antonius Abreus cum promptiſſimis Luſitanis impoſitus. & obſeruato nouilunio, cùm pleniſſimus maris æſtus accedit, nequicquam prohibere conantibus barbaris, iuncus ad pontem applicitus eſt. & Albuquercius per media hoſtium iacula cum cæteris copijs in terram egreſſus, viamq; latam, de qua diximus, petens, ad manifeſtū vtiq; ruebat exitium. ſiquidē ad vię caput Mamudius cum exercitu multiplicatis in arcto ordinibus ſtabat; vt cùm primùm ſpatia vię noſtri occupaſſent, cuniculis inijceret ignem; ac diſſiliente ſolo, & erumpentibus vndiq; flammis, gratiſſimum è fædo Chriſtianorum interitu ſpectaculum mente oculiſque perciperet. Sed planè ſingulari Dei benignitate fraudis indicio per cōſcios ad Albuquercium delato, noſtri modica declinatione in hoſtium latus extranſuerſo impetum faciunt. Anceps aliquandiu fuit certamen, dum in anguſtijs conferti ſeſe barbari opponūt; proque aris ac focis & ipſi acerrimè dimicant; & è feneſtris ac tectis pro ſua
B parte adiuuat imbellis multitudo. ſed ad extremum, redintegrato clamore cùm Luſitani gradum acrius intuliſſent, ceſsêre primùm loco barbari; deinprorſus terga vertêre. & eodem impetu fanum, cæſis pulſiſque cuſtodibus, ab Luſitano occupatum eſt. Inde, relictis ad fani tutelā armatis, Albuquercius ab inſequendis hoſtibus metu inſidiarum abſtinuit. cæterùm in primis de ponte ſolicitus, ne tranſitum ſubſidijs Malacenſium daret; eò celeriter aduolat, & deiecto iàm præſidio, expugnatum ab Abreo magna omnium lætitia reperit; expoſitaque ferramenta, & cæterum muniendi apparatum, quem è ſuperiore prælio explorata loci natura per eos dies accuratè prouiderat. itaque collocatis ad vtrumque cornu ſtationibus, veliſque nauium ſupra caput obductis, quæ ſimul leuiora hoſtium iacula, ſagittaſq;, ſimul radios flagrantiſſimi ſolis arcerent; totum eum diem in ponte muniendo conſumpſit. & ex vtraque parte vallum, & cupas inter ſe reuinctas conſtituit ingeſta gleba, tutoq; aditu ad flumen relicto, ac diſpoſitis circa ſcaphis, quæ valli vtriuſque frontes ac latera telis ac tormentis abraderent. ſic ille trāſactus eſt dies. poſtera luce ad hoſtium delendas reliquias, & regiam ipſam oppugnādam Luſitani audacter progreſſi, ædes, præter ſpem, vacuas, & inanes offendunt. Mamudius quippe, deſperatis rebus, noctu collegerat vaſa, & in ſaltus
C vicinos ac nemora ſeſe cum paucis abdiderat. ibi Alodinū, & cæteros belli auctores nequicq̄ exſecratus, paucis diebus mœrorē amiſſæ vrbis extabuit. Alodinus, diuerſo itinere, cùm haud longè ab vrbe munitionibus excitatis, profugos è pugna colligeret, bellumque renouare tentaret; miſſis ab Albuquercio celeriter cohortibus, iterum fuſus, in Bintanum denique inſulam, & eiuſdem nominis oppidum è regione Sincapuræ confugit; perq; vim ac fraudem exacto dynaſta, locum natura tutū, operibus inſuper egregiè munijt. Interim vrbs Malaca, pulſis vndique armatis, militi diripienda permittitur. Ibi quanta vis opum fuerit, vel ex eo cōijci poteſt; quòd, præter ea quæ vel à mercatoribus inter tumultum auecta, vel à militibus per fraudem ſuppreſſa ſunt, ex quinta duntaxat eius quæ apparuit prædæ parte (hæc ad Emmanuelem pertinebat) aureorum nummum ducenta millia in regium fiſcum redacta dicantur. Inde ad conſtituendam, ac firmandam eius vrbis poſſeſſionem ſeſe Albuquercius contulit. negotiatores primùm, qui aut varias in partes metu diffugerant; aut commeare in id emporium verebantur; benignis promiſſis inuitati, & cum fide clementiaque tractati ſunt. ita, veterem frequentiam ac celebritatem id emporium breui recepit. Simul etiam,

è vetu-

è vetuſtis Regum ſepulcris ac monumentis eruto lapide, templum Salutationi Angelicæ ſacrum ex manubijs poſitum; cuius myſterij Albuquercius præcipua quàdam religione tenebatur: & loco opportuno arx ædificata, impoſitumque vrbi pariter & arci fidele præſidium, Rhoterico Patalino præfecto. Portoria inſuper, & vectigalia, & ſcripturæ magiſtri certis legibus inſtituti; ſimul iuri inter Mahometanos dicundo præpoſitus. Vtimutis: inter cæteros autem inquilinos ciueſque, Ninachetus indigena, vir & antea de captiuis Luſitanis, & tum in vrbis expugnatione de Albuquercio ipſo in primis optimè meritus. Ad hæc, Albuquercius de re geſta, victoque Mamudio, Sionis Regem per litteras & interpretes docuit. ille, & factum probauit; & victoriam gratulatus, amicitiam cum Luſitanis inſtituit; & ex eo tempore vltrò citroque legati cum pretioſis muneribus commearunt. atque alijs item ex regnis Luſitanorum fama commoti, oratores ad Albuquercium, ineundę ſocietatis & officij cauſa, conuenêre. Præterea, quod de Banda, Moluciſque inſulis, & earum mira fertilitate, opibuſque ad Albuquercij aures dudũ fama peruenerat, ad eas inſulas cognoſcendas, iungendamque cum incolis amicitiam, egregia fortitudine, ac maritimæ rei ſcientia vir, cuius modò meminimus, Antonius Abreus, cum nauibus tribus, Albuquercij miſſu diſceſſit. Inter hæc Vtimutis, quod ſpreta noſtrorum paucitate, conſilia de tyrãnide occupanda cum hoſtibus agitaret, litteris eius ad Alodinũ deprehenſis, quę manifeſtò viri perfidiam coarguerent, in ipſo illo pegmate, quod nuper ad ferale conuiuium, Sequeriæ, comitibuſq; in littore exſtructum fuerat; recidente in capita auctorum pœna ſcelerati cõſilij, vnà cum Patiaco filio, octogenarius ipſe propalam ſecuri percuſſus eſt, fruſtra nitente vxore ſupplicibus verbis, & ingenti auri pondere, quod aureorum centum millium excederet ſummam, ſuorum capita ſalutemque redimere. Per eoſdem fere mẽſes, quibus hæc ad Malacam agebantur, Idalcan abſentiam Albuquercij ſuam occaſionem ratus, ad Goam recuperandam, Narſingano bello diſtẽtus ipſe, ſtrenuos duces minimè contemnendo cũ exercitu miſerat. ij tranſmiſſo pluribus locis, vt olim, æſtuario, inſulam & agros haud ita magno labore occuparant: cæterùm vrbis ipſius oppugnatio non eundem exitũ habuit. cum clade & ignominia repulſi non ſemel, ad obſidionẽ conſilia verterant. iamque omnes ferme circa aditus barbarorum cuſtodia tenebãtur: & cùm alibi foſſas & aggerem duxerant; tũ verò ad Auſtralia vada, loco in primis idoneo, munitiſſimum caſtellum excitarant; quod à vici nomine ibidẽ poſiti, Beneſtarinum hodieque appellatur. Quibus operibus cincta ciuitas, breui cũ alijs incommodis miſerijſque, tum verò fame vrgeri vſque adeo cæpta eſt, vt Luſitani complures (de numero nominatim affirmare nil auſim, cùm alij ſeptuaginta ipſos, alij non plus vndeuiginti tradant) in hoſtilia caſtra fædè transfugerint; perque ſummam impietatem eiurato Chriſti nomine, Mahometicam ſuperſtitionem induerint. Atque hoc ipſo tempore Ioannes Machiadus memorabile facinus edidiſſe fertur. is exſul è Luſitania, vt ſupra dictum eſt, cùm apud Idalcanem Turcæ habitu mereret, varijs contra finitimos Reges expeditionibus, magnam ſibi & fortitudinis, & prudentiæ pepererat laudẽ: & ſplendidũ militiæ gradum adeptus, in conſiliũ de rebus maximis adhibebatur. Idem, in bellis quæ cum Chriſtianis fierent, egregiam noſtris operam occultè nauabat: quod eò erat illi facilius, quò maior apud barbaros eidem auctoritas erat ac fides. Hunc ergo, perfugarum miſericordia cùm cepiſſet, quod væſano conſilio exiguã huiuſce lucis vſuram æternitati anteferrent; non verbis modò, ſed etiam exemplo factiſq;, ſi quo modo poſſet, eos ad ſanitatem reuocare cõſtituit. Duos ipſe paruulos habebat filios, luſtralibus aquis ab ſemet Chriſtiano ritu expiatos. hoſce primũ, ne deſtituti, Mahometanis poſtmodum ſacris inquinarẽtur, diuini iuris ignarus,

A narus,clam intempeſta nocte præfocat. mox,vbi diluxit, captiuos Luſitanos,& transfugas,per ſpeciem relaxandi animi,longius ab hoſtium caſtris, prope vrbem Goam,ſecretum in locum,ſenſim,vt fit, ſermocinãdo perducit.Ibi ſeſe Chriſtianum apertè profeſſus,ornatuque Turcico abiecto;de cõ tẽptu rerũ humanarũ,de breuitate huius vitæ,de ſempiternis illius alterius æquè præmijs atq; ſupplicijs,incredibili quodã animi ardore diſſeruit: hortatuſque eſt oẽs,vt ſecum in vrbẽ intrarẽt;cum Eccleſia & Chriſtianis in gratiã redirent;ac Diuina freti clemẽtia,corporis incommoda præanimorũ ſalute contẽnerent.Ac ſcelerati quidem deſertores,tam ſalutari oratione vix ad aures admiſſa, retrò vnde venerãt obſtinata mente redière. Machiadus, neque famis,neque atrociſſimorum ſuppliciorum,ſi Goa caperetur, metu deterritus,accepta à noſtris fide, vnà cum captiuis in vrbem introijt. Ea tranſitio,ingentem non modò lætitiam,ſed fiduciam quoque attulit obſeſſis:vulgoque ita interpretabantur,non ſine cauſa, tam aſperis temporibus, tali viro mentem eam diuinitùs datam, vt, ſtipendijs opimis relictis,ex honorata libertate,& commodorum affluentia,ſeſe in arctam adeò cuſtodiã, penuriamque ſpontè conijceret. Neque eos fruſtrata ſpes eſt.quippe miteſcente iam hyeme,varijs è regionibus, atque adeò ex ipſa Luſitania naues cũ
B commeatibus & militibus aduenêre.quarum acceſſu non leuata ſolùm inopia;verùm etiam ita noſtrorum auctæ vires, vt quotidianis eruptionibus vltrò fatigarent hoſtem:propioreſq; iam obſeſſis, quàm obſidentibus eſſent barbari.Et Albuquercius,circumacto iam anno,cõpoſitis Malacæ rebus,ad Sincapurani maris cuſtodiam Fernandum Petreium Andradium, inſigni virtute ac prudentia virum,cum nauibus decẽ reliquit.ipſe de citerioris Indiæ ſtatu anxius,quamquam inuitis Malacenſibus, & propter externos metus omni ſtudio tantũ apud ſe ducem retinere conantibus, cùm cætera claſſe in Malabares curſum intendit. Vt in conſpectũ Paceni Somatræ littoris ventum eſt,noctu fœda tempeſtas oborta,& Albuquercij nauem ſaxis alliſam infregit;& cæteras pænè cum omni turba demerſit.multi mortales hauſti fluctibus;multi varias in terras eiecti.pretioſiſſima quæque è ſpolijs Malacenſibus,& Regum donis amiſſa. Albuquercius per tenebras à nautis magno labore in ſcapham acceptus, cũ ipſe periclitãtem puerum inter manus properè ſuſtuliſſet;collectis reliquijs naufragij Cocinum deuenit.ibiq; magna ſui cum animi voluptate,præter ſpem incolumes repperit eos,qui, vt ſupra dictum eſt,ab Socotora redeuntes,in Cambaicum littus eiecti,atque ad
C Cãbaiæ Regem pro captiuis abducti fuerant. ij, ſecundum Deũ vni maximè Antonio Laurerio Franciſcano ſalutem ac libertatẽ debebant. cũ enim iamdiu in eo ſeruitio degerent,atq; ad eos eximẽdos accederet nemo;Laurerius omniũ conſenſu delectus eſt, qui Goam de redemptione contenderet,ea lege,vt,ſi nihil tranſegiſſet;intra certum diem bona fide rediret. atq; eius reuerſionis quaſi obſidem & pignus ille ſacrum cingulum reliquit Regi: teſtatus, profeſſionis ſuæ ritibus atque inſtitutis,haud minimam ſanctimoniæ partem horrido in illo fune conſiſtere. Vt Goam peruenit; abſente per id tempus Prætore,nihil decidi ſuper tanta re potuit. ita, infecto negotio,protinus,vti receperat,in Cambaiam reuertit. Quæ res tanta admiratione Regẽ affecit purpuratoſq;,vt confeſtim ſine vllo pretio,quin etiã ornatos lautoſque Luſitanos benignè dimiſerint. neque id modò Laurerij virtus & ſanctitas conſecuta eſt;verùm etiam apud illas nationes non parua cum vtilitate egregiam probitatis exiſtimationem,& famam nomini Luſitanico peperit:ſanè quàm egregio documento,non ſolũ ad conſcientię fructum,& officij religionem,ſed etiam ad opes & gloriam, cõſtantia promiſſorum & fide nihil in rebus humanis eſſe præſtantius.Magna Cocini tum erat,nondum condita,quæ nunc eſt,Luſitana ciuitate,rerum hominumque

colluuies.

colluuies. Quippe ſub eodem tecto miſti Chriſtianis Mahometani ethnici D
que nullo diſcrimine degebant viri ac mulieres: multaque paſſim flagitia
& fraudes admittebantur. Huic malo occurrendum ratus Albuquercius,
cum Rege Naubeadora tranſegit, vt certo limite Malabaricam ab Luſitana
commoratione dirimeret. id vbi factum; capitali pœna propoſita, omnes
ſexus vtriuſque mortales, qui à Chriſtiana religione abhorrerent, è finibus
Luſitanis demigrare iuſſi. quæ res non ad purgandas modò noſtrorum æ-
des ac domicilia, ſed etiam ad augendum numerum fidelium valuit: quan
doquidem eo edicto permoti circiter quadringenti, abiecto idolorum cul-
tu, ſe ſe ad Chriſtianam Eccleſiam ſponte aggregarunt. Ab horum com-
plexu Albuquercius Goam ſummo omnium gaudio, quod pro mortuo
putaretur, proceſſit incolumis. Eius aduentu, multo vehemētius vrgeri ho-
ſtes cæpti; & à Luſitanis caſtra ad Beneſtarinum admota. ibi dum miſſilī-
bus ac telis vtrinque certatur; miſſus ab hoſte globus agentem cum Albu-
quercio quendam ex turba ita diſcerpſit; vt Albuquerciū ipſum fœdo cruo-
re conſperſerit. Quo ille tanto ex periculo diuinitus ereptus, globum dein-
de ipſum argenteis bracteis coopertum, vnà cum affabre facto monili ex gē
mis & margaritis, in celeberrimo templo MARIAE Virginis, ad Aquas
Lupias veteris Luſitaniæ, ponendū curauit; reditu inſuper annuo in vſum E
perpetui luminis Hieronymianis eiuſdem tēpli cuſtodibus attributo. Atq;
eo caſu, nihilo ſegnior factus Prætor, nouis operibus, & oppugnationibus
crebris cùm incluſum mœnibus hoſtē in dies magis ac magis premeret; va-
rijs cladibus denique feſſi Rozromacan præfectus, & Turcæ, qui in eo præſi-
dio erant; flexêre ad deditionem animos: pactiq; vt naues, tormenta, ac per-
fugas traderent; cum cæteris rebus incolumes Beneſtarino exceſsêre. Albu-
quercius, recepto caſtello, impoſitiſque militibus, quaſſata, & ſtrata ruinis
accuratè refecit: impios deſertores, amicorū precibus exoratus, viuere qui-
dem paſſus eſt, ſed grauiore multo circunciſione decurtatos, quamquā ſeſe
nuper ipſi ex initijs Mahometicæ ſuperſtitionis affecerant. ſiquidē auribus,
naribuſque, ac dextris abſciſſis, & ſiniſtræ inſuper cuiuſque pollice; per to-
tam vrbem ad puerorum ac plebis ludibrium ignominiosè traduxit: dein,
vt apud Indos, quoad eius fieri poſſet, omnem ſceleris tanti memoriam ob-
rueret; in Luſitaniam eo ipſo anno remiſit. Tum in gratiarum actionem, ob
hoſtes ex inſula pulſos, Chriſtiano ritu ſupplicatio decreta. compoſito ad
pietatem agmine venerabundi Luſitani cum ſacerdotibus, infuliſque, ad
templum Beatæ Virginis adiêre. valetudinarium quoque publicum curan-
dis ægrotis & ſaucijs inſtitutum. Hiſce tam ſecūdis Luſitanorum rebus val-
de commotus Zamorinus, vltrò per viros principes ab Albuquercio pacē F
petere induxit animum: locumque arci ad Calecutum ædificandæ tandem
aliquando aſſignauit. Et Rex Maldiuarum aliquot inſularum, (eæ frequen
tia planè mira non longè ab Cori promontorio in Meridiem diſtant) ob id
ipſum in Emmanuelis ditionem, ac fidem iure ſtipendiario ſua ſponte ſe
contulit. Tum ab alijs quoque Regibus legati cum donis ad Albuquerciū
gratulandi cauſa conuenêre. Quin etiam Idalcan ipſe, miſſis oratoribus, pa-
cem & amicitiam æquis conditionibus impetrauit. Earundem rerum con-
ſtanti fama compulſus Abaſſinorum quoque Aethiopum Rex, cum Emma
nuele denique ſocietatem ac fœdus vehementer expetijt. is tum erat, patre
Nahu defuncto, Dauid admodum adoleſcens, atque ob id ſub tutela degēs
Helenæ auiæ, virili animo & conſilio fœminæ. legati in eam rem fuêre, in-
ſigni probitate ac prudentia vir, Matthæus Armenius, & alius ex Abaſſina
nobilitate primarius. ij, quo arctius iungerent amicitiā, fidei pignus ad Em-
manuelem ferebant ſacroſancti ligni fragmentum eius, in quo ſalus huma-
ni generis olim ingemiſcente rerum natura pependit. Hunc ergo Matthæū
ad ſe

A ad ſe rectà cũ ſocio venientem, vt in Luſitaniã ex India tranſueheretur, Albuquercius cùm cętera benignitate, tum verò propter ſacras quas afferebat reliquias, exquiſitis cæremonijs, & ſacerdotum occurſu gratulabundus accepit; & accuratè commendatum nauarchis, in Europam à Cocino tranſmiſit. Per idem ferè tempus, Emmanuelis hortatu, Alphonſus Congi Rex Henricum filium, ac præcipuos ex eo regno, in Luſitaniam, vbi fermè alti educatique fuerant, atque inde cum honeſtiſſimo comitatu Romam vſq; religionis ergò proficiſci iuſſit. vbi magno totius Eccleſiæ Romanæ gaudio excepti (augebat lætitiam ipſa longinquitas) ſummum in terris Dei Vicarium Chriſtiano ritu ſupplices adorarunt. Sub idem tempus, Malacæ magni & periculoſi motus repentè exſtitêre. Quitirius inquilinus erat pollẽs diuitijs, & rerum nouarum apprimè cupidus. huic, Vtimutis Raiæ vxor, quod maritum filiumque nec prece, nec pretio ſeruare valuiſſet, ex dolore in rabiem verſa, permagna cum dote filiã ea conditione deſponderat, vti ſuorũ vlciſceretur necem; ac perpetuum bellũ cum nomine Luſitano capeſſeret. Ille contracto clam milite, clientum mancipiorumque circumfluẽs turba, paucis diebus ad vrbem caſtra communijt. inde furtim in præſidia Luſita-
B norum incurſando; cædes edere; captiuos abducere; ciuitatem vniuerſam trepidatione ac tumultu cõplere. Cæterùm, haud ita diu impunita illi fuit audacia. Coorti repentè Luſitani caſtra multis ſimul partibus inuadunt; conuulſoque vallo, & ſuperatis munimentis, trepidantem barbarum in lucos magna edita ſtrage compellunt; diſpoſitiſque vigilijs, referta omnibus diuitijs caſtra diripiũt. Eo die captiuus quidam, ignoto nomine, Luſitanus, egregium qua roboris animi, qua fidei Chriſtianæ ſpecimen præbuit. is, libranti peritus, cùm in noſtros obuerſo tormento eiaculari extremi ſupplicij metù propoſito iuberetur; intrepidꝰ abnuit: ac fortiter datis ceruicibus, ex hoſtium ſimul manibus & corporis cuſtodia in cęlum euolauit. At Quitirius, nequaquam ea clade fractus, bellum omni conatu renouabat: & ſtatiuis alibi poſitis; vrbem, & omnia circa, latrocinijs & excurſionibus hãbebat infeſta. Luſitani ad eum inde quoque exturbandum nauibus profecti, dum facta deſcenſione progrediuntur incautius, in inſidias præcipitauêre, & fortiſſimi aliquot viri loco iniquo à barbaris interfecti. Sed ad extremũ nouis ab Goa copijs Malacam aduectis, iterata oppugnatio; & Quitirius nõ exutus modò caſtris, verùm etiam è Malacenſiũ finibus cum ignominia &
C dãno eſt eiectus. & Lacſamana Mamudianę claſſis præfectus, cùm Quitiriũ maritimis copijs adiuuaret, ab Andradio fuſus, & intra Muaris fluminis oſtia fœdè coniectus eſt. Ea depulſa moleſtia, multo grauius diſcrimẽ aliundè Luſitanis inſtabat: quod item ipſum Dei benignitate in perniciẽ hoſtiũ vertit. Iauę ſunt inſulæ duæ (maiorem vnam, alteram minorem appellant) vltrà Somatram in Meridiem ſitę, eadem fermè qua Somatra ſoli vbertate; ſed longè ferocioribus incolarũ ingenijs. Maioris maritimã oram obtinebat Onuzius Saracenus, viris, armisq;, & omni bellico apparatu præpollẽs. is, ingenti claſſe adornata, quam dudum aduerſus Mamudium admirabili ſilentio ac diſſimulatione inchoarat; vt exactum illum è regno cognouit; ipſoſmet qui exegerãt, ex improuiſo adoriri conſtituit. Nauigia leuiora ducebat plurima: maioris verò formæ iuncos circiter ſexaginta, rebus omnibus ad bellũ inſtructos. Non latuit Malacenſes, Onuzij aduentus. & à Luſitanis, nauium nõ plus ſexdecim numero, Chriſti maximè fiducia, obuiam Saraceno eſt itum: contractoque certamine, quod, propter incredibilẽ pertinaciam gentis vtriuſque, biduum tenuit; multo maxima parte nauium amiſſa, deniq; Onuzius Iauam turpi fuga repetijt. ſupra octo millia hoſtiũ, ea pugna, aut ferro, aut igni abſumpta dicuntur; cùm è Luſitanis plurimi quidẽ vulnerati ſint, verũ haud amplius triginta ceciderint. Ita multiplici

paucis menſibus parta victoria, non exiguum militaris gloriæ decus Luſi- D
tani tulêre. Cæterùm, contra vim externam feliciter defenſa res, domeſtico
ſcelere propemodũ perijt. Maxelizius erat quidam, è Bengala oriundus. is,
cum Luſitanæ arcis cuſtodibus ad Malacam, & Alphõſo Perſona præcipuè
regio Quæſtore, per ſummam ſimulationem amoris, & obſeruantiæ, ma-
gnam familiaritatem breui contraxerat. Hunc, Bintani regulus Alodinus,
ad occupandam fraude arcem Luſitanam ingẽtibus promiſſis induxit, mi-
litibus habitu mercatorum occultè ſummiſſis, qui in tanta hominum col-
luuione haud ægrè latebant. Hiſce clam ad loca idonea diſtributis, Maxeli-
zius, per ſpeciem ſalutandi Quæſtoris, vti ſolebat, in arcem admittitur. A
prima ſalutatione, & mutui ſermonis officijs, Perſonæ, tum fortè meridiã di
cauſa cubanti, cùm ſeſe in alterũ auertiſſet latus; repentè Maxelizius ab ter-
go letale vulnus in caput impoſuit. inde ad diſtinendas fores, aduocãdoſq;
ſuos accurrenti, quamquam in extremo ſpiritu Perſona proſiliens, vt erat
maximis & corporis & animi viribus, anteuertit: clauſoq; per vim oſtio, cũ
cuſtodes ad arma excitaſſet, in ipſo munere tuendæ arcis efflauit animam.
Illi barbaros ad murũ ſubeuntes cum cæde magna repellunt; & Maxelizius
intra arcem deprehenſus, cùm ſeſe acriter aliquãdiu defendiſſet; multis ad E
extremum ictibus repetitus occubuit. Ita, ſummo Dei beneficio, & eximia
Quæſtoris virtute, arx, & vrbs retenta; &, quòd ita res poſtularet, Bintani re-
gulo pax, petẽti, poſtmodũ data. Et ex alia parte, Antonius Abreus, & ſocij,
ad Molucas paulo ante ab Albuquercio deſtinati, inter varios caſus atque
pericula, regente Deo, haud exiguum operæpretium fecêre. Ad oppidum
Agacinum Iauæ inſulæ ventũ eſt primùm. Inde leucas ad ſexaginta in Am-
boinum inſulam delati, quæ ad Molucarum ditionẽ pertinet; poſitis vtro-
biq; columnis, ad Bandã eiuſdem ditionis proceſsêre: ex qua, quod princi-
pem teneat locum, vicinæ aliquot inſulæ denominantur. Hæ, totius orbis
terrarũ ſolæ (quod conſtet) ſpontè, lautiores in epulas, & medicamẽta mor-
talium, ex vna eademque arbore, macim, & nucem myriſticã fundunt. Ar-
bor, ad pyri ſimilitudinẽ accedit. fructus, mala perſica quadamtenus imita-
tur. floret quo tempore ibidem aliæ quoq; plantæ, & herbæ varij generis: è
quibus vniuerſis mirificus odor, incomparabilis cuiuſdã ſuauitatis exiſtit.
Vbi defloruit, matureſcens pomũ, paulatim è viridi, tum ceruleas luteaſq;,
tum purpureas & igneas tranſit in maculas, quales in arcu cœleſti cũ volu- F
ptate miramur: atq; eo ipſo tempore pſittaci & aliæ nobis ignotæ aues exi-
miæ pulchritudinis, ad gratiſſimum ſibi paſtum aduolantes, augent oble-
ctationem; cùm folia, & fructus, & alites ipſæ varijs colorũ picturis in certa-
mẽ vſque luxurient. Hac amœnitate cùm reliquas inſulas, tum in primis
Bandam conſpici affirmant: quippe, & maritimũ habet tractum ſylua feli-
ciſſima viridantem; & ex inſula media mõs accliuis attollitur; cuius in ipſo
vertice lucus eodem & frondium veſtitu, & frugum copia, ſatis amplũ pa-
teſcit in campum: atq; inde ſplẽdidi aquarum riui ad ſubiectam planitiem
irrigandam leni murmure defluunt. Inſula tota, ad equinæ ſoleæ ſpeciẽ, à
ſeptentrione in Auſtrum excurrens, tres non amplius leucas in longitudi-
nem, vnam in latitudinẽ obtinet. qua ſinus introrſum recedit, ibi emporiũ
eſt. Gens æneo colore, fuſo capillo, robur in membris, in animis feritatẽ o-
ſtentat. viri mercaturam, fœminæ agriculturã exercent. Nullũ habent Re-
gem. ſuis inſtitutis ac ritibus viuunt: &, vbi conſulto opus eſt, ad ſeniorũ cæ-
tus refertur. In cultu Diuino, illata non ita pridẽ fabuloſa Mahometis do-
gmata vulgò ſectantur. Locus ad inuehẽdas & euehendas merces admodũ
eſt opportunus. Igitur Abreus eò delatus, vti è Malacẽſi victoria oẽs eas na-
tiones Luſitanici nominis fama peruaſerat; haud ita difficili negotio fœd⁹
amicitiæ hoſpitijq; cum incolis fecit: ac lapideum eius rei monumẽtum in
littore

A littore posuit. dein, magna vi frugis pretiosæ coempta, Molucis omissis, Malacam reuertit: atque inde cum Andradio Lusitaniã repetens, vt apertæ Bãdæ nuntium ad Emmanuelem ipse perferret; inani spe delusus, in itinere perijt. Longè diuersum habuit exitũ nauigatio Francisci Serrani ex eiusdem Abrei comitatu. Is, post Bandam relictam, ipso profectionis initio ab socijs fœda tempestate distractus, ad infames & scopulis, & latrocinijs Lucopinas insulas vltrà Bandam, allisa oneraria, saluis corporibus, armisque in terram euasit, fame sitique, ob solitudinem ac siccitatem loci, vnà cum socijs vtique moriturus; ni, quæ res exitio cæteris consueuerat esse, præsentem eis opem diuinitùs attulisset. Prædonum erant in proximo stationes, in eiusmodi casus intenta cura excubantium, vt iectos in littus aduenas improuiso aduẽtu caperent. ij, conspecto Serrani infortunio, ad prædam alacres piratico nauigio vehebantur, quam vulgo caracoram appellant. Non latuit scelus magistros & nautas Malacenses, è Serrani turba. quocirca præmonitus ab ijs, vt sibi consuleret; insidias prope littus occulto loco disponit. prædones in terram egressi, dum naufragos venantur, interim exorti ab tergo Lusitani caracoram inuadunt. qua re animaduersa barbari, metu, ne abducto nauigio,
B in deserta insula destituti perirent; confestim ab latrocinio versi ad obtestationes, culpæ veniam suppliciter petere; ac se, polliceri, si in caracoram accipiãtur; duces nostris ad commodum hospitium haud procul inde futuros. Neque abfuit dictis fides. ijs moderantibus cursum, ad Amboinum rursus delati Lusitani, ab incolis Rucutelli emporij admodum benignè tractantur. Erant Rucutellanis veteres inimicitiæ cum finitima ciuitate Veranula insulæ Batochinæ Muaris: ac tum, inter vtrumque populum exorto certamine, Rucutellani aduenarũ maximè ope superiores fuêre. cuius rei cùm rumor longè lateque manasset; ad Molucarum etiam insularum Tidoris atque Ternatis regulos fama peruenit, quorum alteri Almansori, alteri Boleifi erat nomen. A patrijs ritibus paulo ante ad Mahometicam superstitionem ambo transierant. ac de finibus inter se contendere soliti; cognito Lusitanorum ad Amboinum appulsu, tam inclytæ gentis auxilio contra hostẽ augeri cupidus vterque certatim naues ac præsidium ad inuitandos ac deducendos ad se peregrinos dimittunt. Diligentior in eo officio fuit Boleifes, celeriter instructis in id ipsum nauibus decem, & custodia mille fermè armatorum imposita. à quibus abducto iam ad Ternatem Serrano, Tidorenses ab Rucutello irriti redière. At Serranus cum socijs magno apud Bo-
C leifem in honore habitus; multa de Molucensium natura, commercijs, moribusque per otium cognouit: neque Emmanuelem modò de rebus ijs accuratè per litteras docuit; verùm etiam, commeantibus deinceps eodẽ Lusitanis, non mediocri vel solatio, vel adiumento fuit. Sunt autem, quæ communiter Molucæ vocantur, complures numero, subiectæ Æquatori, & à Borea in Austrum vicenis fermè leucis inter se disiunctæ: quarũ nulla plus leucas sex ambitu colligit. Hisce plurimæ circumfusæ aliæ sunt: verùm ad Occidentem in sexaginta leucas tota fronte prætenditur altera Batochina, Mauricam appellant: ita naturæ muneribus Diuina prouidentia distributis (nempe ad conciliandam per mutuos vsus humanam societatem) vt Molucæ, cùm ingentis pretij frugem caryophyllon vnæ omnium ferant; reliqua pæne cuncta ad victũ & cultum aliunde mutuari cogantur, quarum magnam partẽ ea, quam dixi, Batochina suppeditat. Arbor aũt caryophylli, & stipite, & folijs lauro similis est, flore in primis odorato, qui è viridi in rufum immutatus, vbi obduruerit; caryophyllon Arabibus; at Hispanis, quod capitatus est, clauus appellatur. arbor, è decidentibus caryophyllis citra cultu ram enascitur: annuas fert fruges: quæ tamen propter flagellorum & acrioris decussus iniuriam, non nisi altero quoque leguntur anno. solum

infra,purum eſt:arbore in ſemet omnem attrahente ſuccum: ipſe verò fru- D
ctus,potentiorum præcipuè menſis ac dapibus expetitus; ab inſtitoribus in-
genti lucro & in Aſia,& in Europa diuenditur. Tellus arida eſt, & in modũ
pumicis fiſtuloſa. itaque non modò cadentes è cœlo imbres momẽtò com-
bibit;ſed etiam è montibus manantes abſorbet aquas,antequam directo al-
ueo ad mare perueniant. Eadem aliquot locis cum inſano reboatu ignes e-
ructat. Sed præcipua camino Ternatẽſi nobilitas. Mons in nubes aſſurgit ex-
celſus,& arduus. cuius inferiora,denſis nemoribus veſtiuntur;ſuperiora,ex
incendijs glabra & horrida ſunt. in vertice,crater,hiatu vaſto,in plures cir-
culos circũductos maiores minoribus,ad ſpeciem amphiteatri diſcedit. in-
de,per æquinoctia maximè,certis flantibus vẽtis,cum horriſono fremitu flã
mæ atro miſtæ fumo & fauillis erũpunt,& omnia latè loca cineribus com-
plent. Viſendi annuę ſunt vices: nec niſi per funes, aut ferramenta, quibuſdã
locis aſcenſus eſt. Incolæ etiam ſulphur alicubi optimum legunt. fuſco ipſi
colore,fluxo capillo,ad bellica ſtudia ſtrenui,cætera mirum in modum in-
ertes & pigri. Medulla quarundam arborum victitant: ſagũ vocãtur. ea len-
tè purgata,&,teſtaceis incocta formis, non ſolùm in quotidiana alimenta,
verùm etiam in vſum nautici panis egregiè ſufficit. Et ex eiuſdem plantæ ra- E
mis,artifici manu conciſis, leuandæ ſiti, mirifico ſapore ſimul & ſalubri-
tate candidus liquor exſudat, quem vulgo tuacam appellãt. Ipſas inſu-
las, olim deſertas,&,qua planities eſt, mari merſas fuiſſe; teſtantur conchi-
lia, & arenæ, quæ fodientibus paſſim occurrunt: atque ob id ipſum ab
indigenis incoli negant. Conuenę ſunt è Sinis, Iauis, & aurea Cherſo-
neſo,& alijs regionibus: origine diſpares,& ſono linguæ; cæterùm contu-
macia, ſcelere, perfidiaque ſimillimi. quippe, nec niſi malo coacti rectè fa-
cere norunt; & non ferro ſolùm, & aperta vi, ſed calumnijs, fraudibuſ-
que, & veneno graſſantur. Neque Molucenſium tantùm id ingenium eſt,
cæteræ quoque eius tractus inſulæ eadem infamia fermè laborant. Eæ er-
go,ad quem dixi modum,cùm antea Græcis,ac Latinis prorſus ignotæ fuiſ-
ſent, noſtris hominibus denique patuêre. Dum explorantur, Albuquercius interim, firmato maris imperio,ad interruptam toties Arabicam expe-
ditionem,rurſus animum adiecit. eoque conſilio ad Goę cuſtodiam, præ-
ter Malabarica auxilia, Luſitanos pedites quadringentos,equites octoginta
Petro Maſcarenia prefecto reliquit. Beneſtarini præſidio Rhotericum Pere- F
riam,oræ maritimæ cum ſex biremibus Ioannem Machiadum præpoſuit.
ipſe,viginti nauibus, epibatis Luſitanis mille ſeptingentis, Indis verò circi-
ter mille ab Goa profectus,malacia diu remorante, ad Socotoram aquandi
cauſa primùm;dein Adenum incolumi claſſe traiecit. Vrbs eſt præclara ad
aſpectum,ędificijſq;,& incolis admodum frequens; non ſoli natura(quippe
inuectis omnibus vtitur)ſed loci opportunitate,vt ſupra dictum eſt, in eam
celebritatem adducta. omni ferè ex parte ad pæninſulæ modũ alluitur ma-
ri. qua continenti annectitur,preruptus imminet mons: mœnibus preterea,
& propugnaculis egregiè cincta eſt. attamen Albuquercius,repente iactis in
portu anchoris;magnam trepidationem ciuibus pariter ac peregrinis incuſ
ſit. nautæ, & inſtitores ex onerarijs in vrbẽ extemplò confugere. Amirianus
oppido preerat, Abaſſinus genere, puer olim captus à Saracenis; & à reli-
gione Chriſtiana per fraudem abductus. Is,tentatus ab Albuquercio, non
vulgari ſolertia vir, blandis verbis muneribuſque ſpem deditionis faci-
endo, rem diſtulit,dum è propinquo milites euocaret. ij cùm celeriter con-
ueniſſent; ignarus eius rei Albuquercius, experiundi cauſa in oppidum ad
nauicularios mittit, qui eos metu depoſito ad naues redire iubeat. illi ve-
rò negare ſe redituros, aut capita ſua toties iam expertæ Luſitanorum

crude-

A crudelitati, & auaritiæ permiſſuros. Simul Amirianus per internuntios cum Albuquercio expoſtulat, quod imperium vſurpet in aliena terra; & ſuper tali re cum inquilinis & aduenis potius quàm cum legitimo magiſtratu, penes quem ſumma ſit rerum, ſuo iure ſibi agendum exiſtimet. ad extremum addit, eum non pro amicitia facere, qui tali tempore defenſoribus vrbem nudare conetur. Eo nuntio ſat patefacta Amiriani conſilia. & Albuquercius vim adhibendam ratus, vbi poſtera dies illuxit; vt hoſtem ancipiti diſtineret prælio; partem copiarum in ipſo littore expoſuit; partem ad Iſthmum, quæ à tergo inuaderet, circummiſit. Vtrobique à Saracenis acerrimè repugnatum eſt. & cùm ſcalis diffractis pauci Luſitani, qui iam in muros euaſerant, cæderentur, & frequentes apparerent in oppido armati pedites equiteſque; Albuquercius iactis ad pinnas funibus, per quos noſtri ſeſe demitterent; receptui cani iuſſit: omiſſaque oppugnatione vrbis & natura, & opere, & valido præſidio munitiſſimæ, Mahometanas naues in portu ferme triginta ſuccendit. inde ſublatis anchoris, dum Luianum inuehitur ſinum, cū extremo ſalutis diſcrimine in ſyrtes impactus eſt. Saluti fuit, imploratum Beatæ Virginis auxilium: cui deinde, ad perpetuam beneficij tanti memoriam, in vrbe Goa templum exſtruxit: & inde, Sāctæ MARIAE
B Vada, Luianæ ſyrti nomen impoſitum. Ex eo periculo ereptus, ad Camaranum inſulam intra fauces Erythræas cum vniuerſa claſſe prouehitur. Ad eius famam, incolæ in proxima continentis, metu diffugerant. Locus haud inamœnus eſt. perennibus aquis, & pecorum armentis abundat. ad hæc, ingentes ædificiorum ruinæ, celebrem olim tectis & opibus fuiſſe teſtantur. Albuquercius in explorādis circa regionibus, & maris eius natura noſcenda hyemem poſuit. quo tempore, duo in primis admiranda euenêre. Ad ſolem occidentem, qua Regis Abaſſinorum imperium eſt, purpureæ Crucis in cęlo ſignum præfulgens aliquamdiu apparuit. quo viſo Luſitani omnes venerabundi procubuêre: & Albuquercius, vt erat eximia pietate, ſublatis ad eam manibus, clara voce fuſus in preces: O Crux, inquit, noſtræ redemptionis argumentum, ô ſignum Chriſtianæ victoriæ: ô decorata pretioſiſſimo ſanguine Domini IESV: ô Diuina arbor, cuius vitali fructu, letalis quondam plantæ repenſus eſt fructus: in te, te inquam, ſpes noſtras omnes habemus repoſitas: te profitemur, agnoſcimus, adoramus; ac ſuppliciter petimus, nobis inter tot pericula, terra marique præſidio ſis. Ab ea precatione
C obortæ omnibus lacrymæ: & index fidei ac religionis clamor ad aſtra ſublatus. tum conſono clangore hinc inde tuba concrepuit, & omnia tormēta diſploſa: dein candida nubes conditam Crucem, ſine fine defixis in cœlum oculis Luſitanorum eripuit. Neque Albuquercius prætermiſit, quominus rem ſicuti acciderat, teſtatò conſcriptam, ad Emmanuelem Regem primo quoque tempore mitteret. Per eoſdem dies, vel ex intemperie cœli, vel ex inſalubrium ciborum ſucco atrox morbus naualem turbam inuaſit. vulgò inter luſum, aut quotidiana miniſteria repentè exſpirabant. In ijs, miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit. noctu quippe, infra ſentinam pulſus frequentes exaudiri cœpti. quem ad ſtrepitum cùm arrepta ſcapha vigiles deſcendiſſent; implexum carinæ ſub ipſo gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. ſcilicet pilus cunctis inhorruit. vbi ex pauore collegêre ſeſe, res ad nauarchum delata: nec dubium fuit, quin cadauer tranſlatum in littus humo contegerēt. quo facto, poſtridie ſuper ipſum ſepulcrum rurſus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cūcti cùm apud ſe cauſam exquirerent; Franciſcus denique, incertum ex qua familia, monachus, qui concionatoris munere fungebatur; ſagaci coniectura ſuſpicatus eſt, hominem aliquo interdicti, vel anathematis vinculo conſtrictum, è vita exceſſiſſe. itaque in terram egreſſus, ſanctiſſimi viri Benedicti Abbatis

exemplo, è Pontificia formula conceptis verbis, animum demortui ritè ex- D
piauit: eiq́ue veniam à Deo precatus est. Mirum dictu. ab eo mysterio red-
dita mortuo pax; & vaga ossa tandem in suo tumulo quieuêre. Inde, trans-
acta iam hyeme, Albuquercius retrò ad insulam Mehum reuertit. in ipsis
faucibus sita est: locusq́ue exstruendæ arci commodissimus visus: sed quòd
maiore apparatu indigeret, differri opus placuit. Præcelsa tantùm Crucis
trophæa ibi defixa, quę à quattuor passuum millibus conspici possent: & ab
eadē sacrosancta Cruce nouum insulæ nomen impositū. Ex eo loco profe-
cta classis, cùm iam tēpus reuersionis instaret, aduersa tempestate rursus in
Adeni portum infertur. ibi dies aliquot mutua iaculatione consumpti: &
quæ prima sese dedit occasio, in Orientem Albuquercius iter intendit. ab
Adeno Dium accessit primùm. ibi ab Iazio perhonorificè acceptus, com-
mercij procuratorem consensu reliquit. Ab Dio Ciaulum ventum est; &
exactum à Nizamaluco tributum. Ac nulla admodum memorabili re ge-
sta, Mahometanis tantùm sex nauibus apprimè opulentis, ex itinere captis,
Albuquercius ad Goam denique saluis rebus applicuit. Eodem tempore
Zamorinus, post factam cum Lusitano pacem, emoritur. Regnum excepit
sororis filius Naubeadarinus, qui suopte ingenio nostris enixè fauerat sem- E
per; auctorq́ue auunculo fuerat Lusitanos omni officio demerendi. itaq;
ipso statim initio imperij, non modò pacem firmauit; sed etiam stipendia-
rium se fieri voluit Lusitani Regis, certo vectigali sponte instituto, quod in
singulos annos Emmanueli persolueret. ac simul, arci ad Calecutū exstru-
endæ magna eiusdem voluntate admoti cum machinis fabri. & opus, ad-
hibita diligentia breui surrexit: impositoq́ue præsidio commercium cum
Lusitanis fremente Saraceno renouatum est. Aegrè id passi veteres quoque
socij, Cōcinensis, & Cananorius; veriti ne per eam societatē negotiatio Ca-
lecutum vniuersa trāsiret. quos tamen Albuquercius adijt, & multis ratio-
nibus lenitum vtrumque, operam dedit vt ab studio rerum nouarum auer-
teret. Hoc tam felici statu rerum Orientis, Emmanuel decretis Lusitania
tota supplicationibus, gratias Diuinę Bonitati agēdas diligenter curabat. ac
per id ipsum ferè tempus Iulio II. Pontifici Max. vita functo, Leo X. magna
omnium approbatione successit. huic Pontificatū ineunti, Emmanuel per
legatos non obsequium modò, more maiorum ritè deferēdum, sed etiam
Indicas opes religionis causa libandas existimauit. Princeps legationis fuit
Tristanus Acunia, qui, vt supra demōstratum est, res præclaras in India ges-
serat. Munera fuêre, complures ingentis pretij gemmæ, & Pontificalia ve- F
stimenta cum aræ bene magno frontali, cuncta in varias Christi & Sancto-
rum effigies ex auro primo, & vnionibus, atq; lapillis admirabili splendore
contexta: quorum, qui in eiusmodi rebus intelligunt, simile nihil in Vati-
cano sacrario visum affirmant. Acceſſit è Perside animal, priscis Romano-
rum ludis ac venationibus mirabiliter expetitum, panthera tremendæ per-
nicitatis, magnificè instrati equi clunibus insidens, ad equitis nutū in sylue-
stres feras inuolare iampridem assueta. Cōspiciebatur etiam, cum Indo re-
ctore, militibusq́ue, turritus elephas, aureo strato, cū alia egregiè doctus, tū
verò ad certa symbola principē flexo poplite venerari, & inconditos edere
ad tibiam motus; & haustam proboscide ingentem aquæ vim, repentè in
spectatores effundere. Neque ita multo post, rhinoceros quoque, nō visum
in Italia multis iam seculis animal, Romā deuehebatur; vt cum elephanto
cōmissus (quicum implacabiles gerit inimicitias) veteris magnificētiæ spe-
ctaculum populo Romano repræsentaret. Sed qui ab vltimis terrarum ter-
minis in Europam incolumis venerat; ad Ligusticæ demum oræ scopulos
facto naufragio, cùm impeditus catenis enare nequisset, exoptata plebē vr-
banā oblectatione priuauit. Ea munera cùm ipsa per se, tum verò propter
illu-

A illuſtrẽ eximiæ cuiuſdam pietatis, & obſeruãtiæ ſignificationẽ ſummo Pontifici, & patribus mirè grata accidêre. Inter hæc, annus iam ſe circumegerat: cumque in omnium ore ac ſermone Luſitanica religio, & egregia belli facinora verſarentur; Abaſſini quoque legati ex India in Luſitaniam deuehuntur. ij, quòd contra Albuquerci præſcriptum malè accepti à nauarchis in itinere fuerant; nauarchos illicò Emmanuel in vincla coniecit; nec niſi Matthæi precibus fatigatus abſoluit. ipſis verò legatis, magni honores ab Rege habiti. aduenientibus primùm frequenter obuiam itum eſt; ædeſque magnificæ ad diuerſandum attributæ. dein Petro Vaſæo Igæditano epiſcopo, & Martino Villanouano Comiti negotium datum, vt eos quàm honeſtiſſimo comitatu in regiam vſque deducerent. intromiſſis, Emmanuel è ſolio comiter in amplexum occurrit. poſt ſalutationem, à legatis extractæ ex arundine aurea litteræ, & dona prolata. Ea dona fuêre primùm aurea quinque numiſmata Abaſſinis inſcripta notis, quæ octonos fermè ſcutatos penderent ſingula. dein pyxis auro ſolida, fidelibus clauſtris adſeruans Crucis adorandæ fragmentum, de quo ſupra docuimus, Abaſſinis Regibus è Hieroſolyma ipſa trãſmiſſum. Eam verò pyxidẽ Emmanuel nixus genibus, & præ
B gaudio lacrymabundus accepit, immortales Deo gratias agens, quod è tam remotis ab Europa regionibus, ab Rege tam inclyto, per legatos compellari ſe, beariſque inſuper tam ſalutari ac pretioſo munere voluiſſet. Poſt hæc, Helenæ, ac Dauidis recitatæ per idoneos interpretes litteræ, tum Arabico, tum Perſico ſermone conſcriptæ. quarum erat ſumma: ſi vrgere bello maritimo Saracenos, & cæteros nominis Chriſtiani hoſtes Emmanuel pergeret, terreſtres Abaſſinorum copias, quandoquidem re nauali parum admodũ valerent, & commeatus quantæuis claſſi nõ defuturos: ac Luſitanum hortabantur, glorioſis adeò cẽptis fidẽter inſiſteret: poſtremò, ſi ad hoſpitij vinculum, affinitatis quoque iura vellet adiungere; filiorum nuptias ac filiarũ cum regijs dotibus offerebant. Ad ea, pari benignitate ab Emmanuele reſponſum eſt: ac multa deinde ex legatis de Abaſſinorum ingenio, inſtitutis, ac ritibus quæſita per otium. quæ à pluribus poſtea fusè ac diſertè perſcripta, inculcari à nobis hoc loco neceſſe non eſt. Dum in Europa Emmanuel Rex legatis mittendis accipiendiſque dat operam; interim in vlteriore India ab Luſitanis non Malacenſe modò ſtabilitum imperium; ſed ſocijs quoque Regibus latum opportunè ſubſidium eſt. Rhotericus Patalinus (v-
C ti ſupra docuimus) præfectus erat Malacæ. in eius locum è Cocino cum nauibus aliquot miſſus Georgius Albuquercius, cùm ad Somatram deueniſſet; domeſtico implicitum bello Regem Pacenum offendit. Factioſus quidam è popularibus coacta manu erat in armis: atque is quò maiorem ciebat tumultum; eò lætior fuit Regi noſtrorum aduentus; eiſque dubijs in rebus non inanem fiduciam præbuit. ſiquidem poſt minuta aliquot prælia cùm ad ſummam vniuerſi certaminis ventum eſſet; Georgius cum ſuis primam ſibi depopoſcit aciem. Neq; commiſſa pugna ſubſidijs opus fuit. ſtudio laudis incenſi Luſitani tanto ardore ſe in hoſtem intulêre, vt primo impetu pulſos loco rebelles, magna cæde, maiore cum trepidatione in fugam auerterint. Quo facto, Georgius, & amicum Regem præſenti periculo ereptum, arctius Emmanueli deuinxit; & ipſe nouo decore genti Luſitanæ parto, victor Malacam proceſſit. in ea vrbe, Prætorio munere aduerſa fama fungebatur is de quo demonſtratum eſt, Ninachetus indigena: multis magniſque in Luſitanos officijs eum gradum ab Albuquercio Imperatore promeritus. Eundem fortè honorem, acceptus nuper in fidem Abdala quoque dynaſta Camparis adamarat: præclarum ſibi ad celebritatem nominis ratus, in Malacenſi emporio tot tamq; varijs nationibus è ſuperiore loco ius dicere. huic Albuquercius gratificari cũ admodũ cuperet; eã tamen

diſtulerat rem, verecundia prohibitus coram ſuper tali negotio Ninachetũ D
alloqui; tamq́ue veteri amico (quamquam alioquin improbo viro, perq́ue
veneficia ac ſcelera Præturam exercẽti) repente magiſtratum abrogare. Sed
quod præſens nõ erat auſus, abſens poſtmodũ non omiſit. Proficiſcenti Ma-
lacam Georgio, in cæteris mandatis illud etiam dedit, Prætori Ninacheto
Abdalã ſine mora ſufficeret; perductumq́ue Malacam, in eo tribunali quã
honeſtiſſimè collocaret. Ille, q̃ difficili ac periculoſo loco Camparana res
eſſet, ignarus, Georgium Botelliũ cum nauibus non amplius tribus, inſcio
Ninacheto, ad Abdalã aduehendum proficiſci iubet. Cæterũ Linguæ Rex,
qui Regis Bintani filiam habebat in matrimonio, tum maximè terra mari-
q́ue circunſeſſum Abdalã premebat. id vbi Luſitanis nauarchis in itinere
cognitum eſt; confeſtim à Malaca ſubſidium per litteras & nuntios euocãt.
Miſſi à præfecto Luſitani bellatores egregij centum, Malacenſes ferme ſep-
tingenti. Cum ijs copijs Botellius initio, Camparani ęſtuari; fauces audacter
inuectus; mox retrò flexit iter, propterea quod æſtuarium ad inſtar fluminis
longum & anguſtũ, depreſſo alueo, marginatis vtrinq; ripis, non ſine cauſa
metum afferebat, ne prætereuntes noſtros barbari ex tuto ſupernè iaculis
ac telis obruerent. igitur eo periculo animaduerſo, portus aditum cuſtodi- E
re, & mare commeatibus infeſtum reddere ſtatuit; vt hoſtem vel extra mu-
nitiones eliceret ad pugnam, vel victoria pæne iam parta inuitum ex obſi-
dione detraheret. Neque inanis fuit coniectura. Linguanus, cognito noſtro
rum conſilio, quod multitudine militum abundaret, in apertum prouehi, ac ſeſe ad prælium offerre decreuit. ergo relictis ad opera ſtationibus, ip-
ſe cum ſex armatorum millibus; actuarijs octoginta, quas vocant Lãciaras,
in Luſitanos mouit æſtu ſecundo. Claſſem præibat ipſe cum naui maioris
formæ, craſſioribus munita pluteis, & machinis varij generis; ac, præter na-
ualem turbam, propugnatoribus ferme ducẽtis. in eam conſpectã Botellius
hortatus ad pugnam ſuos, extemplò vim iaculorum tormẽtis emiſit, adeò
peritè libratis, vt remiges ad tranſtra complures vno ictu diſcerpſerint. quo
metu perterriti, qui in eo latere curabant nautæ; partim in mare ſeſe præci-
pitant, partim infra ſalmos occulto loco ſe condunt. ita, miniſterio deſti-
tuta nauis, in obliquum intorta vorticibus, adeò tenaciter ad vtramque
fluminis ripam inhæſit, vt neque ipſa moueri poſſet loco, & pone ſequen-
tibus reliquis tranſitum intercluderet. Tum, ex propinquo initum certa-
men; & Botellius cum ſuis in regiam nauem egregio conatu tranſcendit. F
Aequis viribus aliquandiu dimicatum eſt, dum Regem ſatellites obnixè
tuentur. Sed vbi cæteri Luſitani ipſo tormentorum ſtrepitu exciti ſuperue-
nêre; tum demum percuſſi nouo terrore barbari; & Rex metu ne opprime-
retur, è naui deſilijt; perq́ue auia & lutulenta cum paucis diu errabundus
denique in tutum euaſit. at Luſitani regia naue expugnata, in cæteras gra-
dum illicò faciunt. eæ cùm obſtructo, vt diximus, exitu clauſæ tenerentur,
& in anguſtijs confertæ atque implexæ remis, atque armamentis, neque ex-
plicare ſe poſſent, & contra vim æſtus reciprocantis fruſtra niterentur; na-
ualis turba, tentato vix prælio, ſequuta Regis exemplum, qua cuique licuit,
ſe in terram eiecit. ita, multis primo impetu cæſis, vacua pæne claſſe, Lu-
ſitanus potitur. Et Abdala, præter ſpem obſidione exemptus, Malacam
ouantibus Luſitanis ingenti pompa defertur. Ibi iuſſus Ninachetus magi-
ſtratu ſe abdicare; non tulit ignominiam, veri honoris, & ſolidæ virtutis
ignarus. confeſtim ex aloe, & ſandalis odoratis exſtructo rogo, quadra-
tum iuxta ſuggeſtum nobilibus aulæis & alia pretioſa veſte conſtrauit. ex
eo ſuggeſto, aurea ipſe toga gemmiſq́ue præfulgens, ad circunfuſam con-
cionem de rebus ab ſe geſtis, totoq́ue vitæ ſuæ curſu differuit: expoſi-
tiſq́ue beneficijs, quæ in captiuos primùm Luſitanos, tum in Albuquer-

cium ip-

A cium ipſum difficillimo tempore contuliſſet, nullo ſuo delicto ſpoliari ſe dignitate, dolenter admodum, & acerbè conquerebatur. Tum Luſitana ingenia deteſtatus (adeò funeſtas humano pectori ſubdit faces ambitio) è pulpito ſe ſe in ardentem pyram furibundus iniecit: mortemque paulo poſt ſponte affuturam, deuexa iam ætate vir antecapere, quàm vel ad exiguum tempus, minus inter ſuos honoratus conſpici maluit. Verùm, ne Abdalæ quidem diuturna felicitas fuit. Iniquorum criminationibus in ſuſpicionem vocatus, quaſi de vrbe Alodino prodenda clam ageret, per ſpeciem conſultandi, in arcem, Georgij præfecti iuſſu deducitur. ibi, nihil minus metuenti, diuinamque & humanam imploranti fidem, catenæ ſubitò iectæ. ac ne ex ipſis quidem vinculis facta dicendæ cauſæ poteſtate, paulo poſt in foro palam iugulatus eſt: quæ res propter ſpectaram viri æquitatem, & amabiles mores, magnam apud eas nationes Luſitanico nomini conflauit inuidiam. Inde minus iam multi Malacam inſtitores adire: nec regia modò vectigalia in dies minui; ſed etiam ciuitas annonæ caritate primùm, tum etiam inopia laborare. Ob id à præfecto ad reconciliandas circa nationes miſſus Botellius, notæ probitatis ac prudentiæ vir,
B ciuitates ac regulos adeundo, virtute ac lenitate paucis diebus Malacam intermiſſa commercia reuocauit. In ea legatione cùm ad Siacanum dynaſtam Alodini vectigalem veniſſet, vltimũ pæne ſalutis periculum adijt. Siquidem Alodinus pacis immemor poſt Maxelizij cædem factæ, Siacano cùm alia, tum filiæ nuptias offerebat; modò Botellium ſibi viuum, aut mortuum traderet. proceſſiſſetque haud dubiè fraus; ni Botellius, incolæ monitu, quem captum libertate donarat, maturè inſidias præcauiſſet. Ea exſpectatione deluſus Alodinus, lanciaras ferme ſex & triginta ad eum inſequendum protinus miſit. Eæ in Luſitanicos lembos nouem cùm incidiſſent; quibus Franciſcus Mellus præerat, atrox diu prælium, & incerta victoria fuit, dum hoſtes multitudine maximè freti noſtros circũuenire nituntur. Sed ad extremum, acrius inſtante, atque ad omnes occurrente impetus Luſitano, impares viribus ac dimicandi peritia barbari, magno ſuorum amiſſo numero, terga vertêre. Neque noſtris incruenta victoria fuit: è ſocijs multi, è Luſitanis triginta quinque deſiderati. Huius pugnæ fama tranquilliores in vlteriore India fecit res: & Botellius, annona leuata, rebuſque animi ſententia confectis, auro pretioſiſque alijs onuſtus mercibus, Mala-
C cam reuertit. Neque ſegnius interim ad Goam Luſitana res ab Albuquercio Prętore adminiſtrabatur. Intentus omni cura conſtituendo & propagãdo Emmanuelis imperio, nullam eius rei occaſionem elabi ſinebat è manibus. Ante omnia, captus opportunitate Dienſis emporij, legatos ad Mamudium Cambaiæ Regem cum donis miſit, vt munitum de more diuerſoriũ Luſitanis, negotiandi cauſa, in eadem inſula certis legibus exſtruere ſibi liceret. Neque abhorrebat à conditionibus Rex, commercij ſpe illectus adeò fructuoſi. Cæterùm Iazij, qui nihil minus, quàm Luſitanos accolas cuperet, opibus artibuſque diſcuſſa tota res eſt. Cum Idalcane præterea, & Narſingano Rege confirmata per mutuos nuntios amicitia, actumque de communibus commodis. Verùm nihil tenacius in Albuquercij mẽte, quã Armuziæ rei cura inſidebat. cuius tum regni ſtatus erat eiuſmodi. Poſt Albuquercij diſceſſum, & arcem ſcelere nauarchorum amiſſam, ingens rerum perturbatio erat Armuziæ conſecuta. Primùm, Atar eunuchus grandi iam ætate, deceſſerat. Dein, Zeifadinum ſuſceptis iam liberis regni potentem, Nordinus vrbis præfectus per Abaſſina mancipia veneno ſuſtulerat: inque eius locum, præteritis filijs, ſuffecerat Zeifadini fratrem, nomine Torum. hunc, multis ante officijs, ac tum recenti beneficio ſibi deuinctum, quò inſuper magis haberet in poteſtate, fidis priuatim ſibi miniſtris,

ac ſatel-

ac ſatellitibus cinxerat. Et ijs, tres germani fratres, Mudofar, Hales, Hame- D
des, quod Nordinum arcto affinitatis gradu contingerent, præcipuum di-
gnitatis, & gratiæ locum obtinebant: ſed ante omnes longè eminebat is,
quem è fratribus tertium poſui, Hamedes: vir & manu promptus, & li-
bidine dominandi, & ſolertia in rebus gerendis, Atari eunucho perſimilis.
Is callidè conciliando ſibi militum animos, & obnoxios ſibi ſenſim in vr-
bem introducendo, & grauiſſima quæque in ſe vnum trahendo munia,
paulatim eò potentiæ viriumque peruenerat, regnum vt omne ſuo arbitra-
tu ageret verſaretque. Quocirca & Nordinus iacere, & præ illo pæne ci-
uilis ac modeſtus videri; & gemebundus Torus nuſquam eodem inui-
to commouere ſeſe, nedum maioris momenti quippiam aggredi. Iam
verò, quod ad Emmanuelem Regem pertinebat; Luſitanis quidem duci-
bus illac iter habentibus patebat hoſpitium; & Emmanueli annuum ſtipen-
dium ex Albuquercij formula pendebatur: veruntamen ea erat conditio
rerum, vt Hamedes nullo frænatus præſidio, vbi vellet, ab Luſitano Re-
gem regnumque poſſet abducere: & Emmanuel, per fraudem arce deie-
ctus, precariam quodammodo eius inſulæ ditionem habere videretur.
Hiſce rebus probè compertis, Albuquercius, Torum teterrimo ſeruitio do-
meſticorum eximere, & in fide ac patrocinio Emmanuelis omnino ſtabili- E
re decreuit. Ea res quod in primis egebat ſilentio, ne ſe Hamedes ad obſi-
ſtendum inſtrueret; per ſpeciem Adeni repetendi, magnis nauibus duabus
& viginti, & minorum nauigiorum ingenti numero comparato, circa ini-
tium inſequentis anni Goa profectus; in medio itinere curſum ab Arabia
repente in Perſicum ſinum auertit. Armuziam vt eſt ventum, nauigijs
confeſtim circundat inſulam, ne quid aliunde ſubſidij, vel commeatus eò
ſubuehi poſſet. dein miſſis vltrò citroque nuntijs, de nouis amicitiæ legi-
bus agi cæptum. Summa poſtulatorum Albuquercij erat; præter ſtipen-
dium Emmanueli bona fide ſoluendum, vt arx, ac diuerſorium Luſitanis
ad vrbem daretur negotiandi cauſa. Neque Torus abnuebat; ceſſit quin
etiam arce protinus: cæterùm, quò minus reliqua explicarentur, maximè
obſtabat Hamedes, continuandæ ſcilicet dominationis auidus; &, ſi alteri
cedendum foret, in Iſmaelem Perſam, quàm in Luſitanum Regem longè
propenſior. Ea incenſum cupiditate, cùm ad ſaniora conſilia reuocandi
nulla eſſet ſpes; molientem inſuper inſidias, Albuquercius immiſſis per
occaſionem percuſſoribus, anteuertit è medio tollere. Hamede interem-
pto, cætera expedita fuêre; ac facile deinde omnibus de rebus communi con- F
ſenſu tranſactum eſt: & in arcem abſoluendam cùm Albuquercius dili-
genter incubuit, tum ipſe quoque Torus materiam, & alia neceſſaria lar-
gè ſubminiſtrauit. Dein tormenta omnia, quæ ad rebellandum animos
facere poſſent, Armuzianis adempta. & Luſitani regni ſtemmata, & vex-
illa in turribus cum ingenti clamore & plauſu publicè poſita. Viri fermè
triginta è ſtirpe regia, ob regni æmulationem, à tyrannis candenti ferro oc-
cæcati, regio ſumptu in vrbe alebantur. Hos quoque, Albuquercius, ne
quid eorum cauſa tumultus exiſteret; Goam amandauit, dato Quæſto-
ribus, & præfectis negotio, vt cuncta eis ad victum, cultumque liberaliter
Emmanuelis impenſa præberentur. Inter hæc, Iſmael, non modò ſibi de
Armuziano ſtipendio bellum cum Emmanuele ſuſcipiendum non exiſti-
mauit; ſed etiam admiratione captus rerum, quas à Luſitanis perexigua ma
nu geſtas, conſentiens fama toto pæne terrarum orbe vulgauerat, legatum
iungendi fœderis ac ſocietatis, ad Albuquercium deſtinauit. is verò in gra-
tiam tanti Regis ingenti apparatu ab Albuquercio exceptus. Miſſi ad eum
deducendum, è Luſitana iuuentute præcipui. Pompæ autem ratio fuit
eiuſmodi. Præibant in equis, cum venaticis pantheris, Perſæ rectores duo:

tum

A tùm equi cataphracti ſex nullo ſeſſore ſequebantur: dein equites, in argenteis ferculis regalia dona, veſtem magnificam varij generis, itemque natiuas & factitias primæ notæ gemmas, cum tibiarum ac tympanorum hilari pulſu geſtabant. Poſtremò legatus ipſe cum ſuo comitatu, Luſitaniſque incedebat. is in ornatiſſimum ſolium, adſtante procerum corona, ab Albuquercio perhonorificè acceptus; cum muneribus litteras ad Emmanuelem, & ad Albuquercium reddidit: expoſitiſque mandatis, omni genere comitatis honoriſque tractatus eſt. Ac demum redeunti, viciſſim legatus ad Iſmaelem adiunctus Fernandus Lemius: & miſſa pariter dona: affabrefactæ loricæ duæ cum galea inaurata, ac thorace quàm optimo: armillæ aureæ quattuor: & nobiles pyropi complures: itemque alia pretioſa ex auro gemmiſque monilia: necnon è ſingulis Indicorum aromatum generibus aliquantum. Acceſsêre, optatiſſimum Iſmaeli munus, aliquot variæ magnitudinis ænea tormenta cum Luſitanis balliſtis, æreque Cyprio, & ſtanno, ac poſtea magiſtri quoque eius fabricæ cum peritis libratoribus miſſi, vt quoniam ab Turca nouæ illius terrore procellæ nuper acie victus fuiſſet; ea quoque virium parte communi hoſti eſſet par. Dimiſſa
B legatione, & rebus ad Armuziam ordinatis, Albuquercius Torum hortatus eſt, vt Emmanuelis amicitiam cum fide coleret; certiſſimumque in eius maieſtate præſidium ſuis fortunis repoſitum exiſtimaret. Inde Goam claſſe renauigans, cùm iam ſexageſimum tertium annum ætatis ageret, fluente ſenſim aluo conſumptus, ægrè ad Goani portus fauces animam traxit. ibi, cùm ſeſe è lectulo mouere non poſſet; in ipſa naui per confeſſionem elutis animi ſordibus, & ſacro ad ſupremam luctam oleo inunctus; Chriſtum, cuius Cruci affixi in ſinu fouebat effigiem, ſuauiter alloquens, inter carorum manus & lacrymas exſpirauit, prorſus inuicti ad laborem ac patientiam æquè corporis animique vir: & cum quolibet ſuæ ætatis ducum, vel naualis rei ſcientia, vel expediti conſilij magnitudine comparandus. Facinora duo apprimè glorioſa vaſto dudum agitabat animo. alterum, vt Nili fluenta, nouo & ſpatij longè breuioris alueo, Abaſſinis adiuuantibus, in Arabicum ſinum auerteret, ac totam Aegyptum Turcis redderet prorſus infructuoſam. alterum, vt ab Armuzia vectos hippaginibus equites velociſſimos ad trecentos, in intimum repente littus eiuſdem Arabici ſinus
C exponeret: qui, ante quàm è vicinis regionibus concurſus fieri poſſet; Mecam non amplius ſeptendecim Leucarum interuallo aduolarent; & ex inclyto apud eas gentes fano, abominanda Mahometis oſſa raptim auferent: ſcilicet in perpetuam teterrimi impoſtoris & hæreſiarchæ ignominiam Chriſtiano ritu publicè concremanda. Talia meditanti, iniquorum obtrectatio primùm, dein mors interuenit, vt ſeni matura, ſic rei Chriſtianæ atque omnibus bonis acerba. Elatus eſt quàm ampliſſimo funere, & comploratione tanta; vt ſacerdotum Chriſtiano ritu pſallentium voces nequaquam exaudirentur. Conditus eſt in ædicula MARIAE Virginis, quam Goa capta, vt ſupra dictum eſt, ipſe conſtruxerat: ac deinde Alphonſus filius (qui Oliſipone hæc ibidem ſcribentibus nobis octogenarius agebat animam) ſuis impenſis auxit, ornauitque. Oræ Indicæ imperium, quæque illo imperio continentur, Albuquercius decedens pacata Emmanueli reliquit; & bellicam rem (vt ijs locis ac moribus) egregiè conſtitutam. Paulo ante ipſius obitum, è Luſitania cum nauibus decem Cocinum appulerat Lupus Soarius prætor ab Emmanuele deſignatus. is cùm inijſſet magiſtratum; anno qui Albuquercij mortem eſt inſequutus, renouata cum finitimis Regibus amicitia, Fernandum Petreium Andradium cum nauibus octo miſit in Sinas, ad inſtituendum cum ea natione commercium, & regiones è proximo cognoſcendas.

Vnà

Vnà profectus etiam Thomas Petreius, Emmanuelis nomine, cum donis D
ac litteris legatus ad Regem Sinarum: quorum nobis mentio quando nec
ſemel facta eſt iam; & ſæpius, vt videtur, in poſterum incedit; aliqua hoc lo-
co de gentis natura, moribus, opibuſq; poſuiſſe, non incommodum fuerit.

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER SEXTVS.

SINARVM regio, quam hodie Cinam vulgus appellat, vltima terrarum Aſiæ, ab Oriente, & à Meridie, alluitur Oceano, quem Sericum, vel Eoum priſci dixêre: ab Occidente Indiam vlteriorem attingit: à Septentrione, cingitur Maſſagetarum, Scytharumque limitibus. Multo latius quondam imperaſſe gentem, annales ipſorum, ac litteræ, & veterum E
dificiorum illuſtria monumenta, & complures, in India præſertim, ab ijs denominatæ nationes, haud obſcurè teſtantur. Sed cùm ſua ipſi mole viribuſque fatigarentur (quod à Carthaginienſibus in re ſimili factum legimus) ſponte, miſſo veluti ſanguine, & caſtigata luxuria, intra hoſce fines recepêre ſe ſe; graui propoſito edicto, ne quis iniuſſu magiſtratuum excederet. Regna, ſeu prouincias vaſtæ magnitudinis, numerant quindecim cum ſua cuiuſque metropoli: ad mare ſex, mediterranea reliqua. Tellus, quod maxima ex parte intra temperatæ plagæ terminos continetur; radioſque Solis, ſuapte natura vitales puro ac patenti excipit ſinu; ſic fit, vt ſaluberrimo cælo, & purioris auræ dulcedine perfruatur; ac ſimul inclytæ fertilitatis gleba, frugum omnis generis fundat copiam bifero triferoque prouentu. Accedit ad eximiam ſoli fœcunditatem, ſumma cultorum induſtria. Et infinita eſt multitudo, quippe ſuboleſcente in dies prole, & in alienas regiones migrationibus interdictis. Neque in tanta mortalium turba ceſſare cuipiam licet. non priuato dedecore tantùm, & proximi cuiuſque probris ac iurgijs; verùm etiam publicis moribus legibuſque deſidia plectitur. Itaque ruſtici F
homines nullam agri partem incuria ſqualere patiuntur. Saltus & colles; pinu vitibuſque: campi & planities; oryza, hordeo, frumento, cæteriſque ſegetibus nitent. quamquam è vitibus more noſtro non exprimunt merum. vuas quodam condimenti genere in hyemem adſeruare mos eſt. cæterùm ex herba quadam expreſſus liquor admodum ſalutaris, nomine Chia, calidus hauritur, vt apud Iaponios: cuius maximè beneficio, pituitam, grauedinẽ, lippitudinem neſciunt; vitamque bene longam, ſine vllo fermè languore traducunt. oleis alicubi carẽt: ſed earum vice non deſunt plantę, quæ humorem vnctui præbeant. Paſcua ſunt etiam gregibus alendis vberrima; & in hortis egregiè cultis cùm alia noſtri orbis poma; tum ſapidiſſimos melopepones, ſuauiſſima & optima pruna ficuſq;, & medica citreaq; variæ formæ ac ſaporis, apprimè generoſa mala conſpicias. Ad hæc, perſpicui fontes, & miro colorum decore odorumque fragrantia flores ac roſæ perennant. flumina verò, quę magnas quoq; patiantur naues, piſcoſa & amęna, viridiſſimo riparum veſtitu, pinguibus aruis interfluũt. Quin, & ora maritima pluribus introrſum ęſtuarijs ad omnium rerum copiam inuehendam euehendamque, facili patet acceſſu. Ingentem præterea volucrum & ferarum vim,

ad au-

A ad aucupium ac venatum, paludes, luci, ſaltuſque ſuppeditant. Metalla auri, & argenti, & ferri probatiſſimi, & alia, incolæ effodiũt. Margaritas, & præcipuæ nobilitatis vaſa fictilia, quæ vulgo porcellana dicuntur; pretioſas pelles ad frigus arcendum; itemque goſſipij, lini, lanæ, bombyciſque, & ſerici fila, veſtemque omnis generis mittunt innumerabilem. Saccari, & mellis, rhabarbari, cafurę, minij, glaſtique tingendis veſtibus expetiti, prouentus ingens: odoramentis cùm alijs abundant; tum præcipuè moſco (cuius nullam apud Latinos Græcoſue ſcriptores mentionem inuenio) è feris quibuſdam, vulpecularum effigie, crebro verbere enectis, dein putrefactis. Denique, nihil aliunde, non ad victum modò cultumque; ſed ne ad delicias quidem ac voluptates requirunt. ac proindè nulla ſub Sole gens eſt, apud quam aliarum gentium opes æquè conſiſtãt. quippe vendentibus cuncta Sinis, nihil inuicem redimentibus, niſi fortè in vſum tectorij cuiuſdam odorati, piper ex India. Neq; erat externo commercio locus; ni Sinam infinita quædam teneret argenti cupiditas. id præferunt auro; & cùm indidem effoſſum, tum è remotis regionibus illatum, auidiſſimè accumulant. Iam de ædificijs, priuatiſq; ac publicis operibus explicare, infinitum ſit. Vrbes præ-

B cipuæ magnitudinis celebrant fermè ducentas: inferioris autem ordinis, longè plurimas. porrò caſtella & pagi, quorum nonnulli tribus familiarum millibus incoluntur; vicique paſſim ita multi ſeſe offerunt, vt ſumma iniri vix poſſit. ſunt autem egregio ſitu plerique: ſcatent aquis, procera circundati ſylua; ex qua turritæ prædiuitum aratorum eminent domus. Porrò, diſperſæ in æſtiuos maximè ſeceſſus nobilium villæ, opere in primis eleganti; vel ad opacas amnium ripas garrulos auium concentus, & fugientis aquæ lene murmur excipiunt; vel è montium iugis verticibuſque, ſubiectos vallium anfractus; & vaſta maris ac terrarum ſpatia, longè lateque deſpectant. Sed ipſarum præcipuè vrbium pulchritudo mira. Nauigabilibus impoſitæ fluuijs, admodum profunda & lata foſſa, mœnibuſque cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad ſummum ſtructuræ. lateres autem, ex eodem argillæ genere quo porcellana vaſa, confecti, & calce optima interliti, in eam duritiem ac firmitatẽ breui tempore coaleſcunt, vt ferramentis poſtmodum labefactari vix poſſint. craſſitudo mœnium, quatuor, & alicubi ſex capit homines: additis ad proſpectum pergulis, ac mœnianis, & occultis ambulationibus, qua præfecti oblectationis cauſa pererrent: po-

C mœrium, intra extraque, libero ad circuitum ſpatio, ſenis in ordinem equitibus patet. Ad obliquos autem ictus, modico inter uallo, turres & propugnacula prominent, artificioſis contecta faſtigijs; & podijs elegantibus adornata. Ex ijs mœnibus cùm quædam ante bis mille annos conſtet; exſtructa; nullam tamen in eis rimam, aut ſinum, aut labem aſpicias. adeò ſeuerè acriterque ſarta tecta ab regijs curatoribus exiguntur. Vrbis verò totius, ea fermè dimenſio eſt. Latiſſimæ viæ duæ ſeſe interſecantes, perpetuo tractu, qui luſtrari oculis poſſit, præcipuas quattuor portas aperiunt, præferratas, ornatu magnifico, adituque ad aſpectum præclaro. Ab hiſce rectis vijs, aliæ dein aliæque tranſuerſæ, priuata & publica ædificia, vicoſque diſtinguũt. Et ab vtroque latere viarum, excurrunt porticus, quæ commeantem plebem, & fabrum atq; inſtitorum apothecas ac tabernas, à tempeſtatum iniuria vindicent. iam verò, è lapide trifores vt plurimum, & quidem ſummo artificio perfecti cum inſcriptionibus fornices paſſim viſuntur. quæ monumenta, magiſtratu abeuntes, regij præfecti relinquunt. magiſtratibus autem ipſis, celeberrimo loco ſtant ampla & operoſa prætoria, cultiſſimis hortis, capacibus piſcinis, fontibuſque pellucidis, & varijs aquarum deriuationibus ad omnem animi remiſſionem inſtructa. Nec deſunt auiaria, & ferarum ſepta, & operis topiarij tonſiles ſyluæ, luciq; denſiſſimi,

& distincta floribus prata: vt singulę prefectorum domus oppidi propemo D
dum instar obtinēat. Priuatorum ædes, circa maritimā oram humiles. mediterraneis verò locis, multiplici contignatione tollūtur, vel pictura decoratæ, vel opere albario candoris eximij. A primo ingressu panditur atrium, armarijs circūquaq; dispositis: in quibus inanium Deorum statuæ collocātur. accedunt lacus pleni piscium, ac pēsiles horti. matéria in ædificationes vtuntur mirè læuigata, & certo lenocinij genere in auri colorē ac splendorem adducta. Pari lęuore tegulū est, calce spissatū atq; commissum ad pluuias arcendas: durantq; seculis tecta talia, extremis imbricibus è marmorato perelegāter elaboratis. ad singulas verò ianuas, viridi opacitate arbores ad lineā directæ consurgūt: quarum gratissimo aspectu, quasi pabulo quodam, oculorum acies quālibet fatigata reficitur. Porrò vrbes, prętereą quod magnis, vt dixi, fluminib⁹ pleręq; alluuntur; sunt etiā quæ, ad subuectionis euectionisq; cōmoditatem, canales nauium capaces introrsum admittant. quales multis locis apud Belgas, & alicubi etiā in Italia cernimus; marginatis vtrinq; semitis ad terrestre iter adstructis. lapidei quoq; pontes egregiè facti, nō ad oppida solùm, sed etiam in agris plurimi. quæ flumina propter altitudinem pilas arcusq; reijciūt; ea, consertis & contabulatis nauibus pro ponte iunguntur. sin ex imbri vehemētius intumuerint; solutis interim or- E
dinibus, viatorē, gratuitæ cymbæ, Regis impensa transmittunt. Iam, voraginibus, & hiatibus terræ, & stagnantibus aquis, quæq; alia ad iter impedimento sunt, publicè occurritur. quin etiam, asperrimis locis ad montiū latera excisis cautibus, viæ patescunt, ea molitione sumptuque, vt Romanā in eo genere magnificentiā non requiras. Templa etiam cum turribus, culminibusq; spectantur (licet alioqui Deos contemnant Sinæ) pulcherrima & maxima. Trans pomœriū dein, præsertim ad mare, suburbia, eodem ornatu, & laxitate viārum, aduenas fermè ac negotiatores frequētissimis diuersorijs, & cauponis accipiunt; in quibus, præter delicatas de gentis more potiones, omnium etiam generum cocti, crudiq; prostant cibi, & exquisita cupedia. Sunt autē Sinarum populi (quemadmodū eiusdem plagæ alij) prout ad Septentrionē, vel ad Meridiē vergunt; magis aut minus æneo colore, vel candido: simis naribus, exiguis admodū ocellis, rara barba, lōgis crinibus, quos accuratè comptos, & in verticē coactos illaqueant, & oblongum ex argento clauum in laqueū inferunt. neq; tamen vna est omnibus capillamēti ratio. quippe, cælibes, comam à fronte discriminant; mariti, confundūt; atq; hæc præcipuè nota, ordinem vtrumq; distinguit. Primarij, ac diuites, quiq̃ue F
militiam exercent; verticolore serico: plebeij ac pauperes, lino, seu gossipio tegunt corpora. nam apud Sinas lana, cùm maximè suppetat, minimè texitur. Sagis ad veterem Hispaniæ consuetudinem vtuntur, media sui parte crispis ac rugosis; cæterùm fusa & explicata lacinia, & laxis manicis: ipsum verò sagum, ab læua parte confibulant. Accedit talaris tunica, quam qui è regia sunt stirpe, vel superiore aliquo magistratu funguntur, circa baltheum maximè; cæteri limbo tenus acupingunt. Caput operiunt præcelso ac rotundo pileo, è tenuissimis virgulis atro filo prætextis. Caligas induunt affabrè factas, & elegantes cothurnos, aut calceos bombycino obstragulo perpolitos. Vestimenta per hyemem pretiosis murium Scythicorum pellibus, quas vulgo martas, vel sabellinas vocamus, calore admodū suaui, & ventis impenetrabili densitate suffulciunt; ijsdēq; separatim pellibus circūfouent colla. Molestias flatuū, munitis egregiè fenestris, ac specularibus prohibent. Per æstatem verò, ad reliqua remedia caloribus leniendis, illud etiam accedit. Subterraneos idoneo loco effodiunt specus: inde conceptam auram, intensiorem aut remissiorem, prout libuerit, per omnes ædium partes admirabili machinatione dispensant. Mulieres,

circa

A circa curam capitis multæ ſunt. crines diu pexos concinnatoſq; in ſummo circumligant vitta gemmis auroque diſtincta. reliqui corporis ornatus, minimè laſciuus. Præcipuam decoris ac formæ laudem, in pedum breuitate & exilitate conſtituunt: atque ob id ipſum, tenellos ab infantia faſcijs perquàm arctè conſtringunt. Magnus apud nobiles matronas honos pudicitię. rarò viſuntur: nec in publicum prodeunt, niſi geſtatoria ſella, prætentis ex omni parte velis, &, occultæ ſpeculationis cauſa, reticulatis ex ebore feneſtellis ad latera appoſitis. ſuccollant ſerui, magna vndique ſtipante familia. Deprehenſum adulterium æquè viri ac fœminæ, capite luitur. Ad nuptias, dotem non viro fœmina, ſed vir fœminæ defert. Singulæ vxores in matriſfamilias numerantur loco: pellices procul à conſpectu varijs locis aluntur. Proſtitutis ac meretricibus (ea ferè mancipia ſunt) proprium ac ſeparatū in ſuburbijs domicilium eſt. Annum è lunaribus periodis duodecim ita conficiunt, vt tertio quoque anno ad duodecim vnam addant. Principium, à Martij menſis nouilunio auſpicantur. Eum diem publica hilaritate, natalem quiſque ſuum priuata gratulatione concelebrant. munera ſibi & ſportulas inuicem mittunt. apparatiſsimis dein epulis, noctu præſertim, exquiſitiſſimi interponūtur ludi. Comœdias, ac tragœdias exhibent ſumptuoſas,

B vel fabulis in præſens à poëta confictis, vel actionibus è vetere hiſtoria repetitis. petoriſtæ, aretalogi, præſtigiatores, mimi non deſunt. parietes forniceſque viridi fronde, micantibus roſis, & pretioſo periſtromate veſtiuntur. fragrant odoramentis ac floribus viæ. accenſis funalibus ac laternis, arbores, pergulæ, feneſtræ collucent: neruorum pulſu; tibiarum vocumque cōcentu omnia perſonant. Conuiuiorum autem ratio eſt talis. Inuitantur multi. propria ſingulis menſa, aut ſummum binis, apponitur ex ligno ad inſtar ebeni ſplēdidiſſimo, varijs ſylueſtrium maximè rerum figuris, ac certis linearum ductibus (quo in genere Sinæ admodum excellunt) capreolatim ex argento, vel auro diſcurrētibus. Ea pictura nitorque pro mappa eſt. ſerica frontalia dein ad humum vſque dependent. Conuiuæ fucatis conſident cathedris, præmolli, vt apud nos, culcitra ad gratiorem quietem obductis. Inde elegantiſſimi primùm caniſtri ſertis redimiti, onuſti baccis pomiſue, toto margine diſponuntur. Intra id veluti ſeptum, admirabili ſtructura cæteræ exſurgunt dapes. cumque ſagina omnis generis, ferina æquè ac domeſtica, & piſcibus, oſtreiſque, & cunctis fermè illecebris, & condimentis abundent; ſuilla tamen præcipuè caro ſummorum pariter & infimorū expetitur menſis: neque ex alio vllo animali copioſior ganea. Cibos digitis attrectare (vt

C ſunt vulgo munditiarū diligentiſſimi) ruſticitatis putāt. bracteatis paxillis, vel argenteis aureiſue fuſcinulis, cōciſa minutim fruſta in os inſerunt. Exiguis poculis crebro hauſtu ſedant ſitim: & magno cū honore verborū mutuò ſibi propināt. Miro interim ſilentio atq; ordine lances ab atrienſibus inferuntur: & in ſingula fercula menſæ inſtrumentum omne mutatur. Hæc ſeparatim viri. ac matronæ item ſeorſum (quæ maritorum zelotypia eſt) eodem apparatu in penetralibus conuiuantur. Salutandi ritus, inter plebeios, eiuſmodi: læuam in pugnum compreſſam obtegunt dextra. ambas dein pectori ſæpius admouent, & ſimul, accōmodato ad geſtū ſermone demonſtrant, amicum ſibi conditum hærere in medullis. At primores, brachijs arcuatim extenſis, ac digitis vtriuſque manus implexis, identidem ſe ſe ad terram vſque ſummittunt: certantque verborū officijs inter ſe, vter poſterior, alterius honoris cauſa quieſcat. Opificum ac ſellulariorum, ingens vbique numerus; & certus ordini cuique vicus eſt. ſculpendi ac pingendi artem, itemque plaſticen, toreuticen, encauſticen, necnō fabricas, ærariam, ferrariam, cæteraſque metallicas, ac materiarias egregiè callent. neque ad conflandos ignes (quod vel in primis mirēre) cuiuſquam egent opera. quippe, certa ratione ita libratis tubulis quibuſdam, atque ad caminum

aptatis, vt acceptam è cauernis auram perpetuò reddant. mechanica quæ- D
libet, vel ibidem excogitata, vel ex alijs terris inuecta, celerrimè arripiunt. Aenea tormenta conflare; litteras imagineſque ſubiectis prælo typis excudere (quibus commentis Europa recentibus adeò gloriatur) vetuſtiſſimo in vſu apud Sinas eſſe, compertum eſt. Accedit ad artificium tormentorum, quòd ex ijs quædam ſolutilia faciunt; perque partes impoſita baiulis, aut iumentis, quocunque opus eſt, ſine vexatione circumferunt. Ad ſcribendum autem, arctas & oblongas adhibent è leui admodum ac tenui papyro pagellas. neque verſus ab læua ad dextram, vt Græci; neque ab dextra ad læuam, vt Hebræi; ſed ad imum ab ſummo perducunt. cuius generis impreſſum volumen, atque inde tranſmiſſum, Romæ in Vaticano, itemque in Laurentiana Philippi Regis bibliotheca videre me memini. Litteris vtuntur velut Aegyptijs, quas hieroglyphicas Græci dixêre. Eæ ſingulæ ſingulis nominibus ſeruiunt, atque etiam integris interdum ſenſibus. Ita fit, vt cùm Sinæ, varia lingua, quippe tam multis regionibus tamque diſiunctis, vtantur; tamen, quæ litteris conſignata ſunt, peræquè omnes intelligant. Præter ſuum cuiuſque nationis atque prouinciæ, certus inſuper & communis eruditorum eſt ſermo. Latinæ apud nos linguæ reſpondet. vulgo Mandarinum appellant. hoc aulici, ſcribæ, iuriſconſulti, iudices, magiſtra- E
tus vtuntur: huic impenſa cura dant operam. Qui per plateas erret otioſus, vt ſupra docuimus, vel manum ſupplex ad ſtipem porrigat, fermè eſt nemo. Manci, vel aliqua parte corporis debiles, vel morbo impliciti grauiore, quàm vt ſibi parare victum vllo modo poſſint; cognatis affinibusue alendi attribuuntur à magiſtratu. ſin propinqui deſint; vel propter inopiam alendo non ſint; cauſa probè cognita, ne quid ſubſit fraudis, in regia valetudinaria deportantur. Luminibus capti, ſi premat egeſtas, piſtrino ac molæ; manci, aut quoquo modo mutili, dum ſuppetunt vires, alijs alij miniſterijs affiguntur. Denique nullus inertiæ, vel ignauiæ locus eſt. Itinerum ſpatia hoc pacto diſtinguunt. Minimam omnium menſuram patrio nomine vocant Li. hæc, interualli continet quantum æqua planitie, die puro ac ſereno, vox humana percurrit. Li decem, vnum explent Pù, quod Hiſpanienſi fermè leucæ reſpondet; ſiquidem Pù dena, diei vnius iter efficiunt, quod vulgo ychan appellant. Peregrinationibus autem, non iumenta modò, ſed etiam varij generis ciſia, lecticæ, pilenta deſeruiunt: accedunt rhedæ ac vehicula partim equis iuncta; partim etiam, vbi camporũ æquora patiuntur, velis euntia. Nec verò minus peritè, ac ſcienter aurigæ quàm F
nautæ, & gubernacula moderantur, & varia velorum inflexione, prolato vel reducto, prout opus eſt, pede, ventos excipiunt. Pretia rerum (vt quondam in Latio) non moneta nummiſue; ſed, ne locus adulterio pateat, conciſi maximè argenti pondere metiuntur: atque in id ipſum, forfices, & habilem trutinam ligneolæ incluſam thecæ, in ſinu circumferunt. ad maiora verò pondera, cum lancibus libram, publicè probatã obſignatamq; habent domi. teruntios duntaxat ex ære publica forma percutiunt, geſtantq; pertuſos in linea, ſupplendis argenti pretijs. vel etiã ad quiſquilias coemendas. Nihil quod vlli vſui poſſit eſſe, perire per incuriam ſinunt. excrementa ſordeſque ad ſtercorandũ agrum; viliſſima ſcruta, in chartarias officinas; ipſa deniq; canum oſſa, in cælaturã & ſculptilia conferunt. Fœneratores, vtpote reipub. noxij, cùm alijs pœnis, tũ pecunia mulctantur in fœnore deprehenſa. debilibus tantũ aut cæcis ex infima plebe, ad ſuſtentãdam inopiã, aliquid vſuræ nomine exegiſſe impune eſt. Suarũ quiſq; mercium inſtitor, deſcriptum indicẽ; pharmacopolæ etiam ſingulorum ſimpliciũ quæ appellant; ſpecimen ipſum coguntur pro tabernæ foribus habere propoſitum. Ea ſæpe ab ædilibus inſpiciuntur: neq; componẽdi, miſcẽdiue, niſi præſens neceſ-

ſitas

A ſitas vrgeat;neque compoſita diutius ad ſeruandi, cuiquam omnino ius eſt. Vocales & geſticulatorias aues enutriunt impenſa cura, venduntque, præter naturales colores, vario etiam veſtitu ornatuque diſtinctas. Iam, naualium copia, ac totius rei maritimæ apparatus, pæne incredibilis: adeò largè, materiam & omne inſtrumentū, cæduæ ſyluæ, & ferri optimi venæ, & lini goſſipijque frequentiſſimæ textrinæ ſuppeditant. Maximas naues, vento duntaxat mobiles (quarum ſupra meminimus) vulgò iuncos appellant. ex ijs partim ad bellum parantur, eminentibus ad proram puppimque caſtellis: partim depreſſiores, ad mercaturam & onera. Sunt quas Lanteas, quas Bancones vocant: illæ, ſex remis ingentibus; hæ tribus tantùm, quaterno vel ſeno in ſcalmum remige ad vtrunque latus inſtructæ. Longis etiam, triremium inſtar, vtuntur; ſed ſine roſtro; & ad amnes, ac vada ſulcanda plano alueo fabricatis. Aliæ conſpiciuntur, maximè peragrandis animi cauſa littoribus, auro & argento cælata puppi, cubiculis, reticulatis feneſtris, porticibus, penſilibus hortis pæne in maris contumeliam exornatæ. Ad ſummā, variæ magnitudinis ac formæ nauium tanta copia eſt; vt præfecti oræ maritimæ, ſi quid vrgeat ſubitæ rei, militares iuncos à quingentis ad mille con-
B trahere momento dicantur. Neque vllo tempore anni deſunt claſſes, ad tuenda & purganda piratis maria pluribus locis paratæ. Hæ, magno totius regni bono, mercatoribus, & nauicularijs omnium nationum præſtare conantur non modò tuta, ſed etiam ſecura commercia. Carinas oblinunt certo bituminis genere mirè fideli cùm ad explendas rimas, tum ad teredinem & noxia lignis animalia prohibenda. Purgandæ verò naui, pluribus conſertā vaſculis antliam, ad latera introrſum applicant eo artificio; vt vnus quilibet ſedens, alterno pedum ac perleui motu, paucis horis quantamlibet ſentinam exhauriat. Nauigiorum fluuialium incredibilis copia. quippe, in ijs magna pars hominum cum coniugibus, & liberis degunt: è quibus alij vecturam exercent; alij pro cauponibus & inſtitoribus, in perpetua ſtatione ſunt: nec ſolùm in cibos, verùm etiam in cultum, ac veſtitum, ipſaſque delicias habent cuncta venalia; vt in ipſo itinere ac fluuijs, vrbana commoda & copiam non requiras. Sunt qui intra eas naues, altilium, atque anatum præſertim, ingentes alant turmas: & facillima eſt ſoboles; propterea quod ex ouis, non matris incubitu, ſed leni tepore ex ignibus temperatis adhibito, quotquot viſum eſt pullos excludunt. Noctu, animantes eas intra ſepta
C nauium cohibent; manè vt diluxit; in campos oryzæ feraces emittunt. ibi, non paruo agricolarum compendio, noxias frugibus herbas, mira quadam auiditate depaſtæ, ſub noctem ad cymbali, ſeu tympani pulſum, in ſuas quæque chortes ac receptacula redeunt. Minutæ verò cymbæ, non fluuiatilem modò, ſed ne marinum quidem ſaporis egregij piſcem interioribus incolis deeſſe patiuntur. Verno tempore anni, tumeſcentibus imbre ac niue fluminibus, cùm ad ipſas maximè fauces fœtificandi cauſa æquorei greges ex alto ſuccedunt; confeſtim è vicinis regionibus haud ignara prouentus magna hominum multitudo cum retibus & verriculis aduolat. ingens captura nullo negotio fit: inde amnici nautæ à maritimis quàm optimos piſces vili coemptos pretio, & vimineis conditos corbibus, peruncta charta ad continendum liquorem intectis; mutata ſubinde aqua, & pabulo iniecto, quamuis intima in loca incolumes vehunt. ibi ex anguſtijs in ampla tranſfuſi viuaria, & latas vrbium foſſas, ad lautiora conuiuia popinaſque toto anno ſufficiunt. Capiendi autem, cùm aliæ ſunt artes; tum illa vel in primis iucūda. Prægrandes, ac domeſticos habent coruos, eiuſmodi prædæ aſſuetos. horum colla nodo ita laxo conſtringunt; vt nequaquam intercluſa reſpiratione, cibos tamen tranſmittere, ac deglutire non valeāt. ita è caueis dimiſſi; admirabili ſolertia ſe ſe in aquas immergunt: piſciculos minutos ore con-

ceptos,maiores autem roſtro apprehenſos, domum, vnde abiêre, identi- D
dem referunt; quoad ſolutis omnino faucibus, ad ſatietatem ipſi quoque paſcantur. Ea magiſtratuum oblectamenta præcipua. Rei litterariæ magna pars hominum vacat. Medicas artes,& phyſica, & aſtronomica attingunt pauci: iura legeſque habent ante annos bis mille ſcripta, neque vnquam (vt ferunt) exinde mutata. his verò, quod fermè ad honores ac magiſtratus aditum patefaciant, plerique certatim inſudant: deque politicis rebus, regnorumque adminiſtratione & quærunt ipſi inter ſe,&, vbi licet, è peregrinis auidè ſciſcitantur. Gymnaſia cum egregijs doctoribus fermè oppidatim amplè,& copiosè ſuſtentat Rex. in ea gymnaſia è ludo litterario primiſque rudimentis pueri & adoleſcentes leguntur. ſtudiorum præfecti, quos ceſſatores, vel tardos animaduerterint; obiurgant primùm: dein plagis afficiũt: ad extremum ignominia notatos expellunt. cæteros, pro cuiuſque profectu ac diligentia, tollunt laudibus. Ad hæc, regij cenſores tertio quoque anno gymnaſia publicè recognoſcunt. ab ijs, ingenij & doctrinæ hoc fere modo ſpecimen ſumitur. celeberrimis in regni cuiuſque gymnaſijs, ad eam ipſam rem, menſis & ſubſellijs inſtructa viſuntur ampla & ſpatioſa conclauia. In ea ex alijs prouincijs (ne quid gratiæ detur) euocati adoleſcentes, E
prætentato ſinu ne quem ſecum inferant librum; manè cum pugillaribus includuntur. ibi à cenſoribus theſes de repub.& regno, itemque de priuatorum controuerſijs, ponuntur ex tempore. in eam ſententiam, clauſis oſtijs, adhibitiſque cuſtodibus, pro ſua quiſque copia & facultate ſcribunt eò intentiore ſtudio, quod in eiuſmodi certamine non dignitas modò, ſed etiam res vniuſcuiuſque diſceptat. ſub noctem, apertis foribus, penſa exiguntur, adſcriptis auctorum nomine, origine,& patria. dein dimiſſa iuuentute; cenſores per otium ea ſcripta perpendunt: & ex vniuerſo numero tria primùm millia; rurſum ex hiſce, trecenta; poſtremò ex trecentis, nonaginta quàm optima ſeligunt. atque is demùm habetur ſapientiæ flos; neque vltrà ſubcernitur. quippe, totidem iuris peritos, ad ſupplementum, in ſingula regna deſcribi ſolenne eſt. Poſt hæc, edicitur dies, quo die victorum nomina voce præconis pronuntianda ſunt. Fit denuò ex omni parte concurſus. qui palmam tulêre, ij cum exquiſito verborum honore magiſtri appellantur: atque is dies magna conuiuiorum ac ludorum pompa & celebritate peragitur. Noui magiſtri, phaleratis in equis, ingenti omnium ordinum ſtudio & comitatu, per vrbem incedunt. dein miſſos in regiam, referri Rex iubet F
in Loytias; quo maximè titulo nobilitas vniuerſa cenſetur: & annuum ſingulis honorarium ad eam perſonam tuendam attribuit, actum denique inter ſe amplexantur, eiuſque collegij neceſſitudinem perſanctam exiſtimant. Porrò, ex Loytiarum corpore iudices,& conſiliarios, & magiſtratus creari mos eſt. neque per ambitionem, aut corruptelas, nullo ſui dato in imis documento, raptim ad ſumma tranſiliunt: ſed in inferioribus probati ſpectatique, gradatim ad ſuperiora conſcendunt. Magiſtratuum minorum ingens vbique numerus. maiores in vnaquaque metropoli, cum ampliſſima poteſtate quinque: neque ij indigenæ, quò magis inter ignotos, odio & amore vacui, rectam in adminiſtrando rationem ſequantur. Inter hoſce, omnium conſenſu, primum dignitatis & imperij locum obtinet Tutan. is, quaſi vicario Regis munere, vniuerſæ prouinciæ præpoſitus eſt; ac dignitatis cauſa, proprio ac ſeparato à reliquis præfectis habitat loco. ad hunc grauiſſima quæq; & maxima referuntur; pleraq; decidit ipſe, ac de toto rerum ſtatu ſubinde Regem per litteras edocet. Proximus huic honore habetur Ponchaſius, penes quem vectigalium & fiſci regij eſt cura. is cum ingenti ſcribarum & cuſtodum copia, tuetur ærarium; rationes & codices recognoſcit; annua ſtipendia, ſalaria, mercedeſque diſtribuit. Sequitur Anchaſius, qui cum conſilio delectorum virorum, non de ciuilibus modò controuerſijs

A uerſijs ac litibus iudicat;ſed etiã rei capitalis quæſtiones exercet:atq; ad hoc tribunal toto eo regno in cauſis grauiorib⁹ prouocatio eſt. Porrò Aitan rẽ bellicam adminiſtrat,conſcribit exercitus, comparat claſſes; ac præcipuè in id excubat, ne peregrini in vrbes ac mediterranea ſenſim irrepant. Aitani ſubeſt poſtremus omnium Luitiſius, vir, militaris item rei peritus, qui ad Aitanis arbitriũ,prout op⁹ eſt, varias in expeditiones cum exercitu proficiſcitur.Sunt qui præfectorum alia quædam tradant nomina,& plura: ſed vtique magna omnium ſpecies:mira maieſtas. ac ſingulis, excepto Luitiſio,à conſilio ſunt viri decem lectiſſimi, verùm impari dignitate. ſuperioris ordinis quini ab dextra ſedent,quod apud Sinas honori ducitur: aureo baltheo,& (qui regius eſt color)croceo galero:inferioris claſſis ab læua totidẽ, cingulo argenteo, & cæruleo galero diſtincti. Si præſidem in prouincia mori contigerit; antiquiſſimus è conſiliarijs in locum defuncti ſuccedit. Ex eodem numero,ad obeundam,ac luſtrandam Regis iuſſu prouinciam, legati mittuntur.Cæterùm cuncti peræquè præſides & conſiliarij, regium inſigne geſtant ad pectus humeroſque; ſerpentem ex auro textili. Neque minoribus præfectis,alijſue,magiſtro cuſtodiarum excepto, quemquam è
B ſuperioribus hiſce niſi de genu alloqui,aut compellare fas eſt. Euntibus in prouinciam,præter veſtimenta,& famulos aliquot;nihil omnino vel ad iter, vel ad hoſpitium,vel ad cæteros vitæ vſus parandum. in ſingulis oppidis regij ſunt parochi. ab ijs cuique pro dignitate cuncta benignè præbentur. quod ſi priuatis amicorum hoſpitijs vti malint; pro cibarijs numerantur pecuniæ. Ineuntibus magiſtratum,obuiam primùm ſub ſignis peditum cohortes, & equitum turmæ; tum reliqui ordines cum inſigni pompa; & vario ſymphoniæ cantu procedunt:ea frequentia per vicos vrbis, magnifico periſtromate ornatos, non ſine honore florum odorumque, nouus præfectus in prætorium vſque deducitur. Præſto ſunt regij famuli& curatores, qui ſine vlla ipſius moleſtia cibos,inſtrumentum, & ſuppellectilem ex maieſtate ſuppeditent.intra eaſdem ædes proprijs conclauibus ac cœnationibus,aſſeclæ,ſcribæ,accenſi,lictores,& forenſe miniſterium omne alitur vnius Regis impenſa: quò plures omnium actionum & vitæ quotidianæ arbitros ac teſtes habere ſe magiſtratus intelligat.Iura autẽ,hoc ferè pacto reddũtur.à primo manè ad veſperam, paucis horis ad meridiandum intermiſſis,præcelſo in tribunali conſidet prætor.cingunt latera iudices. cohors
C ad imperium parata circunſtat. qui ad ius petendum accedunt, intromiſſi ab ianitoribus,procumbunt illicò,& vel eminus ipſi,quid velint,elata voce pronuntiant; vel ſupplicem libellum recitandum propalam offerunt ſcribis.Prætor;agitata re,de cõſilij ſententia reſpondet;ipſumq; reſponſum litteris conſignatũ à ſcriba,ipſe dein rubricato pigmẽto ſua manu confirmat.Ex aperto adminiſtrantur omnia.ſolitudo,& ſecreta colloquia,& arcani ſuſurri vetantur,quò minor flagitijs & fraudibus, quæ oderunt lucem, aditus ſit. Capitalis noxæ reos,identidem comperendinant: nec niſi lentè quæſita, & ad liquidum cognita cauſa,condemnant.itaque oppido pauci in tanta hominum multitudine carnificis manu finiunt vitam.Cæterùm interea, vincti,quàm diligentiſſimè adſeruantur loco amplo,inſtar oppidi,celſis admodum parietibus circumſepto; eodemque rerum venalium copia, tabernis, & opificijs,ne quid extra petendum ſit,ad omnes vitæ vſus inſtructo.carceri, cum magno vigilum numero præeſt non leui auctoritate vir. is per ſe, perque ſuos, cuſtodiarum ſeriem quotidie recognoſcit: & quàm intentiſſima excubat cura, ne cui, delinitis pretio miniſtris, vel perfoſſo pariete, ſuſpenſiſue alicunde funibus, aut alia quapiam ratione effugium pateat. Fori verò ipſius,& prætoriæ turbæ ſeuera admodum diſciplina. graui malo, erratum, atque adeò murmur omne compeſcitur. qui deliquêre;ijs, quò

conſpectior ignominia ſit, vexillum quoddam in manus datur. cum eo ve- D
xillo, ad conuentum vſque dimiſſum, genibus nixi perſiſtunt: ac demum
ad Prætoris arbitrium verberibus acerbè mulctantur. ac multos paſſim vi-
deas (neque id propter adſuetudinem, probro eſt) vibicibus liuida, & medi-
camentis oblita facie. Porrò præfectis, cùm in publicum prodeunt, multo
cum ſatellitio, gregibuſque clientum & amicorum, ſella, vti dicebamus,
magnifica geſtari mos eſt: & quidem defixis in vno obtutu oculis (quo in
genere à prima ætate exercentur) ac toto vultu ad ſeueritatem triſtitiamq;
compoſito. Frænati ſequuntur equi; variæ vmbellæ circunſtant: lictorum
anteit manus: quorum, hi regia vexilla; arundines illi toſtas ad verbera; alij
clauas argenteas ferunt; alij, pendente ex humeris tabella gypſata cum ſeri-
cis floccis, inſcriptum magiſtratus imperium ac poteſtatem oſtentant. Hi
omnes, in ordinem bini, magnis clamoribus ſubmouent plebem, quæ vel
in domos feſtina ſe proripit, vel etiam honoris cauſa vias euerrit. in tranſi-
tu verò, mirum ſilentium: non modò interpellare præfectum, ſed ne con-
tra quidem intueri fas eſt. Rem militarem, non tam audacia vel firmitate,
quàm numero, & machinis, & egregia in primis diſciplina ſuſtentant. Præ-
ter extraordinarias copias, quæ varijs locis, vbi res poſtulat, comparantur; E
in ſingulis vrbibus, firma ac certa præſidia ſunt. pro muris aguntur excubiæ,
quas identidem obit circitor: itemque validæ ſtationes ad portas. earum fo-
res, præter alia repagula ſeraſque, impreſſo chartæ, & commiſſuris agglutina-
to ſigno, quotidie muniunt: nec niſi eodem à miniſtris inſpecto ac probè
agnito, aperire conceſſum eſt. Ad limites regni, crebræ & minutæ viſuntur
arces. qua verò Scythæ contigui ſunt, inſanæ ſubſtructionis murus in du-
centas amplius excurrit leucas, quantum inter duos admirandæ altitudinis
montes interuallum eſt. Ea regionis clauſtra firmiſſima. Vbi ex illa parte in
crebuit belli rumor; confeſtim à cuſtodibus dato ſigno, è vicinis caſtellis &
oppidis concurſus ad munimenta fit; quoad ab Rege duces iuſto cum exer-
citu ſuperueniant. Equites, elegantiſſimo ornatu armatuque prælium in-
eunt, quaternis ex ephippio pendētibus gladijs, quorum ſimul duobus per-
quàm ſcienter vtuntur. pedites item egregiè armati pugnam capeſſunt. lar-
gum vnicuique ſtipendium optima fide perſoluitur. ſpectatæ virtuti certus
ab imperatore honos: contra, ignauiæ perfidiæque ſupplicium. Qui ad mi-
litiam adſcripti non ſunt; ijs arma priuatim nulla: quæ maximè res ab in-
teſtinis tumultibus otium præſtat. Atque vt cæteri magiſtratus, quò magis F
caſtè rempub. adminiſtrent, ferantque incorruptam in iudicando ſententi-
am; è longinquis petuntur locis: ita, ordinum ductores, ac militares præfe-
cti, ea de cauſa leguntur indidem, vt eos ipſamet caritas liberorum & coniu
gū, ad ſubeūda, belli pericula & acrius pro aris ac focis dimicandū accēdat.
Porrò, hiſce tot præfectis, iudicibus, populiſq;, cū regio nomine ac poteſtate
vnus præeſt vir, necis ac vitæ omnium dominus. huius, vel è ſtipatorum &
apparitorum frequentia, vel ex ædium admirabili ornatu & laxitate; vel ex
ipſo genere domeſticę; diſciplinę venerāda maieſtas. Octo habet à conſilijs,
è toto Loytiarū ordine lectos viros: is ab Rege ſecundus dignitatis eſt grad⁹;
ſummumque totius gentis oraculum. ſexaginta circiter alit vxores. fœmi-
næ tantùm, vel eunuchi miniſtrant. ipſe, niſi mūtandæ ſedis cauſa, vel cùm
ad bella procedit; fere nunquam excedere ſolet è regia. De omni ſtatu pro-
uinciarum, & præfectorum actis, certior aſſiduè fit; veredarijs ſeu curſori-
bus ita diſtributis; vt in ſingulos menſes ex qualibet prouincia litteræ in re-
giam perferantur. ij, per equos paribus fermè interuallis in via diſpoſitos,
celerrimè peruolant; ſuumque in ſingulas poſitiones aduentum, quò recē-
tes equi, ſeu ad flumina traijciēda naues illicò expediantur; vel tintinnabu-
lis perargutis è belluæ ceruice pendentibus; vel etiam, vt apud nos, cornu

ſæpius

A ſæpius inflato prænuntiant. Super hæc, ſtatis ipſe temporibus idoneos viros ad cuncta coram inſpicienda, per omnes regni partes cum ampla poteſtate dimittit. quin etiam, extra ordinem certos è ſuorum fideliũ numero in eam ipſam rem deſtinare cõſueuit, ſacramento priuatim adactos muneris cum cura & cum fide fungendi. id vt quàm occultiſſimè fiat; multa Rex habet apud ſe diplomata, ſuo notata chirographo & ſigno; nominibus tantùm ſpeculatoris, & locorũ, & perſonarum, ne quid emanet, conſultò ſuppreſſis. Inde, vbi tempus eſt, clam accepto diplomate inſpector idem & cenſor, quã Rex iuſſerit verbo prouinciam, tanquam vnus de populo circuit; præfectiſque, ac prætoribus, inter publicæ rei adminiſtrationẽ, ac præſertim inter dicendum ius, diſſimulanter aſſiſtit. Vbi quæ voluit, probè cognouit; tum demum adit conſilium; & prolato repente diplomate; mira omnium veneratione ſummus totius conſilij iudex & arbiter in ſolio collocatur. Inde, prout exigit res, alios ornat laudibus, atq; ad altiores extollit gradus; alios, nulla cuiuſquã tergiuerſatione, vel in ordinem cogit, vel etiã ſupplicijs grauioribus afficit. Atq; eo præcipuè metu magiſtratus ac iudices in officio cõtinentur. In ſingulis prouincijs aurea tabula velata inſcripto Regis nomi
B ne cuſtoditur. Eã tabulam ſingulis nouilunijs velo reducto, Loytiæ, & præfecti omnes honoris cauſa inuiſunt, & æquè ac Regẽ ipsũ adorant. Demortuo Regi, è filijs maximus natu; ſin deſint liberi (quod in tanta vxorũ turba perrarum eſt) proximus è regia ſtirpe ſuccedit. cæteri, ne quid eorũ cauſa tumultus exiſtat, remotis inde palatijs ad inſtar oppidorũ incredibili magnificẽtia, regio cultu apparatuq;, in libera cuſtodia detinentur; propoſita capitis pœna, ſi extra eos fines iniuſſu pedem extulerint. Legatos Regum, qui vel amicitiã expetunt, vel æquo iam ante fœdere iuncti ſunt, miſſa obuiam nobilitate Rex comiter accipit: ac legatione peracta, Loytias appellatos honoris cauſa, cum amplis munerib⁹ domum remittit. Iã de theſauris, & coaceruatis auri & argenti laminis, admirãda narrantur. nec deſunt qui ad noſtræ monetæ computationẽ; aureorũ annua millies fermè ac ducenties centena millia Regi [illegible] pro certo perhibeant: quantũ vix moriẽs Imperator Veſpaſianus de [illegible] pecuniæ diligentiſſimus, in ærario Romano reliquit. Ingens omnino [illegible]: & in cuius contẽplatione haud immeritò laboret fides. veruntamẽ latis conſtat, in vno Cantonis emporio, quod alijs eius plagæ multis & celebritate, & diuitijs inferius eſt; ex annonæ ſalariæ vectigali,
C centũ circiter & octoginta millia coronatorum; & in mediocri quodã oppido eiuſdem oræ Cantoniæ, è decimis oryzæ duntaxat, amplius centũ millia percipi. vt minimè dubitandum ſit, quin ad fiſcum perueniãt immanes pecuniarũ acerui quotannis: imperij magnitudinem, frequentiam populorum, exactiones capitum & oſtiorum, portoria merciũ, frugum omnium decimas, fructus metallorũ, & cætera vectigalia reputantibus. Accedit non mediocris ad ſummã opulentiam momenti res: quod more Turcico & ſectæ Mahometanæ totius, in ditione finibuſq; Sinarum, tributa & ſtipendia, præter vnum Regem, nemo prorſus omniũ imperat. nulli, vt apud nos, Comites, nulli Duces, Marchiones, Barones, vel dynaſtæ cenſentur. Magiſtratus ac præfecturas, non tam in beneficij aut præmij, quã in laboris ac muneris loco tribuit Rex: neq; ſplendida honorum vocabula, & opimi reditus, hæredem ſæpe degenerem ſequũtur. ſuas ſibi quiſq; diuitias ac dignitatem, ſtudio ac diligentia parat: nec virorum fortium & vigilantiũ loca, per nobilitatis fucũ, ignauia & ſegnities occupat. Hæc fermè Sinarũ bona laudeſq;: quas tamen eaſdem grauioribus malis vitijſque ſuperari non dubium eſt. Religionis, quæ iuſtitiæ prima & præcipua pars eſt, cura genti poſtrema. Sacrificulis (quos patrio ſermone vocant Hoxiones) exiguus admodum honos. templa vulgo adeunt conſuetudine magis & inſtituto quodam,

quàm

quàm quòd mortalia curari ab Dijs;vel humanis dictis,factis, cogitatis in- D
tereſſe cæleſte numen exiſtimẽt.Sanè Euangelium accepiſſe olim ab Apoſtolo Thoma credũtur, vt ſupra dictum eſt:& imago teſtatur id ipſum proceræ mulieris, puerulum in ſinu fouentis,cui ardentes hodieque lychnuchos more noſtro ſuſpendunt.Sed nec Apoſtoli vlla iam ibi mentio: & cuiuſnam ea ſit effigies, prorſus ignorant.adeò, vel ipſa regionum longinquitate,vel diuturno cultorum deſiderio,in ea terra ſemen omne Chriſtianæ pietatis interijt.Qui ſapientiores habentur,ij arcanis & quæ non temere vulgent decretis,Pythagoræ fermè ſomnia de tranſmigratione animorum ſequuntur:& pro meritis actæ vitæ, ſua cuique præmia & ſupplicia, ex communi omnium gentium opinione conſtituunt; ſedeſque fingunt refertas cunctis ijs,quæ vulgo vel ad felicitatem prima,vel ad miſeriam extrema ducuntur.Capillum tam diligenter iccirco nutriunt, quòd credant ea ſe tamquam anſa in cælum aliquando ſublatum iri.ſacrificuli cõtra (qui quidem cœnobiticam agunt vitam) abradunt capita, quòd ſine tali adiumento ſydera ſe conſcenſuros eſſe confidant. Mundum vniuerſum ex aqua initio conditum affirmant, quæ vehementius agitata, è ſpumis ampulliſque,cælo;ex imis partibus & craſſioribus,materiam terræ præbuerit;reliqua reſer- E
uarit ſibi. Interrogati, quiſnam initio aquas agitarit: ſponte ciendi vim ijs inditam fuiſſe reſpondent. Rurſus, vbi quæritur, à quo eam ipſam vim ac virtutem acceperint;ſubrident,quaſi planè ibi ſiſtendum,neq; ſit vltrà procedere. Primos homines vnà cum cæteris animantibus ac plantis, aiunt è terra exſtitiſſe:ac ſine legibus,aut vllo iure, vagos ac feros,arborum baccis, & crudis carnibus initio veſci, & ſanguinem potare aſſuetos, ipſa dein ratione duce ac magiſtra,frugibus ali,tecta moliri, vrbes condere didiciſſe:adhibitoque ſtudio, paulatim à barbara & agreſti vita,ad cultum & manſuetudinem fuiſſe traductos.Non pauci, muta ſimulacra, vel etiam informes adorant lapides;namque ij fermè Dij gentium ſunt. Adhæc, artis cuiuſlibet inuentores,alioſque priuatim aut publicè benemeritos, quidam etiam parentes,caroſue, in numina referunt.ijſque & ſtatuas ac tẽpla ponunt,& vota faciunt,& adolent thura,non mortuis modò,ſed interdum etiam (quod magis deteſtêre) viuentibus. Alij Solem,& Lunam, ac ſtellas, cælumq; præcipuè ipſum, vnde cuncta in terras bona promanent, omni ſtudio colẽdum exiſtimant.Sunt etiam,qui inferna venerentur monſtra ſuccincta colubris, & igneo vomitu, cuiuſmodi cacodæmones in Europa depingimus.neque
id tam impetrandi cuiuſpiam commodi, quàm depellendi maleficij cauſa. F
quippe obuerſantia interdum eiuſmodi viſa, maiorem in modum extimeſcunt.Sed qui ſimulacris diuinos habent honores;ij inter cætera illo vel in primis ridiculo genere ſuperſtitionis vtuntur. Ad captanda itinera,vel grauiores quaslibet auſpicandas res,adhibita ad ſtatuam precatione, ſortes obſeruant: quarum eſt ritus eiuſmodi. Dimidiatos globulos è ligno duos, ad iuglandis fere magnitudinem,filo traiectos;coram ſimulacro ipſo temere ac fortuitò iaciunt. Si ambo ſupini, vel etiam alterno conſederint ſitu (quod vulgo infauſtum putatur) idolum verbis ac iurgijs malè admodum accipiunt:dein, quaſi cõtumeliæ pœniteat;rurſum delinimentis,votiſq;, ac ſupplicationibus propitiare cõtendunt. Si nihilominus aduerſæ appareant ſortes;idolum videlicet acerbius plectitur.ad verba accedunt verbera; in aquas proijcitur; amburitur igni: dein blanditijs denuò, ac promiſſis placatur.atque in hac viciſſitudine tandiu perſiſtunt, quoad iacta in ſortes ambo miſſilia prona conſiſtant. Tum verò, modulato carmine grates laudeſque agunt inani Deo. mox etiam, egregiè conditas coctaſque gallinas, anates, anſeres,oryzam, &, quod præcipuo eſt in honore menſarum, offerunt ſuillum caput,& cantharum vini.Ex ijs vbi ſingulis aliquid in diſco;porcini capitis

A pitisimas auriculas, reliquarum altilium vngues, vini guttas aliquot in ara ſimulacro appoſuerint (qui vetus eſt libandi mos) cæteras ipſi dapes magno cum tripudio, & effuſa lætitia comedunt. Mortuorũ exſequiæ celebrantur in hunc ferè modũ. Patrem familias, vt exſpirauit, quàm optimis veſtimentis indutum, in cathedra collocant. huic ad genua procumbens vxor primùm, dein filij, tum reliqui deinceps propinqui & amici cum lamẽtis & lacrymis vltimum dicunt Vale. Poſtea corpus in arcam includunt, ex odorata & minimè putri materia: cõmiſſuris cũ alio ſpiſſamento, ne fætor emanet; tum lamina ferrea diligenter obſtructis. eam arcã in amplo cõclaui, veſtitis lino parietibus, à terra ſuſpẽdunt, ac linteo tegũt, in quo picta imago defuncti conſpicitur. Ante id conclaue, aut in ipſo ædium veſtibulo, ſtant menſę opiparis onuſtæ dapibus. quindecim ipſos dies arca domi adſeruatur: cognati & noti locum officij cauſa frequẽtant; ſacerdotes verò, noctu præſertim, piacularia ſacra Dijs manibus faciũt; ac pictilem chartam vel ſuper demortui cadauer cum certis carminum præfationibus cremant; vel prætentis toto conclaui funibus appenſam agitant; vociferantes, eo motu animum defuncti ocyus ad aſtra tolli. poſt quintumdecimum diem, arca in campũ ſe-
B pulturæ dicatum ſolẽni pompa deuehitur. ibi cadauer incluſum, paulatim abſumit dies. interea ſeſe identidem Hoxiones ingurgitant cibo: eaq; illecti ſagina, locupletum præcipuè funeribus inhiant. Mortuos, proximi biennium, vel etiam triennium lugent. quo temporis ſpatio craſſiorem tunicam apprimunt carnibus, & horrida ſeſe reſte præcingunt. filij, ſi perſonam gerant publicam, illicò ſe abdicant magiſtratu. Hæc de ſepulcris. Ac ne maritimæ quidem res ſuis carent ſuperſtitionibus. Quæ naues primùm deducẽdæ ſunt, haſce Lunæ, vel cuipiam fabuloſo dicatas Deo, varijs expiamentis & ſupplicationibus luſtrare mos eſt. Ac cæteris item in rebus alias alij cæremonias ac ritus obſeruant. Sunt qui omnem de Dijs ac ſpiritibus opinionem planè & impunè derideant: vnum eſſe interitum hominum ac iumentorum; neque poſt mortem reſtare quicquã omnino, arbitrentur. Huic de ſuperis perſuaſioni, conſentanea hominum ipſorũ inter ipſos eſt fides: quã eatenus colunt, quatenus commercij neceſſitas, & fructuoſa exiſtimationis ratio poſtulat. ea remota, nequaquam ij ſunt, quibuſcum in tenebris mices. quin etiam, totius humanitatis multis in rebus videntur expertes. alienigenam fermè auerſantur, & interiore (vt dictum eſt) vſu & hoſpitio prohibẽt.
C Aere alieno preſſi, liberos vel mancipio & nexui dant; vel etiam (quod multò flagitioſius eſt) adhibita omni lenociniorum arte, proſtituunt. Vngues enormem in longitudinem excreſcere patiuntur: quaſi verò id (quemadmodum apud Græcos olim & crepidis vti, & comam alere) ingenui hominis, & ſordidis operibus nequaquam occupati indicium ſit. Cognitores capitalium rerum, amplianda toties cauſa, per ſpeciem lenitatis, diram crudelitatem exercent. quippe rei, quorum magna ſemper eſt multitudo, interim onuſti catenis, noctu præſertim, arctiſsimeque inter ſe conſtipati & conſtricti, adeò ſęua ac tetra cuſtodia detinentur; vt dilatam à iudicibus mortem haud pauci quotannis accerſant, ſibiq; ipſi afferant vim. Interea, in conſpectu comeſſantis ac ludibundi ſæpe iudicis, ſeriæ quæſtiones per tormenta exercentur: quorũ cùm alia ſunt genera; tum illud quotidianum. Pro virgarum faſcibus cubitali arundine vtuntur, cuius ante meminimus, lata digitos quattuor, craſſa vnũ; & quidem igne toſta, quò grauiorem faciat plagam. hoc ſæuitiæ inſtrumẽto, humi ſtratorũ, ac ſæpè inſontiũ artus ac plantæ adeò acriter & acerbè cæduntur, vt qui nõ robuſtiſſimo ſunt corpore, vel fracti ac debilitati diſcedãt; vel etiam inter ipſa verba nonnunq; exſpirẽt. Cũ hac gentis immanitate, profuſa libido coniuncta eſt. abdomini cęteriſq; indignis homine voluptatib⁹ intẽperanter indulgent. Leges & edicta magis

ad ſer-

ad ſeruitutem & abiectionem; quàm ad virtutẽ & animi magnitudinem, D
informant populos: atque ob id ipſum, etiam in bellica re nationibus alijs
inferiores haud immeritò exiſtimantur. Externum ad grauiores expediti-
ones conducunt militem. Id firmamentum eſt belli. Rex, barbara & ſtulta
quadam arrogantia, ſeſe dominum mundi, cæli filium appellat. Priuato-
rum fortunas, & partam ſudore & vigilãtia rem, per publicanos & exacto-
res duriſſimos atterit: ex ipſis etiam capturis impudicarum, quod à Caligu-
la olim factũ legimus, fœdiſſimo vectigali inſtituto. Externorum Regum
oratores, quos quidem iure beneficiario ſibi habet obnoxios (ſunt autem
plures varijs impoſiti nationibus, quarum olim imperium depoſuit Sina)
per ſummum faſtum & ſuperbiam tractat. Non niſi humili equo inſiden-
tes, qui pro habenis vili regatur fune; in regiam vrbem deſpicatiſſimi in-
troeunt. dein pedites intra palatij aditum accepti; ad partem eam in qua la-
tere audierint Regem (nam ipſius quidem aſpectu prorſus arcentur) cum
quina ex interuallis adoratione procedunt. tum elata voce, legationem, ni-
xi genibus peragũt. adeſt regius apparitor, qui cuncta per ſcribam excipiat;
idemque, veluti numinis internuntius, ferat ab Rege reſponſum. eo acce-
pto reſponſo, ceſſim orator, & ſubinde flectens genua, planè inhonoratus
abſcedit. Inter hæc, & alia longè turpiora, quorum vel mentionem bene E
morata horreat mens; nihilominus elato ſupercilio Sinæ reliquas omnes
gentes præ ſe contemnunt: rudes, inertes, barbaras putant. de ſuis tantùm
ipſi rebus magnificè & gloriosè non ſentiunt modò, ſed prædicant. Noſtris
tamen hominibus tribuere nonnihil videntur. quippe Sinas vtroque ocu-
lo præditos aiunt, Europæos altero, cæteros neutro. In hoſce mores & in-
ſtituta, Chriſti diſciplinam inſerere, quantæ ſit molis, quilibet non imperi-
tus rerum exiſtimator facilè iudicauerit. obſtant regia edicta, & difficultas
introitus. Obſtant conſpirationes antiſtitum, qui peregrina in eas terras in-
ferri ſacra; & extorqueri ſibi nefarios quæſtus, & coargui mendacia mini-
mè patiũtur. obſtat regionis feracitas, & libidinum illecebræ, & cætera ma-
lorum irritamenta; &, quo nihil cœleſti philoſophiæ inimicius eſt, faſtus &
ſuperbia, & ſuarum omnium rerum amor quidam infinitus. accedit edu-
catio puerilis, & fabulæ, & opinionum hauſta cum ipſo lacte peruerſitas.
Verùm nihil planè maiori eſt impedimento, quàm noſtratium Chriſtia-
norum (quos ethnicis prælucere ad omnem iuſtitiam & caſtitatem opor-
tuerat) tanto nomini ac profeſſioni minimè conſentanea quotidianæ vitæ
documenta. neque enim tantam ſpectata paucorum innocentia & virtus F
adſtruit Euangelio fidem; quantam inſignis multorum, & notiſſimi ferè
cuiuſque, auaritia & improbitas adimit. Hactenus de Sinarum moribus:
quo in genere varia, tametſi nondum ad plenum explorata, ſubinde in Lu-
ſitaniam perferuntur: quæ ego ſi perſequi velim, immemor propoſiti mei
ſim, quo mihi præcipuè noſtrorum hominum acta, non aliarum gentium
ritus, vel inſtituta, litteris mandare decretum eſt. Nunc ad inſtitutum re-
uertor. E Sinarum prouincijs, maximè occidua eſt Cantonia. Eò priuſquã
peruenias, multæ occurrunt inſulæ; quas præfecti regij præſidijs & claſſibus
tenent: neque ipſorum iniuſſu progredi aduenas Cantonem eſt fas. Fer-
nandus Andradius, vt exponere cæperã, cùm ad Tamum inſulã peruenis-
ſet; poſt diuturnam moram, tranſitu ægrè tandem impetrato, cum duobus
expeditis & egregiè ornatis nauigijs, cætera claſſe ad Tamum relicta, Can-
tonis portum inuehitur; ac magiſtratuum permiſſu Thomam legatum ex-
ponit; cui ædes & lautia de more attributa. ibi Fernandus, mira lenitate ac
iuſtitia contrahendo cum incolis; haud ita difficili negotio aditũ ad ea cõ-
mercia noſtris aperuit: auxit probitatis exiſtimationem, quod ſub tẽpus re-
uerſionis, de ſuo diſceſſu per præconem tota vrbe denũtiari iuſſit; vt ſi quis

quid

A quid vel ab ſe, vel ab ſuorum quopiam, vel crediti, vel commodati, vel quouis alio nomine repetere vellet; maturè profiteretur. Ea res videlicet magni & innocentis animi viſa. & ex vnius viri moribus, de totius nationis virtute nimirum exiſtimabāt: apparebatq; maximo cum rei Luſitanæ incremento ſocietatem hanc inſtitutam; niſi poſt Fernādi profectionem, aliorum deinde nauarchorū cupiditas ac licentia, qui Malaca ad ſpem ingentis lucri, in eadem loca venêre, opinionem Luſitanicæ iuſtitiæ fideiq́ue propemodum ſuſtuliſſet omnem. Siquidem ex ijs quidam ad Tamum in terram egreſſi primò ne appellatis quidem magiſtratibus, caſtellum excitarunt. ibi tormentis vigilijſq́ue diſpoſitis, imperium vſurpare, negotiationem communem interuertere, ac ſibi propriè vindicare; externos æquè atque incolas iniurijs & contumelijs intolerandis afficere; virginibus vim inferre; à plagiarijs ingenuos ingenuasq́ue coemere; nō popularibus modò ſuis, & optimo Regi, verùm etiam, quo nihil atrocius eſt, Chriſtianæ diſciplinæ, ſanctiſſimiſq́ue parentum inſtitutis, dedecori ac probro eſſe. itaque paucis diebus, inſtigante malo dæmone, meriti ſunt; vt non pro ſocijs amiciſve, ſed pro immanibus piratis atque hoſtibus haberētur. neque verò ſum neſcius, hæc ipſa minuere Barrium & eleuare dicendo. cuius ego auctoritate fretus,
B multa reticuiſſem; niſi eadem illa Goeſius primùm, dein Oſorius planè diſertis verbis arguerent. Igitur Luſitani, à præfectis regijs valida claſſe circumſeſſi, cùm in eo iam eſſet vt caperentur; ſæua tempeſtas repentè coorta Sinarum naues diſſipauit, ac diſtulit. Per eam occaſionem elapſi, pecunia, quàm gloria conſpectiores Malacam redière. Triſtior multo fuit Thomæ Petreij legationis exitus. is magno labore quadrimeſtre amplius iter emenſus; cùm ad regiam denique peruenisſet; præoccupatas cùm aliorum; tum verò Cantoniorum magiſtratuum litteris & criminationibus, Regis & ſatraparum offendit aures. ita, non modò Regis conueniendi poteſtas legato facta non eſt; ſed etiam de conſilij ſententia pro exploratore comprehenſus, & Cantonem remiſſus, in carcerem conditur: vbi omnibus incommodis paulatim abſumptus, inter maleficos fureſq́ue nocturnos vitam miſerabili fine concluſit. Hunc maximè in modum, paucorum ſcelere alienati Sinarum animi, & famæ fideiq́ue inæſtimabile damnum eſt factum. ac deinceps, quotquot ex orbe noſtro in ea loca vel ſuis, vel alienis nauibus deuenêre; peſſimè accepti mulctatiq́ue ſunt: & complures in annos, nomini Chriſtiano, ac Luſitano præſertim, ora nulla fuit infeſtior.

Libri ſexti Finis.

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER SEPTIMVS.

INTEREA Sultanus Campſon, ad abolendam acceptæ ad Dium cladis maculam,& arcendos Arabia Luſitanos, claſſem omni conatu ad Suezium reparabat, auctore maximè Hoceno Perſa, de quo ſupra docuimus. Is,cùm ex Dienſi prælio, Campſonis iram non ſine cauſa pertimeſcens,ad Mamudium perfugiſſet Cambaiæ Regem;placandi Campſonis,& recuperandæ priſtinæ dignitatis & gratię, tale conſilium inijt.Gidda eſt emporium in Arabico ſinu, diei fermè itinere à Meca; idemque portus peregrinis,qui praua inducti religione,ad falſi prophetæ ſepulchrum vndique confluunt. Ea vrbs, quod nullis clauſa mœnibus, nullo præſidio vel arce teneretur; & aliquoties iam à Campſone defecerat,& Arabum campeſtrium, quos vocant Baduinos,incurſionibus repentinis erat vehementer infeſta. Porrò Luſitani ſi frequenti nauigatione ijs regionibus adſueſcerent;metuẽdum erat, ne Gidda nullo negotio occupata,eodem impetu Mecanam euerterent ędem; ac Mahometis reliquias,ad ſolatium interceptę ab Saracenis Hieroſolymę, diſſiparent.Eo animaduerſo periculo Hocenus, totam rem cum Cambaino Rege primùm,dein cum ſatrapis & principibus contulit. publicamque iactando cauſam;& religionem ac pietatem (vt ſæpe fit) priuatis rationibus prætexendo,facilè obtinuit,vt contra vim Luſitanam,cingendæ muris Giddæ magna ſibi cùm à Rege,tũ à priuatis,pecuniæ ſubſidia præberẽtur. Cum ijs ſubſidijs Giddam delatus, ingenti oppidanorum lætitia excipitur. Inde primùm auſus Campſonem compellare per litteras, culpa cladis nuper acceptæ,neglectas in religiones,& iuſtam numinis iram artificiosè collata;docet,ſibi eſſe in animo,ad ſacrarium Mahometis ab omni tuendum iniuria, & Luſitanos Arabico littore prohibendos,Giddam vndiq; apertam firmare munimentis: id vbi ſumma ciuium voluntate perfecerit; tum etiam, in Campſonis gratiam,nec opinantibus ijs arcem imponere;ne,quod antea fecerint,in poſterum ab eius imperio atque auctoritate deſciſcant. In eam rem affatim ſibi pecuniæ aliunde ſuppetere: tantùm à Campſone ſibi peritis munitoribus opus eſſe. poſtremò hortabatur, vt aduerſum conatus noſtrorum, claſſem ſine mora reficeret: accenſiſque ad Mahometanam tuendam rem,Chriſtianoſque pellendos, Indorum principum ſtudijs, ne deeſſet.Ea ſatisfactione, tamque enixo ſtudio religionis delinitus Campſon,nõ iras modò poſuit;ſed etiam ſtructores & architectos Giddam extemplò deportandos curauit:quorũ aſſidua opera,& Hoceni ſedulitate, breui murus cum propugnaculis vrbi circundatus eſt.arcis exſtruendæ, quod maturum eius rei tempus nondum eſſet,cura in poſterum dilata. Simul etiã,comprehenſis in Alexandrino portu naualibus fabris Italici maximè generis, & cũ noua materia tranſmiſſis,vt ante,Suezium; claſſis ædificata maiorũ nauiũ, quæ partim remis,partim velis agerentur,ſeptem circiter & viginti. In eas

epibatæ

A epibatæ impoſiti ad tria millia, miſti Mammaluci Arabeſque; & ex alijs nationibus Chriſtianæ fermè fidei deſertores. Omnibus ijs præpoſitus cum ſummo imperio nobilis archipirata Solimanus Mitylenæus, qui tum propter latrocinia Turcicis finibus exſulabat, adiuncto legato eodem Hoceno; quem pro Mir Hoceno, Amiraſen, vocabuli ſimilitudine decepti, dixêre nonnulli. Erant tum Arabicæ fauces, quaſi victoriæ præmium, Aegyptijs ac Luſitanis in medio poſitæ: neque erat dubium, quin vtri priores ea clauſtra cuſtodijs occupaſſent; Arabicum pelagus, totamque eam nauigationem eſſent in poteſtate habituri. itaque ijſdem vtrinque artibus & conſilijs certabatur. vtriſque propoſitum erat Adeno potiri: ſin id minus è ſententia cederet; vicinum aliquem locum permunire, atque obtinere præſidijs. Quod cùm Albuquercius iam ante fruſtra tentaſſet; tum Solimanus quoq; aggreſſus, cum vniuerſa claſſe primùm omnium Adenum acceſſit. & initio conatus oppidanos ad voluntariam deditionem allicere; cùm ferocia reſponſa tuliſſet; vrbem ſumma vi oppugnare cõſtituit, ignarus, præter muros turreſque præualidas, quàm illa firmo ac fideli præſidio teneretur. Si quidẽ ad primos Aegyptiæ claſſis nuntios, Amiriani præfecti accitu, non è vicinis modò locis magna auxilia conuenerant; ſed ipſe quoq; Rex, ab Elach vrbe,
B quæ caput eſt regni, cum haud contemnenda militum manu raptim eò ſeſe contulerat. Igitur admotis ab Solimano triremibus, vario genere tormẽtorum vrbs acriter quati cæpta. iamq; crebris ictibus labefacta nõ exigua muri pars cum ingenti fragore prociderat: & Solimanus Mãmalucos ad ineũdam forti animo pugnã hortatus, veteremque militiæ gloriam nouo decore augendã; copias ad littus exponit. perque patefactum ruina iter auſus in vrbem irrumpere, præter opinionem acerrimè reſiſtentibus oppidanis, cum magna ſuorum cæde vulneribuſque repellitur. Ergo, tum ex propugnatorũ frequentia; tũ ex vnius temerè tentati prælij euentu cõiectans, quã non ſuarum virium ea oppugnatio eſſet; conſcenſis trepidè nauibus, retrò ad Camaranũ auertit iter. Ibi, expoſito omni fabrili inſtrumẽto, idoneus arci exſtruẽdæ locus eligitur. ac poſitis fundamentis, intenta cura & labore murus ducebatur latus pedes duodetriginta. Cæterùm, ſuperante in id multitudine, Solimanus, ne otioſa interim haberet ſtatiua; Hocenum cum nauali maximè turba ad opus promouẽdum reliquit. ipſe cum expedito milite in cõtinentem egreſſus; oppidum Arabiæ Felicis, Zebitum, duodecim fermè leucas à mari, improuiſo aduentu cepit. Locus erat cùm refertus opibus; tum etiam
C elegãtia & cultu viſendus. ibi dum Solimanus partim amœnitate regionis, partim dulcedine prædæ retẽtus, moram trahit; interea ad Camaranum triſtes nuntij incerto auctore afferuntur, Campſonem cum omnibus copijs ab Selymo Ottomano deletum. Hocenus, qui & ab innato Perſis in Græcos odio, Solimanum auerſaretur; & antelatum eum ſibi in maris præfectura periniquo pateretur animo; oblatam occaſionem auidè arripuit, ab eius auctoritate claſſiarios abducendi. concione aduocata, cunctos hortatur, vt quoniam Aegyptia res in extremum ſit adducta diſcrimen; operoſa, & inutili abiecta munitione, ſecũ ad vrbem Giddã è veſtigio redeant; oppidumque in primis opportunũ, ac recenti firmatũ opere; itemq; claſſem tanto impendio & labore paratam, Aegyptio imperio ſeruare nitantur. Neque in id, cõſulto imperatore opus eſſe; qui & incerta fide vir, & natura Ottomanico addictus nomini; quę prima ſe dederit facultas placandi ac demerendi Selymi, nulla iuriſiurandi religione rem Aegyptiam ſit hoſti teterrimo proditurus. Ea oratione gratius nihil ad aures Aegyptiorũ accidere potuit. nã prę terquàm quod cæli, & aquarũ grauitate, valetudo maximæ partis tentari erat cæpta; fremebant inſuper, ſe in ſordido, ac laborioſo, & nullius emolumenti miniſterio relictos; cùm interim cæteri, partim vrbis opulentæ ſpo-

lijs ditarentur;partim etiam ad ſatietatem ſe ſe in ſomnum,ac cibum, aliaſ- D
que voluptates immergerent. Inde,omiſſa ędificatione,vnanimes Giddam extemplò traijciunt;nauigijs aliquot ad Arabicum littus non tam in Solima ni gratiam, quàm ad Mammalucos deportandos relictis. Id vbi reſciuit imperator;ictus atrocitate facinoris,perfidum ac ſeditioſum Hocenum increpitans,cum ea quam habebat manu ſine mora ſubſequitur. Ad vrbē Giddam appropinquanti portæ ab Hoceno clauſæ.tum verò accenſus rabie ac furore Solimanus palam ſe ad oppugnationem accingere, cruentaque interipſos Mahometanos haud dubiè pugna imminebat;ni Paracates, Mecanæ præſul ædis,cognito periculo,confeſtim aduolaſſet. Eius aduentu ſedata certâmina,patuitque Solimano introitus,ea lege, vt dum de Campſonis voluntate vel obitu certiora afferrentur,ijs quas tum habebat copijs dux vterque ſeparatim præeſſet. Cæterùm intromiſſus Mitylenæus, fide nimirū egit Aegyptia. Comprehenſum fraude Hocenum, vti opibus imperioque plus poterat,in vincula conijcit: dein ſilentio noctis prouectum triremi in altū, fluctibus mergi iubet. Ita, ad vnum Solimanum, rerum omnium poteſtas, & arbitrium redijt. Ac paulo poſt,explorato & cognito exitiali Campſonis exitu; vt in gratiam cum Selymo rediret,trahendis in Ottomanicam ditionem omnibus circa nationibus populiſque,operam deinde nauauit egregiam:ac demum ab Solimano Selymi filio Cairi præfecturam adeptus eſt. At Emmanuel,de Sultani comparatione rurſus ab Rhodijs certior factus; ad Prætorem Lupum Soarium de rebus ijs maturè perſcripſerat; mandauerat- E
que vt contra eum apparatum ſumma ope inſtrueret ſe ſe: ac quanta maxima poſſet claſſe vltrò ad Arabiam tenderet;neu Aegyptios cum Indis coniungi(nam id erat ijs initiò conſtitutum)vlla ratione pateretur. Soarius, ab dimiſſo in Sinas Andradio,ſtatim ad eam expeditionem omnes curas,& cogitationes intenderat:adhibitaque diligentia,naues, quot antea nunquā, ſeptem & triginta,cunctis rebus ornarat. Cum ijs profectus ab Goa, præter Cambaiam Armuziamque,repente ad Adenum applicuit. Perculſus inopinato aduētu,& claſſis magnitudine Amirianus,qui magnam muri partem è recenti Aegyptiorum oppugnatione ſtratam adhuc ruinis haberet;excidium metuens,tempori paruit;&claues vrbis confeſtim ad Luſitanum ſuppliciter miſit:& cur ſibi minus cum Albuquercio conueniſſet,cauſatus pręfractum & aſperum ingenium viri; ſeſe ad vrbem dedendam,accipiendum intro præſidium,& imperata facienda paratum oſtendit. Omnino præclara F
erat occaſio tam opportunæ potiundæ vrbis;& maximo rei Luſitanæ compendio, Saracenis & Aegyptijs Indicum mare in omne tempus intercludendi. Verùm Soarius,antiqui moris homo,qui nimirum alienam è ſua æſtimaret fide,ne quid copiarum in ea cuſtodia relinquere cogeretur; atque vt quàm integerrimas ad hoſtem afferret vires;prauo, quin potius nullo conſilio,rem in poſterum diſtulit: in præſentia, commeatu multiplici in claſſem exacto, ad Camaranum proceſſit. At Amirianus, & incolæ, ingenti leuati metu, nulla mora interpoſita reficere muros, alimenta conuehere, cuſtodias augere,nitique certatim, vt tam eximiæ,tamque inſperatæ ſuperum in ſeſe indulgentiæ,pro ſua quiſq; parte reſpondeant. Interim ad Camaranum fœda tempeſtate naues Luſitanæ amiſſæ quattuor;quibus, præter validam iuuentutem,omnis etiam vehebatur ædificādi apparatus. dein, cùm nuſquam appareret hoſtis;dimiſſæ ad explorandos maris receſſus aliquot actuariæ. In eas cùm incidiſſet excuſſum ex Aegyptia claſſe nauigium, in quo erant Italici fabri fermè triginta, cognitum ex ijs eſt, Solimanū Giddæ ſe continere,ſubductis in tutum nauibus. magnam ibi ſolicitudinem, magnum eſſe terrorem;quod Luſitani ad dimicandum parati omnium virium mole aduentare dicantur. proinde, ſi perculſis quàmprimū inſtent;

vrbem

A vrbem haud dubiè vel armis, vel conditionibus, in poteſtatem eſſe venturam. Hoc nuntio erectus Prætor, extemplò Giddam iter edixit. Vt in conſpectu fuit claſſis, primò in vrbe vſq; adeò trepidatum eſt, vt deſperata defenſione oppidani vulgò parārent fugam: Prætoris dein mora, & Solimani adhortatio reſtituit animos. Et copiæ ab eodem extra mœnia productæ, ad oſtentandam hoſti fiduciam, inſtructo agmine decurrere. Addebat audaciam ipſa loci regio: quòd vrbs à mari, admodū inſidioſo acceſſu, cœcis & humilibus circa vadis, vno tantùm, & eo ſinuoſo ac perangusto aditur euripo. cuius cùm in ipſo flexu caſtellum excitarant, tum etiam alijs locis tormenta in hoſtes opportunè direxerāt. Quæ omnia non tam ad reficiendos ex timore oppidanos, quàm ad abſterrēdum à congreſſu Prætorem valuêre. Ergo, ne Luſitanam rem in diſcrimen obijceret, nequicquam expoſcente pugnam milite, & minoribus præfectis tantam ignauiæ notam inuri nomini Luſitano querentibus, Prætor oppido abſtinuit; paucas tantùm naues in portu ſuccēdit: ac tanto apparatu nulla regeſta, explodentibus & exſibilantibus de more barbaris, ineunte iam hyeme ad Camaranum reuertit.

B Ibi, quòd nulla ad ædificandum cæmenta ſuppeterent, inchoatum ab Aegyptijs opus inſtitit demoliri. Quo in opere dum dies noctesq; naualis turba verſatur; ex aeris inrēperie graſſari morbus in claſſiarios cæpit: ac paucis menſibus tetra lue abſumpti permulti. accedebat ad grauitatem cœli, magna annonæ difficultas, vt in deſerto loco, & hoſtili circa regione. Tantùm è Ceilifo proximo vico Arabes venalia cibaria ad littus comportare cœperunt. ſed carè Luſitanis id ſubſidium ſtetit. Lembus vnus è claſſe ad commercium quotidie commeabat. Is, cùm nihil tale noſtri timerent; ab duobus ſpeculatorijs Aegyptiorum nauigijs, indicio & fraude Ceilifanorū excipitur. Luſitani ſeptendecim in eo lembo nauigabant. Comprehenſi omnes, & minimè tum vulgari munere, ad Selymum ab Solimano tranſmiſſi ſunt. Inter haſce clades & ærumnas, hyberna tranſacta. & aperiente ſe iam vere, Prætor, ne nihil omnino egiſſe videretur; ex Arabico ſinu ad Africū littus traiecit. Aualites ibi eſt emporium olim nobiliſſimum: nunc, vt humanæ ſunt vices, negotiatoribus infrequēs; ac vulgò Zeila appellatur; nullis vallatum mœnibus, aut propugnaculis: ac tum, propter finitima cum Abaſſino bella, magna ex parte deſertum, modico, tantùm in ſpeciem, reguli præſidio tenebatur. Id oppidum, quod Solimano Adenum petēti enixè fauerat, omniaque neceſſaria benignè ſuppeditārat; Luſitanus Prætor oppugnare ac delere conſtituit. Expoſitis cohortibus aliquot, per minores duces haud ita magno certamine confecta res eſt: cæſisque cuſtodibus, in ipſa tecta facibus & incendijs adeò acerbè ſæuitum, vt ne alimētis quidem, quibus vel maximè egebant, Luſitani pepercerint: nimirum Adenica freti copia, quò Prætor tanquam ad certam poſſeſſionem tota ſpe & cupiditate ferebatur. ſed eum improuida longè fefellit opinio. ſiquidem ab Zeilana clade tranſuectus Adenum, cùm ab Amiriano fidē promiſſi repeteret; magno ſuo dolore denique ſenſit; quàm fugacia ſint occaſionum momenta, & quàm irreuocabilis rerum bene gerendarum præteruolet opportunitas. Amirianus quippe, dum rubro mari Luſitani vagantur, non modò nouis operibus militibusque firmarat vrbem; ſed etiam per explorātores, de naufragijs interituque noſtrorum, ac turpi ab Gidda receſſu didicerat. Itaque rediens quaſſata claſſe & imminutis cōpijs Prætor, adeò non mouit oppidanos, vt ijs etiam ludibrio & contemptui fuerit. In ſumma rerum inopia, portu excluſus, modica vix aquatione impetrata, plenus damni ac mœroris, Indiam irrita expeditione repetijt. Quietæ dein ab Aegypto res per aliquot annos fuēre, dum Ottomanus, extincto Sulthano, & ſublatis ab radice Mammalucis, Alexandrinum imperium, & Africæ noua regna ſibi conſtituit.

ſtituit. Per eoſdem fermè dies, quibus circa Arabiam naualis afflicta res eſt, D
ne Goa quidem vrbs multum ab extremo periculo abfuit vnius hominis
temeritate, quem arcta ſibi affinitate deuinctum diſcedens Prætor, Goæ
Præfectū perampla cum poteſtate reliquerat. Huic ſimultas vetus cum Cal-
deria quodā intercedebat, Albuquercij alumno, viro egregiè ſtrenuo. qui
poſt Prætoris profectionem, vbi ſummam rerum omnium penes aduerſa-
riū vidit; veritus, ne is pro magiſtratu exerceret inimicitias; ex inſula in cō-
tinentem profugit Pondam, quo nomine portus vicuſq; abeſt ab Goa paſ-
ſuum circiter octo millia. Pro Idalcane Ancoſtan ijs finibus præerat. Ab eo,
propter fortitudinis famam Calderia comiter acceptus, in honore habe-
batur. Id vbi Goanus reſciuit; per internūtios inimicum exſulem ab Anco-
ſtane vehementer expetijt. Ancoſtan, qui ad rem ac dignitatē Idalcanis per-
tinere arbitraretur, tutum ad ſe cuilibet eſſe perfugium, præſertim cùm in
fœdere nihil eiuſmodi nominatim cautum fuiſſet; adduci ſe nō eſt paſſus,
vti receptum in fidem Luſitanum expoſcenti proderet inimico. Ea re ac-
cenſus Goanus, per interpretem cōuitia primùm & minas in Ancoſtanem
iacit: dein, ſpecie transfugæ, percuſſorem Calderiæ ſubmittit Ioannem Go-
metium, virum audacem, & ad eiuſmodi promptum facinora. Is à Calde-
ria in hoſpitium benignè acceptus, & in Ancoſtanis amicitiam ac familia- E
ritatem breui perductus; cùm inuitatu Ancoſtanis, oblectandi animi cauſa,
in campum vnà cum cæteris primoribus prodijſſet; per cauſam ſecretioris
colloquij ſeductum pauliſper à comitatu Calderiā, pęne in Ancoſtanis cō-
ſpectu, nihil minus opinantem interficit, ac ſubditis equo calcaribus inde
ſe proripit. Enimuerò indigna res omnibus viſa: & dimiſſis continuò equi-
tibus, è fuga retractum inſidiatorem ſua ipſe manu Ancoſtan iratus obtrū-
cat. Tum verò amens furore Goanus, omnibus modis amicum vlciſci, ac
priuati odij cauſa, publicam rem in diſcrimen vocare non dubitat. Paſcha-
les tum fortè agebantur feriæ; & inſtabat quinquageſimæ diei celebritas,
quam Græco nomine Pentecoſten appellant. In eum diem Præfectus, per
ſimulationem ludorum atque certaminūm coacto milite, Fernādum fra-
trem, & Ioannem Machiadum, de quo ſupra commemorauimus, Pondam
quàm occultiſſimè iubet inuadere, & Ancoſtane ipſo interempto, vicū prę-
da exhauſta delere. Octoginta non amplius equites in eam rem vtrique at-
tributi, & pedites Luſitani ſeptuaginta, & Indorum maior aliquāto nume-
rus. Ij noctu vado tranſmiſſo, cùm, ſi maturatum foret, hoſtes alto ſopore
merſos in tenebris opprimere potuiſſent, atque idipſum enixè Machiadus F
hortaretur; Fernandus, penes quem erat imperiū, lucem opperiri æquè ſto-
lido ac pertinaci conſilio maluit. atq; hæc ducis ipſius: illa militum fuit cul
pa. Campum, in quo Ponda iacet, ab Goa petentibus, arctior & impeditior
ſaltus intrandus eſt: cuius fauces vel pauci homines facilè tueantur. Ad eas
obtinendas anguſtias, quò tutum, ſi res poſceret, copiæ receptum haberent;
prouido Machiadi monitu pedites relicti complures. ij, vt agmen præceſſit,
ne prædæ poſtmodum expertes forent, ſtatione per ſummum ſcelus deſer-
ta, protinus antecedentium veſtigia ſubſequuntur. Vti Pondam appro-
pinquatum eſt; obſcura nox & quies vtrinque texit inceptum. Aduentan-
te dein luce, frēmitus equorum, & armorum fulgor inſidias prodidit. Con-
clamatum ergo confeſtim ab incolis ad arma eſt: & primò ignari quanta
Luſitanorum eſſet manus, Ancoſtane duce, fluuium qui Pondam præter-
fluit, raptim tranſgreſſi, in tutum ſe ſe recipiunt. mox, paucitate noſtrorum
animaduerſa, collectisque è repentino pauore animis, denuò traijciunt flu-
men; & in hoſtes palatos, atque ad rapinam potius quàm ad pugnam inten
tos, conferti ipſi & conglobati dant impetum. Vix primam impreſſionem
ſuſtinuit Luſitanus; &, paucis exceptis, cæteri curſu anguſtias repetunt,

loci

A loci difficultate, ſi minus virium præſtantia, ſeſe defenſuri. verùm eas quoque nudas cuſtodibus, barbari iam inſederant. ità, in medio deprehenſi Luſitani paſſim cæduntur. Machiadus, egregia corporis & animi fortitudine cùm aliquandiu reſtitiſſet, neque vllam cerneret ſpem ſalutis; ad Fernandũ conuerſus, erumpe tu, inquit, ſi qua potes, dum hoſtem ego vtcunque ſummoueo: & Goam vbi peruèneris, fratri tuo renuntiato; dum iracũdiæ dolo riſque intemperanter indulget, quàm expetenda ad præmia opimamq; prædam præcipuos è Luſitano præſidio miſerit. His dictis, miro animi ardore ſe rurſus in hoſtem concitat; & egregiè dimicans, multis confoſſus vulneribus ipſe & circa eũ quinquaginta fermè Luſitani pedites aut equites cadunt. è reliquo numero capti ſeptem & viginti. in ijs nobiles & honorati viri aliquot ex Emmanuelis familia. E ſocijs Indis, amplius cẽtum aut occiſi, aut in ſeruitutem abducti. cæteri notis callibus trepida fuga latebras ac nemora petiêre. Fernandus, inter hoſtium tela, ſtragemque ſuorum, pernicis equi beneficio præter ſpem euaſit. Ad eius cladis nuntium, ingens luctus & mœror in vrbe fuit. ac vulgò liberis, aut cognatis orbati æquè viri ac mulieres, præfecti temeritatem & furorem exſecrabantur. Idalcan verò, non tam eo ſucB ceſſu, quàm violata ab Luſitanis pace lætari; oblataque ſibi occaſione, quam dudum expetijſſet, Goæ bello recuperandę. quippe tum prælio cuſtodibus imminutis, tum etiam ineunte per eos dies hyeme, quæ in aliquot menſes clauſum externæ opi mare eſſet habitura. Addebat fiduciam, deletæ in Arabico mari Luſitanæ claſſis quamquam incertus rumor; & quod inducijs nuper cum Narſingano Rege Criſnarao pactis, vniuerſo apparatu ac totis viribus in bellum Goanum ſibi liceret incumbere. Hiſce adductus rationibus Idalcan, primarium è ſuis ducibus, Ancoſtane adiuncto, Zufolarinũ, cum ſex & viginti peditum, quattuor equitum millibus ad Goam proficiſci iubet. Eo terrore in vrbem allato; Præfectus quotquot per ætatem ferre arma poſſint, cuſtodire muros, & locis opportunis ſtationes agere iubet. ad Beneſtarinum præcipuè intendit vigilias: & quoniam in eo publica ſalus verti videbatur, ne hoſti pateret introitus; quicquid naualium copiarum fuit, partim vada obſidere, partim circumire interdiu noctuque inſulam imperat. ad hæc, paganos, & agricolas, ne, vt olim, iter barbaris aperirẽt; intra vrbem euocatos, vel in opera, vel in præſidia maturè diſtribuit. Zufolarinus, admotis ad littus copijs, cùm aliquoties tranſitum fruſtra tentaſſet, ad extremum C operibus inſulam cingere; & quoniam à mari (vti dictum eſt) nihil eo anni tẽpore ſubuehi poſſet; terreſtribus quoque cõmeatibus omnino inſtitit prohibere. Ita, præciſo omni vndique aditu, penuria primùm, dein famẽ laborari tota inſula cæptũ. ventumque ad vltima foret; niſi, vixdum hyeme exacta, ſingulari Dei beneficio primùm à Quiloa Ioannes Sylueria cum vario cõmeatu, & quadringentis armatis; tum ex vlteriore India Raphael Pereſtrellius cum fortibus viris; ac demum ex ipſa Luſitania cum nauibus ſex Antonius Saldania ſubueniſſent. Huius noui ſubſidij fama, non abſiſtere modò obſidione Zufolarinum coegit; ſed etiam Idalcanis nomine pacem ab Luſitano petere: quę ex vetere formula Idalcani eſt data; cum eo, ſi nuper ad Pondam capti reſtituerentur; & eius pacis Prætor aduenies auctor fieret. ſequutum vtrumque. & captiui cum fide redditi, & Prætor Goam delatus, ratam habuit pacem. Hoc maximè modo Goa tertiùm ab Idalcane obſeſſa, & in ſummum adducta diſcrimen, ex hoſtium faucibus præter opinionem eripitur. Eodem fere tempore, fœdioribus etiam de cauſis, dum nihil minus Luſitani præfecti, quàm de officio cogitant, amiſſa Malaca propemodum eſt. Georgio Albuquercio, qui Abdalam ſumma populi inuidia damnarat indicta cauſa, Georgius Brittus in vrbis præfectura ſucceſſerat. Is, vixdum ſanatis ijs, quæ exulcerata per alios erant; Malacen-

ſibus æquè incolis ac peregrinis admodum grauis eſſe; & inſitam ingenio D
violentiam in omne genus hominum cæpit expromere. Mamudianæ fami
liæ ſeruitijſve, quæ portorijs vel munitionibus, Alphõſi Albuquercij decre.
to, operam dabant; mercedes quotidianas, & alimenta ſubtrahere; alios à ca
lumniatoribus circumuentos, in ergaſtula condere; ereptas iuſtis poſſeſſori
bus villas & prædia, quaſi ad fiſcum deuoluta, amicis aut affinibus peſſimo
exemplo donare; iuncorum magiſtris, qui antea noſtrorũ merces quoquo-
uerſus bona fide vectare conſueſſent, non modò cuſtodes apponere Luſita
nos; verũ etiam, nullo eorũ delicto, ipſas nauium præfecturas adimere; deni
que, crudelitatis & auaritiæ, nefaria paſſim edere documenta. Iis rebus terri
ti qui nuper ad vrbem redierant, cùm denuò diffugiſſent; ac nihil fermè vl-
la ex parte ſubueheretur; tãta rurſum Malacæ ſolitudo, & rerum omnium
caritas conſecuta; vix vt magnis propoſitis immunitatibus præmijſque, &
præcone circumquaque dimiſſo, turbatæ hominum mentes ſedari, atq; ad
modicam celebritatem frequẽtiſſimum nuper emporium redire potuerit.
Cùm in peius quotidie cuncta inclinarent; acceſſit ad res propemodum ex
toto euertẽdas, inteſtina diſcordia. Primum eo tempore & maximum erat
Malacæ munus, arcis præfectura: quod nimirũ tam recẽti dominatu, tamq; E
infeſtis circa nationibus Regibuſque, Luſitanorũ ſalus in eius arcis tutela cõ
ſiſteret. ac proinde, omni cõtempto periculo, reliqui duces ac magiſtratus,
eũ honoris gradũ certatim expetebãt. Georgius Brittus per eos fortè dies do-
lore corporis animique confectus, cùm ſupremam ſibi horam adeſſe intelli
geret; Præfectum vrbis Nonnium Vaſcum Pereriam, vxoris fratrem ſibi ſub
ſtituit, Regis decreto; quod ita mandarat Emmanuel, vt ſi arcis præfecto diẽ
obire contigiſſet; in eius locum vrbis præfectus extemplò ſuccederet. Britto
igitur defuncto, arcem Nõnius occupat. enimuerò id nullo modo ferre An
tonius Patiecus maritimæ rei præpoſitus; quod eam præfecturam ad ſe per-
tinere affirmaret; præiudicata iam ante re Alphonſi ipſius Albuquercij ſen-
tentia; qui Rhoterico Patalino ea lege tradidiſſet arcem, vt eam poſtmodũ
ipſe relinqueret Fernando Petreio Andradio, penes quem eo tempore naua
lis item rei erat ſumma. itaque nullum eſſe dubiũ, quin Georgio demortuo,
protinus ea ſibi vigilia debeatur. Hoc certamine accenſis animis, cùm ſuos
vterque ſectatores haberet; nulla publicæ rei cura, duas in partes diſceſſit
nomen Luſitanum: ac veritus Patiecus ne quid ex ea concitatione tumul-
tus oriretur; claſſem omnem, & quicquid naualis erat turbæ, paruam ad in- F
ſulam recepit è regione Malacæ. Cùm dies aliquot obſtinati ambo ſuſpecti-
que inuicem, in prauo conſilio perſtitiſſent; neque demoueri ſe de ſentẽtia
vllius precibus vel auctoritate paterentur; feſto die quodam Patiecus in cõ
tinentem exſcendit ſacrificij cauſa. ac præter ipſam arcem cum honeſto co-
mitatu ad templum eunti, Nonnius (edicto prius ſuis quid fieri vellet) in ip-
ſo limine apparuit; hominemque blanda compellans voce; Quin, ait, Patie-
ce, noſtrarum litium ac diſſenſionum cognitoribus vtimur, communibus
amicis ac popularibus noſtris, eorumque arbitratu redimus in gratiam?
cùm ad ea audiẽda Patiecus propius ad portam appropinquaſſet; è latebris
repente proſiliens præualidis lacertis Thomas Nonnius elatum inter ma-
nus Patiecum in arcem rapit. Patieci comites, nouitate rei primùm attoni-
ti; parumper hæsêre: dein ſtupore in iram verſo, cùm ducis caritate vim pa-
rarent; partim præſidij metu; partim regijs minis ac denuntiationibus ter-
riti, deſtitêre. Ea res momentò vulgata, non modò nouam furoris & amen-
tiæ labem Luſitanis adſperſit, quod omiſſo cõcordiæ bono, tot vndique cin-
cti periculis, inter ſe ſe contenderent; verùm etiam locum Alodino dies no-
cteſq; in id ipſum intento, ad regnum omni conatu repetendũ, aperuit. Ciri
biges erat apud eum Raia, inter ſuos clarus bellica laude. Is, valida longarũ

nauium

A nauium classe ab Alodino accepta; Muaris fluminis ostia petijt, leucas à Malaca non amplius quinque: aduersoq; amne subuectus, in terram egreditur; ac loco peropportuno, è robusta materia densatoque aggere permunit castra: inde, vti nuper Lacsamana, repentinis excursionibus mare prorsus infestum habere, & in conspectum vrbis Malacæ identidem prouehi, & mox recipere sese; vt, si qua posset, irritatos certamine Lusitanos, ad paratas intra flumen insidias de more perliceret. Harum rerum nuntijs Goam per Verissimum Patiecum Antonij fratrẽ allatis; Prætor Soarius, qui ex Arabia pauo ante redierat, Alexium Menesium cum nauibus tribus, in quibus erant bellatores trecenti, Malacam celeriter misit. ac sub idem fere tempus illuc è Sinis etiam Fernandus Andradius, non exiguo cum apparatu & copijs appulit. Horum aduentu atque auctoritate, glisçens denuò Lusitanorum intestina discordia, quamuis ægrè sublata: & simul, à Menesio ad Sionis Regem, quicum ab ipso iam Albuquercio instituta erat amicitia, legatus Emmanuelis nomine, Eduardus Coelius mittitur, partim eius amicitiæ firmandæ causa; partim etiam vt eadem opera colonos ab Rege peteret frequentandę Malacæ, & quæstuosissimo eius oræ commercio Mahometanis eripiendo.

B Coelius ad vrbem Hudiam, quod regni caput est, Sionia naui delatus; Emmanuelis litteras ac dona reddidit Regi. dein iureiurando vtrinque renouatum est fœdus. cuius fœderis testem Coelius celeberrimo vrbis loco prçcelsam ligneam Crucem summa Regis voluntate defixit. Ita Coelius, rebus admodum ex voluntate transactis; ac duarum insuper nauium prçsidio adiutus ab Rege, lætus Hudia soluit. & Camboianã oram pæne præteruectus, quod à Patanis accessu tempestate prohiberetur; dum ad Sincapuram necessario cursum intendit, transuerso repente Euro in littus Panis eijcitur. Potiebatur eius terræ, vt supra demonstratum est, regulus is qui Alodini sororem habuerat in matrimonio: ac tum fortè ab Alodino ipso, incertum quibus de causis, grauiter diffidebat. naufragos igitur Lusitanos haud immeritò sibi diffidentes, metuentesq;, non modò nõ pro accepta olim ad Malacã ignominia damnoq; tractauit; sed etiam contra gentis morẽ benignè & comiter excepit hospitio. Quin, proposito Lusitanæ societatis cõmodo simul & ornamento, ac Malacensis præcipuè commercij vberrimo quæstu; facilè sibi persuaderi à Coelio est passus, vt multorum exẽplo dynastarum & Regum, se se cum honorario vectigali ad Emmanuelem adiungeret. ita, vas aureum librarum circiter sex, in annuum tributum est pactus. quam tamen deinde fidem, ab ingenij mobilitate non diu coluit. Inter hæc, Alodinus de Menesij Andradijque aduentu per exploratores certior factus, tot in vnum coactis Lusitanis vtique aperta vi se se imparem ratus; ad solitas artes doloq; confugit: simulato belli tædio, pacem eo consilio petijt; vt nuntijs vltrò citroq; mittẽdis rem in discessum vtriusq; ducis extraheret: quippe quos & reuersionis auidos, & secum vnà florẽ Lusitanæ iuuentutis deportaturos esse non ignorabat. Neq; sagacem astutiã viri, frustratus euentus est. Deceptos iã aliquoties Lusitanos, improba negotiãdi cupiditas, & nimius reuisendæ patriæ amor, nouam in fraudem impulit. Iactatis vtrinque conditionibus, atque ita approbatis, vt nihil ad firmum stabilemque concordiam, præter Soarij Prætoris auctoritatem, deesse videretur; eius auctoritatis impetrandæ susçepto munere, quæ prima nauigandi facultas data est, Menesius, & Andradius cum egregio comitatu Goam petiêre. At Alodinus à Bintano progressus ad Pagum (id vico nomen; alij Pagodem appellant) occultè paratam interea classem, ad eas quas habebat naues adiunxit: auditoque ducum Lusitanorum discessu, ad arcem oppugnandam extemplò copias omnes æquè maritimas ac terrestres admouit. Nihil tam inopinatum nostris accidere tali tempore potuit, oppressi, vix ad arma capienda spatium habuẽ-

habuêre.itaque eo die defensa ægrè mœnia sunt.Inde,cùm sæpius vrgeren- D
tur;nec vigilijs tantùm,sed etiam omni vndique commeatu prohibito, fa-
me laborarent;longè peiore quàm antea,loco res Lusitana esse cæperat: a-
ctumque de ea procul dubio foret;ni planè insperatum subsidium Deus re
bus iam perditis attulisset. Iauensis quidam erat in hostium castris vir cùm
pecuniosus & clarus,tum etiam consilio manuque promptissimus. Is, gra-
uibus ab Alodino acceptis iniurijs, quas salua dignitate ferre non posset;ac-
census vlciscendi cupiditate,ad Lusitanos capta occasione transfugit.eo du
ce atque adiutore,vt erat locorum ac temporum bene peritus, Lusitani fi-
dis aliquot Malacensibus in expeditionem assumptis,agmine silenti profe-
cti,subitò vicissim impetu castra hostium cum magna cæde expugnarunt.
prædæ haud ita multum in ijs inuentum.tormenta, pleraque ex ære ,auecta
ad trecenta. quominus Pagum victrici classe porrò contenderent, ipsum-
que Alodinum oppugnarent; obiectis transuerso flumine munitionibus,
custodijsq; passim in ripa dispositis, in præsentia prohibiti sunt.cæterùm eo
facto repressa interim tyranni ferocia, atque ad leuandam annonam,in ali.
quot menses laxamenti nonnihil nostris est datum. Dum in hac rerum vi-
cissitudine Malaca vrbs fluctuat,Soarius Prætor ducibus alijs aliò missis ad E
maria tutanda;ipse cum septingentis armatis ad Ceilanum siue Traproba-
nam,nauium vndeuiginti classe contendit.Cum Callensi regulo ante mul-
tos annos(vt supra memoraui) Laurentius Almeida pacem ac societatem
inierat:Soarius, Columbani præcipuè reguli amicitiam & commercium ex
petebat,quod in eius potestate laudatissimi cinnamomi syluas esse non du-
biè comperisset.cuius item rei fama commotus Emmanuel,id ipsum per lit
teras accuratè mandauerat.Igitur delato in conspectum Ceilani Soario;&
Columbanam præcipuè oram oculis perlustranti, locus occurrit ad nauiũ
appulsum, & arcis ædificationem idoneus.hami figura littus in mare pro-
curit;curuoque anfractu capacem efficit portum,in quem ex insula naui-
gabile flumen illabitur.huc applicita classe, nuntij confestim ad regulum
missi,fœderis & amicitiæ causa;postulatumque de more, vt in vsum diuer-
sorij,merciumque custodiam contra insidias maximè Saracenorum, castel
lum ibi liceret exstruere,non tam Lusitanis,quàm incolis & regulo ipsi,præ
sidio ac munimento futurum.EBrachmanum disciplina,vt cæteri fermè In
di,erat regulus,atque adeò Brachmanes ipsemet.neque ita pollens habeba-
tur ea tempestate viris armisque.quocirca,& patrijs institutis peregrinas re- F
ligiones auersabatur;& in tam tenera insula haud immeritò Lusitanam ex-
timescebat vim.Attamen,reputans apud animum suum,quàm ex tenui for
tuna vicinus Cocini Rex,post initam cum Lusitano amicitiam,ad quantas
opes breui tempore peruenisset;eiusdem successus, & emolumenti cupidi-
tate ac spe captus;& de fœdere,& de castello, non tamen sine aliqua solicitu
dine assensus est.Cæterùm haud ita diu in sententia perstitit.Saraceni ex cõ-
tinente profugi,vel in primis vtilem in ea insula negotiationem paulo an-
te instituerant.ij,morte tristius rati,inde quoque ab Lusitanis pelli se; toto
connixi impetu, regios consiliarios pecunia muneribusque; regulum ip-
sum adhuc fluctuantem,cùm alijs rationibus, tum proposito miserrimę ser
uitutis metu,facilè ab ea mente deducunt.neque id modò,sed etiam ad ar-
cendos aditu Lusitanos, vltrò suam ipsi nauant operam: ijsque præsertim
instantibus operi,hortantibusque insulanos, munitiones raptim excitãtur.
ibi ferrea nonnulla tormenta dispositа;& simul,ad nouam societatem pla-
nè dirimendam,Lusitani pauci,qui, vt in pacatam regionem securi descen-
derant,intercepti.Soario ad opus inchoandum in terram egredienti, obie-
cta munitio præter exspectationem apparuit.missi protinus ad rem cognos-
cendam aliquot expediti,renuntiant, mistos insulanis Saracenos in statio-

ne ver-

A ne versari.ita Mahometanũ scelus haud dubiè patuit.& Soarius,omissa interim ædificatione,copias ad pugnam exponit:magnoq; vsus militum ardore,quamquam assiduè iaculantibus contra barbaris,ad ipsa tormenta succedit.Aliquãtum laboris ac periculi fuit, dũ telis eminus dimicatur.ast vbi ad manus ventum est,momentò disiectis munitionibus, hostes in fugam auersi:tum fugientibus acrius instare Lusitanus;neque aut ignotis callibus, aut occurrentibus fluuijs ab insequendo desistere, quoad Prætor signo tuba dato,palatos iam ac dispersos ab effuso impetu reuocauit.Magnus hostium numerus cæsus eo prælio.nec Lusitano gratis victoria stetit. vulnerati iaculis fermè sagittisque complures:nonnulli etiam desiderati,in ijs Verissimus Patiecus,qui Malaca paulo ante redierat.Ab ea pugna, Soarius, vnius diei quiete militibus data,postridie prima luce rursus cum omni fabrili apparatu descendit;ac fossam à portu vastum ad mare duxit prohibente nemine.intra eam fossam vallum erigitur,tormẽtis in hostem obuersis:dein modico interuallo additur murus,barbarorum terrori magis,quàm operis firmitati propter calcis inopiam interlitis argilla cæmentis.Hæc ingenti classiariorum certamine confestim peracta.& regulus,cùm aduersa ictus pug-

B na;tum surgentis operis nec opinata molitione perterritus;misso confestim legato , veniam petijt eorum , quæ alieno suasu,inconsultè ac temere egisset:atque ad iungendam ex integro societatem hospitiumque se se paratũ ostendit. At Soarius grauiter questus non opera tantùm sibi cum armatis oppositа,sed etiam comprehensos interposita pactione Lusitanos ; præcisè negauit , se pro tam atrocibus iniurijs aliter satisfactionem accepturum, quàm si regulus ipse in Emmanuelis fidem ac ditionem cum annuo vectigali concederet.Neque abnuit Columbanus,Lusitana horrẽs arma. cumq; super ea re præfectus regius aliquoties non sine interprete cõmeasset; ad extremum ita conuenit:vti regulus Emmanueli quotannis persolueret stipendij nomine,cinnamomi pondo centum & viginti millia; annulosque duodecim,sapphyris,aut pyropis ex eadem insula inclusis:& elephantos præterea sex.Emmanuel autem,receptum in fidem Columbanum,ab hostium vi conatibusque , ipse & successores ipsius,terra marique defenderent.His maximè legibus data pax:& nulla interposita mora, Soarius destinato loco arcem condere aggressus est.opus,adiuuantibus etiam regijs,breui absolutũ. in eius arcis custodia Prætor Ioannem Sylueriam valido cum præsidio col-

C locauit.oram maritimã nauibus quattuor tuendam Antonio Mirandæ Azeuedio tradidit.ipse,rebus ex animi sententia confectis,& Arabicæ nauigationis magna ex parte compensato damno,circa initium Decembris ouans Cocinum est reuectus.Hęc fermè in vtraque India cis Gangem & vltra,Soario Prætore per triennium gesta.Prouinciam dein ab Soario accepit Didacus Lupius Sequeria,is,qui primus Emmanuelis missu Malacam adierat. Huic , magna Indici exercitus parte varijs casibus absumpta ; naues nouem cum bellatoribus mille quingentis Emmanuel in supplemẽtum attribuit,cum quibus anno seculi huius decimo octauo profectus Olisipone,Cocinum secunda nauigatione deuenit.in eo cursu,circa promontorium Bonæ spei,contigit res minimè prætereunda silẽtio.Magnitudinis vastæ piscis est in Africo Oceano,quem piscem, à figura videlicet, acum appellant (Xiphiã ego fuisse crediderim)prælongo rostro,& in mucronem desinente; eodemq; ita duro atq; hispido, vt ferrum deterat in modũ limæ. Ex ijs belluis vna, dum subterfugientem prædam furibunda persequitur,in aduersã onerariã plenis euntem velis, toto impetu illata,in imas compages, pertuso alueo,acutissimum caput infixit. Ex eo laqueo dum se se per vim conatur excutere;quamuis libratam suis ponderibus nauem adeò quatefecit, vt se in Syrtim impactos nautæ non sine horrore putauerint. Quo dein ex foramine,

mine,cùm,ignaro quidnam eſſet rei magiſtro,ſentinam traheret nauis;Co- D
cini demum ſubducta,inſertum in carinam, vt dixi,planè cubitale roſtrum oſtendit:quod illicò extractum,& in Luſitaniã argumẽti & miraculi cauſa, deinde tranſmiſſum eſt. At Sequeria,inito magiſtratu; primùm circa oẽs arces præſidia noua diſpoſuit.dein Regulũ Baticalę,detrectantem iugum;pactumq́; nuper Emmanueli ſtipendium perſoluere (vt ſunt leuia barbarorũ ingenia)recuſantem;miſſo ad eius portus fauces obſidendas cum nauibus aliquot Alphonſo Meneſio, ſubſequuturus ipſe mox,ad fidem officiumque aut minis,aut malo redegit.Simul etiã, cognito Malacam rurſus ab Alodino grauiter premi;Antonium Corream cum onerarijs ad cõmeatus petendos,eoque importandos,proficiſci iubet in regnum Pegu.cuius regni, vltra Gangem poſiti nõ longè à Malaca, Triglypton olim vrbem, caput fuiſſe quidam exiſtimant.Correa,proſpero curſu ad Martabanum emporium Peguſiorum delatus;ne in terra adhuc ignota longius ab ſuis nauibus ipſe diſcederet,Antonium Paſſanium,& Melchiorem Caruallium cum honeſto comitatu muneribuſq́; miſit ad Regem in vrbe Pegu (ex qua tota regio denominatur)inde aliquot dierum itinere commorantem.Magna tum erat (vt ſæpe diximus) toto pæne Oriente, gloria nominis Luſitani:magna cùm bel- E
licæ virtutis,tum opũm ac diuitiarum exiſtimatio.neque minor, ſi per Luſitanos licitum eſſet,omnes circa nationes tenebat,in Malacenſi emporio negotiandi cupiditas.Itaq; Peguſianus Rex, quamquam in primis tum potens ac nobilis;tamen haudquaquam indignatus, Antonium Corream nuntios pro ſe miſiſſe;comiter ijs acceptis,duos viciſſim ad eum ipſe cum donis remiſit,ſtabiliendæ ſocietatis & amicitiæ gratia:ſatrapam vnum;alterum põtificem;hunc,Raulinum;illum,Samibeleganum, Peguſiorum vulgus appellat. Vt Martabanum eſt ventum,poſt mutuæ ſalutationis officia,conſcriptæ communi conſenſu,pacis & fœderis leges.tum,ad eas ſolenni iureiurãdo firmandas, in celeberrimum vrbis fanum Antonius Correa regijq́;,ſumma populi frequentia conuenêre.totius autem cæremoniæ ordo fuit eiuſmodi.Samibeleganus prior,in aurea plagula diligenter inſcriptas eius amicitiæ leges,tum Peguſia,tum Luſitana lingua;vt & populares,& hoſpites intelligerent,elata voce recitari iuſſit.idem à noſtris viciſſim eſt factum. lectis,& ſubſcriptis conditionibus,Raulinus,ſeu ſacrificulus, quædã ex ritualibus Peguſiorum libris de more pronuntiat.papyracea dein ſegmenta crocei coloris(qui colos apud eam gentem cultui diuino dicatus eſt)& aliquot F
ſimul arboris odoratæ folia cẽrtis notata litteris,igne ſubiecto comburit. Tum, ſuis inſertam manibus, manum vtramq; Samibelegani, cineribus ijs imponit,pauca ex eo percontans, quibus ille ita reſpondebat; vt ſui Regis nomine ratam & fixam eam ſocietatem fore, iureiurando promitteret. Hæc omnia,ſumma attentione miroque ſilentio peracta. Diſſimiles animorum habitus Antonius Correa comiteſque in eam cæremoniam attulerant:quippe qui vano errore ducti,Chriſtianam fidem ethnicis iureiurando obligari fas eſſe vix ducerent. itaque Antonij accitu, linteatus antiſtes, qui nauticis præerat ſacris;diuini humanique iuris haud multo quàm cæteri Luſitani peritior,in medium prodit.ſacræ paginæ,Chriſtiano ritu, erant ab Antonio cum ſolenni imprecatione tangendę.atqui ſacerdos pro Euangelijs biblijſve,librum ex compoſito protulit,elegãter & artificioſè compactum ; in quo varij generis luſus & cantica Luſitanico ſermone ſcripta continebantur;nonnullis tamen immiſtis,vt fit,ſententijs moralibus,atque diuerbijs. Huic ergo libro dum Antonius fallacem admouet manum ; diuinitus factum eſt,vt in ea verba ex Eccleſiaſte incideret: VANITAS VANITATVM, ET OMNIA VANITAS: quod ille vbi præter omnem exſpectationem animaduertit, ſubita perculſus religione cohorruit;

A horruit; ac præclarè ſenſit, quàm integram & inuiolatam fœderum fidem, vel cum ipſis barbaris ethniciſque; eſſe cœleſte iubeat numen. ergo apud ſe perinde iuſtum atque legitimum id iuſiurandum Antonius habuit, ac ſi pro vulgari eo libro ſacroſancta vtriuſque teſtamenti volumina contigiſſet. Sancito in hunc modum fœdere; impoſitiſque in onerarias mercibus, & omni genere cõmeatus, Correa peropportunè Malacam defertur. Eius aduentus, non modò ex diuturna fame & ſqualore obſeſſos refecit; ſed etiam animos ijs addidit ad Alodinum ipſum vltrò laceſſendum, &, ſi qua fieri poſſet, ex tam vicinis ſedibus tandem aliquando exturbandum. Quod ille quaſi præſagiens, ad omnes eiuſmodi caſus multo ante ſeſe parauerat. tranſuerſis primùm cancellis non vno loco interſepſerat flumen, anguſto dumtaxat ſingulis paronibus lembiſve tranſitu relicto. dein, ſub aquas paſſim fiſtuca ſtipites præacutos adegerat. ad hæc, denſiſſimas vaſtæ magnitudinis arbores, quæ ripas fluminis dextra læuaque prætexunt, ad radicem ita incidi præceperat; vt perleui momento impulſæ, nauigantes obruerent. Deniq; non longè à Pago, qua ſinuoſo fluminis ambitu longiorem in cubitum prominet ripa; confibulatis è valida materia trabibus, & ceſpite ingeſto, nouum caſtellum excitârat; idque non modico præſidio, nec paucis ex
B ære tormentis ad hoſtem ex obliquo feriendum inſtruxerat. His rebus cognitis (neque enim deerant qui cuncta renuntiarent) Correa, & Eduardus Mellus, contracta minorum nauium claſſe, quarum pleræque remis agerentur, & bellatoribus circiter quingentis impoſitis; Muaris fluminis oſtia petiêre. inde præmiſſi cũ ſecuribus dolabriſque, & firmo præſidio militum fabri ad hoſtiles munitiones amoliendas. ij quò validiores, ac peritiores talium erãt artium, eò celerius confecta res eſt. diſciſſi cancelli; euulſi ex imo ſtipites; inſidioſæ arbores in diuerſum proiectæ. ita ſequẽti agmini tutus ad caſtellum vſque fuit acceſſus. neque ita magno negotio, admotis nauibus machinisque, deiectũ inde præſidium. Hinc, magna concepta fiducia, Luſitani ad Pagum victrici ſuccedunt claſſe. Vt in conſpectum oppidi vẽtum eſt; diſpoſitæ extra vallum Alodini copiæ cum elephãtis, & ſublatus de more ingens clamor, & emiſſa tormenta, nonnullam cruenti prælij ſpeciem præbuêre. ſed vbi egreſſus è nauibus Luſitanus in ſicco ſigna conſtituit; &
C cominus gladijs contiſque dimicari cœptum eſt; tanta planè diuinitus formido (veterum Hebræorum victoriam diceres) tantus terror hoſtes inuaſit, vt oppido ad prædam relicto, ſeſe in proximos lucos, & nota latibula fœdo curſu coniecerint. nec pauci ex ijs in fuga verius quàm in pugna cecidêre; cùm è Luſitanis (quod præſenti diuinæ opi acceptum ſine controuerſia referas) ne vnus quidem deſideratus ſit. Fuſis fugatiſque hoſtibus, ad ſpolianda tecta raptim diſcurrit miles. exhauſto quicquid erat pretioſi; oppidum concrematum. dein Alodini parones, & varij generis nauigia in vnum coacta ferè centum. quorum erant aliquot, puppi proraq; regium in morem cælatis inauratiſq;: ex eo genere nonnulla in triumphi ſpeciem reſeruata. cæteris ignes iniecti. Hac tam inſigni victoria parta Luſitani cum ſumma gratulatione redeũtes in vrbem accepti. Alodinus, fracta, ſed nondum perdomita ingenti ferocia, ad recolligendas è tanta clade vires, Bintanum inſulam fremens gemenſque repetijt. Interea, vicini Malacæ barbari, alienas anguſtias & incommoda ſuam rati occaſionem; multis & grauibus iniurijs noſtros affecerant: ac Pacenorum præſertim tyrannus, qui nuper in id regnum inuaſerat; delatoſq; in Pacenum portum negotiatores aliquot Luſitanos partim exuerat mercibus, partim etiam per ſummum occiderat ſcelus. Ac ne Acenus quidem, quamquam ſocietate ac fœdere iampridem noſtris obſtrictus, in ea rerũ difficultate ſat ſe pro amicitia geſſerat. Ad eas vindicandas iniurias, reguloſq; ab inſtituto latrocinio deterrẽdos; Garzias

Sala Malacæ Præfectus, Emmanuelem Patiecum, vnica, verùm egregiè in- D
ſtructa naui dimiſit.is, præcipuo in Somatranos odio inſtinctus, quòd An-
tonium fratrem paulo ante in vincla coniecerant, cùm alia Somatræ lit-
tora,tum verò Pacenum, Acenumque breui adeò fecit infeſta; vt non pere-
grini modò inſtitores multi ab ea nauigatione deſiſterent: ſed etiam incо-
læ, piſcatu, quo maximè alimento victitat ea gens, intolerabili cum dolo-
re damnoque abſtinerent. Neque præcelſam Patieci nauem, atque à ma-
chinis ac milite paratiſſimam, ſemiermes ipſi, minoribus nauigijs aggredi
ſatis audebant: tantùm ad opportuna inſidijs loca excubare inſtituerant, ſi
quos, vt fit, in terram egreſſos, per occaſionem excipere poſſent. Fortè ita
accidit, vt Patiecus, aquandi cauſa, Malacenſi quàm exercitatiſſimo remige
inſtructam ſcapham intra Iacaparini fluminis oſtia mitteret. abeſt ea aqua-
tio à Paceno portu millia paſſuum fermè quattuor. neq; ad remigum præ-
ſidium propugnatores plus quinque attributi, Antonius Veranus Portuen
ſis, Antonius Paſſanius Alanquerianus, Franciſcus Gramaxius, Ioãnes Al-
meida Quintelanus; poſtremi nomen intercidit. Aquatione per otium fa-
cta, priuſquam ad ſuos Luſitani ſeſe recipiant, à barbaris agniti. Et Paceno-
rum Præfectus, Raia Sudamicinus, rei ſubitæ nuntio excitus, lanciaras tres E
cõfeſtim expediri iubet; correptiſq; quæ fors obtulit telis, in ſingulas, aptas
inſtructaſque remigio, centum & quinquaginta armatos imponit. Ea dum
parantur, coorti repentè ab vtraque fluminis ripa barbari, ſagittis & iaculis
abeũtes noſtros detinere non deſinunt. & ea quidem mora non admodum
Luſitanos retardat. quippe hoſtium tela, denſatis vtrinq; ſcutis excipiunt.
grauius aliunde malum inſtabat; quod vno eodemque tempore contra-
rius ventus & æſtus accedens, exitum intercluderet: neque ab ſocia naui,
procul in ſalo iactis anchoris, erat in re trepida cur opis quicquam exſpe-
ctarent. iamque raptim inſtructæ lanciaræ haud dubiam ad prædam cum
ingenti clamore feſtinant. longè tamen reliquas antecedit ea, qua Suda-
micinus ipſe cum iuuentutis flore vehebatur. Ea re animaduerſa Luſitani,
tot vndique preſſi difficultatibus, conſilium ab ipſa deſperatione capiunt,
vltrò in aduerſum hoſtem eundi; vt, quemadmodum ſit nomine Luſi-
tano dignum, fortiter dimicãtes occumbant prius, quàm per metum mor-
tis, in teterrimam ſeruitutem abducantur. Hoc ergo conſilio ſcapham re-
pentè circumagunt: validoque remorum impulſu vix dum concurrerant F
proræ, cùm Luſitani ſalutari IESV nomine pariter inuocato, ſtrictis gla-
dijs aut haſtis, priores in nauigium hoſtile magno auſu tranſiliunt: ac ferro
primùm ſummouent barbaros: dein conglobatos in vnum, ipſaq; audacia
obſtupefactos, haud tamen incruenti ipſi ad ſatietatem trucidant. Nec in
longum extracta eſt pugna. Paceni, cùm ad vehementes gladiorũ & cuſpi-
dum ictus nuda præbuiſſent aliquandiu corpora; & emicantem è Luſitano-
rum oculis ardorem ferre vltrà non poſſent; quà cuique commodum eſt,
certatim ſeſe in flumẽ eijciunt. Sudamicinus, perterritos nequicquam pre-
cibus miniſque cohibere conatus; denique ſe ipſe quoque de naui præcipi-
tat; doloreque ac rabie accenſus, vt quemq; ſuorum nando adeptus eſt, ela-
to pugione confodit. Cæteri duabus lanciaris ex interuallo ſequẽtes, cùm,
ſi acrius inſtitiſſent, noſtros vulneribus affectos ac propemodum exſangues
nullo negotio conficere potuiſſent; nec opinata ſuorum clade perculſi, ter-
ga verterunt. Ita, IESV adiuuante, è rebus perditis repentè Luſitanus victor
euadit: ac nullo è ſuis amiſſo, captiuam ipſius Præfecti lanciarã in altum ab-
ducit: eò maiore omniũ gratulatione ac lætitia, quò propior exitio fuerat
res. Eius tam præclari facinoris fama cũ cæteris circa populis, tum præcipuè
regulo ipſi Paceno magnum terrorẽ incuſſit. Miſſis extemplò ad Patiecum,
mox ad Garziam Salã legatis, demiſsè petijt pacem; eaq; conditione impe-
trauit;

A trauit;vt cuncta per ſcelus ac fraudem ablata Luſitanis cum fide redderet. Hoc rerum Malacenſium ſtatu,Sequeria nouus Prætor enixè operam dabat,vt pedem,ſi poſſet,in Maldiuis inſulis figeret.Eæ,vt ſupra docuimus,Canarino, & Malabarico littori obiectæ, numero plus mille cenſentur. Multitudinem hanc,intercurſantes euripi faciunt, adeò anguſti, vt alibi nauium antennæ iubas arborum deterant:alibi etiam,qui valentiores ſunt viribus,ramo quopiam manibus apprehenſo,ex vna in alteram inſulam ſaltu tranſmittant.Multis rebus ad victum neceſſarijs carent incolæ:ſed pro ijs omnibus:vna eſt palma(ſic enim appellant) Iudaicis & Africanis, careotas ferentibus,longè præſtantior. quippe,non proceritate ſolùm & pulchritudine excellit;verùm etiam tota prorſus in vſu eſt ita multiplici,vt vulgo, ſi quem frugi & induſtrium laudibus efferre volunt,palma vtiliorem appellent.Prima dos,in fructu ipſo. Tengam Narlemve Indi;cocum,ſeu nucem Indicam Luſitani dixêre:humani fermè capitis magnitudine,duplici operimento:quorum exterius,in ſummo læue,ſtupea intus denſitate(cairum vocant)netur ac texitur, cannabis & ſparti modo,cùm alios in vſus,tum præcipuè in vtilium nexus, & anchoralia: neque materia vlla ad nauticos
B funes & maris impetus obſequentior. namque, vt ſalſuginem amat ea planta; cairum quoque ex ea prognatum, & marinis aquis immerſum, identidem reuireſcit:& anchoris illigatum,fluitantes in ſalo naues egregiè continet,non tam ab innata duritie,vel operis firmitate, quàm viriditate ipſa,& lentitia quadam ad inſtar corij: vt ſe ſe vel in alto melato nauigio,miram in tenuitatem extendat; vel reſidente, rurſus in craſſitudinem contrahat. quod ſecus in noſtris euenit rudentibus: quæ nimirum ipſa vi ac pertinacia ſæpe rumpuntur. interior autem calix, rufo colore,& globoſa rotunditate prædurus, addito auro vel argento, in pocula figuratur. ipſa verò pomi caro, amygdalæ in modum, pinguedine quadam & grato ſapore lacteſcens, non per ſe tantùm in cibo grata eſt, ac ſalubris; verùm etiam, vbi viſum fuerit, exhauſto lacte, paulatim in oleum eliquatur. totus autem racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, nodo conſtrictus, ac leuiter inciſus, in obdita oris anguſti vaſcula opimum inſtillat ſuccum,ex quo varijs artibus coctionibuſque, veteri, vt Strabo ipſe teſtatur, inuento,mel ſeu ſaccarum, vinum,acetumque perficitur. iam folia,cùm & librarijs pro papyro ſint, & loco tegularum impoſita domibus,
C arceant imbres; tum etiam in veſtes formam facili ſimul ac ſpiſſo contextu nectuntur. Denique,vna eademque arbor, omnia prorſus ad rē nauticam inſtrumenta ac materiem præbet. quippe truncum & ramos; in malum,aſſamenta,clauoſque: comam in vela:cairum in funes (vt dictum eſt) omnium optimos,filaque ad laterum futuras:poſtremò cocū ipſum, quæque ex eo conficiuntur,in onera.ita,non ſine miraculo quodā,omnibus palmè rebus ex ſemet apta & inſtructa nauigat palma:eademq; diſciſſa per hyemem,viuaces ad prunas,lenta ignium alimenta ſuppeditat. Incolæ importato lino,ſericoque,talares tunicas eleganti opere texunt: quibus honeſtius multo,quàm cæteri Indi velant corpora.Piſcantur etiā palmeis verriculis minuta conchylia(ſunt qui Venereæ conchæ genus putent)miro ſplēdore,& colorum varietate.hęc,ſaburrę loco in onerarias indita,ac diuerſas in regiones euecta,apud Gāgaridas & Sionios, vilioris monetæ explent vicem ad res parui pretij coemendas:apud Heſperios aūt Aethiopas, cum rebus etiam carioribus permutantur.Inſularum omnium caput eſt Maldiua;ex ea cæteris cognomentum.ibi frequenti emporio domicilium eſt Regis.qui cū inita iam à Soario per Ioannem Sylueriam,vt ſupra demonſtratum eſt,amicitia;ad eam ſtabiliendam,locumque munitæ apothecæ de more petendū Sequeria deinceps Ioannē Gometium deſtinauit.Neque magnæ cōtentio-

nis fuit res. Ab homine donis ac promiſſis illecto;& cũ Luſitanæ felicitatis D
opumque haud ignaro;tum vectigalibus nouis rem augendi percupido,fa-
cilè non de ſocietate modò,ſed etiam de caſtello impetratum.id caſtellum
ad mare Gometius,quod lapidibus & calce careret;è lignea materia glebiſ-
que raptim exſtruxit,ac munijt.Eius deinde operis, & quadam nominis Lu
ſitani fiducia,vix quindecim armatorum cuſtodia ſeptus, cùm iã non pro
inquilino vel hoſpite,ſed pro tyranno ac domino ſeſe gereret,& commean
tes in id emporium peregrinos varijs vexaret iniurijs;repentina conſpira-
tione Saracenorum oppreſſus,vnà cum ſuis occiditur.arce, & ijs quæ intra
arcem aſſeruabantur,Mahometanus potitur.ita Luſitani, quàm facili adi-
tu in eas irrepſerant ſedes;tam leui negotio mox deinde ſua culpa deiecti
ſunt.Nec leuiores alibi plagæ per eos dies acceptæ.Goana oneraria cõmer-
cij cauſa Ciaulum petens,in Saracenorum,qui Dabulum incolunt,biremes
illata,prælio commiſſo deprimitur. In eaſdem biremes Luſitana carauela
poſtmodum incidit(rotundæ nauis genus,cùm ad onera, tum ad militiam
vtile;dromonem Græco vocabulo haud incommodè fortaſſe quis dixerit)
contracto mox certamine,dum tormenta exercentur,ignea ſcintilla in ſul-
phurei pulueris cadum illabitur.inde ſæuum repente coortum incẽdium, E
nautas vectoreſq; omnes,vna muliere excepta,protinus hauſit. Ad earum
rerum nuntios,ira percitus Chriſtophorus Soſa, qui cum nauibus aliquot
Canarini maris cuſtodiæ præerat;nocte ſubluſtri, Calacinum (is locus eſt a-
gri Dabulenſis) inuaſit.Soſæ aduentu præcognito, incolæ paulo ante dif-
fugerant.Luſitanus ad prædam verſus,quamquam erat barbarica viliſque
ſuppellex;tamen ab ea dulcedine auelli non potuit;quoad,illuceſcente de-
mum die,Saraceni circiter quadringẽti,ſagittariæ artis peritiſſimi ſuperue-
niunt.Aduerſus eam multitudinem Soſa cum centum & quinquaginta ar
matis egreditur:quorum erant ſclopettarij ſeu fiſtulatores non pauci. Ac-
cenſis vtrinque animis,atrox pugna coorta.Saraceni arcubus tãtùm inſtru-
cti;primam hoſtiliũ glandium procellam ſubmiſſis corporibus excepêre:
tum ad ſagittandum ipſi conſurgunt.tamque denſus ac perpetuus fuit ſpi-
culorum imber; vt Luſitano,ad fiſtulas replendas nihil vnquam tempo-
ris aut loci reliquerint. Inde cùm,ſenſim cedendo,ad mare ſe ſe recipe-
ret Soſa; minimè fefellit hoſtem.circummiſſus illicò iuuenum globus,re-
ditum intercluſit.itaque Luſitani vndique vrgeri cæpti: nec ſine multo ſan
guine,vix tandem ad naues effugium patuit.Soluentibus dein oram ſimul, F
& iaculantibus,adeò pertinaciter inſtitêre Saraceni,alienato ab ſenſu peri-
culorum animo,vt ſemet aquis vmbilico tenus immergerent,nauigijſque,
remorandi cauſa, propemodum inijcerent manus. Ex eo diſcrimine Soſa
denique elapſus,Ciaulũ ad ſaucios curandos,minimè ſecunda fama ſe con
tulit.Eodem fere tempore quattuordecim nauium claſſis,cui Georgius Al-
buquercius præerat,Oliſipone profecta,malè admodum nauigauit. quat-
tuor tantùm eo anno in Indiam peruenêre.è reliquis vna è medio curſu in
Luſitaniã vento reiecta. aliam in ipſo itinere Caſtellanus quidã nauarchus
ab Indicis commercijs ad latrocinia piraticamque cõuertit. tertia,ſuperato
iam promontorio Bonæ ſpei,circa Quiloæ, & Mombazæ littora, magis et-
iam miſerabili genere cladis interijt.Mahometani eas incolũt regiones:hi,
Anconino Rege interfecto,iampridem ab Luſitana ſocietate defecerant.
Cũ dira neceſſitas cogeret,aquandi gratia,ad Matuam,eius oræ vicum,qua
draginta viri ex naui Luſitana appulerant ſcapham;in quibus erant prima-
rij duo:prefectus,& gubernator.Dum egreſſi ad fontes doliola cõplent;inte
rim ſcaphã,remigibus vacuam,recedens æſtus in ſicco deſtituit.Ad eam de
ducendam, aptandoſque remos, ſemiplenis vaſibus illicò Luſitanus ac-
currit.nec ſegnius barbari,animaduerſa re,duo circiter hominum millia

infen-

A infensis animis aduolãt: nautasque partim sub oneribus, partim à terra molientes, ad vnum omnes occidunt: nequicquam cæteris Lusitanis, cùm ad bombardæ ictum accedere propter vada non possent, indignam suorum cædem ex alto spectantibus. Ac ne ipsi quidem lætiorem exitum deinde sortiti. quippe, vrgente siti, dum alias aquationes in vicino cõquirunt; rectore vacua nauis haud longè ab Quiloa in syrtes impingitur. Ad conspectam eminus prædam, ingens repentè affuit hostium vis. momentò spoliata oneraria: & quotquot ea vehebantur cæsi, vno duntaxat relicto adolescente, quem tyranno Mombazæ muneri mitterent. Albuquercius, dissipata classe, ignarus, ex ijs quæ non comparebant, quò quæque delata esset, cum cæteris nauibus ad Mosambicum exegit hyemem: atq; inde, transmisso mari, Goam insequenti demum æstate peruenit. Circa idem ferè tempus, Prætor Sequeria, toties iam ab alijs infelici successu tentatam Arabicam expeditionem aggredi statuit. Contractis ex omni ora nauibus maioris formæ quattuor & viginti, bellatorum tria millia imposuit; quorum erant Lusitani mille & octingenti: cæteram summã, è Malabaribus & Canarinis expleuerat. Cum ijs copijs Goa profectus Februario mense, anno seculi huiusce vi- 1520
B gesimo, ad Aromata promontorium Africæ, secunda nauigatione transmisit. Ibi cognito ad Giddam stare sex Turcarum triremes; manusque armatorum cogi ad fauces Adeni occupandas; intra ipsas fauces inuehi, & longitudine sinus emensa, circa Giddam lacessere bello Turcas decreuit; vt si se occasio dedisset, signis collatis de rubri maris possessione decerneret. Hoc animi proposito legens oram, ad Meten vicum, aquandi causa, applicuit, metu desertum ab incolis. vna tantùm vetula inuenta: cuius indicio in summa siccitate aqua patuit. amnis erat alueo glareoso. sub eam glaream, æstate, cursu tacito sese ita latices condunt; vt nihil humoris in summo prorsus appareat. Anum indicem remuneratus, & in eius gratiam flammis ab eo prohibitis vico, Sequeria in Arabiam non longè ab Adeno traiecit. ibi dum ad Aram (id loco nomen) anchoras iacit; in scopulum sub aqua latentem illata Prætoria, solutis incussu compagibus extemplò diuellitur. quæ in summis tabulatis erant, cum parte machinarum ægrè seruata. cætera demerso alueo periêre. naualis turba (quadringenti numerabantur) in cæteram classem distributi. à Sancto Antonio nomen erat Prætoriæ.
C ex eo, Diui Antonij saxa, locus appellatus. Ab hac statione cùm ad Giddam rectà contenderet Prætor, adeò pertinaci complurium dierum Aquilone prohibitus est; vt interim aduentante hyeme, idoneum rei gerendæ tempus effluxerit. Itaq; omisso bello, ad pacem cum Dauide Abassino Rege firmandam animum adiecit. cuius Regis imperium, cætera mediterraneum, modica tantùm ex parte ad rubri maris littora pertinet. Eam oram Dauidis nomine tenebat Præfectus maximus, quem honoris titulo Barnagazium vocant. oppidis ac vicis, Præfecti minores præerant. Cum hisce Præfectis de societate agendum erat Sequeriæ, & legati duo in terram exponendi. alter, Matthæus Armenius, is, qui ab ipso Dauide Helenaque ad Emmanuelem cum donis ante decennium venerat: atq; ob suspectam eius legationis fidem, ab Lusitanis nullo suo merito indigna & acerba pertulerat. alter, Emmanuelis ad Abassinum erat legatus, Rhotericus Lima, suffectus in locum Eduardi Galuani, qui superioribus annis in ipso itinere, nondum peracta legatione, decesserat. Simul etiam erat ei Mazua insula (quæ Ptolemais ferarum olim fuit) haud procul à Camarano visenda, si fortè locus arci ad eius regionis custodiam ædificandæ idoneus foret. ea insula Arquico oppido maritimo Abassini littoris obiecta, perangusto freto ab continente dirimitur: & lunato sinu in idem littus obuersa, in primis tutam ac placidam stationem nauibus præbet. ad hęc, cisternis, armentisque varij ge-

neris,in vſum claſſium & præſidiorum abundat.Prętor,totam inſulam per D
otiũ contẽplatus,tametſi Mahometani incolebant;tamen,vitandę inuidiæ
gratia,ſuos ab incendijs ac præda cõtinuit:Mahometis verò fanum ritè ex-
piatum, intemeratæ Conceptioni Deiparæ Virginis dedicauit: ibi per eos
dies Chriſtiana ſacra peracta non ſemel. Interea ab Arquici Præfecto ora-
tores affuêre cum donis &commeatu:quibus,vtpote Chriſti cultoribus,ſe-
ricum vexillum Cruce inſignitum, amicitiæ cauſa, datum eſt. illi, cogni-
to Chriſtianos & Luſitanos aduenas eſſe, cuius gentis fama iampridem eo
tractu increbuerat, mirum in modum gratulati;primùm omnium de Mat-
thæo Armenio cum cura perquirunt. hunc ipſum vbi adeſſe præter exſpe-
ctationem audiêre;& mox in conſpectum eſt productus veneranda canitie
ſenex;obortæ cunctis præ gaudio lacrymæ. &, vulgata eius rei fama, certa-
tim ad optatos viri amplexus, & manuum oſcula confluebant. Ea demum
celebritas,& Matthæum omni ſuſpicione liberauit; & Luſitanis, quod in-
ſontem adeò aſperè & inhumanè tractaſſent, dolorem ſimul ac pudorem
iniecit:eò magis,quod etiam aliquot è ſacra Viſionis æde monachi (multa
autem cœnobia, ex Diui Antonij fermè inſtitutis, eo toto regno viſuntur)
ſalutandi eiuſdem Matthæi cauſa,ad claſſem acceſſerant: qui ab Luſitanis E
ſacerdotibus linteatis, cum ſymphonia & pſalmis accepti, magnam animi
voluptatem præferebant, non è Matthæi ſolùm, ſed etiam ex ipſo Luſita-
norum aduentu: quod vetus oraculum ſibi à maioribus traditum ferrent;
ex occiduis aliquando regionibus, Chriſtianæ religionis homines in ea lo-
ca venturos. Eius vaticinationis promiſſa, tantæ claſſis appulſu, tandem eſ-
ſe confecta;& in illo ſacratorum hominum cœtu,Heſperiam cum Eoa Ec-
cleſia,tanto locorum interuallo,dextras quodammodo miſcuiſſe;magno-
perè lætabantur. in ſermonem dein cum Arquicano Præfecto ventum eſt;
& paulo poſt, ad ſtabiliendam ſocietatem (quod ita Dauidem velle non ig-
noraret) Barnagazius cum peramplo comitatu Arquicum proceſſit. Pau-
lulum ibi altercationis fuit,dum dies locusque colloquio conſtituitur: lit-
tus ipſum aduena: Arquicum oppidum Barnagazius pręoptabat,nonnulla
fraudis ac periculi ſuſpicione ab Saracenis iniecta. Ad eam ſuſpicionem tol
lendam(quando per obſides tranſigi, indignum Chriſtiana amicitia & ho-
ſpitio videbatur) cùm ſynceri animi pignus Crucem nudari & porrigi ab
ſacerdote iuberet Antonius Saldania,Luſitani Prætoris internuntius;ſeue-
ro vultu Barnagazius confeſtim exſurgens obſtitit; negans,tam leui de re, F
tam auguſta attrectanda myſteria. Quin ego potius,inquit,de iure meo de-
cedam, meq; vltrò in omne diſcrimen obijciam. ita, mediæ regionis cam-
pus,inter oppidum & mare,cõſenſu deligitur. Barnagazius cum equitibus
ducentis,peditum duobus millibus ab Arquico;Sequeria cum ſexcentis nõ
amplius armatis è claſſe deſcendit. ijs copijs in ſtatione vtrinque conſpecta
relictis;cum ſenis ambo comitibus in medium prodiêre. Primus cõgreſſus
fuit,mutuò blandè & amicè conſalutantium:& Regis vtriuſq; in alterum,
beneuolentiam ſtudiumque accurata oratione teſtificantium. dein ſocie-
tas ac fœdus hoc maximè modo ſancita. Claſſiarius ſacerdos argenteam
Crucem in medium attulit: ea Barnagazius prior apprehenſa, nixus geni-
bus:Quam,inquit,pacẽ IESVS Chriſtus,generis humani Redẽptor, diſci-"
pulis reliquit ſuis; eadem eſto inter nos,qui eiuſdẽ Chriſti cultum profite-"
mur,ac fidem.Hanc ego pacem (quantum in me fuerit)Regis mei nomine"
ſpondeo; atque ita iuro per hanc ſacroſanctam noſtræ ſalutis effigiem. In"
eandem fermè ſententiam conceptis verbis iurauit Prætor. dimiſſo dein"
colloquio,per triduum ex vtraque parte donis officijſque certatum. & in-
gens omnium fuit lætitia, quod opulenti duo Reges terra marique,contra
Chriſtianæ rei aduerſarios arma iunxiſſent. Poſt hæc, Sequeria Rhoteri-
cum

A cum Limam legatum Barnagazio commendauit, ac tradidit, ad regiam vſque tutò mittendum. cuius in comitatu cùm alij honeſti viri complures fuê re; tum verò Franciſcus Aluarus ſacerdos: qui dein reuectus in Luſitaniam, eius peregrinationis ſeriem patria lingua deſcriptam edidit: eodemque poſtea auctore, Paulus Iouius gentis ritus moreſque latino ſermone diligenter eſt perſecutus. Per eoſdem ferè dies, quibus in Arabico ſinu Luſitanus agebat Prætor, è Paceno Somatræ inſulæ regno, ſummus Mahometicæ ſuperſtitionis Califa ſeu antiſtes, nomine Molana, ſupplex illuc vſque contendit. puerum adducebat duodecim fermè natum annos, Paceni Regis filium: cuius parente occiſo, Geinal tyrannus, ab Alodino ſocero adiutus, regnum inuaſerat. huic ſi contra communem hoſtem ſuppetias Luſitani tuliſſent; reſtitutum in patrias fortunas puerum, in Emmanuelis auctoritate cum annuo tributo Molana ſpondebat futurum. Et pupilli orbitas, & Califæ obtenſtatio apud Sequeriam valuit. Ad Geinalem ex ea poſſeſſione pellendum, ſex naues cum valida manu armatorum, Georgio Albuquercio attributæ. Cuius rei, & iunctæ cum Dauide amicitiæ nuntios qui ad Emmanuelem afferret, Petrus Vaſæus in Luſitaniam à Prætore miſſus. magna toto regno
B omnium ordinum gratulatio fuit; & in ſingulis oppidis miro populi ſtudio ſupplicatum eſt. Prætor, cùm egreſſus freto Calaiatum petijſſet, Armuziam inde proceſſit. ibi, clauſo iam mari, cum magna nauium parte hyemare coactus eſt. Dum hæc ad Arabiam, & Perſidem fiunt; Goę Præfectus interea Rhotericus Mellus Luſitanam rem, haud contemnenda, ſi crimen abeſſet, vectigalium acceſſione ditauit. Idalcanem inter, & Criſnaraum Narſingæ Regem, atrox ac funeſtum per eos dies exarſerat bellum; dum reconciliatæ nuper amicitiæ leges ambo parum ſyncera fide cuſtodiunt. Idalcan perfugas & noxios è Narſingæ regno contra ius & fas clam admittere, graſſari occultis latrocinijs, ac repetentem res Narſinganum, dolis fallacijſque fruſtrari. Criſnaraus viciſſim, otij impatiēs, bellum denuò optare; & in Raciolū vrbem Decani regni munitiſſimā, ſpe atq; auiditate imminere: quam ſibi maioribuſque ademptam, Idalcanis acceſſiſſe regno ægrè ferebat. Eius ergo repetendæ vrbis, & Idalcani arma rurſus titulo ſpecioſo inferendi tale conſilium inijt. Saracenus erat in ipſius aula, Cides Mercar, Mahometano cultu ingenioque, induſtrius vir, & experiens. Hunc, ad Arabicos equos
C in vſum belli coemendos magno cum auri pondere Criſnaraus Goam miſit: & quò teſtatior eſſet res, ad Goæ Præfectum ſuper tali negotio ſeparatim litteras dedit, haud dubius, quin per Decanios fines neceſſariò iter habenti bene nummato viro, Idalcan, prædas eiuſmodi ſagaciter odorari aſſuetus, de more ſtructurus eſſet inſidias. Quod putarat, euenit. Ingreſſum Decanios limites Cidem, vtpote eiuſdem ſectæ hominem; quin etiam è Mahometis, vt ferebatur, ſtirpe genitum; Idalcan benignis admodum promiſſis ad ſe per litteras inuitauit. Cides, vel ſocietate ſuperſtitionis, vel vberioris ſtipendij oſtentatione adductus; vel etiam interuertendæ regię pecuniæ ſpe; haud grauatè ad Idalcanem ſeſe contulit. ille, comiter acceptum, per ſpeciem honoratæ præfecturæ, Dabulum extemplò amandauit. ibi, ne quid rumoris emanaret, pecunia ſpoliatū, per idoneos talium facinorum adminiſtros è medio ſuſtulit. Criſnaraus interea, ſpeculatoribus clam appoſitis, cùm rei geſtæ ſeriem haud magno negotio comperiſſet, lætus oblata belli occaſione; miſſis quoquo verſum ad Reges ac dynaſtas epiſtolis; manifeſtam Idalcanis perfidiam, & violatas pacis leges minaciter & acerbè conqueſtus eſt: dein, maximis equitum peditumque contractis copijs, Raciolum vrbem obſidione cinxit. Ad eam ſoluendā obſidionem Idalcan profectus; commiſſo prælio, magna parte ſuorum amiſſa, cū paucis elabitur. Criſnaraus victor, non caſtris modò Idalcanis eſt potitus; ſed etiā Ra-

ciolum vrbem valido instructam præsidio, crebris iã oppugnationibus fru- D
stra petitam; metu denique in ditionem accepit. Idalcan interea, remotis oppidis, quò propter siccitatem Crisnaraus cũ exercitu peruenire non posset; amissa in præsens renouandi belli fiducia, sese inglorius continebat. Ad eius cladis famam, cùm alij ab Idalcane defecêre; tum Gini, gens in Decano regno prænobilis. Eius gentis principes, germani duo fratres, Comus, & Appa, contractis octo fermè armatorum millibus, in subiectos Gateis iugis agros impetum fecerant: inde sine dubio in oram maritimam transgressuri, crebris portubus & vectigalibus quæstuosam (Concanum vocant è regione Goæ) quam Ginorum olim familiæ Mahometani eripuerant. Eius oræ Præfectus, Idalcani hero auaritia & fraude non absimilis, magna pecuniæ summa è vectigalibus portorijsque collecta; id vnum laborabat, quo pacto, inter eos tumultus, domini rem ad suum peculium adiungeret. Omnia circumspectanti, commodissima ad fugam, Goa Lusitanorum vrbs visa. id quò tutius faceret; Lusitanum sibi præfectum ante conciliandum ratus; ad specimen probitatis ac fidei petijt ab eo per nuntios, primùm vt Idalcani contra Ginos tumultuantes opem pro amicitia ferret. id si facere grauaretur (quod ita fore haud erat nescius) tum libero mẽdacio suadebat, E vt ipse potius in eos portus & vicos, Emmanuelis nomine inuaderet. equioreanimo Idalcanem in afflicta fortuna laturum, suas opes & vectigalia in Lusitanorum, quàm in perduellium potestatem venisse. Hoc nuntio accepto Mellus Præfectus, rem ad consilium detulit. ac tali tempore nemini dubium erat, quid ius, quid æquitas, quid amicitia postularet. verùm apud homines lucra pensantes, vtilitas valuit. Mellus cum octingentis fermè Canarinis peditibus, Lusitanis equitibus ducentis & quinquaginta, euripo traiecto, Concanum sine certamine vllo occupauit, non ausis Ginis aduersus Lusitanos arma ferre: & Rhotericum Iusartem cum modico præsidio ei regioni præfecit. At Idalcanis procurator, domino prodito voti compos, Goam plenos argento auroque loculos tulit: & quò res occultior esset, amico Lusitano cuidam æquè fallaci custodiendos initio tradidit. Dein, cùm hic depositum ex occasione repeteret; ille alter se quicquam accepisse impudentissimè pernegaret, neque chirographum exstaret vllum; ex dolore ac desperatione Mahometanus in furorem & insaniam versus, mentem simul cum pecunia perdidit. Fraudator verò, dum thesauris malè partis incubat securus; inopinata morte postmodum, ab eo quod carissimum habebat F in terris, auellitur. Quin etiam ipse Crisnaraus deinde malis artibus receptam vrbem Raciolum, bello vicissim superatus, amisit. quę bella, & numero peditum equitumq;, & vniuerso apparatu (alioquin fides Barrium, & Osorium, & alios rerum Indicarũ auctores appellet) orbis nostri expeditionibus longo interuallo præferenda, enarrare nostri instituti non est. Postremò, ne Lusitanis quidem ipsis, vt in loco exponemus, diuturna stetit, minus honestè quæsita possessio. Ita, per omnes eorum scelerum affines peruagata cælestis ira, breui tempore pœnas à singulis improbæ cupiditatis exegit. Per eosdem fere menses, nouum & multiplex aliud in mari miraculum exstitit. Classis nauium nouem duce Georgio Britto dum ex Lusitania Indiam petit; rostrata celsior Rhoterici Vasæi Pereriæ, in medio cursu, repente, veluti fræno equus adducto, ita substitit magno cum aquæ sonitu ac motu, qualis, vbi in vada & syrtes incurritur, edi consueuit. Eo ipso terrore perculsi nautæ, demissa vtrinque bolide, profundum sine dubio mare comperiunt. Cùm inflatis vento velis hæreret nauigium nihilominus; dispiciendi causa (quòd esset nox) admotis ad marginem luminibus; implexam alueo ingentem belluam vident. Carinæ centum & quinque dodrantium lõgitudine, applicuerat corpus; cauda gubernaculũ illigarat; alis immanibus

latera

A latera ad ſummum vſque cingebat: quas iam in alas per imprudentiã nonnulli manus iniecerant. Ad ſpectaculum adeò terrum, ingẽti videlicet horrore nautæ militeſq; perfuſi. vt verò, dolij magnitudine, vaſto hiatu nouiſſimè caput extulit; metu exanimati pænè omnes, infernum profectò monſtrum diuinitus immiſſum credere, ad viua tot noxiorum corpora glutienda. Pauci, quibus in tanto diſcrimine mens animuſque conſtiterat, conſultandi gratia in vnam partem ſecedunt. erant qui contis, & iaculis, balliſtiſq; depellendum ſuaderent cetum: alij contra, nihil magis tali tempore vitãdum aiebant; ne tantæ molis animal vulneribus irritatum, concuſſu ipſo & agitatione violenta nauem euerteret. in ſumma inopia conſilij, cùm nihil explicaretur; & maior in ſingula momenta terror inſtaret; ſuppliciter ac demiſsè veniam pacemq; Dei & cœleſtium expoſcere, atque ad vota preceſq; confugere placitum eſt. Neque ea irrita fuêre. Sacerdos cum linteo, & ſtola, & ſigno Crucis in mediũ prodijt. ab eo, ſacris carminibus, & exorciſmis delinita bellua (mirum dictu) nulla cuiuſquam noxa relicto nauigio, cũ è pertentoſis narium fiſtulis ingentem reflaſſet aquæ vim, ſeſe admodum placido lapſu in mare demiſit. Luſitani, tamquam ex orco præter ſpem erepti, de
B bitas diuinæ clementiæ laudes & grates agebant. Circa idem ferè tempus, in Somatram Georgius Albuquercius cum orbo extorriq; delatus eſt puero. Ante eius aduentum, tyrannus Geinal, Pacenorum erga ſe voluntati diffiſus, non longè ab vrbe munierat caſtra; ſeque intra id munimentum cum tribus millibus armatorum tenebat. Albuquercius, miſſis qui tyrãnum iuberent iniuſta poſſeſſione decedere; cũ denuntiatione miniſq; nil niſi verba & fruſtrationes eliceret; fauente Aruano finitimo regulo, caſtra cũ trecentis dumtaxat Luſitanis aggreſſus, nõ ſine ſanguine ſuorũ expugnat. ac Geinale interfecto, & prædæ parte Aruano conceſſa, qui inter oppugnationem auerſas caſtrorum portas obſederat; pupillum magno populi aſſenſu plauſuque Regem acclamatum, & cum annuo tributo in verba Emmanuelis adactum ex fœdere, in patria ſede ac domicilio collocat. Eius pueritiæ regendæ, Molana præpoſitus is, qui pupilli ſuſceperat cauſam: & rei maritimæ cura, Luſitanorum amico Ninacunapani concredita: dein ad Mahometanos in officio continendos, caſtellum ipſo in aditu portus exſtrui cæptum. Quæ ne res, adeò ſecundæ, nimium Luſitanos efferrent; quo die Geinalis capta ſunt caſtra, ipſo die ad Acenum oppidum, leucas à Paceno
C fere viginti; dein ad Bintanum longè diſpari ſucceſſu pugnatum eſt. Georgius Brittus, nauibus quinque ab Cocino Molucas petens; cùm ex itinere Acena littora tenuiſſet; auri occæcatus auiditate, cuius vim ingentem in proximo delubro eſſe audierat; cum centum & viginti armatis in terrã egreditur. Huic Abrahemus tyrannus obuiam cum ſex elephantis, peditibus mille progreſſus, pugna commiſſa, Luſitanos complures temere inuectos, & in ijs Georgium ipſum interficit; cæteros grauiter faucios retro ad mare compellit. Inde in Georgij locum Antonio fratre ſuffecto, Luſitani Malacam traijciunt. quò cùm item Albuquercius paulo poſt à Paceno ſuperueniſſet; duodecim amplius coactis in vnum nauibus, & propugnatoribus fermè ſexcentis, Alodino, infeſtum de more Malacenſe littus habenti, arma inferre denuò placuit. Is nuper ad Pagum victus, vt ſupra demonſtratum eſt, in Bintanum haud longè à Pago receperat ſeſe. Ea inſula, Sincapuranis obdita faucibus, nobili ſecatur amne; qui ponte iunctus, dein ſe in mare euomens, portum nauigantibus præbet. Huic impoſitam amni vrbem, inſulæ cognominem, Alodinus, pulſo, vti ſupra docuimus, vetere domino, præclarè munierat. ad põtis, caput propugnaculum excitarat; à cæteris partibus, ſerratæ ſtructuræ, ad latera ferienda, vallũ & aggerẽ obiecerat. Portum ipſum, & fallacia vada, & adacti fiſtuca flexuoſi de more

ſtipitum

ſtipitum ordines;& in aſſidua ſtatione paratę lanciarę ſeu lembi egregiè tue- D
bantur. Luſitani, prope certa victoriæ ſpe profecti, nondum probè explo-
rata regione, deſcendunt; duabuſque ſimul partibus ad mœnia ſubire cona-
ti, cùm neque ſcalas attuliſſent, & ſtagnantibus circum aquis ac voraginibus
impliciti tenerentur; deſtinatis vndique hoſtium telis ac tormentis, promp-
tiſſimi quiq; ſternuntur. Nec felicius mari tentata oppugnatio eſt. cùm & in-
cognita obſtarent vada, & hoſtilium nauigiorum agilitas, onerarias Luſita-
nas, magnitudine ipſa inhabiles, crebris detrimentis afficeret. Ita, omiſſo in-
cepto, & præcipuis è ſuorum numero deſideratis, diuerſi duces; Albuquer-
cius Malacam redijt: Brittus ad Molucas, quò intenderat, nauigare perrexit.

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER OCTAVVS.

DVM hæc apud Indos alterna ſuccedunt vice; inte- E
rim ex alia quoque parte, atque adeò planè diuerſa,
perquàm inſigne ab homine Luſitano facinus edi-
tum eſt. Fernandus Magalianes agebat Oliſipone, in
genti animo vir, & rei naualis apprimè callens. Is,
quod in India ſub Albuquercio duce ſtipẽdia mul-
ta feciſſet; nequaquam pro ſpe præmiorum (vt in
ſuis plerunque meritis æſtimandis nimium ſibi fa-
uet humana cupiditas) ab Emmanuele tractari ſe
queſtus, ad opulentiorem Caroli Cæſaris Caſtellæ Regis aulam tranſijt. ibi,
cum aſtronomis aliquot communicato conſilio, & implacabili odio in Em
manuelem accenſus, Cæſarem & conſiliarios docet; Molucas inſulas, quarũ
celeberrimis toto iam terrarum orbe diuitijs Luſitani fruantur; intra Caſtel
lanæ conquiſitionis limites haud dubiè contineri. idque non pluribus tàn-
tùm argumentis è mathematica ſupputatione contendit; ſed etiam acceptis
inde litteris à Franciſco Serrano, de quo ſupra cõmemorauimus; in quibus
de admirabili quadam eius regionis cùm opulẽtia, tum ab aurea Cherſone
ſo lõginquitate diſſereret. Profectò, ſi à fortibus & peritis hominibus tente- F
tur ex Occidente iter; haud ita magno negotio è Peruana terra in eaſdẽ in-
ſulas penetrari poſſe. opem dein addit monitis. ac ſe, modò in eam expedi-
tionem neceſſaria præbeantur; in omne diſcrimen, experiundi cauſa para-
tum oſtendit. Mouit Cæſarem & magnitudo promiſſi, & Fernandi auctori-
tas cum teſtimonio Serrani coniuncta. Quinque compactis egregiè naui-
bus, eximio & nauta & milite ad Hiſpalim inſtructis (quo in numero exſu-
les erant Luſitani complures) vnus Magalianes cum ſummo imperio ac po
teſtate præficitur. Cum ijs nauibus, Bæti fluuio in altum Oceanum euectus;
Canarias primùm inſulas, tum Braſiliam certo iam pridem itinere petijt. in-
de, velis in Auſtrum datis, cùm ignota littora diu legiſſet; ad magni flumi-
nis oſtia ventum eſt; quod Sancti Iuliani vulgus appellat. is locus quinqua-
ginta gradibus ab æquinoctiali abeſt circulo. neque inde longè, infeſto ri-
gore, & æterno preſſa gelu, niuoſa montiũ cacumina in cælũ exſurgunt. ter-
ram incolunt homines immani duodecim amplius dodrantiũ ſtatura, effe-
ris moribus, crudis in cibũ carnibus adſueti. è quibus duo ad claſſẽ attracti,
blandimentiſq; ac muneribus à Magaliane deliniti, intra paucos dies ex in-
ſolita victus cõſuetudine periêre. Ad eam orã explorandã miſſa nauis vna,
cui præ-

A cui præerat Ioannes Serranus; in ſcopulos illata, ſaluis tamẽ hominibus, frã gitur. Hiſce rebus conterriti claſſiarij, &, præter alia maris incõmoda, ſæuiſſimo frigore enecti; incerta vitæ, & perueniendi quò intenderant ſpe; reuerſionem plerique ſuadere, quidam etiã conuitio efflagitare inſtiterunt. Hoſce Magalianes, obfirmato ad omnẽ patientiam animo, benignis adhortationibus aliquandiu ſuſtentare conatus; comperta demum coniuratione; partim capite, partim exſilio punijt. qua ſupplicij ac minarum acerbitate, obſtupefactis interim ab omni rerum nouarũ conatu reliquorũ animis; vltrà eũ locum tres fermè gradus, hoc eſt leucas circiter quinquaginta, proceſſit. atque ibi demum ſeſe oſtendit euripus, ſinuoſo meatu Oceanum vtrumq; cõiungens. Ea re tum ex incitatiſſimo aquarum æſtu animaduerſa; tũ ex cetorum oſſibus in littus eiectis; quaſi peracto iã itinere, gratulatio ingens à Magaliane facta; & euripo ipſi, ab inuentore, perpetuũ ac nobile nomen inditũ eſt. ibi, commeatibus valdè imminutis, cùm denuò fremitum vel querimonias quorũdam inaudiſſet; capitis pœna propoſita, vetuit ea de re ſermones inferri. Tum alia nauis ad inquirendũ exitum præmiſſa; ducẽ fruſtrata per tenebras retrò vnde venerat, Hiſpalim reuertit octauo menſe quàm ex eo
B portu diſceſſerat. Eam nauẽ miſſis qui quærerẽt, incaſſum dies aliquot præſtolatus, cum reliquis tribus audacter ipſe progreditur: perque varios mæãdros; & cæcas ambages, crebro velorum flexu tandem ex altera parte vaſtiſſimum rurſus in æquor euaſit. & quoniam ſub æquatore ipſo poſitas Moluccas eſſe didicerat; in eam partẽ proras dirigere magiſtros iubet. Leucas mille quingentas procul ab omni terræ conſpectu prouecti, in deſertas aliquot inſulas incidere; quas ex aduerſo Italiæ oppoſitas nonnulli arbitrantur. inde continuato in Septẽtriones itinere, ad Subũ inſulã leucarum fermè duodecim ambitu, auri feracem, frequentẽ incolis ventũ eſt. Ibi Magalianis labores exitu nec opinato concluſi. quippe inſulæ regulus, quod armis eo tẽpore cum finitimo Rege Mathani cõtenderet; oblata recentis auxilij ſpe, aduenas non ſolùm hoſpitio libenter excepit; ſed etiã in eorum gratiã ſeſe cũ vxore, liberiſque, & popularibus circiter octingentis, Chriſtianum fieri voluit; & honoris cauſa in ſacro baptiſmate Fernandi nomen aſſumpſit. Hiſce neceſſitudinum vinculis magis magiſq; Luſitanus obſtrictus, petenti opem & Chriſtiano, & hoſpiti, negare non potuit. Deſcenſione cum præſtantibus
C aliquot facta, Magalianes, cùm ſemel iterumque fudiſſet hoſtes; tertiò denique ex inſidijs ipſe circumuentus occiditur. Cęteri, partim, circa eum interfecti, partim elapſi vix ad naues cũ triſti nuntio peruenêre. Neq; hic finis miſeriarum fuit. ex quo facilè exiſtimari poteſt, quã non temere, nec ſine diligenti præparatione, barbaris Chriſtiana ſint impertienda myſteria. Regulus, qui vix adhibito catechiſmo, vel anteactæ vitæ ſceleribus cũ ſalutari de teſtatione damnatis, amicitiæ & tẽporis cauſa, peregrina ſacra ſuſcepiſſet; qua mobilitate Chriſtũ induerat, eadẽ paulo poſt & Chriſtũ ipſum, & vnà cũ Chriſto ius fœderũ, fas, humanitatem, fidẽ penitus exuit. Oblatam ab hoſte pacẽ, cum eo ſi aduenas è medio ſuſtuliſſet; recentia merita & iũctas nuper dextras oblitus, minimè recuſauit. Tam ſcelerati dein facinoris perpetrandi, cùm in aperta vi nulla eſſet ſpes; primarios è claſſe ad viginti, per officij ac beneuolentiæ ſpeciem ad ferale conuiuium inuitatos, repente inter ipſas dapes & pocula contrucidat; vno Ioanne Serrano vel ad ludibrium, vel ad lucri ſpem reſeruato; quòd ex redemptione ſe partem aliquam ſulphurei pulueris, & aliquot ænea tormenta (cuius machinæ in ijs locis nihil vnquam ſimile viſum fuiſſet) capturum eſſe confideret. Atq; vna hæc ſpes ſalutis afflicto quoq; Serrano reſtabat. Verùm vtrumq; poſtmodum euentus fefellit. namq; productus in vinclis ad mare Serranus; noua clade exponenda primò ſocios ad miſericordiam lacrymaſq; cõmouit: eodemq; inter

prete,

prete,per consuetos iam nutus ac symbola, cùm incolis agi de pretio cæp- D
tum. Paciscebantur vtrinque pecuniæ loco, duas minoris formæ bombar-
das,& puluēris aliquātum. Ea cùm lintribus ad terram nautæ admouissent;
subitò pretium augere insulani,& recedere à conditionibus, ac redempto-
rem varijs artibus detinere. Inde altercatione cum iurgijs orta, cùm maior
maiorque hominum frequentia ad littus affluēret, veriti fraudem & insi-
dias classiarij, sese ad naues re infecta subducunt: anchorisq; sublatis, mise-
rum Serranum, frustra fas religionis, amicitiæ, patriæ, lamentabili vocifera-
tione obtestantem, in barbara & crudeli terra destituūt. ad insulam decem
leucas inde prouecti, varijs casibus imminutas recensent copias. fusis ac lace
ris magna ex parte armamētis, centum & octoginta non amplius homines
in vniuersum inuenti. Cùm in tres ipsas naues, neq; nautæ, neq; funes, neq;
vela sufficerent; alueo vnò, qui præ cæteris quassatus erat, incenso; turbam
cum instrumento omni in alteram transferunt. ita, duabus tantū reliquis
nauibus ex eo loco discedunt: ac proris in occidentem Solem obuersis, diu
errabundi, ad Molucas insulas tandem aliquando perueniunt. ibi cum Ti-
doris regulo haud ægrè societas iuncta. Lusitana tum aberat classis: eò faci-
lius corrasis vndique frugibus, regulo enixè adiuuante, per tot ærumnas & E
pericula petitum ex insula specimen auehunt. ac trito indè itinere vtraque
primū instituit nauis. dein Lusitanarum classium iniecto metu; altera fluctī-
bus quassata, cùm omnibus compagibus aquam acciperet, ad Molucas re-
currit; ibiq; egressis in terram hominibus, ad scopulos allisa diffringitur. al-
tera Indis ad dextram relictis; immani ausu protinus altum præcidere, & re
ctà Bonæ spei promontorium petere intendit. eo superato, cùm ad Hesperi-
das vsque insulas processisset; inaudito post omnium seculorū memoriam
cursu totū orbem emensa, & æmulis classibus illuc vsque feliciter euitatis;
ab Lusitano demum Limenarcha in eo portu detēta est; & pauci qui super-
fuerant semianimes in custodiam traditi: è quibus tamen aliqui, naui dein-
de recuperata, in Hispaniam, vnus etiā, patria Vicetinus, obstupescentibus
cunctis miraculi nouitate, in Italiam redijt. Huic naui non sine causa Victo
riæ inditum fuerat nomen. Nauclerus erat Ioānes Sebastianus Canus, ex op
pido Guetaria Vardulorum, ad Pyreneum; vir animi fortitudine, peritia gu
bernandi,& inaudita felicitate sanè promeritus, vt ipsius ac patriæ nomen,
nullus vnquam casus, nulla temporum lōginquitas obruat. Neq; me fugit,
hæc aliter ab Iouio æquali eorum temporū tradi. Sed nos rem totam ex fide F
retulimus: haud mediocriter locupletē huiusce narrationis auctorem se-
quuti Ioannem Barrium Lusitanum: ad quem, præter cæteram notitiam,&
habita cum superstitibus ex ea classe colloquia; conscripti insuper ab ipsis
gubernatoribus eius peregrinationis commētarij peruenēre. Ex eo deinde
tempore sæpius in Molucas è Bætica primùm, ac postmodum è noua His-
pania nauigari cæptum. quæ res ingentem discordiarum molem inter Lu-
sitanos ac Bæticos peperit; nec sine magno motu, cùm in Europa legibus,
tum in Asia ferro, de illius maris & commercij possessione certatum est.
Magalianes è Bætica Septembri mense anni vndeuigesimi soluerat. bien-
nium circiter in ea nauigatione consumptum. Inter hæc, de rebus in Ceila-
no gestis nuntij ac litteræ in Lusitaniam venerant. Ad ea tam opportu-
na & fructuosa tuenda commercia, & fluxa fide Regem in officio conti-
nendum; arcem instaurari, & aucto præsidio diligenter custodiri Emma-
nuel iussit. Eius rei causa Lupus Brittus cum supplemento fabrum ac mili-
tum in Ceilanum profectus, accepto à Ioanne Sylueria castello; primùm o-
mnium concharum vim ingentem è proximo petijt; è quibus Indico more
calce confecta; nouos muros prioribus iam collabentibus ex arte perduxit;
ac fos-

A ac foſſam probè purgatam ſtatumine munijt. Ea re offenſi vehementius inſulani, quos communi vocabulo Cingalas vocant: quod contra ipſorum ſalutem ac libertatem cuncta parari haud abſurdè ſuſpicarentur. Et Saraceni inquilini de more ſuſpicionem ac metum augebant, in conciliabulis dictitando, veros videlicet vates initio ſe fuiſſe; cùm exitialem Columbanæ terræ Luſitanorum aduentum fore prædicerent. Per ſpeciem ſocietatis illapſos inaudita auaritia & crudelitate homines, paucis diebus malè mulctato hoſpiti Regi ſtipendium impoſuiſſe. poſt hæc, aliarum gentium homines, nullo iure aut exemplo ab ijs littoribus arcere cæpiſſe: non quieturos, quoad iniecto ad arbitrium fræno, populis perinde ac iumentis abutantur; nec eorum fortunas modò, ſed etiam ſuccum & ſanguinem hauriant. Habere Columbanum digna factis & moribus præmia; qui, ſpretis fidelium ſociorum conſilijs; nouam & incognitam veteri & expertæ amicitiæ prætuliſſet. Huiuſmodi facibus ad exſecrabile odium nominis Luſitani accenſa plebs; venalia primùm alimenta ciboſque caſtello ſubtrahere: dein eò audaciæ ventum; vt Luſitanos longius ab arce vagantes, vel iaculis eminus peterent, vel iniquo loco circumuentos occiderent. ad haſce tam atroces
B iniurias, principiò, pacis & cõcordiæ cauſa, leniter agere, & conniuere Præfectus. Sed conuitia militum, ſegnitiem & ignauiam increpantium, diutius ferre nõ potuit. meridianis horis, quod æſtiuæ maximè quietis eſt tẽpus, cũ centum & quinquaginta armatis Columbũ oppidũ arci pæne coniunctum, quàm tumultuoſiſſimè inuadit. Barbari, qui vt in ſummo otio, nullis cincti mœnibus, neq; ſtationes neq; vigilias agerent, metu perculſi repẽte capeſsũt fugã; re familiari, pauidis coniugibus, paruiſq; liberis in tanto periculo deſtitutis. Brittus ſine certamine oppidum ingreſſus; militem à direptione cædibuſq; continuit: tantùm fœminas pueroſque ad fores ædium alligari iuſſit; vt cùm in ſua poteſtate omnia fuiſſe redeuntes Cingalæ cernerent, ex eo ipſo, quàm non hoſtiles in Regem populumq; animos gereret, exiſtimare facilè poſſent. Simul etiam ad retardandam eorum ferociam, ſi ab tergo inſtarent, patentioris viæ quæ ad caſtellum fert, rectis ignes iniecit, ſalutari ſanè conſilio. quippe barbari, non celerius, attoniti metu, ſeſe ex oppido eiecerant, quàm icti deſiderio & ſolicitudine pignorum, conglobati furenteſque in prælium redière: inſtanteſque Luſitanis iam ſe recipientibus, eo-
C dem impetu in arcem irrumpere potuiſſent; niſi eos cùm demendi vincula ſuis; tum reſtinguendi incendij detinuiſſet mora. Inde noſtris ad arcem maturè adipiſcendã occludendaſq; portas ſpatiũ eſt datum, cùm extremi tamẽ agminis fermè triginta ſaucij redijſſent. Neq; is terror (vti putarat Brittꝰ) ad pacandam valuit gentem. quin, exaſperati potius animi, ſignoq; dato per agros, armati ad viginti millia conuenêre. ea multitudine freti, cùm temere ad arcis mœnia ſubijſſent; magna cum cæde vulneribuſque repulſi, caſtra communiunt. in exitu iam æſtas erat: eò maiorem in ſpem venerat regulus, ſi minꝰ oppugnatio procederet; intercluſis propter anni tempus maritimis commeatibus auxilijſque, obſeſſos ad vltimam inopiam redigendi. Neque tamen interea quies ab armis & ab operibus erat. aggerem aſſiduo labore ad mœnia Cingalæ proferebant. miſſilibus dies noctesque fatigabant hoſtem: inferiores vtique Luſitanis tormentorum magnitudine, & artificio; ſed molem ſupplebat numerus. ferreas contraxerant baliſtas fermè ſexcentas. eæ vel brachijs collibratæ, vel innixæ canterijs, indita in fiſtulam plura ſimul veruta decem palmorum longitudine, aprugno aduerſus ignem pennata corio, ita excuſsè emittebant; vt ad paſſus fermè ducentos obuia quæque perfringerent. hiſce verutis interdiu impetebant incluſos: noctu ignitis iaculis militares intra arcem caſas & diuerſoria, ramis & frondibus raptim exſtructa, incendere conabantur.

Lusitano, in magnis rerum angustijs nihil erat æquè difficile, atque aquandi ratio, quod puteus extra arcem non sine cruore adeundus esset, neq; eò per cuniculos, vt olim Cananore, penetrari loci natura permitteret. Accedebat aduersus tantam hostium multitudinem, mira defensorum paucitas; vt sine vlla interdum vicissitudine ijdē perstare in stationibus & excubijs cogerentur. Vna tantùm fiducia restabat venturi ab continente subsidij, si rem vsque in æstatis initium extrahere potuissent. Verùm ea quoque spe excidêre, postquam exacta iam per ingentes labores hyeme, Antonius denique Lemius ab Cocino cum vna tantùm trireme, neque plus quinquaginta propugnatoribus, affuit; & ijs quidem ægrè coactis, quod & Sequeria eo tempore cum maxima parte copiarum abesset; neque è præsidijs, in tanta infensarum circa gentium propinquitate, deduci milites expediret. Interea barbari diurnis nocturnisque operibus promoto vallo, turres insuper è palmea materia, cespite ingesto, duas erexerant: vt è superiore loco, dum fossæ complentur, sagittis & iaculis hostē in muro consistere prohiberent. Eo periculo animaduerso Brittus, antequam allati subsidij tenuitas emanaret, vltrò in hostem erumpere statuit. Concilio conuocato, Lemium trierarchum postera luce circa meridiē repentè à mari oppugnationem ostendere, & maioribus tormētis quatere turres iubet. ipse intento in D eam partem hoste, cum trecētis & quinquaginta Lusitanis ex alia parte, semiplenas & incautas stationes aggreditur; turbatosque ipsa audacia barbaros vallo deturbat. inde transgressus munitiones, eodē impetu simul vtram que turrim inuadit; auersosque hostes, è propugnaculis dejicit. Turribus ab Lusitano captis, clamor extemplò circa vicos & palmeta perfertur; palati in vnum coeunt barbari; vt omni conatu Lusitanum expellant. iamque instructa acies tota Cingalarum, Saracenis immistis, admouebatur. cētum & quinquaginta erant equites, haud spernenda in ijs regionibus ala; peditum ingens numerus. elephanti quinque & viginti præibant. ex ijs erant primi ordinis quattuor; nō turres modò cum sagittarijs dorso vectare assueti; sed etiam in decussim alligatas ad proboscidē falces, tanta vi ac dexteritate vibrare, vt quicquid ab latere vel à fronte se obiecisset, ancipiti ferro proscinderent. is terror Lusitanis offusus, primò referre pedem coegit: mox, quòd sæpe fit, in ipsosmet recidit hostes; cùm densis ictæ glandibus belluæ, spreto rectorum imperio, terga vertissent. Vrente dein magis magisque introrsus plumbea peste, doloris impatientes, quacunq; ruerēt, latè stragem edere; ac simul cuspidibus iaculisq; ab tergo Lusitanus instare. Ita suismet auxilijs cū ingenti clade barbari dissipati fusique. Brittus fugientem hostem aliquādiu persecutus; vbi ad lucos & nemora ventum est; contentus eius diei victoria substitit; & priusquam se barbari ex pauore ac trepidatione colligerent, nō sine multo suorum sanguine se in arcem recepit. Atq; is dies obsidioni attulit finem. Amissis ex amicorū numero præcipuis, regulus Mahometana hortamenta stimulosq; exsecratus, vnà cum arcis potiundę spe, consilia belli deposuit: missisq; ad Brittum oratoribus, veniam erroris & pacem denuò petijt: atq; ab Lusitanis, vel quietem ex longa defatigatione desiderātibus, vel absente Prætore Sequeria nullam exspectantibus opem; haud grauatè concessa. Ceilani res in pristinum redière. At Prætor ineunte iam æstate ab Armuzia profectus, Cambaiæ legens oram, ad Dium applicuit. ea vrbs, quòd magnas (vti diximus) habet opportunitates, & furtiuis Aegyptiorum & Saracenorum nauigationibus tutum ab Calecuto receptum dabat; Lusitano præsidio locum aliquem ibi obtineri ad hostes arcendos magnoperè cupiebat Emmanuel. itaque inter cætera Sequeriæ mādārat in primis, vt Cambaiani Regis, & Iazij dynastæ voluntate, si fieri posset; sin minus, vi atque armis aream arci ad Dium ædificandæ occuparet. Et Cambaianus

A nus quidem Rex, haud multum ab ea societatis conditione abhorrebat. Iazius verò, summa vi, cùm apud Regem, tum apud satrapas nitebatur, ne Lusitanis in eiusmodi possessionem pateret introitus: & simul, quantum ex tuto & occulto poterat damni præternauigantibus inferebat: miro inter hæc artificio eximiam quandam in Prætores, ipsumq; Emmanuelem obseruantiam ac beneuolentiam simulans. Neq; tamen eos planè fallebat. ergo pari vtrinque fuco ac fallacijs agebatur. Sequeria cũ ab Armuzia rediens Dium applicuisset, vt dicere instituerat; bona cum pace in speciem acceptus est. nec modò commeatus in classem benignè præbiti, verùm etiam ipse & nauarchi donis egregiè culti. Verùm appellatus de potestate ædificandi Iazius, ita se ad id propensum ostendit; vt rem interea totam sui arbitrij negaret esse. legatos necessariò mittendos in regiam (vrbs erat Madaba, sexdecim ferè leucas à mari) magnoperè confidere se, cùm Emmanuelis honori; tum etiam suis ipsius precibus ac suasionibus id facile ab Rege datum iri. ita, blandis promissis, ac singulari comitate extrahebat rem. At Lusitanus fraudem sentiens, vt verbis transigi nihil vidit; ad vim atque arma adiecit animum: neque ita difficilis videbatur futura oppugnatio: quòd cùm à mili-

B tibus imparata eo tempore vrbs erat; tum in eo ipso littore stationem habenti Sequeriæ noua ab Emmanuele auxilia superuenerant. Sed tanta fuit Iazij in agendo lenitas, tanta in ostentandis viribus & omnium rerum apparatu solertia; vt Prætor, mitigata in præsens ira, neque ausus tali tempore summam rem in discrimen adducere; sine vlla noxa recesserit: maioribus videlicet copijs anno proximo rediturus. Sequeriæ profectio, duplici voluptate Iazium & amicos affecit: quod non modò præsentem arcis apparatum consiliumque sine cruore discussérat; sed etiam ad vrbem nouis operibus muniendam, & externo, quo maximè nitebatur, firmandam milite, spatiũ erat nactus. itaque in neutro cessauit: idoneis locis propugnacula exstruxit, instaurauit mœnia, & in ijs tormenta vigiliasque disposuit. Castellum est in medio fermè introitu atq; ore portus. ab eo castello catenam ingentem ex ea parte quæ latius patet, ad oppidum vsque perduxit. ab altera, tres onerarias collocauit põderibus adeò degrauatas; vt perforato, cùm opus foret, alueo, repentè subsiderent. à fronte autem, ne subire triremes ad murum possent, prægrandia saxa & cautes in mare deiecit. tortuosos præterea cancellos, & varijs ad errorem flexibus in se recurrentes, obliquo

C amne defixit. ita omni aditu terra marique intercluso, lembos biremesque centum & octoginta, & aliquot insuper negotiatorum naues in portu cohibuit. Arabas denique, ac Turcas, Persasque, & ex alijs nationibus Christianæ maximè fidei desertores, mercede conduxit: ac, nequid interea de ædificatione per legatos Prętor Lusitanus ab Rege impetraret; omnem per se perq; suos conatum adhibuit. Neque segnius eodem tẽpore, diffisus legationi Sequeria parabat bellum. Ab Dio Goam, atque inde Cocinum delatus; veteres naues, & quassatas refecit, nouas deduxit, complures nauarchos, quibus in beneficij loco Emmanuel quæstuosos ad Malacam, vel in Molucas, aut in Sinas, alioue dederat commeatus, pro imperio ac potestate, Cocini detinuit. ita, summo studio adhibito, duodequinquaginta maiorum nauium classem varij generis, cum cætero instrumento machinisque, tum validis militum centurijs adornauit. è Lusitana sobole tria millia; ex Indica imposiri Canarini, ac Malabares octingenti. Cum ijs copijs Sequeria, prætextu Armuziæ repetendæ, quod Rex Torus tributum Emmanueli soluere distulisset; rursus ex itinere Dium accessit. sub eius aduentum Iazius, per exploratores iam ante de Lusitanorum apparatu certior factus; ne corã agere cum Sequeria cogeretur, tanquã euocatus ab Rege magnis itineribus eò contenderat; Saca filio cum idoneis rectoribus eius adole-

ſcentiæ tribus, firmoque militum præſidio ad vrbem relicto. Is, de area blã- D
dè per internuntios ab Luſitano appellatus; è ſeniorũ ſententia benignè reſ-
pondit: Si cõmeatu, vel re quauis alia in claſſem opus ſit; ſe affatim pro ami-
citia & pro conſuetudine præbiturum: neque id, in tanta rerũ omniũ copia,
quanta vrbi tũ ſuppetat; in magni obſequij loco numeraturũ eſſe. quod ve-
rò ad aream arci deſignandã attineat; ſe in poteſtate parentis eſſe: nec ſuper
tali tantaq; re ſibi licere quicquã eo abſente decernere. mirari, cur ad eam
diem Sequeria nullos ad Mamudium procuratores aut nuntios miſerit.
integram etiamnum eſſe rem: & Iazium patrem, ab Rege accitum, eò etiam
aduolaſſe libentius, vt præſens, auctoritate, ſtudio, gratia, poſtulatis Luſita-
norum adeſſet. ſimul, quoniam Sequeria per interpretem ambiguè intule-
rat, Luſitanos in eo genere iamdudum exercitatos, modò ſeſe in id ipſum
intenderent, arcem nullo negotio excitaturos; ipſe viciſsim obſcurè iecit;
non vnam omnium locorum eſſe naturam; haud æquè facilem in eo em-
porio ſtructuram fore, atque in alijs Indiæ, vel Africæ littoribus exſtitiſſet.
Sequeria, vbi Mahometanos non minus artibus ad eludendum, quàm mu-
nimentis ad propugnandum, inſtructos videt; de ſumma rei præfectos in
concilium aduocat. ibi, ſententijs in diuerſa tendentibus, aliquandiu certa-
tum. Erant qui non diutius ferendam ludificationem, atque admotis vndi- E
que machinis mœnia protinus quatienda cenſerent. in ijs, tormentorum
magiſter; circumuectum ſpeculatoria nauicula ſe, ad dextram oppidi par-
tem, quæ in mare imminet, animaduertiſſe haud ita firmi operis muros. ſi
placeat; ſe celeri ſtrage illac tranſitum in vrbem eſſe daturum oſtendit. alij
contra, & ij præcipuè, quos Prætoris iuſſu ad Cocinũ ſubſtitiſſe docuimus,
nunc oppidi vires, & armatorum frequentiam; nunc ipſius Regis opes,
quem bello prouocari non expediret; nunc naturæ gentium q; memorabãt
ius: quod vtiq; magno piaculo violatum iri, ſi non ante explorata Mamu-
dij voluntate; inter ipſa beneuolentiæ & caritatis officia, oppidanis repente
vim attuliſſent. quin Prætor, vti Saça & Iazius ipſe hortarentur, legatum &
litteras ad Regem protinus mitteret! à quo ſi nihil æqui impetratum foret;
tum denique armis decerni poſſe: neque vnquam Iazij oppugnandi hone-
ſtas Luſitano cauſas defuturas. Hæc à nauarchis propalam iactabantur: illa
tacita ſuberat cura, ne, ſi dimicari cæptum eſſet; creſcente in dies mole belli;
interim ad optatos cuique portus & commercia nauigandi facultas effuge-
ret. Eò vrgebant acrius, & alijs aliquot in eandem ſententiam adductis,
facilè tenuêre, vt ab armis abſtineretur, quoad legationibus tentata res eſ- F
ſet. Id vbi manauit; claſſiarios, victoriæ ſimul ac prædæ incenſos cupidine,
& pugnæ ſignum in ſingula momenta exſpectantes, magnus repente dolor
inceſſit: vulgo, ſe deceptos deluſoſque fremebant: nec modò querelæ, ſed
etiam probra & maledicta in Prætorem exaudiebantur. atque etiam præfe-
cti, ſe bellum ſuaſiſſe per ſummam impudentiam mentiendo, aſſentando-
que militibus, in Sequeriam ducem (cui vel in primis parci oportuerat)
omnem decreti eius inuidiam transferebant. Ea re Prætor cognita, rur-
ſum eoſdem in conſilium vocat: &, Quandoquidem viri nobiles, inquit, è »
vobis audio eſſe complures, qui ſeſe militibus venditent, totamque dilati »
huiuſce belli cauſam in me conferant vnum; & aliter in conſilio, aliter in »
circulis ac cœtibus diſputent; denuò perrogare ſententias placet; nec ver- »
bo ſolùm, ſed etiam tabulis publicis conſignare, vt quid quiſque ſenſerit, »
dixerit, ſuaſerit, palam exſtet: neu quis poſthac ex mea alteriuſue infa- »
mia, vel inuidia, ſplendorem ad vulgus, & gloriam quærat. Sub hæc dicta, »
rogati præfecti, eadem illa de belli difficultatibus, de Cambaiani potentia,
de ſpe legationis, deque amicitiæ legibus iterarunt; cunctas deinceps in co-
dicem ſcriba publico referente ſententias. Hiſce ita peractis, communi de-

creto

A creto missi à Prætore qui Sacæ nuntiarent: Quando nulla super tali negotio habeat à patre mandata; nihil, ipso incõsulto, nedum inuito, Lusitanos de arce conaturos. pacem eius, & Mamudij Regis, & sibi, & ijs qui ante se pro Emmanuele Indiam rexerint, antiquissimam semper fuisse: & quoniam ita omnibus visum fuerit, se duos è classe primarios ibi relicturũ: Rhotericum Fernandum, qui ad Mamudium ea ipsa de re contendat; & Didacum Pacensem Beianumue cum nauibus paucis, & fabrili instrumento; vt simul atq; cum Rege conuenerit; sine vlla cuiusquã iniuria in optatam, & vtilem vtriſque ædificationem incumbat. interea se Armuziam, vti instituerat, perrecturum: petere ab Saca, & rogare, vt procuratores Emmanuelis pro consueta humanitate, & hospitij necessitudine tractet. Ad ea cùm Saca, non exiguo leuatus metu, liberaliter admodum respondisset; ex condicto Rhotericus legatus in terram expositus; Beianus cum nauibus tribus responsum ab Rege ibidem expectare iussus. aduentitij nauarchi ad viginti, mercaturæ causa alij aliò dilapsi. Prætor cum cætera classe Carmaniæ oram legens, Armuziam venit. ibi cum Rege Toro, & Lusitano præsidio collocutus, dilatæ ab Toro pensionis causam reperiebat eiusmodi. Baharenum est,
B cuius ante meminimus, insula & vrbs in Persico sinu (sunt qui olim Icharam dictam putent) cùm fertilis agro, tum verò margaritarum piscatu prænobilis. Hanc insulam iure beneficiario possidebat Mocrinus Arabs, vectigalis Regum Armuziæ. Is, cùm viribus & ingenio contumax, tum etiam Mecani antistitis affinitate subnixus, cuius filiam habebat in matrimonio; indignari cæpit, seruire se Armuziano Regi, qui à paucis Mahometanæ sectæ aduersarijs, ex vltimo occidente profectis, regnum defendere paulò ante nequisset. Non esse verum, alijs imperare, qui suâ seque ipsum tueri non valeat. Ergo, non modò iugum apertè detrectare instituit Arabs; verùm etiam prædatorijs nauibus omnes circa regiones infestas habere; & commeantes Armuziam vndique negotiatores auertere. è quibus incursionibus, tantum paucis mẽsibus Armuzianæ rei damnum illatum est, portorijs magna ex parte imminutis; vt Regi ad tuendam vix personam, nedum ad vectigal Emmanueli soluendum, nummi suppeterent. Hasce querimonias Torus cùm ad Sequeriam ante per litteras detulisset; tum verò coram vrgere acrius instituit, vt sibi aduersus rebelles auxilium ex fœdere præberetur.
Neque abnuit Prætor. Virum eximiè fortem, ac bellicæ rei peritum, Anto-
C nium Corream expeditioni præposuit cum septem egregiè instructis nauibus, & Lusitanis militibus quadringentis. quorum, è prima nobilitate centum numerabantur iuuenes ad omnia prompti, laudisque ac decoris apprimè cupidi. Ad eas copias, Torus, lembos, quos vulgo terradas vocant, ducentos adiunxit, Xarafo ex amicis præfecto, cum tribus circiter Persarum, aut Arabum millibus. ex altera parte Mocrinus, ipsa meritorum conscientia monitus, haud dubiè tali apparatu peti vnum se; tamquam indicto iam bello, sic omnia ad oppugnationem arcendam summo conatu parauerat. ac primùm, ex insula vicinisque locis, armatorum cogerat millia fermè duodecim: in quibus erant equites trecenti Arabes, è Perside sagittarij quadringenti; fistulatores præterea Turcæ, & ex ipsius Mocrini ditione, perpauci. reliqui, de gentis more, gladio & iaculis vtebantur. Ad hæc, qua in Baharenum oppidum est descensus, vallum aggeremque perduxerat; passim obuersis in mare tormentis, & suis cuique præfecto stationibus ordine distributis. Correa, mense Iunio profectus Armuzia; aduersâ tempestate diu retentus est; ac demum in Bahareni conspectum delata classe; & extra ictum bombardæ anchoris in salo iactis, habitoque consilio; placuit duabus simul partibus aggredi vrbem: & hinc Armuzianos, inde Lusitanos in terram exponere, non modò ad hostem ancipiti prelio distinẽdum;

ſed etiam,quod Correa,in tam exiguo Luſitanorum numero, diffiſus Ara- D
bum ac Mahometanorum ingenijs,ſeparatim & ex diuerſo rem gerere tu-
tius putabat:præſertim cùm contra Baharenios eiuſdem & ſectæ, & ſangui-
nis gentem,inuitos arma ferre nō dubijs indicijs comperiſſet. Neque eum
prouida fefellit opinio. Xarafus, infra hoſtiles munitiones facta deſcen-
ſione, copias proximum in collem ſubducit, & explicandis per tumultum
ordinibus,& imperia turbando imperijs,data opera tempus terit,ſpectator
interea futurus alieni certaminis, & conſilium ex partis alterius euentu ca-
pturus. Correa,ne ipſe quidem auſus in aduerſum vallum rectà ſubire; &
militem in mari fluctuantem deſtinatis hoſtium iaculis ac tormentis obij-
cere; paulo ſupra vrbem perincommodo loco deſcendit:cùm exſpatian-
tibus latè vndis, alibi femore, alibi genu tenus aqua pertingeret. expoſitis
tandem ſine vllo certamine armatis; Correa, vt nuſquam niſi in virtute
ſpes eſſet, Triſtanum Caſtrium, nauali turbæ præpoſitum, ſcaphas procul
ab terra iubet abducere. Nihil inde temporis acie inſtruēda conſumptum.
quippe Luſitani vel à præferuido ingenio impatientes moræ, vel è nauibus
fermè viritim depugnare aſſueti; ſi quando terreſtri Marte certandum eſt,
in ijs vtique regionibus, ad ſigna atque ad ordines ægerrimè continentur;
ſed vagantibus manipulis,palati, ac diſperſi qua tulit impetus, in prælium E
ruunt:& cum denis interdum ſingulos concurriſſe, egregiam laudem ac
decus exiſtimant.quæ audacia, vti aduerſus tumultuarium & concurſan-
tem valet hoſtem,cuiuſmodi Numidæ,& Arabes, Indiq; cenſentur; ita,vbi
cum ordinatis equitum turmis,ac pedite veterano res eſt,circumuentis ple-
runque,vel in medium acceptis, perniciem extremam afferre conſueuit. I-
gitur ab Luſitano tum quoque de veteri conſuetudine immutatum eſt ni-
hil. Arius erat Antonij Correæ frater, ætate ferox, & celebritatis ac nomi-
nis præter modum appetens. hic prior in hoſtem cum nobilibus tendit. ra-
ptim Antonius cum reliqua manu ſubſequitur. ac tantus fuit ardor, vt bar-
baros cum cæde primùm vulneribuſq; intra munimenta compulerint:de-
in,eodem impetu illati,longè ſummouerint. Ita, pæne iam conceſſum ab
ijs de victoria videbatur; cùm effuſo repente omni equitatu, Mocrinus ela-
tum ſucceſſu hoſtem repreſſit; & ſenſim cedentem,vallo, & munitionibus
pepulit. Ibi,patentiore campo,affluente rurſum ex oppido multitudine,re-
cruduit pugna. cuius,non ex numero tantùm, ſed etiam ex ipſo genere ar-
morum,prorſus erat iniqua cōditio:cùm Arabes è ſuperiore loco prælon- F
gis triginta dodrantium haſtis aduerſa hoſtium ora crebris ictibus foderēt,
priuſquam ij venabulo gladioue ſuccedere ad vulnus inferendum poſſent.
ac nihilò ſeciꝰ obnixi animis Luſitani perſtare; balliſtiſq; præſertim ac fiſtu-
lis equitē ſeſe audacius inferentē arcere. in eo tumultu dum Arius temere
in hoſtiū cateruas inuehitur;duabus primùm ictus ſagittis,dein aliquot ac-
ceptis vulneribus concidit. eius cladis nuntij mœrore pleni, cùm ad An-
tonium aduolaſsēt; Vos verò pergite,inquit ille,vt cæpiſtis: nam frater qui-
dem meus, præclarè vitam in ſuo munere poſuit. His dictis, accenſi rurſus
ad prælium animi:ſed laſſitudo & vulnera degrauabant. Medium fermè e-
rat diei: & feruentiſſimo deſuper Sole,arenaq; infra æſtuante, cum intole-
randa ſiti miſtus cruore manabat ex artubus ſudor. Quæ cùm defatigatio
ſimul hoſtem cepiſſet; quaſi tacitis inducijs, paululum vtrinq; fuit quietis
& ſpatij ad ſaucios è prælio ſubtrahendos. Inde, renouato impetu Luſitani
priores in pugnā redeunt; ac ſublato pariter clamore, Sanctum Iacobū ap-
pellant. Audijt Apoſtolus voces, ac ſuis de more propitius, repentinū hoſti
metum ac trepidationem incuſſit. Mocrinus, inter prima ſigna, duobꝰ iam
equis inſidenti ſuffoſſis;dum tertio arrepto reſtituere pugnā conatur;acer-
rimè dimicanti femur plumbea glande traijcitur. ex eo demum ictu,cùm

A ſanguinis copiã funderet,fracta viri ferocia eſt:&elatus ex acie, prȩcipuis ex amicorum numero proſequẽtibus, cùm ſeſe deſperatis reb⁹ in latebras abdidiſſet,intra tertium diem emoritur. Barbari, vt ſeminecem Regem prælio exceſsiſſe vulgatum eſt; armis paſsim proiectis momentò diffugiunt.ac tum denique Xarafus,deducto in campos exercitu, ad Luſitanos, victoriam gratulaturus, ac tarditatem purgaturus, acceſſit. Correa,tametſi perfidiam præclarè ſenſerat; tamen, ne res,alieno tempore,in iurgia; dein, vt fit,in certamen excederet; in præſentia, dolori & iracundiæ moderatus; fugienti ſaltem perduelli Xarafum inſtare, & parta iubet vti victoria. Mox ipſe quoque, refectis parumper ex laſſitudine & calore militibus, aderat. Cùm nuſquam apparerent hoſtes, ad prædam victores illicò verſi; quæ non contemnenda ex ædibus præſertim regijs exſtitit. Simul etiam, centum & quadraginta nauigijs ignes iniecti: & Xarafo ad cuſtodiam vrbis relicto,Correa ſe ad curandos maximè ægrotos ac ſaucios,quorum magnus erat numerus,in claſſem recepit. At Mocrini cadauer,dum ex inſula in Arabiam ſepulturæ cauſa traijcitur; ab Sadradino Xarafi propinquo interceptũ,ſummo cum gaudio in vrbem aſportatur. ibi abſciſſæ ab trunco ceruices; & corium è caluaria perquàm artificiosè detractum, Arabes goſſipio
B inferciunt.id certum victoriæ ſignum, Toro miſſum munere, & cum ingenti gratulatione, in medio Armuziæ foro conditum eſt,addito titulo, qui Arabica & Luſitanica lingua rei geſtæ ſeriem contineret. Ab ea clade, cognatus Mocrini Hametes,pactus vti omnis generis mercenarij,relictis armis equiſque,in continentem ſine fraude trãſportarentur;quod reliquum erat inſulæ, cum Catifa oppido, in poteſtatem Regis Luſitaniæ tradidit. Mercenarij cum fide tranſmiſſi. & propoſita venia, in ſuas domos incolæ reuocati: iuriſque inter eos dicundo præpoſitus notæ probitatis ſenex,nomine Bucatus, natione Arabs; quæ res ad pacandos gentis animos haud mediocriter valuit: ſiquidem Perſas præfectos,populi Arabes ęgerrimè patiuntur.Inſula dein à Luſitanis Regi Armuzię reſtituta;&ab ipſo mox Rege tradita eſt Bardadino cuidam,Xarafi propinquo; cum eo, vt ſerafinum quadragena millia quotannis tributi nomine penderet.At Correa, inſigni parta victoria,& compoſitis ad Baharenum rebus, Armuziam reuertit. Aduenienti, vt æquum erat,magni cùm à Toro,& omnibus ordinibus; tum à Sequeria Prætore habiti honores. Inde Rhotericus Botus,
C cum Antonio Abulæo ſcriba, & Luſitanis præterea ſeptem, Baharenum petere,& ibi Emmanuelis negotia procurare iuſſi.Et Sequeria,cùm Torum externo malo ac metu leuaſſet; inteſtinis præterea ſuorum fraudibus eripere aggreſſus eſt; quod certis auctoribus iam ante audiſſet, regia vectigalia & rationes,à miniſtris & Quæſtoribus interuerti. Ergo, præter Mahometana mancipia,Luſitanos quoque iudices,& ſcripturæ magiſtros, magno Arabum dolore,in portu conſtituit. dein, confirmato Regis animo, & arcis præſidio inſpecto, claſſem ab Armuzia ſoluit, ac Dium rectà petenti, Beianus cum triſti occurrit nuntio; Rhotericum Fernandum à Mamudio irritum redijſſe: & Sacam, haud dubiè patris imperio, infida cum Luſitanis amicitia tandem abrupta, magno lemborum ac biremium numero in ſuas naues feciſſe impetum: circumuento & oppreſſo pæne ſibi vix ad fugam exitum patuiſſe: bellum atrox ab Iazio alijſque piratis inſtare. Hiſce rebus cognitis Prætor; amiſſis nuper bene gerendæ rei occaſionibus nequicquam ingemuit, ſuam ipſius leuitatem accuſans, quod omnibus rebus ad dimicãdum inſtructus, ſemet ab imparato Iazio blandimentis in fringi, rurſus mercatorum conſilijs auferri ſe paſſus fuiſſet.Cùm ſimul ira pudorque verſarent animum; in præſentia ab Dio tentando copijs adeò imminutis abſtinuit: vltra Dium eſt locus millia paſſuum circiter quin-

que &

que & viginti, ſat capaci portu, & ad mercaturam exercēdam idoneo: Ma- D
drafabam appellant. ibi Sequeria, Dienſibus inuitis repente caſtellum exci-
tare decreuerat. Sed Iazius, de nuper captis Luſitanis cognito maturè cōſilio
eam ipſam regionē firmis preſidijs occuparat. Igitur, ea quoque ſpe deiectus
Prętor, Ciaulum inde ſe contulit; & ab Nizamaluco tyranno poteſtatē petijt
arcis ibidem exſtruendæ. In ſocietate cū Luſitanis dudum erat Nizamalu-
cus, vt ſupra docuimus. ac tum fortè aduerſus Idalcanem gerens bellum, e-
quis præcipuè militaribus indigebat, quos neque India fert, & ab Armuzia
capta venales ad vnum Goanum emporium Albuquercij decreto deuehe-
bantur. Quocirca Nizamalucus, de poteſtate arcis ædificandæ à Prætore
appellatus, ea in primis lege annuit; vt trecentos quotannis equos è Perſide,
vel Arabia, Ciaulum importari liceret; atque vt ab inſtitoribus, quantum
in Goano portu, quadragenos in capita pardaos (nummus aureus eſt, dena-
rium circiter octo æſtimatione) Luſitani procuratores exigerent. Conſcri-
ptis conditionibus, expoſiti à Sequeria in terram fabri: atque ad ipſas flumi-
nis fauces dimenſo ædificio, confeſtim opus fieri cæptum. Ea re vulgata, Ia-
zij quidam præfectus ab Dio celeriter quinquaginta biremes ad opus impe-
diendum adduxit. cum ea claſſe ab Luſitanis vario euentu certatum. ac ni-
hilominus interea dies noctesq; cōtinuato labore, ad iuſtam altitudinem, E
muri & propugnacula excreuerant. Ad ea diruenda, pellendoſque Luſita-
nos, cùm longè maiore apparatu opus eſſet, Mahometana claſſis in pericu-
loſa ſtatione multis acceptis incommodis, tandem irrito conatu diſceſſit.
Et Sequeria ad cuſtodiam loci præſidio terra mariq́ue relicto, Cocinum
reuectus, Eduardo Meneſio ſucceſſori prouinciā tradidit: vna re maximè
memorandus. quod ab inſita pietate primus in vrbe Goa Diuo Franciſco
templum; & coniunctas templo ædes cœnobium mú e, ſodalibus Franciſcanis
exſtruxit. At Eduardus inito magiſtratu, quod cōtra piraticas claſſes leuio-
ribus nauigijs opus eſſe intelligeret; biremes duodecim ædificari iubet. cum
ijs ad oram arcemq́ue Ciaulanam Simon Andradius obtinendam profe-
ctus, in itinere audit, duas Turcarum triremes ab Dio Dabulum delatas
(Mahometanum id emporium eſt dextra Ciaulum à Goa petentibus) intra
eius portus fauces metu noſtrarum nauium deliteſcere. haud quaquam ne-
gligenda res viſa. Confeſtim ad vim ac pugnam paratus, Dabulum acceſſit.
oppidaniſque primò tergiuerſantibus, dein terrore commotis, non modò
triremem extorſit vtranque; ſed annuum inſuper vectigal impoſuit. ijſdem F
ferè diebus, graues & periculoſi ad Armuziam motus fuêre, initio à ſcribis
& Quæſtoribus orto; qui Luſitanos cuſtodes ac præſides ad ſcripturam ap-
poſitos, inſtar mortis ducebant. Xarafus eo tempore plurimum Armuziæ
poterat. Hoc maximè patrono ac fautore, Mahometani qua veris qua falſis
criminibus Torum in Luſitanos accendere; ſuperbum & immodicum pe-
regrinæ gentis, & cuncta paulatim in ſe trahentis, imperium conqueri; fur-
to ſurreptos ingenuos ingenuaſque, & per vim ad Chriſtiana ſacra compul
ſos; & ſuper omnia, deſtinatos ab Toro legatos ad Emmanuelem, fraude
Præfecti retentos, indignari. Hæc, & alia id genus identidem deplorando,
Regem ingenio mobili adoleſcentem, ac libertatis auidum, adduxêre tan-
dem, vt acerbiſſimę ſeruitutis iugum excutere; & regnum Armuzianum in
priſtinam dignitatem omni ratione vindicare decerneret. Iam tum in exi-
tu erat autumnus anni ſeculi huiuſce vigeſimi primi: & commodū Seque-
ria Prætor omnem ferè claſſem ab Armuzia abduxerat, Emmanuele Soſa
cum paucis admodum nauibus ad oram tutādam relicto. Ergo, ſecretis in-
ter ſe colloquijs habitis Perſæ, ficto primùm rumore diſſeminant, Arabicā
oram, quæ ditionis Armuzianæ ſit, à Balochijs prædonibus è Perſide mari-
tima deuaſtari. hoc mendacio conſequuti, quod vel in primis optabant,

vt Soſa,

A vt Soſa,ad eos piratas fugãdos,ab vrbe diſcederet;certam & inter ſe,& cum cæteris oppidorum magiſtratibus noctem occultè condicunt, qua ad Luſitanos vbique delendos vno temporis momento conſurgant. Vbi ea nox aduenit,regiæ claſſi præpoſitus, quem Xebandaram vocant, cum terradis octo,duas in portu reliquas Luſitanorum naues, triremem ac dromonem agmine ſilenti circumuenit. ac trireme quidem à cuſtodibus pæne vacua extemplò potitur: & flãmas illicò tabulatis,arida palmarũ fronde conſperſis inijcit; qui tamen ignis, paulo poſt ab latitante puero extinctus eſt. dromonem verò, quod iuſto nautarum numero tenebatur, ne aggredi quidẽ eſt auſus.Cæterùm,vt ex triremi ſplendor emicuit (id conuenerat ſignum) confeſtim è turribus,dein ex omni vrbis parte,cum ingenti æris crepitu,cuiuſmodi Saturnalibus à plebe cieri ſolet,ad arma,necemque Luſitanorum conclamari cæptum.multi ex ijs, ad maiorem laxitatem ædium,& liberiorem negotiandi facultatem, extra muros arcis, domicilia comparauerant. ergo, in ſemiſopitos, vndique impetus ab hoſte factus, quibuſdam etiam circundati ignes:& ſimul exitus itinerum ſtationibus occupati.exinde cùm clamor,& diſcurſus,& nocturna trepidatio, nec audire, nec quidere quicquam ſinerent; Luſitani partim intra domos oppreſſi, partim curſu proti-

B nus arcem petentes, aut flammis hauſti, aut inſidijs armatorum excepti ſunt.nonnullæ tamen familiæ conglobatæ, cùm per media tela ferro ſibi viam feciſſent; intra arcis portas cum triſti nuntio penetrarunt. Pari audacia eodemque tempore, ne mutui ſubſidij vlla eſſet facultas, ad Curiatum, Soarem,Baharenum,quotquot agebant Luſitani, vel trucidati, vel in vincla coniecti.vnius etiã fuit memorabilis exitus, Rhoterici Boti: varijs quippe tormentis diſcruciatus, vt ab auita religione deficeret; conſtanti ad extremum vſque ſpiritum animo, Chriſtum vnum Deum Dominumq; conteſtans, glorioſi martyrij palmam adeptus eſt. Deſiderati in eo tumultu, præter ſeruos ſeruaſque, Luſitani centum & viginti;numerus in tanta præſidij tenuitate non modicus: & apothecæ omnes ac diuerſoria momentò direpta.Hiſce noctu fermè patratis, vt primùm illuxit, emiſſi raptim ex arce qui reſiduos è cæde conquirerent; naueſq; fruſtra tentatas, intra iactum teli reducerent: ſimul etiam, oneraria Luſitana, cùm iam eſſet in curſu referta caricis, peropportunè retenta; & onera in cibũ, & ſolutis de induſtria compagibus, aſſeres trabeſque in munimenta ſuffecit. aliquot etiam hoſti-

C libus nauigijs in ipſo portu ignes iniecti. hæc omnia ingẽti cum ardore,nec ſine ſanguine multo peracta:& prius quàm arx ab hoſte cingeretur, Ioãnes Meria dromonem expedire, & Goam petere iuſſus ad opem à nouo Prætore implorandam. At Soſa,per Maſcati Præfectum (qui vnus Tori mandata aſpernatus,in fide manſerat) de hoſtium fraude certior factus, ad Armuziam extemplò iter intendit. Verùm ab eius curſu fœda tempeſtate diuulſus Triſtanus Vaſæus Vega prior ad vrbem decurrit, ac noctu per medias hoſtium ſtationes,deceptis ipſa audacia claſſiarijs, cùm quempiã è ſuorum numero putarent eſſe; felici conatu ad arcem ipſam applicuit. Solennia Dei natalitia tum fortè agebantur: & ſacrificio nocturno dabant operã Luſitani, eò attentiore obſecratione,quò vehementius erant de communi ſalute ſoliciti. itaq; inter ipſas preces Triſtanus Vega repentè ſuperueniens, cunctos ingenti ſpe lætitiaq; perfudit,quòd vel ex eo miraculo,ſua vota ſalutemq; Deo cordi eſſe haud dubiè cernerent. Soſæ dein exſpectatione ſuſpenſis,& è ſpecula identidẽ,vt fit,omnes circa regiones oculorũ acie colluſtrãtibus,tertio die,qui D.Ioanni Apoſtolo eſt ſacer; duas procul ab arce leucas, anchoris in ſalo iactis apparuit. Roſtratã onerariã ex ijs quos galeones vocant, & vnam dũtaxat biremem ducebat, eaſq; propugnatoribus valdè infrequentes;compluribus,coniuratorũ ſcelere,ad Calaiatum nuper amiſſis.cæ-

sis.cæterùm aquæ,cuius maximè inopia laborabatur, & varij commeatus, D
petitam è proximo vim attulerat. Eius rei non ignarus Vega, suadere Præfecto arcis Garziæ Cotinio institit vehementer, vt Sofæ, priusquam oppri. meretur, opẽ ex arce sine mora submitteret. Res erat periculi plena in tam exiguo bellatorum numero,& Armuzianis in proxima statione ad omnes eiusmodi casus intentis. Attamen,id sibi periculum, is ipse qui suaserat Vega magno animo depopoſcit:neque fortius obtulit,quàm præstitit opera. Spectato milite crebrisque tormentis in paronem impositis egregiè velocem;præter hostium & Regis ipsius ora oculosque incitato remigio ad Sofam tetendit. interea,qui remanserant, supplices ad cælum manus pro felici euentu cum precibus tollere. hostes audaciæ magnitudine attoniti, propemodum hærere. Regis dein imperio,terradis octoginta raptim insequuti,cùm aliquandiu ab tergo allatrassent;duce & triginta viris amissis, & saucijs alijs, malè mulctati redière. Vega,è summo discrimine elapsus, ingenti suorum gaudio se ad Sofam adiunxit. Ad id spectaculum percitus ira & furore Torus,domo se proripit;pauoremque & mollitiem territis ac mœrentibus exprobrans, reuerti cunctos in prælium iubet. atque vt pro meritis quisque sibi aut præmium,aut ignominiam paratam esse non dubitarent; mensas in littore collocat duas: quarum in altera fulgentes conspiciebaE
tur aurei nummi;in altera muliebres mitellæ, ac delicata velamina, quo notæ genere apud eas gentes acerbius nullum esse consueuit. Equum dein conscendit properè,fusteque arrepto, promiscuam insuper multitudinem cogit in naues: postremò cum stipatoribus in editum subit collem, vnde, singulorum virtutis aut ignauiæ testis, conspicere simul & conspici posset. Ac Lusitani pariter custodes,è pinnis fenestrisque prospectant,commilitonum vicem anxij,quippe quorum in virtute dextrisque,non modò imperium,sed vita omnium verteretur. Aucta classe nouis copijs,terradæ omnino centum & triginta infestis in Sofam rostris citato cursu feruntur. Sofæ,in summa rerum iniquitate,illud etiam accedebat incommodi: quod omnis tum fortè ceciderat ventus: vnicum onerarijs nauibus, quæque velis dumtaxat aguntur, aduersum frequentes actuarias agilesque, remedium. Deprehensus,cùm nulla nisi in cælesti auxilio, & vltima necessitate esset spes; Deum enixè precatus, vti extremis in rebus,quemadmodum antea sæpè,sui numinis præsentiam ostenderet; socioque ad honestum & Christianis dignum exitum paucis adhortatus; exiguas copias magno animo ad pugnã instruxit. Ac primùm, ne impunè circuiri ab hostium multitudine posset; F
neu quis casus, inter pugnandum, suos ab se diuelleret; paronem ac biremem,epibatis ac libratoribus ad idonea loca dispositis, demissisque armamentis,ad onerariam ita reuinxit;vt cùm ad opem, vbi res postularet,ferendam,facilis ex alia in aliam nauim transitus daretur; tum, ad arcendos vndique hostes, libera in omnem partem esset eiaculatio. dein ad auram, si quid afflaret, excipiendam, antennas tantùm onerariæ sustulit; quod eæ, propter celsitudinem , nihil ad expeditum certamen obessent. Vbi propius ventum est ; missilium nubes atro mista fumo tantam caliginem exciuit; vti mutuum hostibus conspectum prorsus adimeret. Certius tamen Lusitani è superiore loco figebant, cùm in adeò densa nauigia vanum prope nullum incideret telum. Ausi dein Mahometani aliquot, ostentandæ fortitudinis, & Regis demerendi gratia, è propinquo certare; adhortati inter se, magno impetu in Lusitanam biremem è terrada transiliunt. Eo successu elati, cùm onerariam porrò scandere niterentur, concursu ad periculum facto, partim contis ac ferro detrusi; partim etiam abscissis brachijs interempti: quæ res cæteros ab eiusmodi temeritate deterruit. Inter hæc,tum ipse maris æstus accedens, tum etiam lenis ex alto flatus

vela

A vela,vteunq; percutiens,onerariã per medios Armuzianorũ ordines paulatim ad arcẽ admouerat. inde maioribus tormẽtis ex deſtinato ſummoti hoſtes:ac demũ octoginta deſideratis, vulneratis plurimis,cum ingẽti luctu ac dedecore ſe in portũ,vnde prodierãt;recepêre.è Luſitanis, triginta ſaucij,occiſus puer vnus duntaxat è nauali turba: ſpiculorũ verò tanta vis intrà onerariã & actuarias alligatas apparuit; nauiumq; fragmenta collecta ita multa:vt complures dies materiam igni præbuerint. Soſa & Vega, cæteriq; victores,inſigni parta gloria,gratulantibus ouantibuſque cum effuſa lætitia ſocijs,in arcem accepti. Ea re maiorem in modum exterritus Torus,conceſſo Luſitanis mari, arcem à terra oppugnare conſtituit. Tormentis librandis,regia & valetudinariæ Luſitanorum ædes electæ. inde cõtinuis aliquot diebus arcis mœnia quatiebantur.incluſi, nouas ita pro dirutis obijciebant moles; vt ſpei multo plus in virtute, quàm in muro foſſiſúe reponerent. Ergo,poſt editam locis aliquot ſtragem auſos ad mœnia ſuccedere Mahometanos,& ſcalis appoſitis in ſummum eniti; cùm alio armorum genere, tum ſupernè vibratis ponderibus ac trabibus vndique deiecêre. Multi in eo congreſſu,& fortiſſimus quiſque,exanimati. Neque ad iterandam vltrà oppugnationem Toro affuit animus. Et, circumagente ſe hyeme, ictus conſci-
B entia admiſſi facinoris,& Luſitanæ claſſis aduentum extimeſcens; conſilium formidine ac deſperatione pleniſſimum cepit. Queixome inſula diſtat leucas tres ab Armuzia.eò,cum vniuerſa ciuitate,congeſtis raptim in terradas ijs quę tolli poterant, ingenti popularium dolore migrans:tectis vrbis, quorum erant complura egregio opere & picturis ornata,vltrò ſubdidit faces:hinc, toto quatriduo peruagatum incendium, cuncta propemodum hauſit. Luſitani,rei nouitate defixi,primò ignium contagia, dein hoſtium inſidias timuêre.poſtremò,vt flammæ quieuerant; ſatis comperta vrbis ſolitudine,ad reliquias fumantis Armuzię diripiendas egreſſi, paucis tantùm excepris commeatibus,omnia fermè in cineres & fauillam redacta comperiunt. Inter hæc,Eduardus Prætor,de ſuorum cæde,& arcis periculo certior factus;Ludouicum fratrem cum nauibus decem & firmo præſidio, Armuziam proficiſci iuſſerat. Eius rei timore perterritus Xarafus, ne vulgata poſtmodum conſilia rebellionis in ſuum reciderent caput;incautum & obnoxium ſibi Regem,opibus ipſe & auctoritate præpollens, per ſatellites ad
C ſcelus omne paratos,è medio ſuſtulit;eiuſque loco ſubſtituit è Zeifadini liberis Mamudium,tredecim circiter annos natum. Ludouicus,tetro ſpectaculo Armuziæ incenſæ commotus;& cognitis ijs, quæ nouo Xarafi ſcelere ad Queixomen accidiſſent; fluctuauit animo, vtrum commeatibus interceptis (quod erat perfacile)deprehenſos intra deſertam inſulam hoſtes, omnium rerum inopia & fame ſubigeret. dein, ex ijs quæ ab exploratoribus deferebantur,non ſine cauſa veritus, ne ſi afflictos vrgere acrius inſtitiſſet; malis coactus Xarafus cum regia gaza, Regeque ipſo ſecederet in Perſidis interiora;leniter agere,& oſtentanda veniæ ſpe, rebelles ad pacem & concordiam allicere ſtatuit. Neque difficilem habuit exitum res. quippe, Luſitanis, emporij quæſtuoſi; Armuzianis, patrij ſoli deſiderio laborantibus. Pax ergo in has fermè conuenit leges: vti Mamudius cum ſuis Armuziam inhabitandi cauſa rediret. debita ad eam diem ſtipendia; & ex ea die in ſingulos annos vicena ſerafinum millia Emmanueli perſolueret. Ciues, ablatas inter tumultum Luſitano res, captiuoſque omnes cum fide redderent. Luſitani autem,neque iuri inter oppidanos dicundo, neque adminiſtrandis vectigalibus,exigendiſúe portorijs,vlla ex parte ſeſe immiſcerent. vtrique amicitiam & ſocietatem rectè & ex animo colerent. Per hunc modum compoſitis rebus,læti Armuziani in patriam redière; inſtauratiſque ædificijs,& reſtituto commercio,propter eximiam loci opportunitatem, Armu-

zia

zia breui in veterem celebritatem est restituta. Dum hæc ad Persicum ge- D
runtur sinum, in Africo item Oceano rei & existimationi Lusitanæ præ-
clarè consultum est. Reguli duo, Zenzibaris, & Pembæ, aliarumq; circa insu
larum, vectigal annuum pacti, sese in Emmanuelis amicitiam fidemq; iam
ante contulerant. Id ægrè passus Mombazæ tyrannus; magnum earum insu
larum numerum, & in ijs prænobilem vnam, Querimbam nomine, ab regu
lorum imperio varijs artibus ac promissis auertit. reguli, cùm à tot simulta
pulis destituti, vectigali soluēdo non essent; à Lusitanis ducibus, qui ad Mo
sambicum aduersa tempestate hyemem exigere coacti erant; per nuntios
opem rebus afflictis implorant. Digna Lusitanis institutis & consuetudine
visa res est. Et Petrus Castriu's, ne otiosa hyberna traduceret, paucis nauibus
ad Querimbam appulsis; bellatores non amplius centum in terram expo-
suit. oppidum erat littore peramæno; & cùm diuitijs celebre, tum etiam
incolis, & inuecto nuper à Mombaza præsidio frequens. Castrius multitu-
dine haudquaquam exterritus, bifariam suos diuisit. Cum vna parte Chri-
stophorum Sosam occultè circumire; seque ab tergo ostendere iubet: ac si-
mul ipse cum cætera manu à frōte hostem aggreditur. Certaminis aliquan-
tum ac periculi fuit; dum eminus barbari iaculis de more pugnant. vbi co- E
minus geri cæpta res est; micantes Lusitanorum gladios, & præpilata hasti-
lia non tulêre. Ac paucis nequicquam resistentibus, cùm proximum quem-
que hostis cæderet; omnes, qua pauor tulit, per stragem corporum in agros
effusi. Lusitanus, haud contēnendis egestis opib⁹, oppido flāmas iniecit. Eius
rei fama rebelliū fregit animos. & confestim legati dedentiū insulas, & in re
gulorū ditionem redeuntium, affuêre. Castrius, minimè vulgari (si paucita-
tē militum spectes) relata victoria; & regulis nouo beneficio obstrictis; ineū-
te iā ęstate Indiam petere intendit. Interea Antonius Brittus, vti narrare in-
stituerā, ab Georgio Albuquercio digressus; ad Molucas lōga ac difficili na-
uigatione peruenerat. Bacianum inter cæteras illius regionis insulas est. ea
tū Laudino dynastæ parebat. Ibi, quod è Simonis Correæ iūco, Lusitani ali-
quot paulo ante per occasionem interēpti fuissent; eam fraudē necemq; pro
tinus vlcisci placuit: & exposito milite Brittus, insulæ agros ferro igniq; va-
stauit; abegit prædas; ac documento nō leui sanxit, ne quis Lusitanos homi-
nes, vel tēpestate, vel quouis alio casu in ea loca delatos, quamuis paucos &
inermes; opportunos ad cædem & iniuriā duceret. Inde Tidorē progressus; F
ab incolis comperit, Boleifem Ternatis Regē, Almansoris filia in matrimo
niū ducta, ac deinde Franciscū Serranum, è vita migrasse. Boleifis maximè
accitu Brittus ab Cocino fabros & ædificandi instrumentū aduexerat; cū vl
trò non Boleifes modò, sed Almansor etiā, in sua vterq; ditione, Lusitanis,
quo potissimū vellēt loco, arcis exstruendæ optionem deferret: & auaritia
cæci ambo, dum peregrina commercia, & noua lucra sectantur; certatim in
multas indignitates, & in ipsum pæne seruitium ruerent. Verūtamen in Bo-
leife præcipua quędam nominis Lusitani caritas eminebat. Is, vti supra do-
cuimus, & Lusitanis, cū primùm in eas regiones delati sunt, hospitio inui-
tandis, Almansorē prœuerterat. & Franciscum dein Serranum, aliosque diu
apud se detentos, mira comitate officioq; tractarat: & cū se suaq; omnia Em
manueli per litteras amicissimè detulisset: tum etiam nuper ab Indiæ Præ-
tore classem & structores castello apud se Lusitanis ædificando per legatos
admodum enixè petierat. Denique, morbo confectus, cùm hæredem re-
gni tenera etiamnum ætate relinqueret filium, nomine Boahatem; vxo-
sumo studio retinerent; neque alias quærerent amicitias; sed in vnius
Emmanuelis fide opibusq; sat firmum sibi fortunisq; suis præsidium con-
stitutum arbitrarentur. Hæc præcepta, defuncto iam Rege, infixa in re-

ginæ

A ginæ & propinquorum animis, ad continendam aliquot annos in fide gentem, haud mediocriter valuêre. Ac proinde vbi nouam diuq; exſpectatam ex India claſſem, Britto duce, Tidorem aduenisſe cognitum eſt; Aroezius illicò, Regis tutor, cum nauibus feſtoque apparatu, ad eum ſociosq; in hoſpitium deducendos accurrit. Nec leuem interea voluntatem Almanſor detinendi apud ſe Luſitani, & renouandæ ſocietatis oſtendit. Verùm Brittus inſulam vtramque per otium contemplatus; Ternatem Tidori ad ædificationem, & domicilium antetulit; non modò loci natura adductus; quod aliquanto commodiorem Ternates habeat portum; ſed etiam haud obſcurè infenſus Almanſori; quod poſt iunctas cum Serrano dextras; nouis Bæticorum ſeſe fœderibus illigaſſet. Ergo Ternatem ab Aroezio perductus in hoſpitium Brittus, ingẽti reginæ, regulíq;, & oppidanorũ gaudio excipitur. dein locus ad ædificium, contiguus vrbi delectus; materiaq; & cæmentis cò conuectis; Brittus, lætitiæ cauſa, caput perinde ac cæteri, ſertis ac floribus redimitus, primus omnium & raſtello fodit humũ, & lapidem in fundamenta coniecit viij. Kal. Quintileis, anno ſeculi huius altero & viceſimo: qui dies eò etiam maiore cum iucunditate tranſactus eſt, quod in eum ipſum diẽ
B D. Ioannis Baptiſtæ ſolennia inciderent: cuius felicem lætumq; humano generi exortum, è cæleſtis oraculi promiſſo, totus pęnè orbis terrarum exquiſitis ludis, & anniuerſaria gratulatione concelebrat. In hunc ferè modum, perpetua (vti rebantur) ac propria Luſitano cũ ijs gentibus commercia conſtituta. Eadem tempeſtate funeſtus in Indiam nuntius allatus de Emmanuelis Regis obitu. Circa finẽ prioris anni deceſſerat, duos & quinquaginta natus annos; cùm ſex & viginti regnaſſet. Huic, vt maieſtas ipſius ac merita poſtulabant, plurimis Europæ, Africæque, atq; Aſiæ locis cum ſumptuoſo apparatu iuſta funebria perſoluta. Neque Chriſtiani modò Reges luxêre defunctum, verùm etiam ethnici, Cocinenſis, Cananorius, Armuzianus; ijdẽque, poſito luctu, poſtmodum Ioanni ſucceſſori per nuntios, litteraſque, obſequium & operam officij cauſa detulêre. Ioannes, anno ætatis vigeſimo ac
C ceptis regni gubernaculis; ad propitiandũ cæleſte numen, ac populos in officio cõtinendos, illud curabat in primis, vti ſtudium Chriſtianę religionis antiquiſſimum ſibi eſſe cuncti perſpicerent. Idcirco, & in Luſitania ſalutariter in eo genere multa decreuit; & per litteras Eduardo Indiæ Prætori mãdauit; cultui diuino, & ſacerdotum commodis enixè proſpiceret; ac nominatim, diuini Apoſtoli Thomæ ſepulcrum in Coromandelio littore, perueſtigandum curaret: daretque operam, vti ſacroſanctæ illæ reliquiæ (quãquam eaſdem, vti ſupra dictum eſt, vel earum certè partem Meſopotamia ſibi vindicat) cum dignitate cuſtodirẽtur. Eduardus, Emmanuelis Friæ, præpoſito Coromandelicæ oræ, cum ſacerdotibus aliquot, & architecto id negotium dat. Profecti Meliaporem (nam ibi ſitũ Apoſtoli corpus audierant) æquatam ſolo ingentis amplitudinis vrbem offendunt. Paucæ tantùm pyramides, turreſque, & columnæ, miſerabili è ſtrage ſupererant. necnon varij coloris lapides, ac veluti porphyretica peregregiè ſculpta fragmenta, quæ antiquum vrbis ornatum & elegantiam ſatis arguerent. In ijs viſebantur operoſa magnifici cuiuſdam templi veſtigia, vno tantùm ſuperſtite ad orientalem plagam ſacello, crebris intus foriſque lapideis Crucibus è vetere diſciplina conſperſo. Sub eo tecto latere Apoſtoli oſſa cùm accolæ pro certo affirmarent; primùm omniũ ſarcire ipſum ædificium placuit; quòd teſtudinis pondere preſſi parietes, aliquot locis vitium feciſſent. Ad eos ergo fulciendos, ac renouanda fundamenta, conductis è vicino operis, dum effoditur humus; ad quintum fermè dodrantem apparuit loculus lapidea tabula tectus: in quam ab interiore parte inciſæ priſca gentis lingua (vti à peritis cognitum eſt) litteræ teſtabantur; templum id ab Sancto Dei Apoſtolo

Thoma quõdam exſtructũ:ei tẽplo tuendo colendoq;, mercium quæ in vr- D
bẽ importarentur, decimã ab Sagamo Rege attributam.acceſſerat obteſta-
tio ad poſteros,ne quid ex eo vectigali ac donatione imminutũ vellẽt. pau-
lo infra eam tabulam,ipſius Regis(vti ex priſcorum traditione Indi aſſeue-
rabant)cadauer inuentum. Altius dein molientibus terram, quadratũ, pri-
mò lateritiæ, poſtremò lapideæ ſtructuræ ſeptum apparuit, multiplici ope-
rimẽto,pedum circiter nouem altitudine.ibi quòd ſepultũ haud dubiè cor
pus Apoſtoli dicebatur eſſe;adhibiti ad amouendũ operculũ Luſitani duo
(nam Indis rem eiuſmodi committere non eſt viſum)non niſi noxis per ſa-
cram confeſſionẽ expiatis,& reconciliato per Euchariſtiã Deo,aggredi rem
auſi,locum aperiũnt.Immiſta calci & arenæ, candidiſſima ſpecie oſſa,& ap-
poſita lanceæ cuſpis,& viatorij baculi fruſtum,itemq; vas fictile,fidẽ inuen-
ti demum ſacri theſauri Luſitanis fecêre.Sub hæc repertũ aliud cuiuſdam
è Thomæ diſcipulis cadauer;cæterũ tetro ac terreo aſpectu, quemadmodũ
& Sagami Regis.vt,ſi alia argumenta defuiſſent;ex ipſo propemodum colo
re dignoſci Apoſtoli oſſa potuerint.Eò maior gratulatio fuit Chriſtianorũ:
& affabrefactas,arte Sinarum, arculas duas,è proximo emporio Paleacate
confeſtim afferri placuit:quarum in altera eximij operis argento cælata,ip- E
ſius Apoſtoli;in altera,diſcipulorum eius reliquiæ incluſæ:& cõmune gau-
dium ſolenni ſupplicatione pompaque, & priuatis omnium qui aderant
ſtudijs celebratũm eſt.Propoſitis deinde in ipſo altari arculis, adhibitoque
cuſtode;claues vtriuſque Emmanuel Frias Cocinũ Prætori Meneſio detu-
lit.Hoc maximè modo,per eos dies,& ſacello,& religioni conſultum.Bien
nio deinde poſt,eadem oſſa intra ipſam aram occulto loco, duobus tãtùm
conſcijs Luſitanis,abdita,ac poſtremò Goam,Conſtantino Brigantio Pro-
rege(qui Diui Thomæ templum in ea vrbe exſtruebat)à fratre quodã Fran-
ciſcano tranſlata fuiſſe comperio.Circa idem tempus,quo nuntij de Emma
nuelis Regis obitu in Indiam allati ſunt;Idalcan otium à Narſingano bello
nactus;recuperando Concano littori animum adiecit:quod ei Rhotericus
Mellus,per occaſionem, paucis ante annis ademerat.Exiguis admodum co
pijs ea loca tum Luſitani tenebant,cæteris vel ad Perſicum & Arabicum ſi-
num;vel ad Molucas obtinendas paulo ante profectis.Eius rei non ignarus
Idalcan,miſſo præfecto cum quadringentis equitibus,& quinq; millibus pe
ditũ;Luſitanos cuſtodes,haud tamen ſine cruore ac certamine,pepulit:pot
tuſq;& agros opimæ fertilitatis recepit.Et in Somatra inſula,tyrannus Ace F
norum Abrahemus, ab cæde Georgij Britti & comitum ferocior factus, o-
ræ totius maritimæ iam haud dubiè affectabat imperiũ:nec ferro ſolũ, ſed
etiã(quo nullũ acrius telum eſt)auro muneribuſq; pugnabat. Ad hæc,mi-
ſtæ blanditijs accedebant minæ,&,vbi commodũ eſſet,fraudes ac doli. Nul
lus amicitię fœderum ve reſpectus:nulla affinium caritas: nulla fidei vel iu-
riſiurandi religio. Exacta iam ætate patrem, à nefarijs moribus & cõſilijs ab-
horrentem,oneratum catenis in caueam incluſerat:ibidemque, veluti no-
uum & inuſitatum animal,illuuie & ſqualore confecerat. Pedirenſem Re-
gẽ,opibus & auctoritate præcellẽtem,cui & cognationis vinculo,& iure be
neficiario erat obſtrictus,pellectis ad ſe popularibus, exegerat regno. Simi-
li ſcelere Daianum dynaſtã, cuius ſororẽ habebat in matrimonio, per ſum-
mum ſcelus, omnibus fortunis euerterat.Inde magna eius oræ parte in po-
teſtatẽ redacta,infeſtis ſignis ad Pacenũ vrbẽ, quò pulſi confugerant Reges,
pergit ducere.Peditum millia quindecim habebat in armis,& cõplures ele
phantos.ij pro equeſtribus copijs genti ſunt:nam equos non alit inſula. Cũ
hoc exercitu caſtris duo millia paſſuũ ab vrbe poſitis,primùm omnium, ad
tentandos oppidanorum animos,per præconem edixit; qui ciuis Pacenus
intra ſextum diem ad ſe tranſiſſet;huic nihil,ipſi,familiq;que, & bonis ipſius

damnã

A damni illatum iri: cæteris non eandem veniam & clementiam fore victis, quæ ante dimicationem pateret. Hoc edicto vulgato, magna pars ciuium transijt, alij clam elapsi, in saltus aliosq; refugêre. ita, infrequentem defensoribus vrbẽ tertiò adortus Abrahemus expugnat. Restabat arx, in quam Paenus regulus, & exsules duo Pedirẽsis, Daianusq; confugerant: lignea quidem illa, & multis iam locis præ nimio Solis ardore fatiscens: veruntamen haud leui præsidio Lusitanorũ fermè trecentorũ & quinquaginta, & maioribus minoribusq; tormentis instructa. Abrahemo nullæ dum eius generis machinæ suppetebant. tantùm ingentẽ vim sagittarum, quas letali inficiũt succo, & sarmentorum faces, oblitos naphta, ad excitandum, vbi res ferret, incendium, scalasq; plurimas ex arundine crassiore, leues gestatu, ascensu stabiles; necnon ferramenta operibus faciendis aduexerat. Ergo, vt sine certamine, si fieri posset, rem cõficeret; Lusitanis per interpretem iusserat nuntiari: arcem eam ad suum imperium pertinere: proinde cum bona pace abirent; secumque suas res, dum liceret, auferrent. Ad ea cùm ferocius respon sum inclusi dedissent; appareretque armis rem gerendam; summa vi, priusquam auxilium ijs alicundè ferretur (mare autem liberum, vicinamq; Ma-
B lacam, & amicos Reges nonnullos habebãt) arcem aggredi statuit. Atq; ad vitanda hostium iacula, qua maximè virium parte erat inferior; cuniculos agere ad arcem cæpit. nocturnum præterea tempus ac pluuium, ad oppugnationes captabat; vt neque per tenebras nostri collineare possent; & madefactus imbre sulphureus puluis planè inutilis fieret. ad hæc, arietis loco elephantos ipsos ad arcem admouebat: qui, rectorum instinctu valida impressione facta, munitiones euerterent; sublatoque interdum ingenti clamore, interdum summo silentio arcem corona circundabat; scalisque erectis, ex omni parte simul transcẽdere nitebatur. & obsessi quidem, hostium opera nequaquam extimescebãt. excepti obstructique ex aduerso cuniculi; nonnunquam etiam felici eruptione certatum est. Sed crebras ac repẽtinas oppugnationes diutius ferre vix poterant: cùm Abrahemus, in magna copia militum, identidem alios aliosq; summitteret; ipsi, propter paucitatem, assiduis pæne stationibus circa munimenta dispositi, dies noctesque in armis traducere cogerentur. Accedebat vulgata graui cælo vis morbi, & extremæ inopiæ metus; quòd per intestina de more dissidia, dum suæ quisque intentus rei, publicam negligit; ad tolerandam obsidionem cibaria segniter
C ac malignè conuexerant. Præsidio præerat Henricius quidam. Hoc demum auctore, quòd relatas nuper è captiua naui pretiosas merces, in Indiam venum asportare gestiret; non exspectato subsidio, fœdum consilium ineunt arcis deserendæ. cuius flagitij, post patefactam armis Indiam, Lusitani ad eam diem nihil simile admiserant. Id vt quàm occultissimè fieret, minora primùm tormẽta inuolucris obtecta, ne ab hoste dignoscerentur, in naues imponunt. maiora, quòd amoliendi in tanta hostium propinquitate non erat spes, ita ad plenũ inferciunt, vt, si flammas conciperent, ipsa (vt fit) boli magnitudine rumperentur. Sulphurei dein puluris exiles humi tænias quoquouersum, ac præsertim ad ipsius puluris cellam, atque ad muralia tormenta perducunt: iussis agmen claudere magistris; &, cùm iam omnes extra arcem essent, ignes injcere. Vix dum euaserãt, sarcinis quisq; suis dissimulanter elatis; cùm, exorta repentè flamma cum ingenti fragore fugam hostibus prodidit. Pars ad incendium extinguendũ audacter accurrunt (&, incertum qua de causa, nondum ad sulphureos cados, ac muralia tormẽta peruaserat) pars ad littus effusi, turbatos auersosq; Lusitanos cum cæde insequuntur: ac denique appulsæ ad terram naues, perculsis ac trepidantibus, magna ex parte impedimẽtorum amissa, vix atq; ægrè effugium præbuêre; dum in magno tumultu, ne simul hostis irrumpat, alij confestim anchoras

oraſque præcidunt;alij ad naues adipiſcendas, collo tenus ſeſe in aquas im- D
mittunt. Abeuntibus cum oneraria vna, nauigijs tribus, per ludibrium bar-
bari tum inter fugam ereptas, tum ſuperſtites ex incendio res, machinaſq;
præſertim oſtentant: plenumq; cladis & ignominiæ agmen cum probris &
cachinnis exſibilant. Auxit pudorem, in ipſo pæne portus exitu ſocię claſſis
occurſus. naues triginta cum omni copia rerum ab Aruano Rege aderant;
ipſumq; Regem terreſtri itinere cũ quattuor millibus peditũ auxilio veni-
re nuntiabant. Eæ naues, cognita præpropera deſperatione abeuntium, re-
trò, vnde venerant, in patriam reuertêre. & Luſitani Malacam delati, Anto
nium inſuper Mirandam, & Lupũ Azeuedium, cum recenti milite, & bel-
lico inſtrumento iam in curſu ad opem ferendã paratos inueniunt. Eò ma-
gis & ſuum factum ipſi damnârunt, & omnium conuitijs & maledictis ex-
cepti ſunt. E regulis tribus, qui comites fuerant fugæ, Pacenus cum rectore
matreq; Malacæ remãſit; reliqui duo ſeſe inſtitorum nauibus ad Aruanum
Regem ſupplices contulêre. Luſitani è Somatra inſula in perpetuum exa-
cti. Et Abrahemus, pulſo mox etiã Aruano, regnis quattuor auctus, æneiſq;
tormentis (qui vel maximè terror gentem premebat) omnibus circa natio-
nibus, atque ipſis adeò Luſitanis formidãdus euaſit. Alodinus item, elatus E
nouo ſucceſſu rerum, & à Bintano reiectis Georgij Albuquercij copijs; claſ-
ſes denuò ad vexandam Malacenſem oram inſtitit mittere; & cum Luſi-
tanis obuiam ex vrbe progreſſis, aliquot ſecunda prælia fecit. Iam apud Si-
nas, in Luſitanum nomen acerbiore etiam odio & immanitate ſęuitum eſt.
Martinus Alphonſus Mellus cum ſex nauibus eò contenderat, confirman-
dæ amicitiæ, & ſtatuendi commercij cauſa, nondum probè gnarus, quid
Thomæ Petreio legato, de quo ſupra diximus, accidiſſet. Luſitanos adeſſe
vbi Cantonem allatum eſt, extemplò præfectis oræ maritimæ à magiſtra-
tibus imperatum, nefarios prædones vel comprehenderent, vel ad inter-
necionem delerent. Nihil tale metuebat eo tempore Mellus, quamquam à
peritis rerum ſemel iterumque præmonitus. eò facilius repẽtino Sinarum
aduentu cum ſuis opprimitur. & initio quidem, vt ſeſe concordiæ & ſocie-
tatis cupidos probarẽt Luſitani, vel pluribus iaculis appetiti, certare ſuper-
ſederunt; dein, cùm vndique inſtaret hoſtis, ac nullam pacis mentionem
admitteret; iniquiſſimo loco & conditione committitur pugna. Multitu-
dine tormentorum ac nauium, vt in ſuo regno, longè ſuperabant Sinæ. ita-
que circũuentos aduenas partim bombardis è tuto diſcerpunt; partim feſ- F
ſos ac ſeſe dedentes, in poteſtatem accipiunt. Mellus, cùm aliquandiu egre-
giè ſeſe defendiſſet, ad extremum, ſingulari Dei beneficio, per mediam ho-
ſtium claſſem malè mulctatus elabitur. In captos, magiſtratuũ iuſſu, grauí-
ter acerbeque conſultum. in carcerem conditi omnes; & pro latronibus pi-
ratiſque damnati, aut pedore ac tabe in vinculis exſpirârunt, aut ad ſuppli-
cium producti ſummo plebis cõcurſu, vel ſagittis confixi, vel in fruſta diſ-
ſecti ſunt, præconibus vetera gentis piacula, & recentem inſuper audaciam
referentibus; quòd in regios portus ac fines armata manu non dubitaſſent
redire; in quibus omniũ flagitiorum ac ſcelerũ paulo ante veſtigia reliquiſ-
ſent. Hæc, & alia id genus, elata voce de ſcripto ſubinde recitabãtur, ad tol-
lendam è vulgi animis opinionẽ, quam de Luſitani olim generis virtute ac
probitate conceperãt. Dum hac tam repẽtina rerum inclinatione tot ſimul
regionibus Luſitani exercẽtur, nẽ ad Molucas quidẽ inſulas otium fuit. Re-
rum ibi ſumma penes Aroeziũ erat. Hunc, Luſitana amicitia opibusq; ſub-
nixũ, & immodicos gerentẽ ſpiritus, regina cæteriq; primores minimè cõ-
coquebãt. Arx inſuper, eodẽ in primis adnitẽte, non parũ excreuerat: diſpo-
ſitaq; in muris tormenta, longè lateq; terrorẽ inferebant. Id ſibi ſuisq; iugũ,
per cauſam hoſpitij ac ſocietatis impoſitum, regina ſerò ingemiſcens; clam
com-

A communicatis cum Almanſore parente conſilijs;fugam vnà cum liberis ac præcipuis amicorum parabat: vt per eam occaſionem popularibus paulatim abductis, vrbem deſertam ac nudam Luſitano relinqueret. Ea re per indices comperta, Brittus arcis præfectus, adiutore Aroezio, regias ædes militibus repente circundat, elatumque inter manus Boahatem regulum, & paruulos fratres Aialum, & Tabariam, in arcem aſportat. Regina, per occultos exitus inter tumultum elapſa. Inde conſternatus Regis deſiderio populus, cùm frequens ad arcem accurriſſet, Aroezij auctoritate, & Britti accommodata ad tempus oratione ſedatus eſt, cùm inter cætera perſanctè ambo affirmarent, conſilium id publicæ ſalutis cauſa neceſſariò ſuſceptum fuiſſe, fidemque obligarent ſuam, Boahati Regi diadema regnumque manſurum incolume. Tum pluribus in æmulum diuitiarum ac dignitatis Almanſorem inuecti, barbaros natura cupidos belli cædiſque, ad inferendum ei bellum haud magno negotio perpulêre. Inde, inter vtramque gentem paruis, nec dignis relatu prælijs vario ſucceſſu certatum eſt. ſuperior tamen ad extremum Ternatenſis fuit res. Mariacum oppidum in ſummo editi montis vertice, quod inſulæ Tidoris olim caput fuerat; Luſitanorum ope ab Aroe-
B zio cum multa cæde captum incenſumque; & Maquienum inſula, quam reguli ambo æquis portionibus obtinebant, metu coacta, in Ternatenſem ditionem vniuerſa conceſſit. Hæc fermè Eduardo Meneſio Prætore per triennium geſta. Succeſſit Meneſio Vaſcus Gamma, dux cùm alijs laudibus, tũ aperta præſertim India clarus, ac memorabilis. Huic, pro trienni trimeſtre imperium fuit. ornatiſſimas naues è Luſitania ſexdecim, in ijs tria millia delectæ iuuentutis ac nobilitatis abduxerat. Vt in Cambaiana littora ventum eſt (nam eam in primis regionem explorare placuerat) in ſumma repẽte malacia, ſilentibus ventis, ab imo fluctus intumuit; inde naues inter ſe nutare; crepitare compages; tabulata concuti cæpta. Nautæ, ſubito pauore icti, cùm in Syrtes illatam haud dubiè claſſem crederent, in ſumma perturbatione rerum omnium, alij bolidem demittere, alij ad exhauriendam ſentinam, vel ad clauum tenendum accurrere. Sapientiores alij, circunſpectare fugam, atque doliola ac tabulas ad enatandum arripere. ipſe imperator, initio nequaquam expers timoris ac ſolicitudinis fuit: ſed mox comperto eum eſſe terræmotum (quem nauigantes quoque ſentire nõ dubium eſt)
C ad ſocios hilari fronte conuerſus; Adeſte animis, inquit, viri; aduentu noſtro perterritus Cambaianus Oceanus intremit. Atque hoc periculo defuncti Luſitani, Cocinum incolumes deuenêre. Vaſcus, accepta prouincia, dum à Cocino varios huc illuc præfectos dimittit; nomenque Luſitanum in priſtinam dignitatem conatur aſſerere; graui morbo implicitus, in ipſo impetu mouendarum rerum, exceſſit è vita. Vrbi Goę tum Henricus Meneſius præerat, eximia virtute & integritate vir. is continuò in Gammę locum ſuffectus è ſucceſſionibus, vt appellant: quarum eſt ratio eiuſmodi. Tranſmiſſos è Luſitania regios codicillos, minimum tres, olim apud Quęſtorem, aut ſcribam, nunc apud Goanum Archiepiſcopum, diligenter complicatos obſignatoſque, cuſtodiri mos eſt. quibus in ſingulis, quaſi per gradus, ad rem cautius celandam, adnotatum regio ipſo chirographo latet nomen illius, qui, ſi Prætorem in prouincia diem obire contigerit; è Regis auctoritate ſubſtituendus eſt. ijs autem codicillis, ordine ſuperſcribitur, prima, ſecunda, tertia, vel quarta ſucceſſio: ita, vt, ſi eius qui primo loco nominatur, copia fuerit; ſecundum codicillum reſignare, vel aperire ſit nefas. Ergo, vbi Prætor morbo, aliove quopiam caſu deceſſit; conſilium cogitur. ibi, coram Archiepiſcopo, & magiſtratibus, qua diximus obſeruatione, vt nullus aut fraudi aut errori ſit locus, codicilli & ſigna ſoluuntur: cuius primum exierit nomen, huic defertur imperium; reliqua nomina, rurſus occulta, ad

Regis nutum arbitriumque adseruantur. Id, ne per summi magistratus o- D
bitum prouincia diutius orba periclitaretur; neu ob id ipsum inter præfe-
ctos certamina existerent; sapienter in tanto locorum interuallo prouisum
est. Per hunc modum renuntiatus Prætor Henricus, ad regia negotia confi-
cienda, Cocinum petijt: & ex itinere multos Arabum parones, Malabari-
ca onustos fruge, vel cum ipsis oneribus cepit, vel dissipatos in littus eiecit.
Tumultuantes præterea ad Cananorem piratas, socij Regis rogatu com-
pescuit, & vicos aliquot eorum exussit. Inter quæ, ad Calecutum, ab Lusita-
nis ac Malabaribus denuò turbata pax est. Odiosæ primùm cõtrouersiæ in-
ter negotiandum exortæ; & partis vtriusque animi suspicionibus irritati:
dein vltrò citroque factæ iniuriæ: postremò, instigantibus è consuetudine
Saracenis, bellum exarsit. Hisce rebus cognitis Henricus Prætor, quinqua-
ginta variæ formæ nauibus, in quibus erant duo armatorum millia, Coci-
no Pananem oræ Calecutanæ contendit. ibi, cùm ablatas res nequicquam
repetijsset, munitum denuò locum & celebrem, terra marique simul ador-
tus, pulso aut cæso Mahometano præsidio cepit, ac direptum incendit. Mul-
ta inde relata tormenta: quorum aliquot antea Lusitanorum apparebat E
fuisse. Lusitanus desertor ac transfuga præfuerat vniuersis. huius pro-
iectum humi cadauer, densis concisæ vulneribus facie, vix vt agnosce-
retur, inuentum est. A Panane in conspectum vrbis Calecuti prouectus Præ
tor, haud mediocrem hostibus terrorem incussit. Naues erant ibi complu-
res. in eas flammæ confestim iectæ; & simul, qui arcem tenebant, suorum
aduentu animati; eruptione facta, varijs locis ignem suburbijs intulêre. In-
de Prætor, confirmato arcis præsidio, perculsisque hostibus; leucas in Sep-
tentrionem fere sex ad Couletum emporium eiusdem oræ processit. curuo
in theatri modum, & accliui littore is portus est, ac mirè facto ad iacula cer
tis in omnem partem ictibus dirigenda. eo cliuo aggerem ac munitiones
Mahometani perduxerant; infra, statienem habebant parones ferè cẽtum
& quinquaginta, prouis longo ordine in altum obuersis, vt duplici vallo,
tormentisque aptè dispositis, & ingenti armatorum numero (viginti homi
num millia conuenisse dicebantur) contra omnes incursiones oppidum e-
gregiè tutum videri posset. Henricus, comperta hostium multitudine, sub
ipsum portum anchoras iacit. inde contemplatus naturam loci, & genus
operum, ac lintribus ad vada exploranda præmissis; tribus è partibus vno
tempore, distinendi hostis causa, oppidum aggredi statuit. Simonem Me-
nesium cum bellatoribus trecentis in terram egredi iubet; ac læuum cornu F
munitionum inuadere. ipse cum centum & quinquaginta, non amplius,
descensu facto; ad læuam ducit: classiarijs imperat ad hostium naues rec-
tà succedant. ita, clamore sublato, simul à fronte ac lateribus pugna com-
mittitur. Non exigua tum hosti, officinis iampridem institutis, tormen-
torum copia suppetebat. eò maiori tenebantur spe, Lusitanum congressu
arceri, & iaculis eminus obrui posse. quippe seminudi ipsi, patẽte ad plagas
corpore, Hispanienses gladios, & ingentia pila, galeasque, ac thoraces hor-
rebant. Verùm eos longè fefellit opinio. Siquidem inter iaculandum coor-
tus è tormentario fomite fumus ad instar nebulæ, subeuntem audacter Lu-
sitanum egregiè texit. & flammæ intermicantis indicio, hinc parones inie-
ctis ferreis manibus nostri apprehenderant; inde in vallum erepserant, & in
tra munitiones coniecerant signa, prius pæne quàm eos appropinquare sen
sisset barbarus. Lusitanis, tum Saracenorum aspectus; tum pax à Calecutano
tories per fraudem violata acuebat iras. Nec diutius tulêre dimicationem
hostes. Pauci tantùm coniurati ad extremum vsque spiritum acriter obsti-
têre. cæteri, quibus patrio more nihil erat pudoris ad fugam, strage suorum
exterriti, terga verterunt. Henricus, in magna hostium cæde, non plus
quinde-

A quindecim è suorum numero amissis; vulneratis duodequinquaginta; & oppido, & classe hostili potitur. Inter cæteram prædã, tormenta variæ magnitudinis auecta trecenta & sexaginta; & minorum fistularum ingens numerus. parones abducti quinquaginta tres, Indico aromate onusti plerique: reliqui flammis absumpti: ac postremò, totum oppidum, subiectis per iram ignibus, conflagrauit. Lusitanus gemina intra paucos dies victoria lætus, ouansque; Cananorem, inde Cocinum reuertit. Et Zamorinus, confecto quod per id tempus cum mediterraneis populis gesserat bello, omnibus dein viribus ad Lusitanam arcem expugnandam incubuit. Arx ea Calecutano erat impositа littori, quod, vt initio diximus, insidiosum asperumque, vix in summa malacia, paruis nauigijs accessum præbet. Iamque hyems aderat. eò acrius Zamorinus, ne id anni tempus elaberetur, militares copias, & omnem oppugnandi apparatum vndique contrahebat: vt interim vel operibus ac vi arcem caperet; vel necessitate ac fame Lusitanos in deditionem acciperet. itaque extemplò, præfectus cum duodecim fere millibus peditum, ad vrbem præmissus. quo in numero Siculus quidam erat perfuga, non ignobilis architectus; qui Rhodiæ expugnationi cum Solimano Turca interfuerat. hoc maximè artifice ac præceptore, barbari val-
B lo & fossa lata pedes ferè octodecim, ad dimidiatæ Lunæ figuram, amplecti arcem instituunt. & ex vtraque parte, qua vallum in mare desinebat; arcendo nauali subsidio castella erigebantur duo, quæ obliquis ictibus totũ littus abraderent. dein, per ambitum fossæ, modicis interualliis, propugnacula quinque excitabant; vnde maioribus tormentis ad idonea loca dispositis arcis mœnia quaterentur. Hæc opera, licet in munitores crebri ex arce impetus fierent; tamen abundante multitudine, adhibitis pluteis vineisque, & instantibus præfectis, breui ad exitum peruenêre. Arcem, Lusitani haud amplius trecenti obtinebant. præerat Ioannes Lima, vir & militiæ callens, & gloriæ in primis auidus. is, cùm nulla superesset nisi ab Oceano spes; duplici doliorũ ordine; ingesta arena, & lorica extrinsecus addita, brachium ad mare protenderat; alternis inter dolia tormentis, ad arcendum ab latere hostem, aptè locatis. & per expedita nauigia Prætorem Henricum de statu rei Calecutanæ fecerat certiorem. Sub hæc, ineunte Iunio mense, cùm hyems in ea regione sæuiret; Zamorinus ipse cum reliquo belli apparatu, & nonaginta millibus hominum affuit. Arcu & sagittis plerique; a-
C lij gladio & parma; alij etiam ferreis fistulis instructi conuenerant. in speciem despicabiles, cæterùm vsu armorum, & corporum agilitate metuendi. Vteæ copiæ consedêre; Siculus architectus Zamorino perfecta opera diligenter ostendit; rudique ad eiusmodi commenta barbaro, certam cum admiratione fiduciam iniecit, arcis breui tempore potiundæ. atque id ipsum vti quàm minimo Indorum damno fieret, Siculus, petito colloquio, Lusitanos cùm alijs rationibus, tum hostilis exercitus magnitudine proponenda, instituit ad deditionem hortari. Verùm eiusmodi oratione tantũ abfuit vt Limæ constãtia moueretur; vti etiam ad lacessendum hostem vltrò cum paucis eruperit. sed magna fuit merces audaciæ. Concursu ab hostibus facto, pæne circumuenti Lusitani, multis acceptis illatisq; vulneribus, ægrè ad suos receptum habuêre. Inde exasperatis vehementius animis; magno conatu & oppugnari, & defendi arx cæpta. Tormentis vtrinq; certabatur: è quibus erant Calecutano, quæ dodrantali diametro emitterent globos. Sed iaculandi erat dispar admodũ ratio. Ab Indis libratoribus, quippe nondum sat in eo genere exercitatis, ictus languidi, infreq̃tes, incerti; & si qui muris inciderant, egregia laterum & structuræ firmitate respuebantur. Ab Lusitanis, crebri, destinati, vehementes; & vbi hostis arci succederet; confertæ ac seminudæ multitudini certam stragem perniciemque afferebant.

Multos etiam ſquamis arborum & fragmentis(ſunt autem ibi palmeta fre- D
quentia)repente carpi,vel exanimari cõſpiceres. Verùm ea damna hoſtes,
vt in tanta militum copia,facilè ſarciebant: cùm deſerta ſtationum loca a-
lij ſubinde alijque ſupplerent;ſaucijs ac feſſis integros recenteſque ſubmit-
terent.Longè iniquiore conditione erant Luſitani:quos, prꝛeter cæteras bel
li difficultates,ipſa qua laborare ſemper ſolent,paucitas fatigabat. Præfe-
ctus,idoneis ad propugnandum locis,notę fortitudinis viros cum ſuo quẽ-
que manipulo collocauerat.ipſe reliquos è præſidio circa ſe habebat: cum
quibus circumſpicere,& obire ad repentina pericula poſſet. Verùm & mili-
tem conficiebant,prꝛeter certaminis laborem & plagas, diurnæ pariter ac
nocturnæ vigiliæ:& præfecto, ad ſubitos ac diuerſos clamores, prout res
exigeret,occurrendi vix erat facultas.Interea Henricus Prætor, cognita ob-
ſidione, duas naues cum propugnatoribus centum & quadraginta ſubſi-
dio miſerat. quarum alteram Chriſtophorus Iuſartes; alteram Eduardus
Fonſeca ducebat.Iuſartes feliciore curſu paulum antegreſſus,propius abCa
lecutano littore conſtitit.Fonſeca,quod tardius aliquanto nauigaſſet; ven-
tis repente cadentibus,ab longiore ſpatio anchoras iecit.Ad eas conſpectas
naues,erecti partis vtriuſque animi.incluſorum;optati auxilij ſpe. obſiden-
tium;metu,ne tot iam exhauſti labores in irritum cederẽt:& locus ipſe ſuſ- E
pectus,iamdudum mentes Indorum curaſque conuerterat, ne quid falle-
ret tale. Lima,cùm ad littus accurriſſet;animaduerſa paucitate eorum qui
aduenerant(non plus octoginta milites eo nauigio vehebantur)ne deſcen-
ſionem cum euidenti periculo tentarent;nutu & ſignificationibus admone
bat.& ex ipſo auxilio plerique,conſpectis Indorum caſtris & frequẽtia, ſub-
eundam eiuſmodi aleam pernegabant. Verùm Iuſartes cupiditate gloriæ
omne diſcrimen impauido vultu contemnens,cum triginta quinque vo-
luntarijs in paronem deſilijt;cæteris cuſtodire nauem, & vbi primùm ter-
ram attigiſſet;miſſilibus procul hoſtem arcere iuſſis. Inde contento remi-
gio ad ipſum loricæ os,actuarij prora dirigitur; quò ſubeuntes facilius pro-
tegeret ſtatio Luſitana.ſed illuc nautæ dum pari conatu enituntur; interea
(vt fit) paronem paulo infra eum locum vehementiór æſtus abripuit.Eò fe-
rocius progreſſi extra vallum barbari complures inſtare:atque,vt erant nu
di,ſe ſe ad prohibendum acceſſu hoſtem aquis immergere.Nec Luſitani ſeg
nius è parone ſe certatim eijcere.ibi conſerta in vadis manu, quàm acerri-
mè dimicatur.Cæteri ad ſpectaculum intenti,propter ancipites ictus, ne ſu- F
os impetant hoſti permiſtos;iacula cohibere coguntur. Cùm aliquãdiu du-
bia ſtetiſſet pugna; Luſitani ad extremum deprimentibus veſtimentis in-
genti labore eluctati, quatuor è ſuorum numero deſideratis, pluribus ſau-
cijs,cum magna viciſſim hoſtium cæde,intra loricæ fauces audaciſſimè pe-
netrarunt:ac nihil propius factum eſt, quàm vt inſtantes ab tergo Indi ſi-
mul irrumperent.In eo tumultu eximia Emmanuelis Cernicij conſtitit for
titudo.is,cùm iam introiſſet munitiones,& fatigatus,& ſaucius; circũuen-
tum reſpiciens præcipuum è commilitonibus quendam;recurrit protinus:
ac laborantem,ſummotis acriter Indis, recepit in tutum,magna vel merce-
de,vel gloria;quippe,omnium conſenſu ciuicam promeritus coronam;ip-
ſe poſt dies aliquot è vulneribus exſpirauit. Sed interim dum ad mare Lu-
ſitani præſidiarij ſuis adiuuandis atque intromittendis inſiſtunt;ex altera
parte frequentes barbari deſertas rati ſtationes,arcem ſcalis inuaſerant. Eo
nũtio excitus ab littore Lima,cum promptiſſimis aduolat: & pluribus locis
conantem ſcandere Malabarem;contis,gladijs,telis, igne deturbat. Erant
Luſitano varia nouæ artis iacula,ad hoſtem cominus eminuſque impetendum.Sed è propinquo nihil Indos æquè terrebat, atque incendiariæ boli-
des.quod eſt inuentum eiuſmodi.Ollam ex argilla ſemicocta, quò facilius

deinde

A deinde rumpatur;circundatis anſulis tribus quatuorve,ſulphureo cõplent puluere,& oſculum diligenter obturant.tum ad eas anſulas igniti funiculi è goſſipio vel ſtupa alligantur. vbi ad coniectum eius teli ventum eſt;contorta brachijs olla repente diffringitur;& ſimul arreptis è fomite adalligato fauillis,ingenti circunſtantium damno,flammas edit ineuitabiles. quod miſſilium genus,in prælijs duntaxat naualibus primò vſitatũ; ad terreſtria quoque certamina exitiabili commento deinde tranſlatum eſt. Hac maximè pernicie repulſi à mœnibus Indi vſtulati cum inſana trepidatione ſeſe intra munimenta recepêre.Interea prefectus nauis alterius Fonſeca, quamquam probè animaduerſo diſcrimine eorum qui in littus exſcenderant;paratus tamen eandem aleam,ſi res ita poſtularet,ſubire;per litteras ad ſagittam reuinctas quæſiuit ab Lima, quid ſibi tali tempore faciendum cenſeret. Ille verò, eadem vſus arte ſagittæ, de conſilij ſententia reſpondit: Nequaquam ſe Fonſeca ſuoſque in apertum adeò periculum obijceret: tutum in arcem introitum haud minus quingentorum Luſitanorũ preſidio poſſe obtineri. Proinde rediret Cocinum properè;ageretque cum Pretore diligẽter(ad quem ſimul ipſe in eandem ſententiam ſcriptas litteras dabat) vti mi
B litum quingẽtorum ſpectata virtute ſubſidium,& ſulphurei pulueris vim, & ad obſidionem tolerandã alimenta ſubmitteret.Cum hoc reſponſo Fonſeca per infenſos infeſtoſque fluctus hyeme ſumma Cocinũ reuertit.& Pretor,cognito ſuorum periculo, Antonium Syluium ad opẽ obſeſſis ferendã cum aliquot nauibus,& viris quot Lima petierat, extemplò proficiſci iubet.ipſe interea claſſi ornandæ operam dabat;vt cùm primùm ſe aperuiſſet mare,cum maioribus copijs eò contenderet.Hæc vbi per exploratores Calecutum allata;confeſtim Zamorinus,antequam incluſis accederent vires; omni conatu rurſus oppugnare arcem aggreditur. Neque Siculus architectus,egregiè ſe ſe barbaro venditans,incitatiſſimæ deerat ipſius cupiditati. aggerem ex Turcica diſciplina promouendo, mœnibus adæquarat. Cuniculos præterea ſub terras agebat;locis etiam quibuſdam ſtatuebat oris vaſti mortaria;è quibus in ſublime iacta ingentia pondera cum horribili ſtrage in arcis tecta decíderent.Sed operum eiuſmodi, quæ Zamorinum inani fiducia inflarant, vbi ad pugnam ventum eſt, haudquaquam exſpectationi reſpondit euentus.Indi telis ac miſſilibus ex aggere deturbati: cuniculi excepti cuniculis:& mortaria,quemadmodũ, vbi à perito magiſtro locantur,
C magnum hoſti detrimentum important;ita,ſi artificium abſit;in eandem pæne regionem recidente globo, machinatoribus interdũ ipſis exitio ſunt. Quocirca Zamorinus,haud mediocri ſuo malo peregrinas artes expertus, reliquum ſpei in fæuitia hyemis,& fame repoſuit. neque ea ſpes fefelliſſet hominem,ſi ad arcendos commeatus vel modicam claſſem inſtructam in proximo tenuiſſet. Ex quo verum apparuit Themiſtocleum illud: Qui mare poſſideat,omnia poſſidere.Luſitani,Syluio duce ab Cocino præmiſſi,quamquam atroci tempeſtate diſiectis nauibus;tamen vt ſeſe ex iactatione refecerant,alij ſubinde atque alij Calecutum accedebant.Lima,fatigatis iam,& ab oppugnatione deterritis hoſtibus,vnam inopiam metuens; modica militum auxilia recuſabat:affuturum mox cum iuſtis copijs Henricũ exſpectans.Tantum ſulphurei pulueris & commeatus præſentem expetebat copiam. Vtraque, noctis intempeſtæ ſilentio, ſcaphis paulatim in arcem inuecta.& vulgo iam è muris,Luſitani,ſuadenti deditionẽ hoſti,recentes carnes,aliaque cibaria,& ipſum denique in delicias betele oſtentabant. Ea res Zamorini contudit animos.& circumacta iam hyeme,cum nauibus viginti,bellatoribus mille quingentis aderat Prætor.is,tum à mari,tum ab arce tormentis hoſte ſummoto;cum ingenti clamore pluribus locis armatos in terrã expoſuit:immiſiſq; intra hoſtiles foſſas audaciſſimis è ſuorum numero,

numero, cùm ex alijs quoque partibus alij ad vallum intrepidè subijssent, D
ad tria Indorum millia partim ferro, partim igne deleuit: in quibus ipse
quoque architectus, proditæ ac desertæ Christianæ fidei noxam luit incen-
dio. è Lusitanis eo die paulo plus triginta cecidêre. sauci relati amplius du-
centi: & Henricus, proruto Indorum vallo, fossisque oppletis, idoneo pro-
pè arcem loco castra communijt. Inde Zamorinus & suorum territus stra-
ge, & simul veritus, ne in proxima palmeta Lusitani sæuirent (quo detri-
mento, vt supra diximus, nihil genti grauius aut acerbius est) misso cadu-
ceatore inducias petijt. in quatriduum datæ. interea de pacis conditionibus
actum: neque conuenit, eò maximè quod Zamorinus insignem quendam è
Cocinensi ditione perfugam tradere abnueret. Ac demum Henricus pertę-
sus Indicæ leuitatis, & Mahometanæ perfidiæ; præsidium abducere ab Cale
cuto, & arcem à fundamentis excindere statuit: præsertim quod ita velle lo
annem Regem è commentarijs Vasci Gammæ didicerat. ergo, muris & pro
pugnaculis, opere subterraneo, sulphurei puluèris de more copiam subdi
iussit. dein militibus, & machinis, omniqué instrumento raptim in naues
impositò (cuius rei facultatem & natura loci, & nautica turba præstabat)
ignes cauernis iniecti; & barbaris illicò, si quid fortè prædæ relictum esset,
stolida temeritate in arcem ingressis (tanta inest hominibus rapiêdi libido) E
interim è specubus cæcis erumpentes momentò flammæ plerosque hausê-
re; & cum horribili strepitu mœniũ structura dissilijt. Atque is finis & arcis,
& obsidionis fuit. Henricus, incolumi classe & exercitu Cocinum reuectus;
alios aliò præfectos dimisit. ipse inde septendecim nauibus Cananorem pe-
tijt. ibi, dum expeditionem in Cambaiam, Diumque meditatur; cùm nõ to-
to biennio rem Indicam administrasset, graui oppressus morbo, paucis die-
bus è vita migrauit anno post Christum natum M. D. XXVI. Hoc Prætо-
re, fama nominis Lusitani, refloresçere visa quodammodo: req; ipsa com-
probatum est; tanti militem, quanti ducem esse. Atque in ciuilibus etiam
rebus non vulgari prudentia fuisse dicitur: &, quod perrarum in eiusmodi
prouincia est, ab auaritia, & à sordibus alienus. Sub idem tempus ad Mala-
cam pariter bene gesta res est. Alodini copiæ, cùm vrbem terra mariqué ve-
hementer vrgerent, perpaucis egressis obuiam Lusitanis, cum ignominia
fusæ & fugatæ. Et ex acri obsidione, Linguanus regulus, parua manu Lusi-
tanorum exemptus est. Raia Nara, gener Alodini, Linguam obsederat. ex
eius exercitu cæsi sexcenti, & plurimi vulnerati feruntur, vno tantùm è no- F
stris desiderato. Et è Molucis aliquot Lusitani ad Celebes populos auri cau
sa profecti, cùm littoribus arcerentur; fœda tempestate ad insulam trecen-
tas inde leucas abrepti sunt. incolæ, moris antiqui homines, mira simplici-
tate ac securitate sese per nutus & nonnulla Molucensis linguæ commer-
cia, in consuetudinem extemplò dedêre. Egregio in primis habitu, & ama-
bili vultus hilaritate sexus vterque est. promissa barba & capillo sunt viri.
præmollibus storeis tegunt corpora. Ad fabriles vsus, spinis piscių pro fer-
ramentis vtuntur. Ignoti ad eam diem & nominis, & regionis erat insula-
tum primùm, à nauclero Lusitano, dimensis cæli plagis, nauticam in mem-
branam ex arte relata est, deque ipsius naucleri nomine Gometij Sequeriæ
insula exinde appellata. Non eadem erga Lusitanos comitas eo tempore in
Arabici maris accolis exstitit. Hector Sylueria cũ aliquot nauibus Erythræ-
as angustias tuebatur. Hunc, in Arabia, qui Dofarem vrbem incolũt, acces-
su prohibere conati, audaciæ pœnas dedêre. profligati qui cum armis ad ma
re prodierant: oppidum captum, & direptum est. & insulæ duæ, Mazua, &
Dalaca, quod sese ij populi infestos prætereuntibus Lusitanis præberent, ab
eodem Sylueria domitæ, &, annuo stipendio impositò, in ditionem reda-
ctæ. Simul, Aethiopica legatione perfunctus, anno sexto quàm ad Ar-

quicum

A quicum exſcenderat Rhotericus Lima, in claſſem acceptus. Acceſſit ab Aethiopico, ſeu Abaſſino Rege legatus ad Luſitanum Regem nomine Zagazabus: itemque cum donis ac litteris ad Romanum Pontificem Franciſcus Aluarus, cuius ſupra meminimus, Rhoterici comes. Is in Luſitaniam reuectus, Italiam deinde petijt. ac Bononiæ, in celeberrimo conuentu, cũ Cæſar coronatus adeſſet; Clementi VII. vti Eccleſiæ vniuerſæ Paſtori, & ſummo in terris Dei Vicario, paratam ad omne obſequium voluntatem Abaſſini Regis ac ſtudium, ſolenni cum adoratione, & pedum oſculo detulit.

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER NONVS.

B HENRICO Meneſio vita functo, à primoribus Luſitanis ventum in curiam eſt: ibi apertus alter codicillus, inſcriptum oſtendit nomen Petri Maſcareniæ, qui Malacæ vrbi tum præerat, vir bello fortis, & natura munificus, atque ob idipſum apud omnes ordines gratioſus. Verùm illud erat in ea ſucceſſione incommodi; quod, niſi vertente anno, Maſcarenias à Malaca, propter tempeſtatum rationem, adeſſe nõ poterat: cùm interea ſimul à Calecutano, & Cambaiano Regibus, &, quod magis erat formidandum, ab ipſo Turca bellũ immineret: minimeque expediret, ciuſmodi rerũ ſtatu, parente ac præſide tandiu careré prouincam. Ob eam maximè cauſam, Alphonſus Mexias regius Quæſtor, cuius tũ erat ſumma in Senatu auctoritas, cẽſebat, nulla mora interpoſita, tertiũ deinceps codicillum aperiendũ: neq; exſpectandum è tã longinqua regione Maſcareniam: quem, quò melior eſſet ciuis, & Regis reiq; publicæ amantior; eò æquiore animo ferre oporteret, in tanto talique diſcrimine, ſaluti cõmuni potius, q̃ proprio ipſius honori conſultũ. Aduer-
C ſus hæc, amici Maſcarenię tendere; tã inſignem iniuriã deprecari; ac poſtremò denuntiare, haud leuiori quàm quod in præſentia proponatur malo, geminam ſucceſſionem inteſtinis odijs ac certaminibus materiam vtique præbituram. nec verò dubitandum, quin ipſa dulcedo imperij, & ratio dignitatis, è duobus Prætoribus alterum ad retinendam; alterum ad repetendã omni conatu prouinciam, poſtmodũ eſſet incitatura. Cùm hiſce alijſq; difficultatibus non inueniretur exitus; multis altercationibus diu agitata, eò denique deducta res eſt; vt tertium codicillum inſpicerent, prouinciamque nouo ſucceſſori mandarent ea lege, vt ipſam, quiſquis ille eſſet, aduenienti Maſcareniæ confeſtim redditurum ſe iureiurando promitteret. In hãc ſententiã conuenêre omnes: & reſignato palam Codicillo, Lupi Vaſæi à Sãcto Pelagio (contracta vt aſſolet voce Sampaium appellabant) nomen apparuit; qui per id tempus Cocini prefecturam gerebat. Is, cum ſolenni adiuratione pollicitus, ſeſe Maſcareniæ, vt primùm adeſſet, honore ceſſurum; Prę turã interim inijt: cognitoq; prouinciæ ſtatu, alios atque alios duces, ad obtinenda præſidijs maria, deſtinauit. ipſe cum nauibus aliquot, in quibus erant Luſitani circiter mille; Malabaricam oram ſibi tuendam deſumpſit. Profectus Cocino, circa initium Februarij menſis anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi ſexti, Cananorem petijt. ibi, dum commeatus in claſſem imponit, ſubitò certior fit, Mahometanos è Calecutano emporio ad

duode-

duodecim hominum millia, intra Bacanoris fluminis ostium cum nauibus onustis latere.paratos ad exitum, quæ prima se se occasio nauigandi obtulisset.Ea re cognita,nõ dubitauit Prætor,quominus in angustijs deprehẽsos quamprimum inuaderet.Ergo sublatis anchoris eò contendit infestus. Res erat difficultatis ac periculi plena,nõ modò in tam dispari numero copiarum; sed etiam quod contra omnem eiusmodi casum egregiè se se Mahometani munierant.Fluminis alueum de more fixis vtrinque sudibus atque cancellis,in arctum ita coegerant;vt singulis tantùm nauigijs aditus pateret.cæcos præterea sub aquam,veluti laqueos, idoneis abdiderant locis; in quos illata ex alto nauigia sese inuerent.& munitionibus in vtraque ripa excitatis,crebra tormenta locauerant. Ad hæc,ex oppido fluminis cognomine,qui locus erat Narsinganæ ditionis,omnia illis ad victum necessaria suppetebant. Hæc, Prætor, cùm partim ab exploratoribus accepisset, partim speculatorijs nauigijs obeundo per se nocte sublustri notasset; submissis primùm vrinatoribus,laqueos funesque prętentos ab imo præcidi iussit: dein,sublato ingenti clamore, concinentibus vndique tubis,aduerso flumine subijt :præibant obtectæ centonibus, & maioribus tormentis instructæ aliquot scaphæ;tum cętera nauigia simplici propter angustias ordine sequebantur.In ea conspecta,illicò barbari vim omnis generis telorum emisêre: quibus propter assuetudinem haudquaquam exterriti Lusitani, cõtento remigio ad ipsa munimenta succedunt. Ibi atrox & ambiguum aliquandiu certamen fuit,dum conferti & obnixi corporibus Mahometani hostem descensu prohibere nituntur.Sed postquam impetu ex omni parte capto se se Lusitanus in mediam aciem saltu mittebat,& dextris gladijsque res geri cæpta est;tum verò iniecta formidine pulsi vndique barbari, & magna cum cæde præcipitem in fugam auersi.ac Prætor veritus, ne ab ira & cupiditate miles oppidum diriperet;&Narsinganum Regem,cuius tum in ditione Lusitani complures negotiabantur,alieno tempore prouocaret;vallo potitus receptui cani iussit,suosque à præda,& ab insequendo vltrà hoste cohibuit. Apotheca & diuersorium erat Mahometanorum in ipso portu, frugibus, & merce pretiosa refertum.Eam apothecam, Prætor, & hostiles vnà lẽbos incendi iussit,octoginta ferè tormentis, quorum erant ænea pleraque,excendio ad classem abreptis. Neque, in magna hostium strage, Lusitani desiderati plus quattuor.quò tristior,acerbiorque Calecutanæ ciuitati,atque ipsi præsertim Zamorino cladis nuntius accidit:vt, non retentæ quacunq; conditione cum Lusitano pacis & amicitiæ, magis in dies hominem pœniteret.Ab ea victoria Prætor ad excidium Dabuli perrexit: quem in portum Mecanis negotiatoribus receptum dari contra fœdus cum Idalcane ictum; & præterea,armatas inde triremes ad oram infestandam egredi pro certo compererat.Appropinquanti, nouus pręses loci,quem Indi Tanadarem appellant,vnico nauigio prodijt obuiam supplex:& culpas omnes in eum cui successerat,transferendo;seque affirmando,vti oporteret,in fide officioque mansurum;haud magno negotio Lusitani Prætoris mitigauit animum :& renouata pax,ita,si Dabulanæ biremes cum tormentis à præside traderentur. Eductæ extemplò omnes,ac traditæ. Et Prætor ex animi sententia gestis rebus,Goam victrici classe contendit.Inter hæc,Ioannes Rex,Henrici Menesij morte nondum audita,quatuor miserat in Indiam naues, & cum ijs noua successorum nomina,ac separatim ad Mexiam Quæstorem litteras, quibus erat in extremis,vt superioris temporis codicillos irritos duceret, & clausos obsignatosq;,vt erant,in reditu ad se perferret;recentibus hisce veteretur,si fortè Menesium è vita discedere contigisset.Eam clausulam Mexias,quod Mascareniam sibi minus propitium fore suspicaretur, ad res nouandas arripuit.E regijs litteris ad concilium refert, quandoquidem vetera ina-

A ra inania fecerit Rex;de nouis diplomatibus aperiendis: quemcunque illa iusserint,hunc denique iustum ac legitimum Indiæ Prætorem fore. Hæc, præter omnium exspectationem,à Quæstore dicta,magnos animorum motus fecerunt:ac fermè aduersis auribus(vti par erat)accepta relatio.Inter cæteros,Vascus Deza,Cocinensi arci præpositus,apertè disseruit,non modò superuacaneam,sed etiam pernicioſam eam inspectionē futuram. Nuper declarato Prætore Mascarenia,per causam absentiæ,dignitatem optimi & clarissimi viri haud obscurè impugnatam;superinducto contra omne ius fasque nouo successore.Cùm inde certamen ac periculum ingens non sine causa timeretur,iureiurando ac promisso reddendæ aduenienti à Malaca prouinciæ,id periculum Dei benignitate discussum. Quid opus esse, certis & cōstitutis iam rebus,denuò solui codicillos?& pessimo publico labefacta ri concordiam & pacem;cùm tantum belli pæne in manibus sit, cùm tot vndique terrores immineant?Nam quod huic actioni regia prætexantur mandata;profectò si in tanta regionum distantia,cùm Ioannis ipsius consulendi facultas desit;ad interpretationem regiæ voluntatis atque iudicij referenda sint omnia;nulli dubium esse debere, quin Mascareniæ delatum
B è prioribus codicillis honorem,non quietis modò,sed etiam hominis causa,ratum,inuiolatum,ac proprium esse Rex iubeat.Id,vel ex eo apertè intelligi,quod veteres codicillos ad se clausos atque obsignatos referri mandauerit.quos ille si vel apertos irritos omninò esse voluisset;id ipsum vtique disertis verbis adscripturum fuisse.Proinde supersedendum hoc successionis malè auspicatæ periculo;noua Regis exspectanda responsa;atque interim coniunctionem animorum atque consensum,quo vno maximè inter hostilia circa omnia Lusitanæ stent res,omni studio & cura fouēdum. Maiori & meliori parti eorum qui aderant,admodum grata fuit oratio Dezæ: quinimmò ex oraculo missa videri quodammodo potuit.Siquidem paulo ante,Ioannes Rex à nauarchis,qui ex India illo ipso anno redierant,audita morte Menesij,& Mascareniæ successione;veritus,è missis ad Mexiam quas dicebamus litteris, ne quid controuersiarum existeret; Petrum Annium Gallum cum nauigio expedito submiserat ad ea reuocanda mandata;& Mascareniæ nominationem sua auctoritate firmandam.Sed Annius, nondum tempestiuo ad nauigandum mari profectus, superato iam Bonæ spei
C promontorio, circa Sancti Laurentij insulam naufragio perijt. Inde, non ad liquidum explorata Regis voluntate;cùm plerique ex æquo & bono agendum,& cauendas omnes discordiæ causas prudenter monerent; Mexics tamen,paucis assentientibus,omne id periculum in se recipiendo, premē doque verbis ijs quæ retulimus ex epistola Regis;peruicacia & obstinatione tenuit,vt nouissimi codicilli consulerentur.ij primo loco Prætorem declarabant Lupum Vasæum ipsum, qui secundum in priore nominatione tenuerat.iraque elatus hoc de se iudicio Regis;pro fiduciaria legitimam ac propriam sibi vindicare Præturam;& ad arcendum honoris aditu Mascareniam,si promissa repetere instaret;omnia præmoliri constituit.Ea remul torum animi grauiter offensi:nonnulli etiam Vasæi imperium detrectare palam ausi.Interea de interregno, & Mascareniæ successione, deque vicario Vasæi munere, Malacam litteræ nuntijque peruenerant. Et satis comperta re,vtriusque Indiæ Prætorem Mascareniam ritè consalutauerant socij coloniique . Proinde, ne quid se absente respublica incōmodi acciperet; maturandum ratus Mascarenias,Malacæ Georgium Capralium præfecit: ipse, non exspectata motione quam vocant;reclamantibus naucleris citeriorem Indiam petere intendit. neque impunè cessit illi temeritas.ad Pulopuarem insulam tenuit primùm.ibi dum stat in anchoris;subita procellæ vi,malo diffracto,laceriſque armamentis,pæne submersus,Malacam retrò

vnde abierat,redire coactus eſt. Natus ad res gerendas, & gloriæ in primis D
appetens erat Maſcarenias. Ergo, dum anniuerſarius recurrat Eurus, ne fruſtra interim tempus abſumeret, quod parum feliciter Georgius Albuquercius ante tentarat, hærentem lateri tyrannum Alodinum oppugnare, & receptaculum piratarum inſulam oppidumque Bintanum, omnibus modis parat excindere. Fortè tum Malacæ ſubſtiterant præfecti aliquot Luſitani, Borneum inſulam alij; alij Molucas, alij Somatram ipſam Regis iuſſu petentes. Hiſce non approbantibus modò expeditionem, ſed etiam operam ſuam in idipſum enixè offerentibus, Maſcarenias variæ formæ naues vndeuiginti contraxit: & Luſitanis trecentis, Malacenſibus fermè ſexcentis impoſitis, ad Bintanum vela fieri iuſſit. Alodinus ad eius claſſis famam, pontem vrbemque nouo præſidio & munitionibus auxerat, venenatis tribulis circumquaque diſperſis; plurimiſque tormentis ad idonea loca diſpoſitis. præterea, quàm acerrimè defixis in imo longurijs, tigniſque in lapides molares impactis vt pondere ipſo detinerentur, obſtruxerat portum: & ſuper hæc, opem à propinquo regulo Panenſi petierat. Luſitana claſſis, ob naturam vadoſi maris, & frequentes inſulas, cùm tardè admodum nauigaſſet; ante ipſam Bintanum denique in anchoris conſtitit. Inde præmiſſus ad omE
nia contemplanda cum ſpeculatorio nauigio Eduardus Coëlius, retulit, fauces portus, niſi euulſis cancellis, omninò eſſe impenetrabiles. porrò deſcenſum ad vrbem planè exitiabilem fore: adeò locum & præaltis munitionibus, & crebris tormentis, & omni apparatu bellico tutum videri. Hiſce rebus permotus Maſcarenias, vallum omittere; pontem ipſum (vti Albuquercius olim in expugnatione Malacæ) admota celſiore naui, & repagulis per vim extractis, adoriri decreuit. Ad eam rem, eximiæ fortitudinis nauarchus deligitur, Franciſcus Serranus Eborenſis; Luſitani propugnatores cũ magno tormentorum numero additi quinquaginta: & nauis, partim validis aſſeribus pluteiſque, partim etiam culcitris, & goſſipio, quæq; alia ſunt miſſilibus eludendis, egregiè tecta. Hiſce mandatum, vt oſtio repurgato, & faucibus vtcunque patefactis, pontem inuaderent: laborantibus in tempore ſubſidium affuturum. Tum, ad breuia vitanda, catures duo, biremium inſtar, prætentatis canalibus, nauem remulco trahere iuſſi. Primus labor aperiendi aditus fuit. adacta ad imum tigna, immiſſis ductarijs funibus, ergata conuellere nitebantur, eo quidem impetu, vt nonnulli præ nimia contẽF
tione ſanguinem euomerent: atque vt initia ſeſe dabant; multorum dierũ id opus proculdubio fore apparebat. Dum huic vni rei, in orbem ſuccedentes alij alijs, dies noctesque dant operam; noua repentè ab alto conſpicitur claſſis. tres & triginta erant lanciaræ à Panenſi regulo miſſæ: quibus, præter varios commeatus, duo circiter hominum millia vehebantur. Ea re animaduerſa Maſcarenias, ne ſi propius acceſſiſſent, elatus recenti ſubſidio Bintanius confeſtim erumperet, ancipitique prælio Luſitani poſtmodum vrgerentur; anteuertere, & cum parte copiarum ipſemet quàm longiſſimè obuiam ire Panẽſi decreuerat: ſed præfectorũ dein precibus victus, ne ſe temerè in diſcrimẽ obijceret; Eduardo Coëlio cum lãciaris quatuor, calaluzijs quinq; (eiuſdem ferè magnitudinis vtraque actuaria ſunt) id negotij dat. ipſe ad exitũ portus tuendũ cũ cætera claſſe ſubſiſtit. Barbari, quamquã multitudine ſuperiores; tamẽ, & oneribus impediti, & à tormẽtis imparati aducta bant; ſeminudo corpore, ſagittis maximè freti. Ergo, vti propius ventũ eſt; primũ bõbardæ fragorẽ, & radiãtia fulgetra non tulêre. Perterriti, aliquot ſuorũ amiſſis, turpẽ in fugã extemplò auertũtur; & hærẽtibus tergo Luſitanis, lãciaræ viginti tres, ad proximã inſulã directis proris, in littus eiectæ: & certatim exfiliẽtes barbari; nullo niſi vitę reſpectu, omnib. fermè relictis rebus, hac illacq; diſperſi. reliqui, cùm inſulam tenere nequiſſent, contento

curſu

A cursu prælati, nocte iam imminente, per tenebras euaserunt. Coëlius, haud parua sine vllo suorum sanguine parta victoria, relictas ab hoste lanciaras cum ipsis oneribus ad Mascareniam cum ingenti gratulatione perduxit. Inter hæc, quod ad transitum satis esset ostio patefacto, Serranus, attracta remulco naui, ad frontem valli processerat. hic verò longè acrius desudandum Lusitanis fuit: dum ingruentem ab latere missilium vim excipiũt: atque alij recentia foramina raptim obturant, alij conceptas exhauriunt aquas, alij pauentem ad præteruolantium globorum sibilos, abdentemque se remigem, adhortantur. Magnus in primis vsus cẽtonum & gossipij fuit: nec dubium, quin alioqui nauem, quamuis firmis compagibus tabulatisq; munitam, creberrima pilarum grando pessum datura fuerit. E tanto periculo elapsi diuinitus, quintodecimo instituti operis die ad pontem appropinquant: iactisque ideoneo loco anchoris, in modum propugnaculi nauẽ ex omni parte stabiliunt. Tum verò indignatione atque ira percitus Alodinus furere, & suos incusare, quod in omniũ conspectu clausris effractis, hostem ad interiora penetrare sint passi. Confestim è gentis consuetudine submissi, qui nando clam oras præciderent, vt ipso fluminis impetu nauis in va
B da ferretur. Sed Lusitani, fraudem, iectis ad anchoras ferreis catenis eluserant. Ea quoq; spe destitutus Alodinus, euocatum è statione Laqueximenã præfectũ, lanciaras vndecim raptim deducere, & cũ quingentis armatis intercluſam à cętera classe nauem inuadere iubet. Simul, ne quid interim Serrano auxilij superueniat; custodibus edicit, quàm intẽtissimas pro vallo excubias agant; &, vbi postulet res, tormenta sine vlla intermissione in prętereuntes exerceant. Vti imperauerat, factũ. Laqueximena lanciaris momẽto deductis instructisque; nauem petit infestus: ac nequicquam arcere conãte Lusitano, circumuentam barbari à prora maximè ascendunt: cumq; abundante multitudine integri succederent fessis; & paucitate, & labore, & vulneribus fatigatos Lusitanos, capta iam prora, ad malũ vsque summouerãt. Ibi Serranus grauiter saucius, egregiè dimicans cadit; & pro mortuo habitus, collectis dein vtcunq; viribus, acrior in pugnã resurgit. Verũ libero introitu, irruentibus alijs super alios Mahometanis; nulla ope obsisti iã poterat. Cùm in eo statu res esset; conspicatus Mascarenias è prętoria discursum hostium, & circumfusas naui lanciaras; atq; ex ipso numero & vociferatione, haud absurdè coniectans, præsidium in extremo versari discrimine; cõ-
C festim Eduardo Coëlio, & strenuis aliquot assumptis, in balancum, quod leuioris nauigij genus est, ad fallẽda missilia, desilit; ac nulla deterritus vi, pertinaci remorũ pulsu, præter ipsas munitiones, nequicquam eiaculantibus barbaris, ad locũ certaminis appropinquat: disiectisq; ignifera bolide lãciaris, qua proximum est; conscendit nauem; atque vt prope ferum auxilium suis iam iamque captis, ita vniuersum gaudium & requiem attulit. neque ascendentem (adeò certamine occupati erant introrsus dimicantium animi) sensit quisquam. recentes dein, respirãtibus cæteris, pugnam capessunt: neque ea diuturna, vel ambigua fuit. Exterriti nec opinato aduentu hostes cessêre primùm; dein, cùm dolor cadentis ad irritum rei, ad rabiem atq; ad iterandum certamen accenderet; cæsi ad vnum quotquot nauem intrauerant; & è Lusitanis (quod pæne fidem excedat) in tanto sauciorum numero, ne vnus quidem amissus. Mascarenias, per summam fortitudinem præsidio seruato; magnam sibi ad omnes laudem & gloriam peperit. dein festinandum ratus, ne denuò barbari nauem adorirentur; vel rates, vt solent, secundo flumine ac vento cum ignibus ad incendium immitterent: adiuuandi ratione vires, & rei sine mora perficiendæ, tale consilium expedit. Duæ, prętera amnem, ferebant ad pontem viæ: alteram, qua vrbs condita est; munimẽtis & custodijs obtinebat hostis: altera, propter vligines & palu-

des,inacceſſa &clauſa putabatur.hoc ipſo itinere,quo minus erat ſuſpectũ, D
Maſcarenias noctu pontem aggredi ſtatuit. atque vt ab eius rei ſenſu quàm maximè Mahometanos auerteret; quaſi à vallo vrbẽ inuaſurus;ab ea parte pluteos erigi,vineas agi, & tormenta aliqua collocari iubet: inque hac ſtatione primis tenebris Sanaiam præfectum Malacenſiũ,cum quadraginta Luſitanis, & cum auxiliaribus collocat.ijs mandat, vt cùm primùm à ponte micantes viderint flammas;confeſtim clamore ſublato,continentibus tubis, tormenta diſplodant, & quàm tumultuoſiſſimè ex eo loco oppugnationem oſtentent;hoſtemque inde omni ratione diſtineant.ipſe cum cæteris Luſitanis,obſeruato maris receſſu, primę vigiliæ ſilentio,tria millia paſſuum à ponte,diuerſum in littus egreditur.inde per tenacẽ limum atq; voragines ingenti labore eluctati,cùm alibi vmbilico, alibi humeris tantùm exſtarent ; integras tamen ac recentes haud ſine miraculo vires ad pontem attulêre. Quarta fermè erat vigilia,quæ gratiſſimæ quietis hora eſt: & peruigil in naui Serranus, ad incẽdium ollas è compoſito paratas habebat. ijs Maſcareniæ iuſſu in caſtella coniectis , ſimul ex arida materia ſplendor eluxit,& in id ipſum intentus è condicto Sanaia,clamorem tolli,canere tubas,& cum horrendo fragore,globorum vim in munitiones emitti iubet. E
Dum ſimulato prælio Malacenſes Laqueximenam egregiè cohibent,& in eum vnum locum ex omni vrbis parte concurſus fit; interea Maſcarenias cum ſuis,caſtelli portas & clauſtra perfregerat. Inde prælio in vrbem illato, cùm cædes multis iam locis fieret; trepidi ad Regem conuolant ciues: hoſtem intra mœnia graſſari cum fletu renuntiant.ille,inania videlicet ex inconſulto metu ratus afferri;pauidos ac tumultuantes cum iurgijs increpat. Neque fuit fides,donec ipſa lux vniuerſam aperuit cladem . Tum verò Alodinus,conſcenſo properè elephanto,fugam arripuit;& mox inſequentem à tergo hoſtem extimeſcens (namque Luſitani, omiſſa in præſens præda, vnum tyrannum petebant)ad pedes,ne dignoſceretur,degreſſus,denſas primùm petijt ſyluas:dein,parum tutam ratus inſulam ,occultis itineribus ad mare ſe contulit,atque ad Vgentanam continentis oræ tranſmiſit. ibi, diuturna ægritudine & morbo , vti Mamudius olim pater, abſumptus eſt. Luſitani interea,dimiſſis per omnes inſulæ partes,qui tyranno indagando, & comitibus ipſius excipiendis inſiſterent; Bintanum oppidum , cæſo aut dilapſo præſidio,diripuerant iure belli ;neque contemnendam, cùm è reliquis tectis,tum verò è regijs ædibus prædam exhauſerant. tormenta inſu- F
per, & quidem ænea pleraque, reuecta omninò trecenta,quorum non pauca Luſitanis Alodinus ademerat.Propugnaculis dein ac munitionibus ignes iniecti,triduoque omnia prorſus abſumpta.Sub hæc, pulſus quondam ab Alodino dynaſta Maſcareniam victorem adijt ſupplex:ac tyranni queſtus iniurias;nõ modò pacem impetrauit;ſed etiam in ſolium reſtitutus eſt legibus ijs,vt Ioanni Regi annuum perſolueret vectigal;arcemque aut propugnacula, non niſi ex auctoritate Luſitani Prætoris exſtrueret. Per eoſdem ferè dies,haud contemnendæ rei ſpes,cæterùm inani ſucceſſu, Luſitanis affulſit. Sunda eſt oppidum Iauæ maioris,ad Borealem plagam, Somatranis littoribus obiacens.id oppidum,præter maritimas opportunitates,agro eſt etiam cùm aliarum frugum feraci, tum verò egregij piperis . ei tum oppido Mahometanus dynaſta imperabat.is,finitimo bello cùm valde premeretur;coactus inops ad potentiores confugere, oratores opis implorandæ ad Maſcareniam deſtinarat:ac ſimul idoneum Luſitanis apud ſe locum & exercendo mercimonio,& arci ædificandæ promiſerat. Maſcarenias, legatis comiter acceptis & confirmatis, peracto demum Bintanenſi bello, Franciſcum Salam cum aliquot nauibus,&,præter aliam turbam,Luſitanis trecentis miſit,nimis lentũ perditis iam rebus auxilium.quippe hoſtes interea Sun-

A rea Sundam expugnarant, locumque operibus nouis, & valida militum cu-
ſtodia ſepſerant. At Luſitanos à Bintano profectos, in conſpectu pænè Sun-
dæ atrox tempeſtas oborta diſperſit. Lembo etiam vno ad terram alliſo, cir
cumuenti à barbaris & cæſi triginta, nequicquam inſpectante ac miſerante
procul Eduardo Coëlio trierarcho. inde, hoſtilia eſſe omnia patuit. Et Sala,
collectis in alto nauibus, cùm ad Sundanum littus tandem appuliſſet; vi ar-
miſque deſcenſione prohibitus, Malacam re infecta redire coactus eſt. Cęte
rùm capti Bintani fama, in primis læta cùm vniuerſo nomini Luſitano ac
ſocijs accidit; tum ijs præſertim, qui Malacenſem oram incolebant. magno
quippe eorum detrimento, Bintanij prædones, non mare ſolùm infeſtum,
ſed omnes circa agros iam diu fecerant. Et Maſcarenias, inſignis gloria mi-
litari, Malacam reuectus, maturo iam ad eam nauigationem Oceano, cite-
riorem Indiam petere intendit; ignarus quid, poſt priorem ſucceſſionem,
è regijs litteris accidiſſet; ac minimè dubius, quin aduenienti ſibi, Vaſæus,
vti receperat, illicò prouinciam traditurus eſſet. Ergo, Malacenſi re conſti-
tuta, & iuncto vel renouato cum vicinis Regibus fœdere, Maſcarenias à
Cherſoneſo cum aliquot roſtratis maioribus profectus, præter Gangeti-
B cum ſinum, Cori promontorium ſuperat; flexoque in Septentriones cur-
ſu, Colanum applicat primùm. ibi à Luſitanis negotiatoribus Prætor ho-
norificè ſalutatus, acta Mexiæ, & occupatam à Vaſæo prouinciam graui cũ
dolore cognoſcit. Neq; tamen iccirco deſpondet animum. Experiũdi cau-
ſa Cocinum prouectus, qua tum in vrbe Mexias agebat, cùm egreſſum è nau-
i, & introitum in vrbem peruicacius tentaſſet; concitante populum Me-
xia; vi & armis ad naues, haud ſine damno vulneribuſque, repellitur. Per-
culit grauiter ea res inſolentem iniurię virum. nec deerant ſuaſores, qui ad
contrahendas vndique copias, & vlciſcendam iniuriam accendere ni-
terentur. At ille, de communi ſalute ſolicitus, ac memor moderationis
eius quam Alphonſus Albuquercius in re ſimili præſtitiſſet; iracundiæ tem
perare, & iure potius quàm ferro cum inimicis diſceptare conſtituit. Ac pri
mùm repoſcenti Regis nomine claſſem cum nauali inſtrumento Mexiæ
tradit: vno dromone contentus: inde ad Cananoris arcem delatus, cùm à
Simone Meneſio prefecto non niſi priuatus admitteretur; omni non modò
vi, ſed etiam minis ac verborum atrocitate ſapienter abſtinuit: ipſo quine-
tiam dromone ſocijſque relictis, cum catare vnico, amicis duobus, toti-
C dem pueris, Goam ad Vaſæi colloquium rectà contendit. Vixdum eò per-
latum erat, aduentare Maſcareniam, cùm ab amicis & neceſſarijs ipſius,
magna & inter ipſos & cum alijs gratulatio facta: facileq; apparebat, ſimul
atque præſentis Maſcareniæ copia foret, conſenſu maximæ ciuium partis,
coactum iri Vaſæum vel magiſtratu ſeſe abdicare, vel certè rem totam bo-
norum cognitioni arbitrioque permittere. Id ipſum veritus Vaſęus, Anto-
nium Sylueriam, & Simonem Mellum propinquos ſuos, cum magno nu-
mero nauium ad cuſtodiendas fauces Goani portus celeriter mittit: iubet-
que, appropinquanti Maſcareniæ denuntiare, in Cananoris arcem extem-
plò ſe ſe recipiat; ibique ſe ad Vaſęi nutum in libera cuſtodia fore cũ iure-
iurando promittat: atque inde Goam ſua poſtulata litteris conſignata trã-
mittat: id ſi voluntate abnuat facere; conſtrictum vinclis Cananorẽ aſpor-
tent. Nil recuſatum à Vaſæi cognatis. Perinde ac ſi hoſti occurrendum fo-
ret, ita quàm maximis coactis copijs, maritimos aditus occupant. vbi Maſca
reniam adeſſe nuntiatum à ſpeculatoribus eſt; præmiſſi confeſtim qui miſ-
ſilibus vela ſubmittere cogerent: dein Vaſæi expoſita mandata cũ minis. Et
Maſcarenias quidem, quominus antennas honoris cauſa demitteret, nõ re-
cuſauit: vt verò Cananorem ſe rediturum, atq; ibi in cuſtodia ſponderet fu-
turum, adduci nõ potuit. Vnum illud enixè petebat, vt inermi ſibi vrbem

intrare,& cum Vasæo coram disceptare permitterent.Hæc identidem ex D
postulanti,Regisque imploranti fidem clarissimo viro,per summam indignitatem iniecti compedes:atque ad Cananoris arcem asportatus, Simoni Menesio præfecto adseruandus cum iureiurando committitur. duo item comites Mascareniæ, ab eius complexu Goā abstracti, & pariter in vincla catenasque coniecti.Hisce actionibus,quod magnam partem ciuitatis admodum offenderent; Vasæus publicæ salutis & otij causam prætexebat; videlicet,ne per Mascareniæ introitum,ab rerum nouarum cupidis & factiosis hominibus,tam alieno tempore tumultus excitaretur.Sed frequētes hominum cætus & voces cohiberi nequibant commemorantium Mascareniæ cùm egregia merita virtutesque;tum verò causæ bonitatem,qua fretus nihil nisi ius posceret: cùm Vasæus interea,nimirum exconscientia sibi diffidens,grassaretur armis,omnique ope iudicium subterfugeret. Eiusmodi sermonibus (neque enim erant obscuri)permotus Vasęus, insignes aliquot è Mascareniæ fautoribus in carcerē trudit.Nihil tam aut infirmum,aut fallax,quàm humana consilia. Quod vnicum remedium opprimendæ seditioni putarat fore,hoc ipso vel maximum excitauit incendium. Namque vt eius rei fama peruasit Indiam (adeò lenibus medicamentis gaudent E
homines;tristia,& acria, & aspera detestantur) extemplò alienati à Vasæo multorum animi:& Mascarenias occasione capta,per litteras & coram deplorando calamitatem suam,memorando æquitatem postulatorum, querendo iniuriam,& vim,& sæuitiam inimici; non Simonem modò custodem; sed alios quoque complures in causam traxit.Ita, paucis diebus, non sine extremo discrimine rerum,duas in partes Lusitanum nomen omne discesserat;vltimamque dimicationem dubio procul adesse apparebat.Hic è spectatoribus,amici sociique,miserari gentis vicem, quod in tanta paucitate, quas vires ad imperium vel tuendum,vel proferendum conferre oporteret;eas per intestina dissidia in suam ipsi cladem perniciemque cōuerterent.iniqui verò atque inuidi,ridere amentiam,quod remotissimis in regionibus,cùm tot vndique pericula circunstarent, adeò certamen prauum imbibissent animis;vt neque patrij soli recordatione(quæ populares homines peregrè deprehensos, admirabili quadam suauitate coniungit) neque communi metu, quod firmissimum amicitiæ vinculum est,ab letali peruicacia flecti ad æquitatem & concordiam vllo modo possent. Hostes verò, tam præclaræ occasioni delendi funditus Lusitani sanguinis, haudqua- F
quam indormiebant. Inter alios Calecutanus, tum veteribus odijs, tum recenti incitatus damno;nouam classem habebat paratam,vt vbi sese vnius corporis duæ acies ciuili bello attriuissent; ad reliquias ipse conficiendas accurreret. Neque fefellissent hominem cogitata;nisi propitiatus piorum prece Deus,Vasæi mentem ad saniora consilia reuocasset. Quippe cognito præter cæteros,Simonem quoque Menesium,& Sosam Caiuli præfectum, sese ad Mascareniam aggregasse; tandem extimuit; secumque agi de iudicio est passus.prima conditio disceptationis fuit,vt ad causam vsque cognitam, vterque pro priuato se gereret. dein, commeantibus vltrò citroque internuntijs (namque ipsi congressum inter se, ne mutuo conspectu recrudescerent iræ, consultò vitabant) arbitri electi tredecim. qua item in re Mascarenias haud parum de suo iure decessit.siquidem cunctos è Cocinensi colonia creari est passus,quam sibi vel in primis aduersariam senserat.eo confessu,neminem fefellit quorsum euasura esset res. arbitri, tum conscij sibi quid de Mascarenia meriti essent,tum etiam Mexiæ priuatis de causis obnoxij,intra paucos dies adiudicata Vasęo Prætura, Mascareniā primo quoque tempore in Lusitaniam redire iusserunt.Insigni infamia id iudicium fuit;neque ex altera factione moderatius pæne quisquam eam rem

tulisse

A tuliſſe fertur, quàm ipſe cui facta erat iniuria. Sed non diuturna Vaſco lætitia manſit. Namque Ioannes Rex, coram audito Maſcarenia, Cocinenſium acta reſcidit; liteque inſuper æſtimata, Vaſæum Maſcareniæ aureorum mil libus ferè viginti damnauit, quantum ex honorario Præturæ per bienniũ ceperat. Simul, ne quid in poſterum ſimili de re controuerſiæ oriretur; ab Rege decretum; vt in codicillis, vbi res poſtularet, aperiendis; cuius nomen exiſſet, hunc, ſi per id tempus vltrà Cori promontorium, vel cis Dium (qui vlterioris Indiæ fermè ſunt limites) vel publicæ, vel priuatæ rei cauſa abeſſe contingeret; eius, in eiuſmodi ſucceſſione, ratio nulla haberetur. Hunc exitum habuit lis, quæ Luſitanam rem in extremum pæne diſcrimen adduxerat. Interea Vaſæus, vir, ſi commune malum, imperij cupiditatem demas, haud quaquam improbandus, amoto æmulo, ad componendas res, armandamque aduerſus imminentia bella prouinciam, intendit curas. ac primùm, omnibus qui Maſcareniam ſecuti erant, veniam & obliuionem præteritorum indulſit. Dein Antonium Mirandam cum ſex roſtratis maioribus, vna longa naui, & biremibus aliquot, & armatorum mille præſidio, ad Erythræa oſtia; Simonem Mellum cum modica manu ad Maldiuas inſulas; Ioannem Dezam cum vna triremi, lembis ſexdecim, ad Malabaricam orã
B obtinendam; & alios, prout exigebat res, in alia loca dimiſit. Dum apud Indos, quas dixi turbæ ſedantur; ad Molucas interim, haud minus atrox ac deteſtanda incidit res. In eius emporij præfectura Garzias Henricus Antonio Britto ſucceſſerat. Is, & belli tædio feſſus, & paucitate ſuorum adductus; Tidorenſi regulo expetenti pacem dederat in has leges; vt intra ſex menſes, tormenta, & alias res omnes per bellum Luſitanis ablatas, necnon fugitiua mancipia redderet. Lætus optata pace Tidorenſis, id laborabat vnum, quomodo perpetuam eandem ac ſtabilem faceret. In hac deliberatione verſanti, optimum viſum eſt, Cacilem Aroezium Ternatenſem, cuius ſupra meminimus, quàm arctiſſimo neceſſitudinis vinculo ſibi coniungere; quod is cùm apud populares opibus, tum apud Luſitanos gratia & auctoritate plurimum valeret. Ergo per fideles internuntios, cum egregiæ cuiuſdam voluntatis teſtificatione, Aroezio filiam in matrimonium offert. Id Garzias interpretatus ad labefactandam ipſius potentiam haud dubiè pertinere; omni conatu dirimere atque impedire nouam affinitatem inſtituit. Ad eã rem aptius occurrit nihil, quàm arrepta qualibet occaſione recentia fœde-
C ra ſoluere; & eodem Aroezio adiutore, quem natura leuiſſimum, & quietis inimicum noſſet; Tidorenſibus arma quamprimum inferre. Cùm hæc ſententia placuiſſet; extemplò per legatos ab Almanſore ex conditionibus efflagitare inſtitit cùm cæteras res, tum verò tormenta; quippe quorum partem ex inſula abeſſe, atque haud ita facilè reſtitui poſſe intelligeret. Ad hæc regulus benignè reſpondit; necdum exiiſſe diem in fœdere præſtitutum; & ſibi nihil maiori eſſe curæ, quàm vt omnia ſua Luſitani recipiant. Et cæteris quidem in rebus, non magnã fore cunctationem. tormenta ſe aliquot Bacti ano regulo commodaſſe: ad ea exigenda reuehendaque ſpatio eſſe opus. ve runtamen daturum ſe operam, vt ad condictum tempus Ternate cuncta ſiſtantur. interim ſe, præter cætera incommoda, morbo etiam implicitum teneri. petere ab Garzia, & rogare pro reconciliata gratia, moram eam boni conſulat, ac ſimul, vt medicum aliquem ad ſe mittere ne grauetur. At ille, minimè patrijs artibus, cùm ſe excuſationem accipere ſimulaſſet; medicamentariũ, neſcio quẽ, è ſuo comitatu ſubmiſit. is, è cõdicto videlicet, nihil minus metuenti ægroto venenũ pro pharmaco miſcuit: ex quo paucis diebus, per ſpeciem ægrotationis fraude vtcunque celata, deceſſit. Defuncto regulo, magnus in vrbe luctus fuit, magna perturbatio rerum omnium. Eo acrius Garzias mœrentibus ac perculſis inſtare; & niſi tormenta extem-

plò

plò reſtituant, denuntiare bellum. Ad ea Tidorenſes coacto ægrè concilio D
reſpondent: orbam ciuitatem in ſumma triſtitia & mœrore verſari: Almã-
ſoris inſepultum adhuc iacere corpus: id vbi terræ mandarint, ac iuſta ſuo
Regi perſoluerint; nihil habituros antiquius, quàm vt Luſitanis omni rati-
one ſatiſfiat. Hæc demiſsè ac ſuppliciter agebant ciues: & ſtatus erat rerum,
qui vel ferrea pectora lenire ad clementiam poſſet. At verò Garzias, vno
tantùm interpoſito die, nauibus ad Tidorem accedit, paratas ad cædem &
rapinam copias confeſtim exponit. oppreſſi oppidani extemplò diffugiunt.
Ille deſertam inuadit vrbem; contra omne fas diripit, direptam incendit.
Nihil eo facto grauius ad vicinorum aures accidere potuit. Ex eo tempore
cùm à cæteris littoribus, tum à Baciano præſertim, Luſitani minis armiſq;
procul haberi cæpti. Sub idem tempus, ab Hiſpali naues quinque ad Molu-
cas intenderant iter, ducibus ijs, qui Magalianis è comitatu ſupererant. Eæ,
nondum probè explorato curſu, varijs caſibus diſſipatæ ſunt. optatos por-
tus vna tantummodo oneraria tenuit. Martinus Ignatius Carquicianus
præerat, homo Cantaber, cum propugnatoribus fermè trecentis. Is cognita
Tidorenſium clade, deſtitutam inſulam ſumma accolarum voluntate oc- E
cupauit, ac munijt. Inde inter Ignatium & Garziam, cum conteſtationibus
miniſque nuntij commeare. Molucenſe emporium ambo ſibi iure finium
aſſerebant, & alterum vterque excedere ex ijs locis, ac nihil eius negotiatio-
nis iubebat attingere. Ex hoc, iurgijs primùm, tum etiam prælio leui certa-
tum eſt. Poſtremò induciæ factæ, quoad ea de controuerſia ſuum vterque
conſuleret Regem. Vixdum externi quieuerant motus, cùm inter ipſos Lu
ſitanos tetra viſu, fœda relatu exorta diſſidia. Georgius Meneſius, ſucceſſor
Garziæ, Ternatem aduectus; inter cætera illud habebat ab Indiæ Prætore
mandatum, vt Garziam in reditu per Borneum inſulam curſum tenere,
iterque illud explorare iuberet; quod multo compendioſius Molucas à
Malaca petentibus eſſe diceretur. At Garzias, qui ad Bandam inſulam (qua
vetus erat nauigatio) vnà cum alijs inſtituta mercimonia dudum haberet;
perculſus nec opinato Georgij præcepto; varias excuſationes afferre, tergi-
uerſari, denique omnia malle, quàm negotia priuata relinquere. Et Geor-
gius, ne contra virum pertinacem cum ſuæ dignitatis iactura diutius tende
ret; Garziæ loco Vaſcum Laurentium, virum egregiè fortem ac fidelem,
cum vna caracora, quod nauigij Molucenſis eſt genus, ad ea compendia F
perquirenda proficiſci iuſſit. Hoc inter Garziam & Meneſium ſimultatis
initium exſtitit. Per eoſdem dies, Ioannis Regis nomine edictum eſt, quo-
niam in ſtipendia militum, & arcis munitionem magni ſumptus fierent;
ne cui omnino, præter apothecæ regiæ curatores, aut coemendi ab incolis
caryophylli, aut externis venundandi eſſet ius. Inter ipſos autem curatores,
& magiſtratus vrbis, conuenerat pretium, quo ne pluris vel optimæ fruges
Regi conſtarent. Id monopolium ægrè admodum paſſi Luſitani, quippe
qui mercaturæ impenſius multo, quàm militiæ inſiſterent. Ergo per ſum-
mam impudentiam contemptis edictis, vnuſquiſque venditores ad ſe pri-
uatim allicere, vberiorem offerre mercedem; nullam regij quæſtus, aut pu-
blicæ vtilitatis rationem ducere. Aduerſus ea Meneſius, monitis, precibus,
minis, aliquandiu niti: ſed poſteaquam ſe fruſtra conari, & cupiditatem im-
perio potentiorem animaduertit; ſuo periculo ſapiens eſſe diutius noluit:
remiſſa paulatim ſeueritate, cæterorum exemplo ſuam ipſe quoque rem
agere aggreſſus eſt. Inter hæc, Martinus Ignatius Caſtellanorum dux è vita
migrauit. in eius locum ſuffragio militari ſuffectus Fernandus Turrianus
indignari cæpit, ſuæ cohorti leges dictas à Luſitano; viroſque fortiſſimos,
emenſo per tot pericula tanto pelagi ſpatio, in aliena terra ſedere otioſos.
Cùm eadem alij fremerent, & apertè vociferarentur, vi atq; armis hoſtem

inde

A inde pellendum; Turrianus de communi ſententia rupit inducias; exſtructaque & ornata biremi, hoſtiliter inſectari Luſitanos inſtituit. Contra hoc malum Meneſius vti pari magnitudine actuarium ſine mora pararet, cùm aliunde, tum ex inchoato Garziæ (necdum enim ex ea regione diſceſſerat) iunco, fabros pro imperio accerſit. Id Garzias non neceſſitate, ſed odio ac maleuolentia factum ratus; extemplò ad amicos refert. in ijs erat myſta quidam, conſors eiuſdem negotiationis (adeò ſacratas quoq; mentes amor pecuniæ de recto ſenſu detorquet) cui, modò ne ſordidum lucellum amitteret, nihil erat penſi quid faceret diceretve. Huius maximè inſtinctu Garzias, indignum facinus clamitans, profectionem ſuam ſine cauſa impediri; naualia, vbi tum præfectus agebat, petit infenſus: abductas operas repoſcit; iniuriam acerbè ac vehementer expoſtulat. Meneſius contra; & iure factum tueri, & ipſas temporum difficultates obtendere. Eam excuſationem cùm alter haudquaquam acciperet; magis magiſque accenſi ambo: & inter altercationem prouectus intemperantia linguæ Meneſius Garziam infamiã appellat. Ad eam verò vocem Garzias adeò exarſit; vt ſtricto gladij capulo audacius quàm priuatum hominem decet, præfecto cum maledictis in-
B tenderet minas. Concurſu dein hominum facto, ſedata rixa. tum verò Garziæ ſectatores laudare conſtantiam viri; ſuadere vt in incepto perſiſtat: ſuorum laterum, ſi periculum immineat, oppoſitus polliceri. Contra Meneſiani, Garziæ facinus & impudentiam exaggerare verbis; peſſimi exempli rem nulla mora interpoſita vindicandam; & ſeditioſi vnius capite ſanciendum imperium dicere. Hiſce rationibus adductus Meneſius, miſſo viatore Garziam citat. quo ille ſpreto cùm inſuper vim pararet; iuſto dolore commotus Meneſius, tormenta ex arce ad ędes Garzię diruendas obuerti iubet. Minuit nonnihil ea res ferociam viri. & abiectis in præſentia pugnæ conſilijs (ſic tamen vt in voce vultuque contumaciam cerneres) contemptim obit vadimonium, atque inde ſemet in cuſtodiã dat. Hic amici & fautores Garziæ, licet factum ægerrimè ferrent; tamen quieuêre aliquandiu, rati fore, vt ea ſatisfactione lenitus Meneſius iras poneret; ſolutoq; Garzię tandẽ aliquã do cum ſuis proficiſcẽdi faceret poteſtatem. Sed longè eos fallebat opinio. Vim ſibi propemodum illatam, & imminutam in ſua perſona maieſtatem regiam fremens præfectus, apertè iactabat, ſibi certum eſſe, primo quoque
C tempore vinctum Garziam ad Prætorem Indiæ mittere. Ab ea ſententia cũ à familiaribus deduci nõ poſſet; deprecator adhibitus Aroezius ipſe, ex quo vel maximè tum Luſitani pendebant, nihil omnino impetrauit. Tum Garziani, præcipites iracundia, conſpiratione facta, conſilium capiunt amentiæ plenum; vt hoſtes vltrò ad vrbem aduocent, ijſque vtantur adiutoribus ad opem vincto ferendam. Eo terrore perculſus Meneſius, ne per domeſticas diſſenſiones portam externo aperiret hoſti; occupat eam ipſam rem ſui beneficij facere. Garziam per communes amicos leni caſtigatione monitũ ne pertinaciam adderet culpæ; hortatur vt condonatis Regi optimo inimicitijs, bona fide ſecum in gratiam redeat: quo in ſumma rerum difficultate, communi animo viribuſque rempub. à Caſtellano defendant. Haud incaſſum hortatio adhibita. Victus nec opinata clementia & comitate Garzias agit gratias præfecto: ſi quid vel aliorum impulſu, vel animi perturbatio ne deliquerit, ignoſci poſtulat ſibi: & in poſterum non Regis modò, ſed etiam ipſius Meneſij cauſa in eius poteſtate ſe ſe futurum eſſe confirmat. Iunctæ dein dextræ, & demptis compedibus extemplò Garzias in priſtinum ſplendorem eſt reſtitutus. Læta ea res coniuratis accidit: atque ob id ipſum à proditionis incepto nefario deſtiterunt. Pungere mox cæpit eoſdem arctior in dies Garziæ cum præfecto concordia: nam vt ad Garziam tegendum adiuuandumque, vbi diſcrimen ingrueret, parati erant

omnes

omnes;ita familiarem eius cum Meneſio conſuetudinem oderant, & con- D
ſenſum in bello cæteriſque rebus adminiſtrandis: quippe quibus, militiæ
deſerendæ, atque ad ſuas cuique nundinas abeundi ſpes erat vna, turbidæ
res, & obſtinata ducis vtriuſque diſſenſio. Ergo communicatis iterum con-
ſilijs, reconciliatam nuper amicitiam denuò labefactare & conuellere om-
ni ratione conantur. Varias primùm cauſas offenſionum ferere aggreſſi;&
ad alterum alterius confictas vel querimonias, vel maledicta deferre. Vbi
artibus hiſce parum proficiunt, ad nouum ſcelus adijciunt animum. Ae-
thiops erat quidã, præualens viribus, è Meneſij domo. hunc ingentibus pro-
miſſis adducunt, vti ſe ab hero ad Garziæ cædem ſolicitatũ eſſe mentiatur:
ipſi dein rem per arcanos ſuſurros, quaſi myſterium tradentes alij alijs, ad
Garziam denique detulêre. Qua ille criminatione tametſi commotus eſt; ta
men adduci nequibat, vt inter mutua quotidiani conuictus officia, tam re-
centi præſertim ac tam illuſtri gratiæ reconciliatione, tantum nefas à Me-
neſio conceptum exiſtimaret. Aſt, vbi teſtis idem & index mandati malefi-
cij acceſſit Aethiops; enimuerò, quaſi certa iam re, Garzias & vultu & ani-
mo penitus crimen accepit. ac ratus in eo rem verti, vter facinus antecape-
ret; primò coacta manu interficere Meneſium cogitabat: dein veritus ne ce- E
dis eius inuidiam ſuſtinere non poſſet; comprehendere hominem, & vicif-
ſim in carcerem condere ſtatuit; hortantibus idipſum amicis; & aſſeueranti
bus haud quaquam defutura poſtmodum crimina ac teſtes, quibus premi
reus, ac detineri, atque ad extremum obrui poſſet: interea Garziæ, pro ipſius
auctoritate, compoſitis ad arbitrium rebus, quæ primum nauigandi fa-
cultas daretur, ex reſidua copia non defuturum quem ad nouum vſque
Regis decretum arci præponeret. Hiſce ita conſtitutis, in omnem occaſio-
nem rei bene gerendæ cuncti excubabant. Ac demum Garzias nactus op-
portunitatem, quod Meneſius partem ſuorum ad Maquienum inſulam
cum Aroezio miſerat, vt Caſtellanum ab eo commercio prohiberent; alios
inſuper ipſe ad conuiuium in diem certum inuitandos curauit à Franciſco
Caſtrio quodam ex ſuis intimis, ad Tolocum, qui vicus à Ternate diſtat fer
mè quatuor millia paſſuum. Vbi ea dies aduenit; circa pomeridianas horas,
quod remiſſionis & otij fermè tempus eſt; ſatis comperta cuſtodum infre-
quentia, certos è ſuorum numero in arcem præmittit; qui præfectum luſu
facetijſque detineant. dein cum audaciſſimis aliquot ipſe paruo interual-
lo ſubſequitur. Nulla in introitu difficultas fuit, quippe, aſſueto quotidie F
admitti; & tum defertis planè ſtationibus, & ex patẽte ianua clauibus incre-
dibili ſocordia & ſecuritate ſuſpenſis. Eas coniurati detractas immittunt
ſeræ, foreſque ſilenter occludunt. Inde ad penetralia familiariter intro-
miſſi, accepta & reddita ſalutatione conſidunt. Neque ita multo poſt Gar-
zias Meneſium aleæ intentum repente medium corripit: reliqui, pars duo-
bus, qui fortè ibi aderant, præfecti adminiſtris, ne vociferando tumultum
excirent, ora manibus obſtruunt; pars hærentem in tergo Meneſij Garziam
adiuuant. Erat Meneſius inſigni corporis firmitate, ac tum vires addebat do
lor. itaque per ſummam indignationem exclamanti; lacertiſque, & morſu,
& calcibus diu multumque eluctanti, ægerrimè tandem vincula iniecta; &,
quò tutius adſeruaretur, detractus in imam arcis turrẽ includitur. Garzias
denuò præfecturam vſurpat. Cæterùm neque eius rei ſat probabilẽ in vul-
gus cauſam afferre poterat: & reputans apud ſe atrocitatem facinoris, iudi-
cia nimirum, & offenſionem Regis extimeſcebat. Augebat ſolicitudinem,
quod Meneſiani ad Maquienum, cognita præfecti iniuria, fremere, atq; ad
eam vindicandam propediem affuturi nuntiabantur. His anxius curis Gar-
zias, haud inepto conſilio venundandum ratus quod mox amiſſurus erat,
Meneſium alloquitur; iacentique & afflicto quas vult conditiones impo-
nit; in

A nit; in ijs, vt ſibi ad profectionem (quando iuncus nondum eſſet abſolutus) Petri Botellij nauem attribuat; liceatque ſibi quos velit à Molucis abducere. Ita Meneſius è carcere miſſus, cum libertate gubernaculum recipit. Concio dein ab eodem vocatur. In ea concione queſtus Garziæ perfidiam & latrocinium; conditiones omnes quippe coacto expreſſas, reſcidit: Garziam etiam ipſum comprehendere, & eius bona publicare cupijt. Verùm ille tormentis in arce confixis, ne in abeuntem exerceri poſſent, arreptaque naui, iam vela fecerat. Abſentem ergo Meneſius (quod reliquum erat vnum) perduellionis crimine condemnauit; totamque cauſam teſtato deſcriptam, ad Prætorem vrbis Malacæ tranſmiſit; ac ſimul, feſſis rebus auxilium ab eodem expetijt. Dum ad Molucas in tam varijs ac peruerſis hominum voluntatibus, alterno tanquam acceſſu receſſuque æſtuant negotia Luſitana; interim ab alijs in alia regione præfectis multò commodius acta res eſt. Ad Longum oppidum non longè à Malaca, Mahometani incolæ paucos primò Luſitanos, dein miſſum à Malacę præfecto ad eam rem cognoſcendam Aluarum Brittum, triremi, quam ducebat, exutum, vnà cum ſocijs occiderant. Ad eas vlciſcendas iniurias denique profectus Martinus Correa, triremem recepit; ac magna cum hoſtium cæde captum oppidum concrema-
B uit. Et Ioannes Deza, præpoſitus oræ Malabaricæ, ſecunda aliquot prælia fecit. Zambucis aut paronibus quadraginta octo cum magna Mahometanorum cæde potitus eſt. Idem, aliquot locis deſcenſione facta, prædas abegit: vicos & villas exuſſit. atque exeunte demum æſtate Chinacutiales Calecutanæ claſſis præfectus, quæ ſexaginta paronibus, & magna armatorũ copia conſtabat, ab eodem Deza memorabili pugna victus, cùm ſeſe in mare eieciſſet; inter enatãdum è fuga retractus, haud parua dein mercede in libertatem eſt reſtitutus. Eadem æſtate præter ſpem fuit otium ab Turca. Et Antonius Miranda cuſtos Arabici maris, claſſe in ſtationes idoneas trifariam diſtributa; alias atque alias Mahometanorum naues cum oneribus pretioſis excepit; Armuziamque profectus, prędam in eo emporio vendidit. ex eadem claſſe Mirandæ, ſcapha vna Ciaulum petens, in manus latronum Dienſium incidit. Luſitani ſeptendecim ea ſcapha vehebantur. Comprehenſi omnes, gratum in primis donum Cambaiano Regi ſiſtuntur. Ille Didacum Meſquitam ex eo numero, apprimè generoſum ac ſtrenuum, à Chriſto ad Mahometem allicere blanda oratione conatus eſt. Id verò Didacus
C cùm fortiter ac præcisè negaret; quinetiam vltrò in pſeudoprophetam probra & maledicta ingereret; horribile dictu, in os hiantis bombardæ totus inſeritur, cum grauibus minis, ni extemplò pareat, ignis ab tergo applicandi. Cùm ne hoc quidem terrore de fide conſtantiaque decederet; varijs tormentis excruciatus, in aſperum denique ergaſtulum vnà cum cætero comitatu coniectus eſt. Circa idem tempus ab Cocino profecta claſſis nauium ad quattuordecim, repentina procella, circa oſtium Catuæ fluminis oræ Malabaricæ, ad terram alliditur. Laceris nauibus Luſitani cùm ægrè in littus euaſiſſent; à barbaris aut capti, aut hoſtiliter trucidati ſunt. Eo ſucceſſu inflatus Zamorinus, ad pellendum maris poſſeſſione Luſitanum, nouam claſſem ornauit nauium varij generis centum & triginta. hiſce præpoſitus Cutiales, vir & militiæ peritus, & magna inſuper ſanctitatis exiſtimatione, quod paulo ante à Meca redierat. is intra portum Termapatanum copias continebat; vt in prætereuntem cum exigua manu Simonem Mellum, è ducibus Luſitanis vnum, ex occulto impetum faceret. Ea re cognita Vaſęus Prętor, quã intentiſſima cura intra ſextũ diẽ roſtratas maiores ſex; lẽbos tredecim inſtruxit. Et Antonio Miranda, qui ex Arabia venerat, ad cuſtodiam inſulæ Goę relicto; ad Termapatanũ ducit infeſtus. Tũ Cutiales, pro certo putãs adeſſe Mellũ, è portu raptim egreditur. Concurſũ acriter

initio

initio eſt: procedente dein pugna, Calecutanis (vt ſæpe aliâs) mira diuini- D
tus incuſſa formido. tanto ſuperiores numero nauium militumque, nulla
parte certaminis pares Luſitano fuêre. Interfecti aut capti duo circiter mil-
lia; parones triginta quinque abducti, aut depreſſi: tormenta relata quinqua
ginta circiter. è Luſitanis, diuina ſcilicet protegente clementia, planè deſi-
deratus eſt nemo. Inde magno ſuæ genti decore parto (in conſpectu enim
Cananoris vrbis hæc gerebantur, omni ad ſpectaculum effuſa multitudi-
ne) Prætor ad populandum Malabaricum littus victrici claſſe contendit.
multis ibi nauigijs repentino aduentu ſubditæ faces; palmeta ſucciſa; mor-
tales varijs locis aut cæſi, aut auecti. Sed in Catuam præcipuè vicum, impo-
ſitum eiuſdem nominis flumini, ab ira malè acceptæ nuper naufragæ tur-
bæ, ſæuitum eſt. ferro flammiſque cuncta deleta. Ab ea ſtrage, claſſis ad Por
cam eiuſdem oræ proceſſit. Locus erat opportunus, & æſtuarijs à mari præ-
clarè munitus. Et dynaſta, qui patrio nomine Arel vocatur; prædatorijs na-
uibus haud exiguas opes eò congeſſerat. Huius auaritia ſimul & inconſtan-
tia, quod ab Luſitanis paulo ante ad Zamorinum defeciſſet, Prætor incen-
ſus; expoſito militi prædam edixit. Ea verò mercede propoſita, nullæ palu- E
des, nullæ voragines militari cupiditati obſtiterunt. per vias & inuia cun-
cti enituntur. Et quod per eos fortè dies Arel cum iuuentute in expedi-
tionem abierat, ſine vllo certamine, quod vix optare eſſent auſi, potiun-
tur oppido, atque ad prædam ſecuri diſcurrunt. In ædes Arelis præcipuè
impetus eſt factus. magna indeſignati vis auri, & argenti, gemmarumque,
& pretioſæ ac peregrinæ veſtis exhauſta. ac prænobiles fœminæ duæ, Are-
lis vxor, & ſoror, monilibus & margaritis regium in morem excultæ, de-
tractis ornamentis, in ſeruitutem abreptæ; quibus Arel poſtmodum ingenti
ſumma redemptis, ad Luſitanorum ſocietatem & amicitiam precario re-
dijt. Ab ea populatione nauibus Goam reductis; à Franciſco Pereria Ciauli
præfecto nuntij trepidi cum litteris affuêre; Dieſem claſſem bene magnam
in eo tractu vagari: Ciaulanam arcem perexiguo teneri præſidio: ni prope-
rè ſubuentum ſit, ingens ab hoſte periculum imminere. Aduerſus eum ter-
rorem extemplò Prætor naues variæ magnitudinis quinquaginta duas, &
in ijs duo millia bellatorum eduxit. Vbi Ciaulum eſt ventum; per explora-
tores cognoſcit, hoſtem ad quatuor inde leucas abeſſe. biremes erant qua-
tuor & ſexaginta, milite, remige, tormentis inſtructæ. Mahometanus Hali F
præerat. Contra eas copias Prætor, intentus vltimæ dimicationi, ab Ciaulo
ſub veſperam prodijt. Hectorem Sylueriam actuarijs præpoſitū, orā quàm
proximè legere iubet: ipſe cum maioribus nauibus altum tenuit, claſſe diui
ſa, quò minus hoſti pateret effugium. Atque illo die, tenebris iam immi-
nentibus, nihil eſt actum. pugna tantùm in diem inſequentē edicta. & quo-
niam præcipua in dextris erat ſpes, mandatum nauarchis, ne tormenta in
hoſtem emitterēt, priuſquam è propinquo manus conſerere ſe poſſe diffide
rent. Præmium pronuntiatum, qui primus nauem hoſtilem inuaderet, au-
rei centum. Simul, quò magis propitium haberent Deum, peccata Luſitani
per confeſſionem expiarūt. Vbi poſtera illuxit dies, ad Bombainum ſinum,
applicita promontorio Mahometana claſſis apparuit, cognito iam Præto-
ris aduentu, ad certamen parata. Triplex erat agmen. primum & medium
minores præfecti, poſtremum Hali ducebat. Inde mutuo conſpectu irrita-
tis animis, vti ad bombardæ ictum eſt ventum: tormentis, quibus iam tum
abundabant Mahometani extemplò rem gerere. Luſitanus, quemadmo-
dum imperatum erat, ſuperſedere iaculis; perque volitantes globos ac fu-
mi nebulas omni conatu ad hoſtem appropinquare. Inter hæc, ne barbaro,
ſi de more fugam arriperet, ab tergo receptus daretur; circumuecti ſilentio
nauarchi octo Maini fluminis oſtium occupant. & ex altera parte com-
miſſo

A missò prælio, primus Antonij Fernandi lembus in hostilem biremem incitato remigio illatus, durioris materiæ repercussu longè resilijt. ex eo lembo vnus Franciscus Barrius Paiua in ipsam biremem transilierat primo statim in cursu: destitutus, cùm telis vndique peteretur; tumultuosæ pugnæ procellam, ad suorum vsque reditum, summa cum omnium admiratione sustinuit. Certatim dein transcensum ab alijs est. ac Barrio seruato, dum instant perculsis, inter ipsam fortè dimicationem sulphurei pulueris olla ex ipso carchesio decidit; conceptisque repente flammis, tabulatum omne à malo ad puppim cum superstãtibus in mare proiecit. inde sine labore, semiusta biremi Lusitanus potitur. Neq; minus acriter interim à Sylueria cæterisque conserta manu res geritur. Multi è barbaris, aut intra naues, aut in ipsis fluctibus cæsi. Cæteri, vt inclinatam rem vidêre, passim in fugam effunduntur. neque multum in ea præsidij fuit. Maxima pars, intento ad Mainum amnem cursu, in stationem hostium incidunt. ita, ex vniuerso numero biremes in medio deprehensæ quadraginta sex, cum omnibus tormentis in potestatem venêre; flammis absumptæ tres; quatuor à Maino exclusæ, cùm Nagotanem oræ Ciaulanæ subijssent; ab accolis Indis oppres-
B sæ. Hali dux ipso pugnæ initio, posteaquam collato pede certandum animaduertit; diffisus suorum virtuti, præceperat fugam: ac primò flectere promontorium instituit; dein segni vento æstuque reciprocante detentus, leuiore arrepto nauigio Tanaham, atque inde Bazainum oppidum petijt. fugientem biremes aliæ sex inter tumultum adeptæ. E Lusitana classe, iterato miraculo, non modò nauis, sed ne vir quidem vllus amissus. Quod si cui fortè incredibile videatur; Fernandum Lupium historicum interroget (nam alij auctores nondum exstant) quippe is non solùm æqualis eorum temporum fuit; sed etiam ad hæc ipsa commentanda Indiam sese consultò peragrasse testatur. Equidem, & ex alijs id genus euentis, quæ multa iam ante retulimus, facilè adducor vt rem ita se habere concedam; & quæ in diuinam haud dubiè potentiam referuntur; non est cur humanis laudibus afficta videri cui iam debeant. Cæterùm Diensibus audita clades, mistum pauore luctum ingentem fecit: constansque opinio est, si protinus ab Hali fuso, Prætor Dium processisset; primo aduentu capi oppidum potuisse. Neque in eam rem Vasæo consilium aut animus defuit; sed partim successoris aduentantis fama retardatus; partim interces-
C sione minorum ducum atque obtrectatione deterritus; omissa re, naues cum ingenti præda Goam reduxit incolumes. & quando foris aliorum culpa non poterat; domi certè, Lusitanam rem omni conatu promouere perrexit. Atque è portorio & scriptura multis iam ante fraudibus ac rapinis, magno commeantium bono sublatis, deinceps in administrationem rei nauali s toto pectore incubuit; vt paratas haberet successor maritimas copias, si, vt pro certo putabatur, ad expeditionem Diensem animum adiecisset. Ergo, adhibita diligentia, paucis mensibus classem ornauit, quantam raro aliâs habuit Lusitanus, nauium centum & triginta sex. in quibus erant rostratæ celsiores quatuordecim; triremes quas vocant regias, sex; celoces octo; dromones sex; biremes aut lembi, duo supra centum. Inde ad ædificia & sarta tecta conuersus, in Armuziana arce nouum è regione portæ propugnaculum exstruxit; muros ac templum instaurauit. Ciauli, intimam turrem, vbi præcipua quæque adseruantur, maiorem in altitudinem extulit. portum, qua descensus in oppidum est, quadrato lapide munijt, & duo armamentaria facienda curauit. Goæ partem mœnium ad mare versam expleuit; & ædem vrbis maximam dudum inchoatam absoluit; & Frãciscanum cœnobium nouo tegulo operuit. Cananore, puteum, de quo inter obsidionem acriter dimicatum fuisse docuimus; perducta fossa, ca-

ſtelloque ad labrum foſſæ excitato, intra munimenta complexus eſt. nec D
non arcis mœnia labefacta refici; & præfecti domum & apothecam amplificari iuſſit. Itemque Cocini quæ pars ad mare vergit, armauit mœnibus turribuſque, & alia non pauca peropportunè ad eas munitiones adiunxit. ac demum, debitis militi trecentorum millium aureorum ſtipendijs cum fide & cum gratia perſolutis; prouinciam optimè conſtitutam explicatamq; ſucceſſori Nonnio Acuniæ tradidit. Is, anno priore, magnis nauibus vndecim, & Luſitanis epibatis ter mille Oliſipone profectus, magna parte nauium infortunijs amiſſa, circa Melindem aduerſis tempeſtatibus hyemare coactus erat. aſperum littus & importuoſum habet Melinde. tutior longè ad Mombazam ſtatio. Ea ſtatione prohibitus ab tyranno (ad quem ob id ipſum oratores præmiſerat) expoſito milite ſe ſe ad oppugnationem parabat. Neque auſi certaminis aleam ſubire Mahometani; raptim defoſſo quod pretioſum erat, vnà cùm tyranno profugiunt. Luſitani ſine ſanguine oppidum ingreſſi, quod reliquum erat è ſuppellectili cibarijſque, diripuêre: atque exacta demum hyeme, ac refecto milite nauibuſque, Nonnius Armuziam venit. Ibi, ex Ioannis auctoritate Rafus rector olim Zeifadini pueri; vir facinoroſus ac ſubdolus, in vincla con- E
ijcitur. Ea re commotus Bardadinus Rafi cognatus, is qui Baharenum inſulam beneficiario nomine obtinebat, ab Armuziano Rege deſciuit, probabilem cauſam nactus, quod Rafus intra ædes regias fuerat comprehenſus. quæ res tametſi planè inſcio acciderat Rege; tamen id ipſius iniuſſu Luſitanos auſos perſuadere ſibi non poterat. Ergo iracundia in Torum accenſus, intra arcem egregiè munitam ſeſe cum coniugibus, liberis, pecunijſque receperat: ac ſtipendium Armuziano palam abnuebat. Ad eum opprimendum miſſus ex fœdere Simon Acunia cum nauibus ſex, & militibus haud plus trecentis; aduerſo vento diu detentus, ad portum denique Bahareni defertur. Sub eius aduentum Bardadinus non tam præſentis claſſiculæ metu, quàm ne in poſterum aduerſus ſe Luſitanica arma conciret; candidum vexillum petendæ pacis in muro ſtatuit; ac ſimul per interpretem Acuniæ nuntiari iubet, ſe ab Armuziano iuſtis ac pijs de cauſis diſſidere: cum Luſitanis verò nullas exercere inimicitias; quinimmo, quoniam ab Toro ſtent, paratum ſe in Ioannis Regis gratiam cum ſuis rebus abire, arcemque ijs vacuam tradere. Haud aſpernabatur conditionem Acunia: ſed militum clamoribus, qui prædæ ſpe illecti, coercendum vti- F
que rebellem, & ſaltem pecunia mulctandum fremebant, ab ſalutari ſententia abductus; vnam pacis rationem eſſe reſpondit; vt Bardadinus & cæteri cum ſingulis dumtaxat veſtimentis excederent. Tum ille candido vexillo appoſuit rubrum: vti ſe æquè ad bellum atque ad pacem (quando ita vellent) animatum Luſitani ſentirent. Erat Acunia, præter paucitatem copiarum, à bellico etiam inſtrumento flagitiosè imparatus. Ergo ſuorum conuitijs coactus exſcendere, cùm admota bombarda muros quatere inſtituiſſet, vix toto vertente menſe tormentarius eum puluis defecit. & Arabes, cùm pro muris dimicando, & obſtruendo obmoliendoque vbi quid perforatum aut dirutum erat, acriter obſtitiſſent; tum verbis inſuper Luſitanorum temeritatem, & conatus irritos eludebant. Bardadinus quidem, adeò ſe metu omni vacuum præbuit; vt Luſitanis perquàm amico ſuaderet animo, integris rebus abirent: quippe & oppugnationem infeliciter experti; &, ſi obſidione incluſos vrgere perſiſterent, ab ipſa regionis & cæli intemperie; grauiores etiam quàm ipſe vel pertinaciæ pœnas daturi. Neq; vana fuêre prædicta. & loco graui, & caloribus maximis, cũ arena vehemẽtiſſimo Solis ardore æſtuaret; ad hæc, odore tetro, ingruere morbi in milites cæperunt. breuiq; adeo graſſata peſtilentiæ vis; vt

A vis;vt ex omni numero vix triginta ad arma ſuſtinenda ſufficerent. Neque hæc Bardadinum fallebant:qui,ſi vti occaſione voluiſſet;ſtratos paſſim opprimere ac delere facili negotio potuit.Sed partim Ioannis demerendi gratia, ab eruptione continuit ſuos;partim etiam ne Luſitanorum clades, propinqui ſui Rafi capite lueretur. At Simon Acunia, in ſumma rerum deſperatione,cùm aliquandiu hæſiſſet;ad extremum,omiſſo incepto proficiſci conſtituit.Non longè à mari poſuerat caſtra. ac nihilominus tanta erat lues, vt cùm baiuli & iumenta deeſſent;ægrotos,iniecta pedibus reſte, veluti cadauera ad naues pertrahere valentiores pauci cogerentur.ac Simon ipſe,impoſitis admodum ægrè tormentis,cùm vela feciſſet; ab dolore malè geſtæ rei paucis diebus extabuit.Circa idem tempus,Hector Sylueria, dum Cambaianos agros circa Nagotanem flumen effusè vaſtat, ac vicos incendit; ab Regis præfecto,qui cum ſexcentis equitibus, & duobus millibus peditum propinqua oppida tuebatur;retrò ad naues compulſus eſt. Cęterùm nihil turpitudinis in receptu fuit.Tenorem pugnæ ſeruantes Luſitani,cùm agmen Sylueria clauderet,ad littus peruenêre. Vnius etiam (cuius immeritò intercidit nomen) in eo tumultu inſigne facinus exſtitit. Is, par-
B ma haſtaque extra ordinem pugnans, infeſtum conſpicatus equitem in ſe venientem; manſit intrepidus: tollentique ad vulnus brachium, vltrò ipſe ferrum in axillam adegit: ac fuſo ex ephippijs hoſte, victor equo potitus eſt.Nec mora.nouus repente eques è pedite, cum alio item, haud abſimili euentu,concurrit.per medium pectus,nequicquam obſtante lorica tranſfixum,humi præcipitat.apprehenſum habenis equum, ad Syluerium præter omnium ora ſine vlla trepidatione perducit.Neque,ad incitamentum aliorum,tam ſtrenuo bellatori præmium defuit. Equeſtribus inſignibus ab duce, virtutis ergo, donatus, atque à Prætoribus Indiæ præcipuo deinde in honore ſemper eſt habitus. Ab ea populatione Sylueria legens oram, ad Bazainum oppidum aduerſo flumine ſubijt. is locus tria circiter millia paſſuum diſtat ab aperto mari; ac tum ſine arce aut mœnibus erat vllis.tantùm ad flumen, qua è nauibus in terram exſcenſus eſt, lignea munimenta & aggerem cum propugnaculis tribus, tormentis ſexaginta, barbari obiecerant. Præſidebat è prælio nauali nuper elapſus Hali cum tribus peditum millibus, & equitibus grauis armaturæ quingentis. atque ad eas tuendas munitiones parte copiarum relicta, cum re-
C liquis ipſe intra oppidum occultè conſederat, vt ſi vallo ſuperato Luſitani ad frequentia tectis loca proueherentur; in arcto deprehenſos, vel etiam ad prædam palatos opprimeret. Sylueria, admotis ad littus nauibus, cùm ex omnibus locis pugnam poſceret miles; Canarinos ducentos ad primum hoſtium impetum frangẽdum præmiſit. ſubſequuti mox Luſitani cum ingenti ardore, obuijs in aduerſa tormẽta pectoribus, ad ipſas munitiones celeriter euasêre. ibi atrox fuit prælium: dum ſaxis partim ac ſagittis, partim etiam contis & gladijs barbari obſtinatè reſiſtunt. Sed ad extremum vndiq; pulſi, ad tecta refugiunt;& Luſitanus vallo potitus cùm tergis fugientium inſtaret, eodem impetu ad vrbem defertur. Tum Hali dux cęterique ex inſidijs præpropera feſtinatione conſurgunt. neque Syluerię in re ſubita defuit animus. dato repente ſigno, milites ex vrbe in campum eduxit. ibi denſatis ordinibus impauidi hoſtem excipiunt. Et Hali ratus fugere Luſitanum, cataphractos primùm immiſit: quæ res barbaris fuit exitio. ſiquidem Luſitani fiſtulatores plumbeo nimbo in equitatum effuſo (quo tum miſſili barbaria carebat, maiora tantùm tormenta conflare didicerant) equi & ad fiſtularum bombos pauore conſternati, & vrentibus introrſum globis in rabiem acti, domitis frænis in ſuos auertuntur;atque in perturbata peditum acie tanto maiorem ſtragem dedêre, quanto magis in orbem ſine

intermissione fistulas exercens ab tergo Lusitanus instabat. inde haud ma- D
gno certamine cuncti fugam arripiunt: neque pugnam instaurare deinde
quisquam est ausus. Tum Lusitani direpto oppido flammas injciunt: ac de-
inceps omnem circa regionem ferro atque igne peruastant. eo metu, maris
accolæ ad interiora compulsi: Tanahensis verò dynasta finitimus, annuo sti
pendio impositio in fidem acceptus. Per eosdem fere dies, intra ostium Cia-
les amnis oræ Malabaricæ, Calecutana ingens nauis latebat, opimis onu-
sta mercibus, cursum ad Mecam exspectans. hanc parones duodecim, tripli
ci ordine, validis retinaculis inter se conserti, & crebris à fronte & vtroq; la-
tere tormentis instructi, pro muro atque aggere tuebantur. Ea re cognita
Antonius Miranda, qui eam regionem classe obtinebat, adiuncto Christo-
phoro Mello, qui cum vnà triremi & sex lembis ab Goa nuper accesserat; du
plici agmine ab vtraque parte fluuij ad hostem subijt. Tormentis primùm
eminus vtrinque certatum. dein cum primo paronum ordine congressi co
minus Lusitani, tanto ardore prælium iniêre, vt non ferentes impetum
barbari se se partim in mare præcipites darent; partim in secundum ordi-
nem haud magno interuallo se se reciperent. Sed ne ibi quidem terri.
tis consistere licuit. Circumuenti extemplò omnes, vel incendio exusti, vel E
ferro cæsi, vel in seruitutem abducti sunt. è paronibus item arsêre quatuor:
reliqui simul cum oneraria mercibusque in potestatem venêre. Inde Mi-
randa populatus agros, nemine obuiam armato, onustum spolijs militem
in naues recepit. Fama dein repente accidit, Calecutanos aduentare paro-
nes circiter quinquaginta. Cum ijs haud procul à monte Formoso
quem appellant, prosperè dimicatum est. Paronibus quatuorde-
cim non sine magna hostium cæde captis, fugatis reliquis,
cum ingenti æquè terrestri ac nauali præda, Chri-
stophorus Mellus Goam, Antonius Mi-
randa Cocinum in hyberna
concessit.

Libri noni Finis.

HISTO-

A

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER DECIMVS.

AT Nonnius Acunia cum ſolennibus cæremonijs & ſupplicationibus inito magiſtratu (is fuit annus apertę Indiæ trigeſimus ſecũdus) nouos de more præfectos, ad obtinenda præſidijs maria deſtinauit. In ijs Antonium Sylueriam cum nauibus longis quin

B quaginta tribus, & Luſitanis epibatis nongentis, è quibus erant fiſtulatores quadringenti, Cambaiam bello vrere, atque omni clade vaſtare iuſſit. Hectori Syluerię, ad Arabici freti cuſtodiam, roſtratas celſiores quatuor, dromones duos, quatuor lembos attribuit. Oræ Malabaricæ, Didacum Sylueriam cum duabus biremibus, dromone vno, ſex lembis præfecit. itemque alijs alia munera ex regijs commentarijs delegauit. Ab ijs vario euentu geſtæ res. Antonij Sylueriæ præcipuum decus inter omnes fuit. Is, cum ea quam dixi manu profectus ab vrbe Goa, Ciaulum tenuit. inde Rainelum Cambaię petit infeſtus. Mahometani oppidum habent, ex eorum genere quos Naiteas appellant. Campeſtris eſt locus, quattuor circiter à mari leucas, amni adiacens tortuoſo, qui, propter tenuitatẽ, leuiora duntaxat nauigia patitur. Ager circa, frumenti & oryzæ ferax, multa inſuper in lautiores dapes abundat alite; & incolæ, accipitrum genere, quos vulgo falcones vocamus, aucupium ſcienter exercent. Oppidum, ædificijs è polito lapide, & multiplici contignatione frequens, non modò propter ſoli vbertatem, ſed etiam propter opulenta Sinarum commercia, ſcatebat ea tempeſtate omnibus diuitijs, & egregiam bello iuuentutem iuxta in terreſtres,

C ac nauales expeditiones præbebat Regi. Præcipuum tamen (vt in plana ac fertili regione) robur in equitatu, quo fermè cataphracto, more Perſarum vtuntur. & cùm nulla pars corporis ad vulnus patet; tum ad feriendum hoſtem pugione præcincti equites, bina vel terna ſpicula geſtant manu; & prẹter hæc, ex ephippijs arcus & pharetra ſuſpenditur. Sylueria ad fauces flumi nis claſſe delatus, maiores naues cũ ducentis armatis in ſalo reliquit. Ipſe caturibus cũ cætera manu ſubuectus; Surratum oppidũ, metu incolarũ deſertum, ex itinere incendit. ac Rainelani, tum agreſtiũ fuga, tum fumãtibus tectis admoniti, quod mœnibus carerent; ad amnis ripam, atq; ad oẽs viarum aditus munitionibus raptim excitatis, maiora tormenta & militũ ſtationes opponũt. Inde in Luſitanos cum ingenti clamore ac tubarũ ſonitu appropinquantes, horrifica vis telorum emiſſa: cæterùm propter ipſam nauigiorum humilitatem nocuit nemini. Simul, ad prohibendum deſcenſione hoſtem, equites prodierant circiter quadringenti. hos, præmiſſa fiſtulatorum cohorte, Sylueria, territos facili negotio intra oppidũ repulit. Tũ egreſſi in terrã cẹteri, ſubmiſſis identidem ex arte corporibus vitabũdi, nemine prorſus amiſſo, ad ipſa tormenta ſuccedunt; ac pede collato, ardentibus animis ineunt pugnam: quam aliquandiu ancipitem oppidani fecêre, dum in arcto conglobati, pro tectis ac focis egregiè dimicãt. Sed ad extremum valida

impreſſione facta Luſitanus intra munitiones irrumpit: neque ſuſtineri vl- D
tra impetus potuit. pulſi è ſtatione barbari, & decumanę vię faucibus captis,
ex omni dein parte fugam capeſſunt. Sylueria victor, hoſte profligato, ſuos
ignaros locorum ab inſequendo cohibuit: cuſtodijſque contra ſubitos in-
curſus ab continente diſpoſitis; diripiendi oppidi ſignum dat. in omnes
partes extemplò diſcurritur. nitidiſſima ſuppellex; &, præter pecunias, mul
tum eboris nobiliumque vaſorum, & varij generis pretioſæ mercis egeſtũ
eſt. Expleri quãuis auidus prædæ miles potuit, ſi catures oneri ferendo fuiſ-
ſent. ſed veritus Sylueria, ne immodico pondere mergerentur; cæteris opi-
bus ac tectis inijci flammas, & hoſtilia tormenta, ex ære omnia, in medium
fluminis alueum proijci iuſſit. Ad hæc, naues incenſæ viginti, & cotiæ, quas
vocant, multæ, mercibus & commeatu, cæſaque materia in ædificationem
onuſtæ. Neque minus atrociter in villas, hortoſque & ſata ſæuitum eſt. Ple-
raque, vt ne veſtigium quidem exſtaret, ignis abſumpſit. Ea clades om-
nem latè regionem terrore compleuit. & Luſitanus, victoria vſus, impe-
tu eodem oppida vicina, Damanum, & Agazinum, vicoſque ignobiles
complures quaſi procella peruaſit. Inde cum ingenti præda & magno cap-
tiuorum numero, in Bombainum inſulam recepit ſeſe: atque ibi, dum à E
Tanahenſi dynaſta, alijſque exigit tributum, aliquandiu ſubſtitit. Hæc ea
æſtate ab Antonio Sylueria geſta. Eodem tempore Cambaiæ Rex cum
Nizamaluco per præfectos gerebat bellum. ij, cùm è Ciaulanis maximè fini
bus agerent prædas, aduerſus eam peſtem, oppidani, à Pereria Ciaulanæ ar-
cis præfecto, ex fœdere opem efflagitant. ille cum paucis equitibus pediti-
busq; inconſultè prouectus, multo maiores ac paratiores in hoſtium copi-
as incidit: & pleriſque ſuorum amiſſis, diſſipatis alijs, ipſe trepida fuga vix in
arcem euaſit. ob eam rem à Prætore Nonnio præfectura deiectus, inque or-
dinem, haud leui apud Luſitanos animaduerſione redactus eſt. Interea
Malabaricæ regioni præpoſitus Iacobus Sylueria Calecutum petierat iuſ-
ſu Prætoris, vti coram commodius ageret de conditionibus pacis; cuius
haud mediocriter cupidum ſeſe denuò Zamorinus oſtenderat. Vbi eò per-
uentum eſt, immutato repente animo barbarum, nouis aliorum fœderi-
bus illigatum, & à ſocietate Luſitana prorſus alienum offendit. Ea ne impu
nita eſſet leuitas, ignem Sylueria tectis immitti, & oppidanos, qui ad extin-
guendum accurrerent, miſſilibus è claſſe impeti iuſſit. vtrumque impigrè
factum. & incendiariæ ollæ in proxima coniectæ ædificia, & è nauibus tela F
in concurſantem ignis opprimendi cauſa multitudinem mittebantur: atq;
vti aridam ſimul & valentem materiam flammæ occupauerant; deleri pæ-
ne tota vrbs potuit, ſi modò paulum adſpiraſſet venti. Cæterùm per aeris
tranquillitatem præcipuè ſtetit, quò ne plus ducentæ ædes arderent. Inde
Sylueria populabundus, ad omnia maiorum fluminum oſtia nauium ſtati
onibus collocatis, quod è Luſitana re imprimis erat, egregiè obtinuit; ne
quid eo anno Malabaricæ frugis Mecam tranſuehi poſſet; & Mahomerani
mercatores, excluſi temporibus, impoſita iamdudum in naues onera mag-
no cum detrimento ibidem exponere; naueſque propter hyemem ſubdu-
cere ſunt coacti. Hiſce rebus peractis, Sylueria, nouis ab Goa copijs auctus;
Mangalorem, oræ Narſinganæ opulentum emporium, arcemq; emporio
coniunctam, vi atque armis adortus, expugnat. Prædiues negotiator eum
locum habebat in poteſtate. is, cùm iamdudũ lateret ſub vmbra Luſitanæ
amicitiæ, occultum cum Zamorino percuſſerat fœdus; ac mutua colluſio-
ne Calecutanas merces, cùm ius ab Luſitanis nauigandi impetraſſet, ſuo no
mine in Arabiã tranſmittere conſueuerat. Ea fraude comperta Luſitani ca-
ptum oppidum arcemque diripiunt; ad ſexaginta maiora tormenta, & æ-
ris Cyprij, coralij, argenti viui, purpureæ & bombycinæ veſtis, itemque tor-

menta-

A mentarij pulueris,& varij generis commeatuum,quantũ nauigia pati pote
rant; auectum: cæteræ gazæ, vnà cum ipſis tectis muriſque, ſubditæ faces:
quod flammis abſumi nequiuerat, ferramentis exciſum. naues tredecim
concrematæ:nihil in agris frugiferum, nulla felix arbor in hortis relicta;
multi mortales aut capti, aut occiſi. Dynaſta ipſe,deſperatis rebus, cùm in-
ter tumultum elaberetur;plumbea glande traiectus occubuit. Per eoſdem
ferè menſes,quibus hęc in India gerebantur,in Arabico littore noui motus
exorti. Turcica mancipia duo, Muſtafa quidam peritus rei bellicæ, & Sofar
Chius natione,ſed oriundus ab Italia, Quæſtor Aegypti, Solimano prefecto
per fraudem interempto, & grandi interuerſa pecunia; cum militibus fer-
mè ſexcentis Suezium petunt;comprehenſiſque in eo portu nauibus, in A-
rabiam,expugnandi & obtinendi Adeni cauſa traijciunt. Caſtris loco ido-
neo poſitis,maior in dies multitudo ad famam belli,ac prædæ ſpem, è vici-
nis regionibus affluebant. Inde,cùm quintum iam menſem tormentis Ade
ni mœnia quaterent;& intenta cuſtodia commeatus arcerent; Luſitanę de-
mum claſſis aduentu deterriti,quam Hector Sylueria ducebat;irrito incep-
to ab obſidione diſcedunt.& Sylueria,circa Aromata promontorium,one
B rarijs aliquot haud incruento certamine captis,poſtremò Adenum acceſ-
ſit:liberoque mendacio abuſus,Regi nuntiari iuſſit;ſeſe,cognito vrbis diſ-
crimine, ſine mora,ne Turcæ pedem in Arabia figerent, inſtructis egregio
milite nauibus,adueniſſe, paratum prælio dimicare; Turcaſque inde per
vim expellere;ni ſpõte ipſimet,eo perculſi metu,abſcedere maturaſſent.De
in pluribus exſequẽdo,poſt occupatam à Turcis Aegyptum,& finitimas A-
deno terras, quantum ab immani & inexplebili gente periculum vniuer-
ſæ inſtaret Arabiæ; ac ſimul in poſterum Luſitanas opes & auxilia pollicen
do;Regem & recenti obſidione fatigatum, & ſuis in præſentia diffidentem
rebus, haud magno negotio perpulit, vt aliorum exemplo in Ioannis Ter-
tij fidem ſolenni cum iureiurando veniret. Fœderis conditiones fuêre,
vt Adenicis nauicularijs inſtitoribuſque, omnes in partes, vna Meca ex-
cepta, commeare liberum eſſet; Regemque ac regnum, Luſitani, quo-
ties tempora exigerent,ab hoſtibus tuerentur. Rex Adeni viciſſim, Luſita-
niæ Regem patronum ac defenſorem agnoſceret;eique tributi nomine in
ſingulos annos dena ſerafinum millia Armuzianæ monetæ perſolueret. In
has maximè leges iuncta ſocietas;& ſerafini millequingenti extẽplò ab Re-
C ge curati ad coronam auream Ioanni in Armuzia vrbe fabricandam, quæ
ſtipendij primitiæ in Luſitaniam primo quoque tempore mitterentur. Cę-
terùm profecto inde Sylueria, barbarus metu ſolutus,ad ingeniũ redijt. &
coalitam nuper amicitiam,ac fœderum ius, inexpiabili facinore violauit,
onuſtam pipere nauem Luſitanam,quæ in Adeni portum ſecura decurre-
rat;cœcus auaritia,& vetere in Chriſtianos odio,circumuentam repente di
ripi,& Luſitanos omnes,quique ea vehebantur naui,quique in Adeni em-
porio relicti ab Sylueria fuerant,per ſummum nefas ſpoliari,& interfici iuſ
ſit,magnamq; ſibi pecuniæ ſummam eo ſcelere peperit. Cùm hæc cis Cori
promontoriũ fierent;in Molucis inſulis hoc pacto ſe habebãt res. Euerſam
ab Garzia vrbẽ, Tidorẽſes,adiuuãte Caſtellano, haud magna mole, quippe
è lignea materia folijſque, refecerant:& in defuncti Almanſoris locũ ſuffe
cerant adoleſcentulum(quo nomine,quibuſue parentibus, nihil traditur)
is dum ad puberẽ peruenirет ætatem,tutela regni penes Radem erat Cacilẽ.
in eadem inſula Caſtellani exſtructum iã ante ab Ignatio ad portus fauces
propugnaculum,arcis inſtar,vallo & foſſa munierant. Cæterũ è trecẽtis bel
latoribus ad centum fermè varijs redacti cladibus, cùm alijs, vt in tam lon-
ginqua regione,difficultatibus,tum paucitate maximè laborabant. Eadem
Luſitanos quoq; premebant incommoda; verùm eo meliore conditione,

quod & ab ſuis ipſi colonijs emporijſque aberant propius ; & Boleifis de D
mortui Regis liberos omnes (vti ſupra demonſtratum eſt) obſides inſulano
rum fidei, incluſos intra arcem habebant. Sed huic locorum opportunitati,
hominum induſtria, & publicæ rei ſtudium deerat. ſiquidem neque à Mala
ca iamdudum, neq; ex India, quaſi nullæ iam eſſent inſulæ Molucæ, quic-
quam vel in ſupplementum, vel in alimenta, vel in ſtipendia militum ad-
uehebatur ; ipſo vel in primis eam negligentiam demirante Aroezio: &
Georgius Caſtrius à præfecto Meneſio ad Bandam inſulam miſſus, vt in eo
emporio, quod Molucenſi diœceſi erat contributum, pecunias mutuas ab
Luſitanis, qui ibidem negotiabantur, & militares viros aliquot Regis nomi
ne ſumeret; ſpernentibus iuſſa mercatoribus, nihil omnino impetrauit ; ac
per idipſum tẽpus Tidorenſes pauci admiſtis Caſtellanis eadem loca petie-
rant ad ſolicitandos populos, atque ab commercio Luſitano auertendos.
ij, in circulis cœtibuſque magnitudinem Caſtellani imperij vireſque iactan
do; Luſitanę verò ditionis fines & copias eleuando verbis, & vtraque regna
comparando inter ſe; haud paruos ad præoptandam potentiorum amiciti
am in ea gente motus animorum fecêre. Caſtrius æmulos ac ſeditioſos cõ-
prehendere caſſo labore conatus, Ternatem, vacuus nummis & commea- E
tibus, deſertiſſimo comitatu reuertit. Ita, Meneſio quoque, in magna re-
rum inopia, fluxaque gentium fide, ex omni numero paulo plus centum &
triginta Luſitani ſupererant. Deleri à barbaris vtraq; natio potuit, ſi cõmu-
ni conſilio ad facinus conſpiraſſent. Sed ſordida lucri cupiditas, & ciuile o-
dium ad mutuam perniciem præceps, ad tutelam publicæ libertatis incau-
tum, adeò diſtrahebat animos, vt diſcordes infenſique inter ſe, domeſticis
certaminibus externa fouerent arma. Ab Luſitano Ternatenſis; ab Caſtella
no Tidorenſis iamdiu ſtabat: porrò ad Ternatenſem Bacianius, incertum
quas ob cauſas immutata in ſucceſſorem Almanſoris voluntate ; ad Tido-
renſem Catabrunus Geilolij regni procurator, puero admodum eo quoq;
Rege, ſe adiunxerant. inter vtranque partem, ducibus Europæis minuta prę
lia ſerebantur. Sed ex omnibus maximè bellum ciebat Geilolius, ſpe con-
cepta inter eos tumultus imperij proferẽdi; cuius rei facultatem quietis re-
bus cernebat nullam. Mauricæ ſunt aliquot inſulæ, de quibus ante dictum
eſt. Morum vulgo omnem eum tractum appellant. Harum partẽ cùm ſin-
guli obtinerent Reges, quod in primis opulenta eſt terra, mutuò ſeſe inde
pellere conabantur. Ea res, ad euertendum Tidorem, ne receptum vltrà æ- F
mulis daret is locus, aditum denuò Luſitanis aperuit. Quippe in eam ipſam
expeditionem, vt fines Ternatenſium inuaderent, Rades & Geilolius cum
ſua vterque claſſe in Mauricas profecti, Caſtellanis adſumptis circiter quin
quaginta, Tidorenſem vrbem arcemque cum imbelli plebe, & præſidio Ca
ſtellanorum haud amplius quadraginta reliquerant. Ea re comperta Mene
ſius, confeſtim arce Gomezio Ario cõcredita, centum & viginti Luſitanos
eduxit: adiunctiſq; Aroezij, & Bacianij auxilijs, per ſpeciem occurrendi ho-
ſtium nauibus, cùm à Ternate ſoluiſſet, repente ad Tidorem flexit iter. & co
pijs bipartitò in terram expoſitis, vrbem & malè munitam, & defenſoribus
pænè vacuam, primo impetu cepit. Oppidani cum regulo dilapſi. vrbs ite-
rum direpta & incenſa. Inde ad Caſtellanos, qui ſeſe in arcem vrbe capta
receperant; miſſi à Meneſio codicilli, cum clementi adhortatione, vti rerũ
ſuarum ſtatum agnoſcerent; captiuos & cætera per bellum ablata redde-
rent; & incolumes ipſi cum ſuis rebus abirent ; neu barbaricum ſolum re-
ſpergi vltra Chriſtiano ſanguine paterentur. Quod ſi Cęſarem reſpicerent,
gratiorem illi haud dubiè lenitatem in diſceptando, & animi æquitatem
in complectenda concordia; quàm in perditis iam rebus, improba partium
ſtudia, & pertinaciam in bello extrahendo, futuram. Ad ea ferocius primò

reſpon-

A reſponſum à Caſtellanis. dein, vbi admoueri tormenta ſcalaſque vidêre; Fernandus præfectus, accepta fide, ad colloquium prodijt. In eo colloquio, poſt multam altercationem, denique pax ita conuenit. Caſtellani, captiuos & cætera ablata Luſitanis cum fide redderent. inde ad Zamafum oppidum oræ Mauricæ cum ſuis rebus abirent. nullas præterea plagæ illius adirent inſulas; neu quam eius mercaturæ aut negotiationis partem attingerent. Ternatenſi Regi ereptam paulo ante Maquienum inſulam reſtituerent; neu illi, neu Bacianio, aut alijs Luſitanorum ſocijs arma inferrent; nec Tidorenſem, aut Geilolium, cæteroſue illorum hoſtes, vlla iuuarent ope: ſed ibidem quieti reſponſum ex Europa ſuper commercij controuerſijs, vti cũ Ignatio ante conuenerat, exſpectarent. Meneſius naues ijs præſidiumque Zamafum vſque præberet; neu Caſtellanos, Tidoriſue aut Geiloli Reges dein lacesſeret bello. In haſce leges iusiurandum vtrinque exactum: & datis qui proſequerentur, Caſtellani Zamafum ſine mora tranſuecti. Sub hæc, Tidorenſi quoque Regi data pax, & inſtaurandæ rurſum vrbis poteſtas facta, cum eo vt Ioanni certum quotannis tributum penderet, neque Caſtellanis in poſterum, alijſue nationibus contra Luſitanos adeſſet. Additum etiam, vt Luſitanos aliquot haberet apud ſe, ad gentem Europæis inſtitutis
B & moribus imbuendam. Per hunc ferè modum compoſitis in præſentia rebus; adulta iam ætate Boahates intra arcem emoritur. Neque abfuit veneni ſuſpicio, in Aroezium vulgò collata, quod vereretur (vt eſt ſolicita omnis ambitio) ne maturo ad imperium adoleſcente, dominari poſtmodum ipſe deſineret. Suffectus in Boahatis locum germanus frater, natu minor, Aialus. Is verò vt ſibi tandem aliquando reſtitueretur, ſumma ope orare infelix inſtitit mater. ſed apud ſurdas aures nihil ea deprecatio valuit. Aroezius, continuandi imperij cupidus, obſtabat in primis: ſentiebatque in ea rè cum Meneſio, quamquam alioquin grauiter eidem infenſus, cùm alias ob cauſas, tum verò, quod Cacilem Vaiacum, è primoribus vnum, plus æquo fouere, ſibique palam anteferre videretur. quæ res non Aroezium modò prorſus alienauit à Luſitanis, ſed etiam ipſi Vaiaco exitium attulit. quippe, non ferens æmulum Aroezius, fictis primùm criminibus hominem inſectari cepit; dein etiam, cùm parum criminatio procederet, necem inuiſo capiti apertè moliri. Vaiacus, cùm ſe imparem opibus aduerſario cerneret; vndique inſidijs appetitus (quod vnicũ erat præſidium) in arcem ad Meneſium
C confugit ſupplex. Verùm ne ibi quidem tutò eſſe licuit. incluſum, Aroezius, quaſi maleficum & facinoroſum, extemplò ad ſupplicium à Meneſio expetijt. Meneſius, cùm neque Aroezium exacerbatum, & amico inopi afflictoque conſultum vellet, ſuos in conſilium vocat. Ibi dum ſententijs certatur; Vaiacus interea, metuens, ne poſtmodum noxæ dederetur inimico; ſeſe præceleri deſperatione è turri præcipitat. Huius viri interitu, Meneſiũ haud mediocris inuaſit mœror. Acceſſit ad iras acuendas, parua dictu res; ſed quæ in ijs gentibus magnos animorum motus exciuerit. Petitam è Sinis paulo ante ſuculam (vt fit) Meneſius habebat in pretio. hanc extra muros fortè paſcentem, oppidani aliquot ex inſidijs occidêre. Cauſa occidendi fuit, partim praua religio, quod Mahometicis & Iudaicis addicti ſuperſtitionibus, eam pecudem vulgò exſecrantur; partim etiam odium Meneſij ipſius; quem id peracerbè laturum non ignorabant. & ſanè maior quàm pro re dolor hominem pupugit; ac proinde quàm intentiſſima habita quæſitione, affinem eius culpæ comperit Cacilem Vaiduam, qui & princeps tum erat ſacrorum, & Aroezium Regemque ipſum arcta affinitate attingebat. Hunc, nulla vel perſonæ, vel affinium, vel publicæ quietis habita ratione, in arcem arripi iuſſum, Meneſius in carcerem condidit. Vulgata dein re, concurſus ad Meneſium factus ab Aroezio & primoribus ciuitatis;

quorum

quorum vel auctoritate, vel precibus vtcunque placatus, acceptis vadibus D
Vaiduam è custodia emitti imperauit. id ministerium Petro cuidam Fernando mandatum, infimæ sortis homini; qui, vt est procax hominum ingenium in alienis miserijs, inter soluendum Vaiduam, os eius ac faciem, frustra quiritantis ac diuinam humanamque implorantis fidem, petasone pingui perunxit: quâ ille contumelia adeò accensus est, vt lacrymas non teneret. Producto dein ad arcis portam, præstò fuit honoris causa Aroezius cũ magistratibus, & magno ciuium numero. quos, Vaidua, suam sortem miserans eiulansque, cùm appellaret, aruina succulenta madentibus genis; Lusitani quidem adstantes, ingenti sublato cachinno, vrbanum Fernandi factum efferre laudibus: at verò Ternatensibus, ad eam deformitatem lacrymæ pariter obortæ: atque ita superbum & indignum id ludibrium visum est; vt nisi arx atque tormenta ceruicibus immínerent; arma extemplò capturi, iniuriamque summi apud eos antistitis vlturi haud dubiè fuerint. Sed præsenti metu ac dira necessitate coerciti, quieuêre. Vaidua, ignominiæ ac doloris impatiens, voluntarium sibi in aliquot annos consciuit exsilium: ac vicinas interim insulas cum quærimonijs & obtestationibus obeundo, E
gentem vniuersam contra Mahometis contemptores omni arte solicitare non destitit. At verò Ternate, incolis iam sat superque irritatis; longè etiã atrocior ad exulcerandos omnium animos consecuta res est. Intra arcem, vti supra demonstrauimus, & pecuniæ, & commeatus penuria erat ingens. Inde milites cùm è tabernis atque è macello alia atque alia, vt fit, non præsentibus nummis, interposita fide coemerent, ac postea soluẽdo non essent; concursus à plebe cum expostulationibus ad Aroezium fieri cæptus. ille, quando Lusitanos neque in ius vocare poterat, neque ad satisfaciendum creditoribus cogere; quod reliquum erat vnum; annonam in vrbe compri mi iussit. Ex eo Menesius milites increpare, quod ipsorum improbitate atq; auaritia, nihil iam venale prostaret. illi contra, in Menesium Prætoremque Indiæ conferre culpam; ac simul ferociter stipendium exposcere. Cùm nihil eiusmodi altercatione proficeretur, & inopia crescceret in singulos dies, Gomezium Arium ad conquirenda cibaria cum armatis aliquot insulam peragrare placuit. Haud longè ab vrbe Ternate vicus est, Tabonam appellant. Eò progressi pauci ex Arij comitatu, quasi ad populandum, non ad precandũ venissent; ita in ædes irrumpere, cibos efflagitare; si mora fieret, per F
vim egerere. Cùm maior quàm pro numero & loco audacia esset; non tulêre diutius insolentiam incolæ: arreptis quæ sors obtulerat telis, Lusitanos minis deterrere à rapina institerunt. inde rixa cum iurgijs orta: & Arius procul clamore suorum audito, ad opem ferendam & sedandum tumultũ accurrit. Neque segnius, ac maiore cum manu affuit præses loci, vir egregiè fortis: accensisque ad iracundiam animis, cùm nihilominus in temerario incepto Lusitani perstarent; pauci à multo pluribus circumuenti, multis acceptis plagis, quidam etiam armis exuti, in arcem ad Menesium reuertuntur. Horum conspectu & vociferatione ostentantium vibices, & sese fustibus indignum in modum acceptos ab agresti plebe querẽtium, commotus haud satis cognita causa Menesius; per iram, auctores eiusmodi facinoris ab Aroezio postulat. graues additæ minæ, ni extemplò dedãtur. Aroezius, licet malum id sibimet Lusitanos contraxisse non ignoraret; tamen vrgente metu inuitus obtemperat. Tabona citati præses & duo è primarijs, Menesio sine mora sistuntur. è quibus ille duos præcisis manibus domum remisit. Præsidem verò brachijs post tergum reuinctis, in littore destitutum, ferocissimis duobus molossis obiecit. quorum impetum ac dentes, varia corporis declinatione, aliquandiu frustra euitare conatus; horrente supplicij fœditatem effusa ex oppido multitudine; circumspectare primò cæpit fugam:

A gam:dein,cùm terreſtres omnes exitus milite obſeſſos cerneret; in mare ſe (quod ſupererat vnũ) ad incertam ſpem ſalutis immiſit.neq; canes,quippe iam ineſcati, ab inſequendo abſtitêre. pedibus tantùm nanti,pone cùm adhærerent;dolore ac deſperatione in rabiem actus, repente ſe ſe conuertit; dentibuſque, horribile dictu, certare cum belluis inſtitit: atque ad extremum , vnius aure mordicus apprehenſa, cùm iam ſanguis viresque deficerent;moribundus,moloſſum vnà ſecum ad ima detraxit. Atrox & inhumanum id pœnæ genus haud immeritò viſum,eò magis quod Luſitano ex patrijs inſtitutis ac legibus gloriari licet;nullam gentiũ in homines dãnatos mitiora exercere ſupplicia. Et Aroezius eo facto, ad implacabile Meneſij aduenarumque odium efferatus;de tollendis è medio Luſitanis pariter & Caſtellanis agitare cæpit. Ac per fideles primũ internuntios placatũ ſibi Catabrunũ facilè adduxit;vt ſimulatq; cæſos ad Ternatem Luſitanos audiret; Caſtellanos ipſe viciſſim ab Toloco ad Geilolum allectos,ad vnũ interficeret. Additum magno vtriuſque conſenſu, vt ſublatis peregrinis,regulũ vter que ſuũ necaret,ac regnum inuaderet.Hiſce de rebus dum occulta conſilia
B ineuntur;atque ad fraudem,quãdo in aperta vi ſpes non erat,tempus & ratio exquiritur;indicium interim conſpirationis ad Meneſium defertur.ille, per ſummam diſſimulationem Aroezium in arcem (vti ſolebat) accerſit, itemq; ex Aroezij amicis,quos ille in ſceleris communionem aſciuerat,precipuos duos,Tamaranum & Boium: quorum hic iudicijs capitalibus; ille rei maritimæ præerat. Hi ſeparatim interrogati de coniuratione,primò ſatis cõſtanter negabant:dein tormentorũ admoto terrore, ſeriem totius rei ſine cũctatione prompsêre.Hoc tanto periculo Meneſius ictus,damnatũ de cõſilij ſententia Aroeziũ,in elato ſuggeſto (vti principes viros moris eſt) toto ſpectante populo ſecuri percuſſit. Reliqui duo quo genere leti perierint, incertũ eſt.Eo caſu perterriti primores vrbis,ad locum natura munitũ, cui Turoto nomen,ſimul cum Regina,liberiſque, & coniugibus effugerũt.Inde Regina denuò per legatos Aialum filium à Meneſio ſumma ope repetere aliquandiu perſeuerauit.Poſtremò,vbi clauſas aures fruſtra tentari perſpexit;Aroezij exemplo venale quicquam ex agris ad vrbem deferri vetuit, adeò vt pæne obſeſſi non modò penuriam, ſed etiã famem Luſitani ſentirent. Interea Conſaluus Pereria ſucceſſor Meneſio deſtinatus, cùm dies
C aliquot Malacæ ex itinere ſubſtitiſſet;idoneam nactus tempeſtatem,in Borneum traiecit;pacemq; & hoſpitium cum Rege libentiſſimo inſtituit.Ea in ſula eſt perampla.ducentas circiter & quinquaginta leucas ambitu colligit. Mahometem colunt populi:carnibus, oryza,& varijs alimentis abundant; & ſuper hæc,laudatiſſimam caphuram,& primæ notæ adamantes, agallochum;itemque apprimè expetitum vicinis gẽtibus factitij vini genus,quod patrio vocabulo tampoi dicitur,cum veſte Cambaica,ære, argento viuo, rubrica miniove permutant. Portus & oppida numerant multa: ſed præcipua nobilitate Borneum regia eſt vrbs.hæc nomen fecit inſulæ, lateritijs mœnibus, & ſumptuoſis ædificijs mirum in modum exculta. Inde Pereria Ternatem delatus, perturbata omnia; Luſitanos macie ac fame luridos ac deformatos offendit. Accepta dein præfectura,Meneſium ab Reginæ oratoribus pro atrocitate facinorum dolenter & grauiter accuſatum, in cuſtodiam dat. habitaque ritè quæſtione, ſicuti à Prætore Nonnio in mandatis habebat,teſtata omnia crimina,& litteris conſignata, ipſumque Meneſium vinctum remiſit in Indiam.Tum,iuſtè ac leniter agẽdo cum incolis,Regemque puerum laxius & liberalius habendo, Reginam & cæteros profugos cum omni rerum copia ad vrbẽ reduxit. Simul etiam arcem (quippe alicubi aggere tantũ exſtructo murus & propugnacula deerant) ab-

ſoluerè

ſoluere aggreſſus eſt: quam rem quò enixius ipſimet oppidani adiuuarent; D
cum ſolenni iureiurando palam Reginæ promiſit; ædificatione abſoluta,
ſe ſe confeſtim ei filium incolumem fide optima redditurum. Poſt hæc, ad
Luſitani Regis negotia procuranda, & prohibendum mercatura militem,
toto pectore incubuit. Neque ſolùm edicto graui, vti Meneſius antea, cauit,
ne cui præter miniſtros regios contrahere cum incolis liceret; ſed etiam cir-
cummiſſo conquiſitore, menſuras omnes atque ſtateras è priuatorum ædi-
bus ablatas aut concremauit, aut fregit; certam præterea caryophylli par-
tem eius quod ſibi quiſque iam emerat, pretio dominis perſoluto, in re-
giam apothecam conuehendum curauit. Id verò acerbiſſimum accidit Lu
ſitanis: militiæ quippe munia peroſi; vetito commercio dudum aſſueue-
rant, coemptiſque frugibus, tanquam ſerpentes theſauris, incubabant. An-
te alios Fernandus Lupius pro Epiſcopo (vicarios tum, ſacerdotes eiuſmo-
di, vulgò appellabant) qui cæteris exemplum omnis diſciplinæ ac ſanctita-
tis deberet eſſe; interdictam ſibi negotiationem, & ereptum è faucibus nefa
rium quæſtum, pati nullo modo poterat. Proximus huic Vincentius erat
Fonſeca, vir ſeditioſus ac turbulentus. Atque hunc quidem, Præfectus, arre-
pta occaſione, quod exigenti vigilias circitori ferocius & contumacius re- E
ſpondiſſet; in vincla coniecit. Verùm cæteros ex eadem factione coercendi,
haud æquè expedita erat ratio: quippe complures, & paratos ad facinus; &
incolarum, quibus tolli edictum pariter expediret, opibus ac fauore ſubni-
xos. Hiſce rebus elati plerique milites, primò arcem præfectumque deſere-
re; ac partim ad Caſtellanos, partim etiam ad Mahometanos transfugere
cogitarunt. dein, veriti, ne ſi adeò apertè nudaſſent animos; periculum affi-
nibus ac liberis in Luſitania relictis crearent, ſibique receptus à tam præcipi
ti conſilio non daretur; tutius ac ſatius fore ſtatuũt; per ipſoſmet Ternaten-
ſes exitium necemque præfecto moliri. Nec mora. mutuis adhortationibus
inflammati; non modò plebem, ſed etiam magiſtratus, atq; adeò Reginam
ipſam in præfectum accendere. Veniſſe nouum ex India non hoſpitẽ aut a-
micum; ſed dominũ ac tyrannũ: qui, dum à Prætore Indiæ, & regijs Quæſto-
ribus gratiam ineat; gradumq; ſibi ad opes & imperium ſtruat; aliorum om
nium rationes & commoda negligat: & iniquiſſimis edictis, contra naturæ
& gentium iura, totum commercium interuertat. Neque verò blanditijs &
fucata eius comitate decipi ſe patiantur. Simulatque arcem abſoluerit, cer-
tum eſſe illi, non Regem modò è cuſtodia nullo pacto dimittere; ſed etiam F
Reginam ipſam vnà cum proceribus repente comprehenſam, in eundem
carcerem includere; quò pluribus obſidibus obnoxios ad omnia ſibi habeat
inſulanos; nec tantùm alimenta ſubtrahere, vt antea, ſed ne hiſcere quidem
in poſterum audeat quiſquam. Ni talia machinantem occupent è medio
tollere; non modò grauia fortunarum damna; ſed etiam teterrimam haud
dubiè ſeruitutem omnibus imminere. Hæc, & alia eiuſmodi, quæ in tali re
praua cupiditas & malitia ſuggerebat; ſecũdis auribus cùm à populo, tum à
Regina in primis accepta. ac læta mulier, quicquid irarũ ac ſimultatum cũ
alijs fuerit, totum id in ipſos vertiſſe Luſitanos; tam præclaram occaſionem
vlciſcendi acceptas iniurias, delendique gentem inſociabilem, è manibus e-
labi paſſa non eſt. Vocatis ad concilium affinibus amiciſque, demonſtrat;
agitatos partim conſcientia ſcelerum; partim intercepti lucri dolore Luſi-
tanos, capitali inter ſemet odio diſſidere; atque ipſius maximè præfecti ne-
cem omnibus votis expetere. Collata in eos à Boleife coniuge beneficia,
dextraſque iunctas & hoſpitij ſanctiſſima iura in memoriam reuocat. Pro
ijs quàm malè relata ſit gratia, reputare apud ſe quemque iubet. Vixdum
vita functo Boleife, paruulos liberos fraude in arcem abreptos; ſe ſe ægrè
ex impiorum manibus elapſam, relicto ſolio, vagam inopemque tamdiu
tole-

A toleraſſe vitam; maiorem natu filium, vt primùm ad capeſſenda regni gubernacula pubeſcere inceperit, veneno ſublatum. hunc, qui ſibi afflictæ ſuperſit vnus, per quotidianos dolos & callidam fruſtrationem in cuſtodia detineri: ad hæc, intolerandas contumelias, & inaudita poſt hominum memoriam inſontium ſupplicia cruciatusque commemorat. Hortatur, quan doquidem ipſimet Luſitani ad facinus adeò glorioſum inuitent, ac dextras quodammodo porrigant; ſeſe ad tyrannum interficiendum ingẽti animo parent. Vbi eam belluam, adiuuantibus vel certè approbantibus inimicis, in ipſo cubili mactarint; tum ſubitò aucti ſubſidijs, quæ in tempore ſint affutura, occæcatos inteſtina rabie lupos ad vnum omnes occidant; arceque occupata, & excuſſo impotentiſſimi dominatus iugo, innoxium Regem orbæ parenti, ciuibus, vrbi tandem aliquando reſtituant. Haud magni negotij fuit cunctos in ſententiam adducere; quippe Luſitanis & natura cultuque diſſimiles, & publicè dudũ infenſos, & proprijs inſuper damnis atque offenſionibus irritatos. Cùm certatim in id operam ſuam deferrent, dies rei peragendæ condicitur. Interea Regina ad omnem ſuſpicionem auertendam, officia in præfectum intendere; operas in arcis ædificationem vl-
B trò ſuppeditare; hortari vt munimentis perficiendis inſiſtat; ſcilicet quò ſibi optatis vnici filij amplexibus quamprimum perfrui liceat. Vbi deſtinata affuit dies; delecti viri tùm in Mahometis fano ſub arcem, tùm etiã in proximo luco, eoque denſiſſimo, clam in inſidijs collocantur: qui vbi è turri ſignum editum ſit, extemplò per inchoata vel intermiſſa opera in arcem irrumpant: dein coniurati cum gladijs, iidem fermè qui familiariter ad Regem itare conſueuerant; circa meridiem de more intromiſſi, ad intimam turrem ſine vlla interpellatione perueniunt. ibi cum Rege collocuti, ſimul expediunt ferrum; & colligunt animos. Maximè opportunum erat diei tempus: cuſtodibus ac miniſtris, vti ſolebant, meridiãdi cauſa dilapſis; & præfecto per ſummam ſecuritatem intra cubiculum quieſcente. Vnus Vincentius Fonſeca vinctus vigilabat in proximo. Is, è corporum motibus vultuque confuſo rem haud obſcurè coniectans, cunctantes hærentesque, nutu ac verbis inſtigando perpulit tandem, vt in cubiculum præfecti impetum facerent. Ergo ſtrictis gladijs hortati inter ſe, alij fores effringunt; alij gypſatos arundine intertexta parietes, calcibus proruunt. Pereria, arreptis armis cùm ſeſe acriter defendiſſet ac diu; tranſfixo denique duobus ictibus
C pectore, moribundus occumbit. Interea qui ſub arcem in delubro latebãt, geſtientes cupiditate cædis & ſanguinis, non exſpectato ſigno teneri non potuerunt, quominus in prætereuntem fortè Luſitanum irruerent. Eo argumento, nec non clamore ex præfecti ædibus vociferantis ancillæ, patuit fraus. Tum excitati Pereriæ famuli aduolant: ad arma vocatur: atque, vt in communi metu, ab vtriuſque factionis hominibus ad turrem extemplò concurritur. ibi, mira celeritate, antequam ſignum ederent percuſſores oppreſſi partim cæduntur; partim è muris feneſtriſque ſeſe præcipites dant. Ab Luſitanis, vt in re trepida, occluſæ portæ; & pro mœnibus & propugnaculis vigiliæ ſtationeſque pæne ſerò diſpoſitæ. Ac per hunc modum eo die ſeruata non arx modò, ſed, vno Pereria excepto, vita omnium ac ſalus; euidenti profectò Dei benignitate, credo propterea quod futuræ poſtmodum in ijs locis Chriſtianæ meſſi conſuleret. Sub hæc, inter Luſitanos de ſucceſſore, vti conſueuerant, ingenti contentione certatum eſt. Atque ad extremum, adnitente Vicario, per ſeditionem ac tumultum, præteritis ijs quorũ habenda erat ratio more atque inſtituto maiorum, è vinclis ereptus Fonſeca in locum defuncti peſſimo exemplo ſufficitur. Ab hoc, tametſi non tam voluntate, quàm vi, quod alioquin ex omni circa regione commeatibus arceretur, commodius factum eſt nihil, quàm quod expoſtulanti Reginæ

Aialum filium reddidit. Cæterùm, militari neglecta diſciplina, & contem- D
pto Ioannis edicto, liberam negotiandi poteſtatem atque licentiam Luſita
nis indulſit. Et ipſe poſtmodum apud Indiæ Prætorem accuſatus (incertum
quibus artibus) omnium criminum & flagitiorum impunitatem adeptus
eſt. Aialo regnante, nihilo quietiores, quàm antea, res fuêre. Quippe dum
ſeuerius exercet imperium, & à magiſtratibus cæterisque, quos ad eam diē
publici peculatus pauerant, acrius rationes repoſcit; principum ſibi odium
ſimultateſque irritauit. ij probabilem nacti materiam criminandi, quod
per eos fortè dies vagi ad rapinam aliquot ex arce ab agreſtibus interfecti
fuerant, eius cædis culpam in Regem conferendo, aliaſque comminiſcen-
do calumnias, Fonſecam adduxerunt, vt inſontem Aialum vi atque armis
pelleret regno, eiuſque loco Tabariam ſpurium ſubſtitueret, è ſtirpe regia
minimum natu. Ea res multitudinis animos vehementer offendit: ac vul-
go Fonſecæ diras omnes imprecabantur. atque etiam è Luſitanis nauarchis
minimè deerant, qui cum eo palam exercerent inimicitias, & indignam
Conſalui Pereriæ necem, amiſſamque propemodum arcem, & ſumma in-
iuria occupatam ab eo præfecturam exprobrarent. Ita, domeſtico ſimul &
externo ſolicitus metu, peræquè omnibus adeò diffidebat, vt non die non E
nocte arma deponeret, nihil ab vllo porrectum, niſi ſiniſtra acciperet ma-
nu, quò alteram ad ſtringendum gladium expeditam haberet; &, quod in
conſcientia magnorum ſcelerum accidit, vmbras horreret. Interdum etiā,
congreſſus hominum vitabat, ac lucem; & in ſolitudinem abditus; ſtatum
rerum ſuarum tacitus apud ſe deflebat. Eò libentius de ſucceſſoris aduentu
nuntium accepit (is erat Triſtanus Ataidius) eique ſine vlla tergiuerſatione
claues arcis & gubernacula tradidit. Hoc præfecturam gerente, haud con-
temnenda occaſio amplificandæ in eo tractu Chriſtianæ religionis affulſit.
Momoia eſt vrbs in Moro. Simulacra colebat gens, atq; inde Mahometani
quotannis prædas agebant. eam iniuriam & calamitatem querenti Momo
iano dynaſtæ, Conſaluus Veloſus, qui tum ibi negotiabatur, ſpem fecit, ſi
Chriſtiana ſuſcipere ſacra in animum induceret; auxilium contra eas incur
ſiones à Luſitanis impetrandi. Haud aſpernatus conditionem barbarus, au
ctore Conſaluo legatos ad Ataidium mittit. ij, dies aliquot à præfecto comi
ter habiti, ſacro fonte abluuntur: dein muneribus culti ac Luſitano veſti-
tu ornatuque, in patriam reuecti, plenam promiſſis legationem dynaſtæ
renuntiant. Ille, tam læto ſucceſſu, magnam in fiduciam erectus, Ternatem F
extemplò contendit. Ibi iuncta cum Luſitanis amicitia; magnificò pro co-
pia loci apparatu, ipſe comiteſque baptiſmo luſtrati, atque aliis quidem a-
lia de more impoſita nomina: dynaſta in Luſitani Regis videlicet gratiam,
Ioannes eſt appellatus. Momoiam redeunti, comes additus Simon Vaſæus
ſacerdos. huius opera, præſertim Ioanne adnitente, multi paucis diebus ad
Eccleſiam adſcripti. Cumque in dies creſceret numerus; laboranti Vaſæo
Franciſcus Aluarus item ſacerdos paulo poſt ab Ternate ſuccurrit. Tum
verò ſummi infimique, credo magis imitandi principis cauſa (vt euentus
poſtea docuit) quàm quòd neceſſaria Chriſtianæ fidei capita probè tenerent;
relictis in ſpeciem ſimulacris vni Deo nomina profiteri inſtiterunt. Simul;
delubra non pauca, ſtatuis dæmonum comminutis atque ſublatis, ritè expi
ata, & cultui diuino dicata ſunt. & ab Ataidio, vti receperat, Luſitani mili-
tes aliquot Momoiam tranſmiſſi, qui vrbem munirent; ac nouellos Chri-
ſtianos à Mahometanorū incurſu rapiniſq; defenderēt. Dū hæc ad Momo-
iā fiunt; Ternate ab improbis cupidiſq; rerū nouarum, Tabariæ nomen ad
Ataidiū defertur, quaſi de occupanda per dolū arce cōſiliū iniret; ipſiusq;
præfecti vitę in primis moliretur inſidias. Ea criminatio, innoxio adoleſcē-
ti, vt initio calamitoſa, ita exitu ſalutaris fuit. Quippe ab Luſitanis fraude in
arcem

A arcem illectus, repente in vincla conijcitur. dein crimina diluere, atque iras lenire præfecti frustra conatus, cum valida custodia in Indiam ad Prætorem est missus. atque ibi demum causa cognita, verbis honorificis absolutus, repudiato Mahomete Christianus efficitur. Inde patriam repetēs, cùm ad Malacam ex itinere substitisset, extinctus est morbo Cæterùm Ataidius, præiudicata re, neque Nonnij exspectata sententia; Cacilem Aerum eius loco fecerat Regem, Bolcifi pariter ex pellice natum Iaua: quæ, filij saluti non sine causa metuens, cùm acrius tenderet, ne tam infaustæ successionis aleam subiret; satellites puerum à complexu parentis auulserant; ipsamque muliebriter vociferante n, væsano perciti furore, ex ædium fenestra præcipitem dederant. Hoc tam atrox facinus, non Ternatensium modò; sed omnium eius plagæ Regum ac populorum iras denuò in Lusitanos accendit. ac vulgo in cœtibus concilijque, præter cæteras querimonias & maledicta, fremebant, indignam atque intolerabilem esse rem, ab ijs qui pæne precario nuper in eas regiones irrepserint; Reges incolis ex libidine dari adimique. Id verò in primis pro suo quisq; sensu & ingenio deplorare. Ac per eos ipsos dies, ad cumulandam inuidiam, fœdum Pinti cuiusdam factum
B accessit. Is ad explorandum Mindanaum, & alias circa insulas, ab Ataidio missus, à Mindanao ad Siriagum deuenit. ibi clementer acceptus, cum Rege hospitium ac societatem mutuo sanguinis haustu sanxit. is genti sollennis fœderum ritus. inde, cùm securi insulani quasi ad amicum & socium, vel contrahendi, vel etiam visendi causa familiariter in ipsam nauem adirent; Pintus, aliquot ex ijs repente correptos, abdito loco infra tabulata conijecit, à portandi causa. Non latuit ea fraus incolas. quippe, dum se ad iter expediunt nautæ; sensim vnus è captiuis in mare desilijt; nandoque cùm ad suos peruenisset; rei gestæ seriem exposuit Regi. Ille accensus ira, extemplò celoces deduci, & in eas armatos imponi iubet. ab ijs Lusitanus prope inter moliendum oppressus, sæua postmodum coorta procella pæne submergitur. Inde ad leuandam onere nauem iactis in mare tormentis, magna cum formidine ac trepidatione Ternatem applicuit. Hisce ob res, omnium animis maiorem in modum exasperatis; Moluccenses Reges ad extinguendum nomen Lusitanum, missis vltrò citroque nuntijs, cum Ternatensi populo coniurauerant; in eandem societatem regulis quoque Papuarum insularum assumptis, Vaigamano, Vaigeo, Quibibio, & Mincimbo. Consili-
C um erat, sparsos varijs locis Lusitanos, ad internecionem delere: Ternatensis arcis præsidium, quando muralia tormenta deerant, subtractis vndique alimentis fame conficere: si id minùs è sententia cessisset; felices omnes arbores vltrò succidere, & cum familijs longè inde migrare; vt quoniā noxia & inuisa natio armis ex eā terra pelli non posset; certè solitudine ipsa, & inopia rerum omnium, excedere cogeretur. Hisce rebus ita constitutis; initiū belli factum à Ternatensibus: ij, quàm occultissimè suis rebus in tutum egestis, ne quid hosti ad prædam reliquum esset; postremò, ante lucem omnes ex vrbe profecti sunt. frustraque Ataidius; vt primùm id resciuit, abeuntes omni ope reuocare; eorumque iras pollicitationibus & blāditijs permulcere tentauit. Maritima primùm loca procul ab arce perière: dein cùm à Lusitanis nauibus vexarentur; in abditos saltus ac prealtas rupes recepêre se se. inde furtiuis expeditionibus, in aquatores maximè & lignatores Lusitanos fiebat impetus. quinetiam, vt nullam secum pacis conditionem esse Ataidius intelligeret; patriam ipsam Ternatem, vbi erant aliquot domicilia Lusitanorum, subito aduentu iniectis ignibus concremarunt. Eodem fere tempore cæteræ quoque gentes in arma coortæ: & Lusitani, qui alijs alijsque in regionibus, vt apud amicos agebant, repente circumuenti cæsique. Et in Moro, præter alios, Simon quoque Vasæus sacer-

dos occubuit. Franciſcus Aluarus, multis vulneribus acceptis, ægrè nauicu- D
la Ternatem euaſit. Peſſimum verò ex ea coniuratione illud accidit, quod Catabrunus veneno adoleſcentulum Geiloli Regem ſuſtulit, regnumque per ſcelus inuaſit: dein ad occupandas in eo tumultu Mauricas inſulas magna claſſe profectus, neophytos Momoianos, vtpotè Chriſtianis præceptis leuiter admodum inſtitutos, ab recta in Deum fide, metu miniſque deduxit, vno incaſſum reclamante dynaſta Ioanne: quippe qui Chriſtianæ diſciplinæ præcepta, & Euangelij veritatem, in pectus altè demiſerat. is, vbi obſtinatos ad deditionem, atque ab ſuſcepta religione per ſummam leuitatem atque perfidiam auerſos populares animaduertit; locum extra vrbem tumultuario opere munijt; fruſtraque hortatus Luſitanos aliquot quos circa ſe habebat, ne aſperis in rebus deſponderent animum; ipſe cum paucis familiaribus oppugnationem hoſtilem à matutino tempore ad veſperũ præclarè ſuſtinuit. Nocte dein, deſperata corporum ſalute, ad animos præſertim domeſticorum quacunq; ratione ſeruandos incubuit. Vxorẽ habebat Chriſtianis nuper ſacris initiatam; hanc vnà cum paruulis liberis, ne propter infirmitatem naturæ vel ætatis, de baptiſmi præmijs periclitaretur, in opinionis errore optimo vtens animo, ſua ipſe manu peremit. inde cùm ſibi quo E
que manus pararet afferre; domeſticorum interuentu prohibitus, & non ſine magno animi dolore, Catabruno traditus eſt. Ab eo cùm interrogaretur, cur tam triſte conſilium cepiſſet, immeritam coniugem cum innoxia prole occidendi per ſummum nefas; vxori quidem ac filijs egregiè ab ſe cõſultum eſſe reſpondit; quorum ſexus ætaſque ab ſalutari Chriſti confeſſione abduci facilè potuiſſet; at ſe ſe, vti virum deceret, nec tyranni minas horrere, neque extrema ſupplicia cruciatuſue, Chriſti cauſa defugere. Hac orationis libertate Mahometani fæuitiam acrius concitauit: cumque in eo iam eſſet, vt carnifici traderetur, amicorum ac procerum deprecatione ſeruatus eſt. Dignus profectò qui non in vltima barbarie, ſed in Europa media naſceretur. quippe, tam generoſum ingenium, cultoribus peritis adhibitis, ad eximiam virtutum omnium frugem haud dubiè peruenirſet. Et Ioannes quidem, quam dixi conſtantiam ac fortitudinem præſtitit. De cætera neophytorum turba vtrum vel vnus in fide manſerit, nihil comperti eſt. adeò (vt eſt in ſacris litteris) malè fundata ędificia, ingruentibus ventis atque procellis, facili momento ſoluuntur. Hæc, & alia eiuſmodi audienti Ataidio peracerba erant; ſed acrior & præſentior erat ſenſus quotidianæ penu- F
riæ, omnibus circa populis infenſis infeſtiſque. itaque ingraueſcente in ſingulos dies annona, oryzæ precium in modios à ſeſtertijs binis ad quadragenos fermè peruenerat: iamque fames vrgebat; actumq; de ſumma rerũ procũl dubio foret, ni per idipſum tempus cum commeatibus & modico militum ſupplemento, Simon Sodreus à Malaca, & à Mindanao Pintus, cuius paulo ante meminimus, affuiſſent. Hoc aucti ſubſidio Luſitani, varijs eruptionibus Turutum caſtellum egregiè munitum, itemque Palatiam, & Calamatam, & Gicum haud ſine certamine capiunt. quibus victorijs laxatę dum taxat in præſens anguſtiæ ſunt. deficiente dein rurſus commeatu, imminutoque varijs cladibus preſidio, premi denuò longè vehemẽtius cępti, vtique poſtquam commiſſo nauali certamine cum Tidorenſibus, præter conſuetudinem, ſemel iterumque malè pugnatum eſt. Ex eo tempore de maris poſſeſſione deiecti, egredi ex arce nuſquam audebant: & diuina magis benignitate, quàm viribus humanis, in aduentum Antonij Galuani extracta obſidio eſt. Eduardi, cuius ſupra mẽtio eſt facta, filius erat Antonius, in Abaſſina legatione ad Camaranum inſulam vita functi: vir excellenti cùm in Deum ſuperoſque pietate ac religione; tum erga homines æquitate, & incorrupta in Regem ſuum fide; & ſuper hæc, admirabili quadã nauticæ rei

ſcien-

A ſcientia: quippe gubernatorum, in ſyrtibus euitandis & dirigendo curſu errata corrigere; deſperantes ſæpe ſit, de ſalute vectores nautaſque confirmare; & morbo laborantes mira ſedulitate ſuis etiam, vbi res ferret, impenſis curare iamdiu ſolitus. Is, cùm in India priuatam rem ageret, ex regijs repente litteris Molucarum præfectus ab Nonnio declaratur. ac tametſi non ignorabat quàm affecta atque adeò exulcerata Molucenſis eſſet res; tamen obſequio in Regem, & ſtudio rei communis adductus, plenam laboris ac periculi præfecturam haud grauatè ſuſcepit. cumque ei, è fiſco regio, in ſtipendium & ſumptus neceſſarios nummi tardè admodum ac malignè præberentur; ſua ipſe pecunia (habebat autem in numerato non exiguam, qua negotiari ſi cum induſtria pergeret, ad opes ingentes peruenire breui tempore potuiſſet) & militem conduxit, & varios commeatus, & molas, & plumbum, & omnis generis ferramenta, quibus rebus carent Molucæ, coemit. itemque ad propagandam Ternate ſobolem, hoſteſque de ſpe deijciendos eius coloniæ vel prefecture extinguendæ, Chriſtianas mulieres aliquot ſecum auexit, quas ibi cum Luſitanis in matrimonio collocaret. Cum hoc apparatu à Cocino profectus, Malacam venit: inde per Borneum inſulam
B ad Ternatem incolumis appulit. Deſcendenti, non præfectus modò, & vulgus militum; ſed etiam ſacerdotes cum hymnis & ſacris carminibus obuiam prodiêre, quaſi ad certam eius præſidij ſalutem ac libertatem è cœlo deſcenderet. Neque eos fefellit ſpes. quippe, expoſitis à Galuano commeatibus, annona primùm leuari cæpta, ædileſque macello præpoſiti; & in ſingulas res pretium ſtatutum, quò ne pluris quæque væniret. Præter hæc, ad clericorum diſciplinam regendam, curandoſque popularium animos, recentia Alphonſi Cardinalis Luſitani decreta, ſeu conſtitutiones eccleſiaſticas Vicario tradidit. dein ad militiæ munera, & arcem vbi opus eſſet inſtaurandam, curas intendit. iuſtitiaque in ſuos; fortitudine & vigilantia in hoſtes, cùm arma nunquam exueret, & pro vallo excubaret, & ad ſubita ac periculoſa primus accurreret; enixè operam dabat, vt omnes in ſalutari concordia atque in officio contineret. Ad Tidorem eo tempore conſtiterat moles belli, quò coniurati Reges, Aialo exſule aſſumpto, armatorum millia plus quinquaginta contraxerant. neque vrbem tantùm cinxerant muro foſſaque, ſed etiam, in præalta ſupra vrbem rupe, caſtellum, arcis inſtar, exſtruxerant. Inde cùm Ternatenſe infeſtum haberent littus, & prodeũtes ad
C piſcationem & quotidiani victus miniſteria Luſitanos exciperent; veritus Galuanus ne per belli moram in priſtinas recideret rerũ omnium difficultates, miſſis primò Tidorem legatis, Reges ad ſuperioris temporis offenſiones voluntaria obliuione delendas, atque ad renouandum cũ ingenti quæſtu commercium eblandiri conatus eſt. dein, cùm inflati nouo ſucceſſu barbari omnem pacis mentionem aſpernarentur, atq; adeò in Luſitanum nomen conuitia & probra iactarent; Galuanus, fuſis ad Omnipotentem Deum precibus, & cæleſtium vniuerſorum ope ſuppliciter implorata; rem eſt auſus portenti ſimilem, & meritò carituram fide; ni alia complura id genus euenta, hoc etiam ipſum omni ſuſpicione mendacij apud æquos rerum æſtimatores eximerent. Naues habebat in portu maiores, non amplius quatuor: & præter eas, aliquot leuiora nauigia. in claſſiculam hanc impoſitis circiter quadringentis armatis, quorum erant Luſitani centum & ſeptuaginta, reliqui, Aerio & paucis exceptis, infimæ ſortis homines, ac Luſitanorum fere mancipia; Triſtano Ataidio cum eius familiaribus amiciſque ad cuſtodiã arcis relicto, Tidorem petit vltrò; & nullis (incertum quare) hoſtiũ nauibus obuiam egreſſis, idonea ſtatione extra ictum teli anchoras iacit. inde obſidentem littora multitudinem, & ſitum vrbis, ac totius circa regionis naturam attentè perluſtrat. Aduocato dein concilio, optimum

viſum, imminentem vrbi rupem arcemque, vt in tali nullo metu ad hoſte neglectã, inuadere. Ad eam rem Luſitani delecti centum & viginti; hiſce additi è reliqua turba qui trecentorum ſummam explerẽt. cæteri, claſſem tueri, & ad hoſtem diſtinendum, huc illuc circumagere naues, & varijs locis deſcenſionem oſtentare iuſſi. Galuanus interea, die qui fuit Indorum præſidi & Apoſtolo Thomæ ſacer, anno à partu Virginis ſupra ſeſquimilleſimũ trigeſimo ſeptimo, quendam è captiuis nactus peritum itineris ducem, remotiore ab vrbe loco, circa quartam noctis vigiliam cum ea quam dixi manu deſcendit; ſilentique agmine & expedito, per ſyluestres maximè ſemitas ad montis verticem occultè ſuccedit. Iam itineris magnam partem, lento gradu, laſſitudinis vitandæ cauſa, confecerat; cùm orta lux, & micantes procul galeæ, rem hoſti prodidêre. extemplò ad arma conclamatum horrẽda cum vociferatione: quam, repercuſſu multiplici, nemorum denſitas, ac ſinuoſi conuallium anfractus augebant: & omni ex parte, quaſi ad prædam haud dubiam, concurſus illicò fieri cæptus. Ante alios Aialus, quem ex amiſſo regno præcipuus vrebat dolor, ad præoccupandos tranſitus cum parte copiarum accurrit; & modica in planitie Luſitano è ſyluis egredienti fit obuiam. ibi contracta repente pugna Aialus caſſide armatus, & maculis ferreis, prælongam vibrans vtraque manu romphæam, in hoſtes furibundus inuehitur: ac dum haſtatis & fiſtulatoribus incautius obijcit ſe ſe, cùm vndique peteretur, vulneribus aliquot acceptis, in arma procumbit; & ſimul, vt erat egregijs viribus, momentò reſurgit; ac diſſimulato aliquandiu dolore ne ſuis trepidationem inijceret, ante prima ſigna prælium ciere perrexit: dein, cùm latius manaret ſanguis, quippe nullo medicamento ſuppreſſus, linquente iam artus animo, & oculis offuſa caligine, rurſus occubuit; tantum ad ſtipatores effatus, vt inde ſe quàm ocyſſimè tollerent; ne canes (ſic enim Luſitanos vocabat) optato ad ludibrium corpore potirentur. Vti iuſſerat, non ſine periculo factum. & ipſe quidem elatus ex acie, paulò poſt efflauit animam: reliqui attoniti caſu Regis (vt eſt fugaciſſimum genus) extemplò terga verterunt; ac per inuia cauteſque præruptas paſſim arma iactantes, pars nota nemorum latibula; pars vrbem trepidi repetunt, ac veniẽtem ſubſidio alteram aciem, per anguſtos calles vnà ſecum auertunt; pars montis cacumen contento curſu occupare nituntur: horum maximè tergis inſtitit Luſitanus; cæſiſque compluribus, vno tantùm amiſſo mancipio, immiſtus fugientium turbæ in arcem irrupit. Ibi Galuanus tam inſignem victoriam, ac planè diuinam, Chriſto domino ſuperiſque gratulatus, ignes arci confeſtim iniecit prudenti conſilio. quippe oppidani pariter & externi, vbi ſupra caput graſſantes flammas vidêre, ſubito pauore perculſi, cum imbelli plebe ſe ſe certatim è portis ac propugnaculis in apertum effundũt: Luſitanus interea, collectis vtcunque viribus; cum incitato clamore, ac tubarum cantu, ex arce decurrit; ac ſine certamine vacuam defenſoribus, refertam diuitijs vrbem ingreditur. ad quas cum extremo periculo diripiendas, ne cæca præceps auiditate diſcurreret miles, ædificijs omnibus iuſſu Galuani ſubditæ faces: magnoque omnium dolore, quique vt in tutũ ſuas opes eò congeſſerant; quique ſubiectam oculis adamauerant prædam; cuncta, exceptis commeatibus, intra paucas horas arſêre, & ex ea quæ tardior ad fugam fuerat, vrbana multitudine, capti plurimi, iuncuſque in portu vnus, & actuaria nauigia permulta. Minutis dein prælijs terra marique fatigari hoſtis cæptus: quem ad huiuſmodi machinas rudem adhuc, nihil æquè ac tormenta Luſitana terrebãt. ſimul etiam, prægrauante multitudine, in tam parua inſula cibariorum difficultas vrgebat. Super hæc, aduenis Regibus non ſine cauſa iniectus timor; ne Luſitana claſſis aucta nauium numero, in eorum fines impetum faceret. ac proinde (vti omnis fermè cõiuratio,

vbi pro-

A vbi proprij periculi inceſſit metus, quamlibet leui de cauſa diſſoluitur) Tidorenſi valere iuſſo, fœderati Reges domum quiſque ſuam repente dilapſi. Eam occaſionem Galuanus denuò tentandæ cum Tidorenſi pacis idoneã ratus, ſi fortè rebus aduerſis ferociam exuiſſet; legatos ad eum & litteras miſit: neque ita difficilè fuit, deſertum à tot auxilijs, & recenti clade perterritum, ad æquitatem & concordiam reuocare, adnitente præſertim Cacile Rade, Regis fratre germano, qui inter cæteras cauſas, vulgata Galuani virtutum fama commotus, amicitiam & ſocietatem cum eo vehementer optabat. Pacis conditiones fuêre; vt Tidorenſis ablata Luſitanis arma & machinas omnes redderet: caryophyllum inſulæ totum Luſitani duntaxat Regis procuratoribus è Ternatenſi formula venderet: neminem contra Luſitanos aut armis, aut vlla iuuaret ope: Luſitani pretium ſine dolo perſoluerent; & vrbi reficiendæ vnà cum inſulanis inſtarent. Haſce in leges renouata ſocietas eſt: eaque magis in dies mutuis deinde congreſſibus doniſque, & egregia in primis Galuani fide ac liberalitate coaluit. Inde aduerſus Geilolium, minitantem adhuc, & de Chriſtiana religione in primis peſſimè meritum, Galuanus claſſe profectus, Ternatem ſæua tempeſtate reijcitur. Ibi, quod ſtati nauigationis Indicæ aderant dies, nefaria militum ſedi-
B tio rurſum exorta, & miſſionem, & frugis priuatim auehendæ poteſtatem ferociter poſtulabant. eos, Galuanus, quando per vim coercere non poterat; tum verbis, tum exemplo ad officium reuocare conatus eſt. quippe, non ſolum ipſe, contra aliorum conſuetudinem, ab omni negotiatione prorſus abſtinuit, ſed etiam vltrò ſibi collatum à Tidorenſi Rege proceribuſque magnum caryophylli numerum, in Regis Luſitani apothecas à ſcribis & cuſtodibus iuſſit inferri. Sed videlicet nullum in rebus humanis remedium efficax eſt, vbi mentem, de cæleſtium bonorum cõtemplatione deiectam, fœdus auaritiæ morbus inuaſerit. Facta conſpiratione permulti collectas fruges furtim in naues imponunt: tum intentantes arma palam, ſi quis eos retinere aggreſſus eſſet, non modò contra leges amicitiæ, ſed etiã contra iurisiurandi fidem, inter infeſtas gentes ducem repentè deſtituunt, & impia velificatione in Indiam intendunt iter. neque tamen de facinore tam atroci vlla dein quæſtio ab Indiæ Prætoribus habita. At Galuanus, quamquam aſperis in rebus à magna ſuorum parte deſertus; conſilio tamẽ atque animo ſtetit. Ac primùm, quod omnes in partes magnopere intereſſe
C cernebat; profugos & ipſa deſperatione in furorem verſos Ternatenſes mitigare, & in patriam reuocare adhortationibus, monitis, ac præſertim illuſtribus iuſtitiæ & ſanctimoniæ documentis inſtituit. quam ad rem, Tidorẽſium quoque ſuaſiones haud mediocris momenti fuêre. Paulatim ergo poſitis odijs, relictas dudum ſedes & incunabula repetebant. Quominus frequentes redirent; Tabariæ deſiderium (quippe nondum defunctum audierant) Aialo præſertim extincto, erat in cauſa. Aerium, inter cætera, quod & ætate minor, & è peregrina pellice natus eſſet, auerſabantur. Galuanum orabant, vt innoxium Tabariam ab Indiæ Prætore depoſceret: atque ipſe interim arbitratu ſuo regnum adminiſtraret. Neque conditio erat ſpernenda, quandoquidem ex huiuſmodi procuratione, præter cæteras vtilitates, nullo prope negotio Galuanus ditari affatim poterat. Sed partim, credo, incertus vtrum ea res Ioanni Regi grata eſſet futura; partim haud ita decorum ratus, Chriſtianum hominẽ in parẽtis paſtoriſq; loco Mahometanis præeſſe; oblatũ ſibi honorem opeſq;, magno animo & excelſo repudiauit: omniq; arte ac ſtudio, muneribus etiã è ſua pecunia conſecutus eſt, vt in patriã cuncti remigrarent, & cõmunis concordiæ ſalutiſq; gratia, Tabaria interim omiſſo, Aeriũ Regẽ volentes agnoſcerẽt. Hac maximè ratione Galuanus rẽ Ternatenſem diu multumq; iactatã, haud ſiue magno labore ac

difficultate reſtituit. Cæterùm ab Geilolio, & Bacianio adhuc reſtabat bel- D
lum. Nec dubitauit Galuanus Regem vtrumque ad ſingulare certamen
prouocare; vt vnius, aut alterius capite potius, quàm multitudinis damno
& vexatione, certamina finirentur: & in arenam haud dubiè ventum eſſet,
ni Rades, cuius modò meminimus, pro amicitia interceſſiſſet. Hoc vel in
primis adiutore & ſequeſtro, non prouocatio tantùm oppreſſa; verùm etiã
inter Luſitanum & Reges ambos reconciliata pax, & longo interuallo re-
nouata commercia. Poſt hæc, ad reficiendas vrbes per bellum dirutas, cure
conuerſæ: qua in re fidem Tidorenſi Galuanus egregiè præſtitit. dein, calca
rijs inſtitutis, Ternatenſem ipſe arcem augere ædificijs & propugnaculis
aggreſſus eſt: portusque aditum, antea inſidioſum & peranguſtum, ſcopulo
qui medium occupabat, ferramentis exciſo, reddidit ampliorem. Ad hæc,
Luſitanos colonos, contractis ad ſobolem nuptijs, hortando perpulit, pri-
uatas ædes pro arundineis cœmentitias facerent; puteos foderent; hortoſq;
& allatas ex India vites, & poma ſererent; quam ipſam ad rem & ad cætera
vitæ miniſteria, largas aquas à duodecim fermè paſſuum millibus ad arcẽ
vſque perduxit. Inſuper Aerio Regi, ducta iam ad propagandam ſtirpem
vxore, conſulenti popularibus ſuis, & ædificandi æmulatione vehementer E
incenſo, rectas vias atque tranſuerſas, & cæteram vrbis dimenſionem ſum-
ma eius voluntate deſcripſit. neque ipſum modò Regem, ſed omnes peræ-
què incolas, omni officio & humanitate demerebatur. Ex quo apud barba-
ros tantum huic viro beneuolentiæ & venerationis acceſſit; vt eum æquè
ac parentem cuncti obſeruarent: ipſe quoque Rex, & magiſtratus; nihil ferè
grauioris negotij, niſi ex eius auctoritate ſuſciperent. Per idem tempus, in
Mauricis inſulis archipirata quidam, haud contemnenda claſſe non modò
gentem importunè vexabat; ſed etiam Ternatenſibus atque adeò Luſitanis
apertè minabatur. Aduerſus id malum Galuanus caracoras aliquot ab Ti-
dorenſi Rege commodatas, cum paucis Luſitanis & auxiliaribus alijs mi-
ſit, Fernando Vinagrio ſacerdote, viro impigro, expeditioni præpoſito. is,
Chriſto duce ac præſide, inſignem ex hoſte victoriam tulit. Archipirata, &
ipſius frater, alijque multi occidione occiſi; cæteri turpem in fugam auerſi.
Inde Vinagrius ad Mauricas res componẽdas adhibito ſtudio: cùm plero-
que ex ijs qui per metum à Chriſto paulo ante deſciuerant, in gratiam cum
Eccleſia reduxit; tum alios quoque non paucos ad fidelium numerum ag- F
gregauit. Hanc lætam adeò victoriam, alia mox neque magnitudine, neque
fructu inferior ſubſequuta. Iunci complures ab Iaua, Banda, Macazare, &
Amboino inſulis ad coemendum caryophyllum Molucas petebant. Ea re
cognita Galuanus, ne per huiuſce claſſis aduentum Luſitana commercia
turbarentur; caracoris viginti quinque, Luſitanos haud amplius quadra-
ginta, & auxiliares circiter quadringentos impoſuit. Cum ea manu profe-
ctus Iacobus Lupius Azeuedius, Molucenſi mari præpoſitus, ad Amboinũ
occurrit hoſti; neque vlla pugnandi mora eſt facta. fuſi fugatique magna
cum cæde barbari; & ex ipſis iuncis, aliquot in poteſtatem venêre. in ijs tor-
menta complura; telorum vis ingens; & pecuniæ non parum inuentum eſt.
Inde territis latè nationibus, victor Azeuedius Amboini oram legens, acco
las maris vniuerſos aut voluntate, aut vi ad nomen Luſitanum adiunxit: ijs
qui Atiuam, Mantelum, & Nuciuelem præcipua eius littoris habent oppi-
da, enixè petentibus, Chriſtiana ſacra per ſacerdotes impertijt. ac demum
rebus è ſententia geſtis, magna cum præda Ternatem reuertit. liſdem ferè
diebus, Galuani miſſu, Ioannes Focatia ad Papuas inſulas delatus, conſilio
ac lenitate magis quàm viribus, regulos omnes ad ſocietatem atque amici-
tiam perduxit Regis Luſitani: præbitamque ab ijs magnam commeatus co-
piam, incolumi claſſe Ternatem aduexit. Hoc tam ſecundo rerũ progreſſu;

ne quid

A ne quid ad gloriam Galuani præfecturæ deesset, ex alia quoq; parte ostium repente ingens Euangelio patuit. Macazar est insula, cuius modò memini mus, leucas à Molucis in Orientem quinque circiter & quadraginta. Eadem ab Aquilone in Africum perpetuo tractu leucas fermè ducentas excurrit: atq;, vt aliæ fermè vicinæ, plura in regna diuiditur. Abundat in alimenta mortalium oryza, sale, carnibus, pisce: in reliquos verò vsus atque delicias, cãdida veste, sandalo, ebore, auro, margaritis: &, quę corporũ firmitas & stu diũ est gentis, valentissimo in primis & exercitatissimo remige. Super hæc, amnibus ad euectionẽ subuectionemq; scinditur multis; qui è montana introrsus regione decurrũt. Ex hac insula germani duo fratres, Ternate nup baptismi sacramentũ, sponsore eodem & hortatore Galuano, susceperant: nouisque de more nominibus Antonius Galuanus alter, alter Michaël vocabantur: ambo deinde cùm in patriam reuertissent; Euangelio vtcunque prædicando, magnam popularium partem ad contemptum fictilium Deorum, ac miram in cupiditatem nouæ ipsis quidem, ac peregrinæ religionis impulerant. Ea re permoti, legationis munus ijdem ad Galuanum gentis nomine haud ita grauatè recipiunt; atque ad conciliandam facilius societa
B tem, vario genere mercium, quas terra fert, in naues impositio, nobiles insu per aliquot adolescentes baptismi causa Ternatem adducunt. Periucunda Lusitanis ea legatio fuit. Macazares confestim sacro fonte lustrati, & Franciscus Castrius notæ probitatis & industriæ vir, ad firmandam cùm ea gente, & ineũdam cum vicinis Regibus amicitiam, haud sine muneribus à Galuano missus, ex itinere primùm ad insulam Celebiorum appulit Cetiganũ. ibi clementer acceptus, Regem vnà cum fratribus tribus, coniuge, ac filio; itemque è nobilitate ad centum & triginta, & è plebe non paucos ab idolorum seruitute, ad vnius Dei cultum, ingenti omnium animi voluptate conuertit: & elutis baptismate maculis, neophytos alios aliter; ipsum Regẽ nouo nomine Franciscum appellauit. duo & viginti dies in tam salutari negotio positi. dein, magno sui desiderio relicto, Castrius ad Mindanaum insulam accessit; ac legens orã, denique ad insigne oppidum Siliganũ haud frustra delatus est. quippe Regem (quem Antonium exinde Galuanum vocarunt) Reginamque, & filias duas, & è populo centum circiter & quinquaginta ad Euangelicam veritatem ab impia superstitione traduxit. In eadem insula baptizati cum vxoribus, fratribus, liberisque, & magna popularium
C turba Reges alij tres, Butuanius, Pimilaranus, & Camiguinus: illorũ vtriq; Ioannes; huic Franciscus inditum nomen. His rebus peractis, à Mindanao Castrius cùm ad Macazares vela feciisset, aduersis repente ventis, ac sæua tempestate pæne submersus, Ternatem necessariò redijt, Macazarensi expeditione in aliud tempus dilata. Interea Galuanus magnopere lætus relatis in horreum Domini, quamquam oppido paucis ex infinita messe, manipulis; ad nouas operas comparandas diuino prorsus instinctu seminariũ puerorum instituit. quod vnicũ labenti Christianæ disciplinæ remedium, tanto deinde post Tridentina Synodus approbauit. In id Seminarium adlectos è varijs nationibus adolescentulos indolis bonæ, qui matura dein ætate, in sua quisque patria Euangelio insisterent; summa cura, ac diligentia, quoad permitterẽt occupationes, per se, perq; suos, Christianis & litteris imbuebat, & moribus. quin etiam, parẽtes barbaros, quò facilius desideriũ ferrent; & verbis, &, vbi res poscceret, etiam donis, admirabili quadam benignitate ac mansuetudine leniebat. Hic Molucensis rei cursus Nonnio Indiã regente per nouennium fuit. Eodem Prætore Nonnio primus ex Episcoporum numero ad ecclesiasticã rem inspiciendã ordinandamq;, Fernandus è Franciscana familia in Indiam venit: ibi cùm cæteris functionibus; tum sacramentis præsertim Confirmationis, & Ordinis ritè ministrandis, necnon

per sa-

per ſacras conciones & priuata colloquia Luſitanis ad diſciplinam atq; ad D
officium reuocandis;ethnicis ad Chriſtianam alliciendis fidem;Epiſcopale
munus egregiè præſtitit.nec dubium,quin multa & ab hoc viro, & ab alijs
in eo genere digna relatu & præconio, geſta ſint. Sed admodum raræ tum
quidem in ijs locis fuerunt litteræ:& ſi qui exſtant ſcriptores; ij fermè inſti-
torum peregrinationes atque commercia,& ducum res bello geſtas,ac do-
meſticas plerunque diſſenſiones per otium explicant;Chriſtianæ rei (quod
caput erat)progreſſum,& in erudienda barbarie piorum labores & fortia
facta,quaſi ab inſtituto aliena,vel omnino prætereunt, vel mira breuitate
perſtringunt.Inter cæteros multa eſt mentio Zufolarini, quem ad Goam
obſidendam, Albuquercio Prætore,veniſſe docuimus. Is deinde, honoris,
& gratiæ cauſa Azedecan ab hero Idalcane appellatus, & aliquot inſuper
auctus vicis atque caſtellis, ad amplas breui peruenit opes:ac Pondam vi-
cum,de quo ſupra diximus,ad multa opportunum,& vrbi Goæ imminen-
tem,lata foſſa & egregij operis muro circundedit. Veritus deinde propter
interpoſitas offenſiones(qui Mahometanis Regibus ac tyrannis eſt mos)ne
ab Idalcane per calumniam omnibus bonis ac fortunis euerteretur; occul-
tum fœdus cum Nonnio Prætore percuſſit;atque ad Luſitanorum animos E
demerendos,Bardeſiana,& Salſetana portoria opimi & propinqui reditus,
Ioanni Regi ſponte aſſignauit.Miſſi confeſtim ab Goa exactores & ſcribæ,
fixo in ijs locis domicilio,aduentitiæ & inſperatæ pecuniæ non exiguas col-
ligebant ſummas.Haud ita multum dein effluxit temporis, cùm Azedecã,
vel purgatis, vt fit, ſuſpicionibus; vel deprecatoribus apud Idalcanem ad-
hibitis,priſtinum gratiæ locum recepit:demptoque metu, pœnitere cæpit
hominem,proiectæ ſine cauſa tantę partis fructuum; & præualidæ gentis in
eas terras inductæ.Multa viſuntur apud Indos fanis dœmonum adiuncta
domicilia,non modò virorum,ſed fœminarum etiam; præſertim quæ de-
functo marito ſeſe cremandas eundẽ in rogum inferre non auſæ (quã vetu-
ſtiſſimam eſſe conſuetudinem,& Propertius,& Strabo demonſtrant) metu
deinde ignominiæ,lucem & celebritatem hominum fugiunt;& remotis ab
vrbe locis intrà ſepta quædam incluſæ,quod reliquum eſt vitæ,in exſecra-
bili Satanæ famulatu conſumunt.Ex hiſce vnum commodo ſitu, Luſitani
Quęſtores inuaſerant.locus,de nomine cacodęmonis,cui dicatus erat,Bar-
dor appellabatur.Eos inde,facta manu,duce Solimano barbarus pellere,& F
vectigalia ſibi vindicare fruſtra conatus,occaſionem inſuper Luſitanis prę-
buit,arcis egregiæ,quam Raciolum appellant,in ijſdem finibus exſtruendę.
Tum verò Azedecan,auctis externo milite copijs;nouem circiter millium
ſummam expleuit:in quibus cataphracti erant equites quinquaginta,leuio
ris armaturæ ducenti.Cum hiſce copijs idem Solimanus Raciolum acceſſit
primò.dein ad eliciendum in inſidias Luſitanũ reducto exercitu,duas inde
leucas,circa montis cuiuſdam flexũ,occultè conſedit.Interea excitus à Ra-
ciolanis Ioannes Pereria Goę pręfectus,abſente per eos dies Nonnio Præto
re,cum Indis mille,& Luſitanis quadringentis; quorum erant equites non
amplius centum,extemplo Raciolum accurrit.inde,cupiditate certaminis
ad hoſtẽ parũ explorato prouecti Luſitani,iniqua repente cernunt omnia,
numerũ peditum equitumq;; naturam loci;corporum habitus.quippe,lon
gè ab arce ſubſidioque,non modò cum multiplici, ſed cum recenti aduer-
ſario,feſſis ac paucis prelium inſtabat.Solimanus interim,ad circumeũdos
Luſitanos extenuata maiorem in ſinum acie,pedites ab lateribus; cataphra
ctos in medio;expeditos equites centenos in vtroque cornu locauerat.iam-
que promotis agminibus,ad iactum miſſilium, quæ ignea erant pleraque,
ventum erat;cùm ex imminente periculo turbatę Luſitanorum,præſertim
auxiliarium,mentes;& inſolitus quidam oculis animiſque terror offuſus.

Ea re

A Ea re animaduersa Ioannes confestim aciem interequitans ; Quæ vos (in-
„ quit) noua formido, commilitones, quis præter consuetudinem horror in-
„ uasit? scilicet ex longa defatigatione, incommodo loco deprehensi, nec opi-
„ natam hostium multitudinem extimescitis. quasi verò nunquam adhuc,
„ ex eiusmodi periculis ac difficultatibus, Dei benignitate, cũ incolumes, tum
„ victores etiã euaserimus. Nonne, qui rebus in asperis ad hãc vsq; diem nobis
„ maioribusq; nostris affuit Christus, nunc quoque præsens ac propitius fore
„ putandus est? aut non idem hic est hostis, quem antea sæpe fudistis? cuius to-
„ ties in terga pugnastis? cui per hosce dies inuito ac renitenti munitissimam
„ arcem imposuistis? Proinde, state animis viri, & omnem salutis spem, secun-
„ dum immortalem Deum, in dextris ac virtute reponite. Nam de receptu,
„ ne deliberatio quidem reliqua est vlla. Cedetur patẽti campo fugacissimus
„ quisq; prius quàm fractis metu viribus ad mœnia Raciolana tanto inter-
„ uallo perueniat. Inter hæc dicta, conspicatus intentos ad orbem claudendum hostes; Iordanẽ Freitam cum delectis equitibus triginta, in cataphractos immittit. ipse cum pugnacissimis nouẽ (nam reliquos tardabat metus) antequam hostium cornua inter se coirent, in alterum, ardentibus animis
B impetũ dat. Et quamcunque in partẽ sese ferox iuuenũ concitat globus, perturbant hostiũ signa, & maiorem quã pro numero edunt stragẽ: atque instãtibus nuper, vltrò ipsi pauorem ac trepidationem incutiunt. Eo spectaculo Solimanus accensus, ex altera parte cum suis in auersos incurrit. ita abruptum ab reliqua acie cornu; & solutis ordinibus, promiscuè geri cæpta res est. Et Lusitani socijq;, cum inter pugnæ fugæque consilium aliquandiu trepidassent; pudore demum per ignauiã deserẽdi ducis, & mutuis inter se adhortationibus incitati, dẽsata acie, & pariter clamore sublato, medios in hostes inferunt signa: & corrigendæ tarditatis ac demendæ ignominiæ studio, valida facta impressione, hostem impellunt primò: dein redintegrato impetu prorsus auertunt. Fusos inde passim Pereria cum equitibus, ad proximum vsque flumen acriter insequutus, latè cæcidit; cũ quidem Canarini & Decanij, ne in fuga dignoscerẽtur, virentes ramos, quod sociorum Lusitani nominis erat insigne, capitum tegumentis inserrent: ex hostibus, eo prælio, præter captiuorum turbam, mille & septingenti desiderati. è Lusitanis & auxiliaribus, icti, sagittis fermè, complures; ne vnus quidem (quod portẽ-
C ti simile videatur) occisus. Tum castra, plena omnis opulentiæ, momẽto direpta. & Pereria, euidenti planè Dei superumq; auxilio, cuius maximè fiducia inierat pugnã, memorabili partà victoria, spolijs diues & barbarica suppellectili, Goam reuertit; omniq; obuiam effusa ciuitate, cum laudibus, & cum solenni supplicatione ouans vrbem introijt. At Azedecan, quãquam tristi nuntio perculsus, non tamen iccirco abiecit belli consilia: quin, Solimano dimisso, cuius ductu iam toties malè pugnatũ erat, Carnabecũ Turcam Asiaticum, virum & corporis robore, & armorũ arte præstantẽ, & sub eo præfectos octodecim ex eadẽ natione conduxit. ij cum octingentis equitibus, & peditum quatuor millibus ad eadem vectigalia recuperanda profecti; rursus ab Lusitano vincuntur. Carnabecus ipse inter alios, ac Turcæ præfecti, eo prælio ad vnum omnes occisi. Neq; tamen incruenta Lusitanis victoria fuit. promptissimi aliquot, partim profundis foueis hausti, quas consultò occæcauerant hostes; partim etiam ipsius Carnabeci manu perempti sunt. Ea pugna fractus tandem Azedecan, ab armis abscessit: & pacata in aliquot annos regione, Lusitanus traditam sibi vectigalium possessionẽ, haud sine magno prouentu retinuit.

Libri decimi Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER VNDECIMVS.

DVM hæc à minoribus præfectis geruntur, ne ipſi quidem Nonnio Prætori fuit otioſa prouincia. Is ingentem nactus naualem apparatum, quem decedens Lupus Vaſæus partim Goæ, partim Cocini reliquerat; ad expeditionem Dienſem, quam Luſitani dudum coquebãt, animum adiecit. ac primùm, idoneos homines, magnis præmijs inuitatos, mercatorum ſpecie Dium ex vrbe Goa præmiſit: qui cuncta probè cognoſcerent; ac Luſitanas vires augendo verbis, Tocanem dynaſtam, Sacæ demortui fratrem, ad vitanda certamina, & componendam quauis conditione pacem impellerent; ac demũ appropinquanti ſibi omnia explorata clam ex vrbe renũtiarent. In horum opera & fide, quam multis rebus perſpectam habebat; magnam rei perficiendæ ſpem collocauerat Nonnius. Dein, ſatis prouiſis omnibus, quę ad rem pertinebant; diem ad conueniendum nauticis omnibus Ciaulum edixit. Ab Ciaulo profectus cum ornatiſſimis nauibus variæ formæ trecẽtis, in quibus erant Luſitanorum tria millia, Malabarium totidem, & Canarini bis mille; Damanum oppidum oræ Cambaicæ proceſſit, metu deſertum ab incolis. ibi, ſolenni peracto ſacrificio, Antonius Petronius Franciſcanus, pro concione cunctos ad obeunda fortiter militiæ munera, pellendoſque ex vrbe Dio nefarios Chriſtiani nominis hoſtes, Mahometanæ ſectę cultores, hortatus eſt. Ab Damano claſſis, præciſo Cambaico ſinu, Betelem tenuit. Hoc nomine inſula eſt, perexiguo circuitu leucæ fermè vnius, anguſto admodum freto à continenti diſiuncta, difficili acceſſu, pęnè vndique ſepta præruptis haud modicæ altitudinis rupibus. Ea, quod leucarum octo non amplius traiectu peropportunè imminet in vrbẽ Dium, & circundato muro inexpugnabilis reddi facilè poterat; ad eum locum muniendũ paulo ante Cambaiæ Rex quendam è ſuis præfectis, Turcam natione, cum duobus millibus armatorum, & ſtructoribus operiſque circiter mille tranſmiſerat. Sed nondum eò peruenerat opus, vt arceri munimento externa vis poſſet. ac proinde repentino tantæ claſſis aduentu perterriti milites, & præter cæteras difficultates etiam nauigijs ad tranſmittendum, vel accerſenda è propinquo auxilia deſtituti; conſilio habito, de arce honeſtis conditionibus tradenda conſentiunt. Dux ipſe, quò plus auctoritatis in eſſet legationi, accepta fide, ad colloquium prodijt. Petebat vti ſibi cæteriſque inſula excedere, ſuaque ſecum exportare tutò liceret. Cui Prætor, inſolito ferox apparatu, & auidus rei gerendæ; ipſi quidem id petenti dare ſe dixit: cum reliquis, niſi permittentibus omnia, negauit vllam pacis conditionem eſſe. Hoc tam triſte reſponſum in arcem relatum, miſtam deſperatione iram in militum pectoribus accendit. Extemplò regius Quæſtor, ex obuijs trabibus raptim conſerta rate, per tenebras pecuniam regiam in continentem auexit. hunc, nando ſubſequuti ex imbelli turba qui poterant. cæteri, fero & infando

conſi-

A consilio, vxores, & liberos, & quæ habebant cariſſima, in vnum congeſta cumulum, ea ipſa nocte ſuccendunt. & ex vniuerſo præſidio ſeptingenti fermè, certo deuotionis genere, monachorum inſtar vertice capitis ad coronæ ſeu diadematis figuram abraſo (adeò is ritus apud barbaras quoque nationes defunctum humanis curis animum, & ipſius prodigum vitæ ſignificat) ad mortem fortiter oppetendam obſtinata mente coniurant. In de cæci furore & amentia, non ſine probris conuitijſque, Luſitanum vario telorum genere ſupernè laceſſunt. Ea commotus audacia Prætor, non exſpectato, vti decreuerat, Solis ortu (& fortè nox erat Lunæ radijs admodum illuſtris) expoſito milite, à quatuor ſimul partibus adortus inchoatam arcem expugnat. Varijs inde locis, vti ſe ſe paſſim conglobauerant hoſtes, atrociter dimicatum eſt. Dux ipſe cum egregijs aliquot, eques primò, tum pedes ingenti animo prælium ciens, haud inultus occubuit. Cæſo duce, fuga in omnes partes illicò fieri cæpta. cumq; hinc infeſtæ cuſpides; inde vaſtæ crepidines, & obſeſſum nauibus mare ad ſalutem obſtarent; vrgẽte metu alij per ſaxa cauteſque ſe ſe deuoluunt; alij ſpecus & latibula circũ ſpiciunt: multi eminus traiecti miſſilibus, multi cominus gladio haſtaue B confoſſi, pauci admodum in ſeruitutem abducti. Cæterùm vnius memorabile in primis exitium fuit. is, in anguſtijs deprehenſus, cùm adhærentem lateri comitem interfectum, & in ſe deinceps intentam Luſitani lanceam cerneret; nulla cunctatione in vulnus ac ferrum vltrò ſemet impellens; ad corpus aduerſarij per ipſum haſtile furibundus affluxit; & ſtricta ſica, nec opinantis abſcidit femur. ita, mutuis ictibus, alterius vterque ſanguine expleti, in eodem pænè veſtigio corruerunt. E Luſitanis deſiderati nobiles viri ſeptendecim. vulnerati centum & viginti, quorum nonnulli poſtmodum exſpirarunt. Poſt hæc, euerſis, aut incenſis Cambæorum operibus; eorumque tormentis in claſſem acceptis, Prætor circa eãdem inſulam octo fermè dies in anchoris ſtetit; nuntium ab exploratoribus de ſtatu rei Dienſis ibidem exſpectans. Ea mora ſaluti Dienſibus fuit. Siquidem per eos ipſos dies Muſtafa, & Sofar, qui nuper ab Adeni obſidione receſſerant; fugitiua, vti ſupra demonſtratum eſt, Turcarum tyranni mancipia; nouam & conditionem & ſedem quærentes, Dium claſſe deuenêre; ſecumque ſexcẽtos Turcas, Arabas mille & trecentos, &, præter minora tormenta, baſiliſcos æneos egregiæ formæ tres in vrbem inuexêre. Hoc tam inſperato C ſubſidio magnopere confirmatus eſt Tocan, cùm paulo ante, Luſitanæ claſſis fama conterritus, ad deditionem haud dubiè inclinaret. Exinde, Muſtafæ ſuaſu, emiſſa extra oppidũ cum pretioſis rebus puerorum ac mulierum turba; reliquos oppidanos recenſuit. inuenti qui arma ferre poſſent, præter nouos auxiliares, vndecim ferè millia; & omnes graui edicto vetiti egredi ex vrbe. Tum, eodem hortante atque adiuuante Muſtafa, ſtationes ad portas, in muris tormenta vigiliæque diſpoſitæ: & ſub præcipuas vrbis vias acti, & ſulphureo puluere completi cuniculi; quibus, ſi in vrbem irrupiſſent hoſtes, in extremam eorum perniciem ignis applicaretur: & intra oſtium portus, quod ferrea catena claudi ſolitum eſſe docuimus, tres & ſeptuaginta biremes inſtructæ: denique nihil omiſſum, quod ad vrbem, præſertim à mari, firmandam tali tempore pertineret. Nonnius, vti dicebamus, conſultò ad Betelem interea trahebat morã. dein, cùm ij quos ob idipſum ab Goa præmiſerat, neque ipſi venirent, neque nuntium aut literas mitterent; quippe cuſtodibus ad exitus omnes appoſitis; ignarus omnium quæ apud hoſtes fierent, ad incertum euentum à Betele Diũ ire perrexit; haud dubiè ratus, ad conſpectum tãtæ claſſis, motum aliquem in vrbe futurum. Vbi eò peruentum eſt, vixdum in ſalo iecerat anchoras, paratus per colloquia tentare animos incolarum; cũ ex omnibus repente pro-

pugnaculis in classem vis ingens pilarum emissa. è quibus, inspectante Nõ- D
nio, in ipsam pæne Prætoriam tres illatæ, magnam consternationem fecê-
re. Inde subducta extra ictum classe, & omni spe non voluntariæ deditio-
nis modò, sed etiã pacis abscissa; cum speculatorijs nauigijs missi, qui è pro-
ximo quoad liceret lustrata oculis vrbe, certi quippiam referrent. ij, abra-
so ad iacula vitanda littore, sensim progressi, ingentem aspiciunt pro mu-
ris hominum frequẽtiam, & nauium multitudinem in portu paratam, &
omnia telis, atque tormentis, micantibusque cum ingenti sonò flãmis hor
rentia. Simul animaduertunt; non æquè ab terra atque à mari difficilẽ op-
pugnationem esse: & sicubi descensio facta sit; à Septentrionibus maximè
succedi ad mœnia posse. Hisce rebus cognitis Prætor, quod in vnam rem
naualem intentus, terrestris pugnæ machinas & instrumẽta nequaquã ad-
uexerat; portus claustra perfringere; classemq; adoriri, & simul è nauibus
mœnia diuerberare decreuit. In eam rem postridiè cum tormentis maiori
bus promotæ, centonibus & pluteis tectæ, scaphæ complures; triremibus
ab tergo & ab latere adiunctis: quæ simulatq; per stragẽ aliquis aditus dare-
tur, ad irrumpendum inter volitantia tela militem audacter exponerent. E
Hæc, turbatis inexspectata hostiũ vi plerisq;, aduerso insuper æstu, per me-
tum ac trepidationẽ ægrè fiebant: & simul periniqua erat verberãdi condi-
tio: quippe cũ oppidani, è fixo & immobili, ad ictus destinatos tormenta li-
brarent; Lusitani, è fluxo & instabili, prope in incertum mitterent tela. Er-
go, vt in huiusmodi conditione, alteris nihil fermè illatũ damni; ex alteris,
propugnatores & nautæ non pauci pæne momẽto discerpti sunt: &, quod
vel in primis oppugnantium fregit animos, omnia fermè tormenta, mate-
ribus quàm quos paterentur bolis, & nimia defatigatione disrupta. Hoctã
infelici successu perculsus Nonnius; ne simul ad procellas ac tempestates
expositam in salo classem haberet, simul milites remigesque tãto cum de-
trimento densissimis hostium globis obijceret; sublatis anchoris, frendens
gemensque irrito conatu ad Betelem redijt. Inde, Antonio Saldania ad
peruastandam Cambaicam oram cum parte copiarum relicto, cæteras ip-
se Goam reduxit incolumes. Eodem paulo post Saldania quoque redijt, in-
ter cæteras clades euersa Goga (id oppidi nomen) & onustis Indica fruge
quinque & viginti paronibus vno incendio absumptis, Cãbaici sinus custo
dia viro egregiè forti Iacobo Sylueriæ tradita. Goæ hyems iure dicundo, &
nauibus reficiendis exacta. deinde vbi sese æstas aperuit; Cialem Prætor P
classe contendit. is locus vltra Calecutum duas leucas apprimè nauigabili
æstuario impositus, mirè factus erat ad Arabum infestanda commercia;
& Zamorini consilia exploranda, conatusq; opprimendos. Ibi ergo Præ-
tor, quieto Calecutano, neque ad impediendam ædificationem ausо in-
ire certamen, arcem egregiam opere militari paucis diebus exstruxit. In
eam rem agri pars cum palmetis ab Cialensi regulo præsentibus num-
mis coempta: & regulus ipse, ne Zamorini vim extimesceret, in fidem ac so
cietatem acceptus est. Eadem æstate, Iacobus Sylueria, Tanahensem dyna-
stam Diensis auxilij fiducia tributum pendere recusantem aggressus, oppi-
do exegit; ipsumq; oppidum egesta præda cremauit. In eodẽ tractu Bando-
ram, qui locus erat in Tocanis ditione, & opere magno, & valido præsi-
dio munitus, vi cepit, ac diruit. Multos præterea Cambaicę oræ vicos e-
uertit; naues partim subductas exussit, partim cum oneribus Dium petẽ-
tes excepit, aut depressit. ad hæc, in remigum supplementũ, quattuor mil-
lia captiuorum abducta; & clausis vndique maritimis cõmeatibus, Diensi
portorio & annonæ, ingens eo anno detrimentum illatum est. eadem pę-
ne vastitas, eodem Sylueria duce, anno insequenti propioribus etiam vr-
bi Dio littoribus atque agris inuecta. villæ, vici, nauigia passim incensa.

multi

A multi mortales abducti. opulenta emporia duo, Pate, & Patane, haud sine certamine capta & direpta. Mangalor oppidum insigne (quo item nomine emporium est in ora Malabarica) dilapsis metu Mahometanis, deletum: ditati præda milites: nec parum pecuniæ in regios quoq; fiscos redactum: impunè cuncta: cùm & nouo Cambaiæ Regi Badurio interioribus implicito bellis, haudquaquam vacaret opem ferre quamuis adeò laboranti oræ maritimæ; & Melicus Tocan, circunferenti bellum Lusitano occurrere nec po. nec satis auderet absente Mustafa, qui post repulsos ab Dio Lusitanos, giam cum læto nuntio ad prȩmia petenda, & venditandam in posterum operam suam Regi, haud sanè magna Tocanis voluntate contenderat. Eo adiumento ac præsidio destitutus Tocan, omnibus circa populis ob recentia damna terrore nominis Lusitani perculsis, quicquid habebat copiarum ac virium, partim ad vrbis Dij custodiam, partim ad muniendum Bazainum summo studio conferebat. Et Nonnius, ardens dolore susceptæ ad Dium labis, ad eam eluendam, excidium Bazaini tacitus dudum apud se voluebat. Ac maturandum ratus antequam ab terrore populationum reficerentur hostium animi; cum nauibus amplius octo-
B ginta, & bellatorum quatuor millibus, quorũ dimidia pars Lusitani, cæteri Malabares aut Canarini erant, Ciaulum accessit. inde præmisso cum expeditis nauigijs Emmanuele Albuquercio ad portus introitum occupandum, ipse Iacobo Sylueria trans Dium accito, cum cætera classe subsequitur. Bazaini tum agebat Tocan magno equitum peditumq; numero ad famã classis Lusitanæ contracto. Munitionis autem ratio erat huiusmodi. arcẽ idoneo loco ædificatã habebant. præterea, ad euripi fauces, qua descensuros putabant hostes, propugnaculũ excitarant. inde perpetuã fossam immisso mari, itemq; aggerẽ cum crebris turribus, magna tormentorũ imposita vi, ad oppidũ vsq; perduxerant. neq; oppugnari, nisi eo munimento superato, arx poterat; & frequentia tectis loca protinus petenti hosti, nullis circa syluis aut collibus, turres ab latere minabantur. Nõnius, ducetrãsfuga locorũ perito, paulo supra id quod dixi propugnaculũ, tripartitò exposuit copias. Primo agmini Iacobus Sylueria; secundo Fernandus Deza, & nauarchi aliquot præerãt: postremum ducebat ipse. Vbi propius ad munitiones ventum est; Lusitani, tẽtata dein omissa propter altitudinem fossa; præter hostium oculos ad oppidũ rectà contendunt. Scilicet in præter-
C euntes confestim ex aggere sęuus imber telorum, perpetua iaculatione cõiectus. quacunque audax incedit agmen; igniferæ bolides; plumbei ac ferrei globi, spicula densa circumuolant. Mirum profectò, & quod, nisi in potentiam Dei referatur, planè fidem excesserit. Puro & patenti littore, cùm è turribus ac fenestellis vndique peterentur; nemo prorsus omniũ ictus est. quo miraculo commoti auxiliares multi, sponte dein Christianam fidem amplexi, cùm ita affirmarent: angustis in rebus nullũ omnino ęquè atq; Lusitanorũ Deum suis cultoribus esse præsentem atq; propitiũ. Ad extremas munitiones cũ decem amplius millib⁹ armatorũ sese Tocan ostẽdit. Ibi acrior cõcursu primo, quàm perseuerantior pugna fuit. Inuehentem se magno impetu Lusitanũ, gladijsq; & hastis aduersa ora & pectora fodientẽ, diutius non ferentes Mahometani, transmisso per pontem euripo, ad proximos montes celeri fuga succedũt, eodemq; loco castra communiunt. Nec maior inclusis intra arcem, ad sustinendam oppugnationem animus fuit. Eminus conspicati suos abeuntes, & hostium aduentans agmen, extẽplò sese per auersam arcis partem omnes eijciũt: traiectoq; pariter euripo, Tocanis vestigia subsequuntur. Per hũc modũ arx oppidumq; minore quàm timebatur certamine in potestatẽ venit. è Mahometanis, tum in prælio, tũ in fuga, cæsi quingenti & quinquaginta. è Lusitanis, desiderati nõ amplius

ſex. Multum ibi ſulphurei pulueris & globorum inuentum; & maiora tor- D
menta circiter quadringenta. Prætor, collaudato præcipuè Sylueria & ijs
qui in primo agmine dimicarant (nam ad ſecundam aciem & ſubſidia pre-
lium non peruenerat) doniſque militaribus de more diſtributis, in ipſo lit
tore caſtra poſuit: inde quicquid erat fertile in agris, ferro igniq; corruptũ;
oppletæ hoſtiũ foſſæ; prorutum vallũ; & arx ipſa, quod ad eam tuendã co-
pię non ſuppeterent, à fundamẽtis exciſa. & Nõnius, per ſe perq; ſuos egre-
giè repenſo barbaris quod ad Diũ acceperat damno, incolumi claſſe Goã
hyemandi cauſa repetijt. Circa idem tempus, Vgentanæ Rex, Malacenſem
oram crebris excurſionibus habebat infeſtã. Aduerſus eum cũ quadringẽ-
tis Luſitanis à Malaca profectus Stephanus Gamma, qui tũ vrbi præerat, ad
uerſo flumine ad hoſtẽ ſubijt: ac munitiones primũ in itinere obiectas, ex-
poſito milite per vim cepit: dein, fugato Rege, deſertã arcem & vrbẽ Vgẽta
nam incendit; tormẽta cõplura, naueſq; captiuas cum inſigni laude victor
Malacam reduxit. Sub hæc, è Luſitania cũ onerarijs quinque Martinus Al-
phonſus Soſa, præfectus maris Indici deſignatus, Goam defertur. Is, accep-
ta à Nonnio claſſe, nauibus quinq; & triginta, in quibus erant Luſitani ſex-
centi, ad Damanum duxit oppugnandũ. Cambaici littoris id quoque oppi E
dum eſt, ſupra Bazainum leucas fermè quattuordecim. Carebat mœni-
bus, atque ob id ipſum oppidani cognito claſſis aduentu diffugerant. Sed
firmi operis arcẽ Turcæ admiſti Reſbutis, quæ gens latrocinijs dedita Car-
maniæ fines attingit, quingenti numero tuebantur. ijdem, vrbis aditum à
portu, tumultuarijs munitionibus crebriſque tormentis obſepſerant. Soſa
in conſpectum hoſtium delatus, leui primùm nauigio ad contemplandã
loci naturam & opera circunuectus eſt; dein vitato portu, nocte intempe-
ſta in aſperum littus non ſine periculo repente deſcendit; ac partim ſcalis
ad muros appoſitis; partim, dum pauidi quidam elabuntur, portis raptim
occupatis, in arcem irrupit. Intra mœnia, cum Turcis præſertim, intercluſo
exitu, atrociter dimicatum eſt: ac, paucis exceptis qui inter primũ, vt di-
xi, tumultum euaſerant, cæteri ad vnum omnes occiſi. è Luſitanis, decem
deſiderati non amplius: grauiter icti complures. Arx triduo diruta, & ſolo,
vix vt veſtigium exſtaret, æquata eſt. Inde victor Soſa totam Cambaicam
oram, non ſine magno terrore, Diũm vſque percurrit. Capti & euerſi Da-
mani fama Badurium valdè commouit; præſertim quod eo ipſo tempo-
re grauia ex alijs partibus bella imminerent. in quæ dum totis incũbit vi F
ribus, ne interim acrior ab tergo Luſitanus inſtaret; oratorem petendæ pa-
cis ad Nonnium miſit; ſcriptiſque & obſignatis conditionibus, Ioanni Re-
gi Bazainum, vicinaſque inſulas, quo in numero Salſetanæ ſunt, & partem
inſuper continentis attribuit. Pace cum Luſitanis facta, ſeſe ad cæteras ex-
peditiones accinxit. Duo tum à Septentrione hoſtes in primis vrgebant:
Cremẽtina vidua, Sangæ Regina, eximia ſpecie, cæterùm præferoci & plus
quàm virili ingenio mulier; à prima ætate militiæ rudimentis imbuta, pug-
namque inire, Amazonum inſtar, intrepidè ſolita. itemque Mogores, Scy-
thica gens, præpollens viribus; & cum finitimis Perſis bello certare aſſueta,
horum Rex Miramudius, à magno Tamberlane originem trahens, Man-
doo dynaſta ſolicitante (cuius auunculum Badurius pepulerat regno) pau-
lo ante in Cambaiæ fines valido cum exercitu irruperat. Inde ſublatis ani-
mis Crementina, filij gerens tutelam, ſtatutum olim vectigal Badu-
rio abnuebat pendere; coactiſque duobus equitum, triginta peditum mil-
libus, in regia ſe ſe continebat vrbe, cui nomẽ Citor. Hę duę maximè Badu
rium eo tempore diſtinebant curæ. Super ijs cùm aliquãdiu apud ſe delibe
raſſet (nam alienis conſilijs admodum ratò vtebatur) Sangam edomare
quamprimũ, dein Mogoribus omni conatu obuiã ire cõſtituit. Apparatus

autem

A autem huiusce expeditionis erat eiusmodi, quemadmodum à Christianis cognitum est, qui in eo ipso bello Badurij stipendia meruêre. Equitum sub signis habebat centum & quinquaginta millia, è quibus erant grauis armaturæ triginta. peditatus quingentorum millium explebat summam: in ijs, externi variarum nationum ad quindecim millia. id erat exercitus robur. Fartacas & Abassinos, alij præfecti; Turcas trecentos Mustafa ducebat. accesserant Christiani captiui, demptis ad militiam vinculis, non plus octoginta; quorum erant quinquaginta Lusitani, Galli reliqui, incertum quo casu, Dobriga quam vocabant naui, ad Cambaicas regiones appulsi. Armorum telorumque omnis generis vim ingentem, curulia tormenta mille admodum ex ære cuncta parauerat: in ijs, vastæ magnitudinis quatuor basiliscos, intremente solo, centena singulos boum iuga trahebant. Hisce addita sulphurei pulueris pilarumque plaustra quingẽta, & libratores, ac fusoriæ artis magistri complures, cum omni iaculandi & conflandi instrumento. ad hæc, turriti elephanti amplius ducenti; quaternas alij minores fistulas, maiusculas alij binas, totidemque milites dorso vectabant. Signato in stipendium auro argentoque, veles onustæ quingentæ, & super hæc omnia, Satra-

B pæ ac dynastæ permulti cum suis quisque thesauris, & magno comitatu sequebantur. iam verò mercatorum, opificum, lixarumque & calonum summa iniri vix poterat. Cum hisce copijs è Mandoo regno, quod nuper inuaserat, profectus in Sangæ fines Badurius ad Citorem castra posuit. Ea vrbs edito loco duodecim millia passuum obtinet ambitu, sumptuosis admodũ ædificijs publicè ac priuatim ornata, mœnibusque ac propugnaculis egregiè cincta. itaque propter maiestatem ac pulchritudinem, quamquam arroganti vocabulo, Mundi vmbella (id enim Citor gentis lingua significat) appellatur. & quoniã, si vel ad muros ex inferiore loco succedere Cambæus, vel fame subigere inclusos instaret; cùm anceps oppugnatio, tum lenta fore videbatur obsidio; consilium cepit hosti planè exitiale: magnis operibus machinisque ex tuto vrbem adoriundi. neq; difficilis erat ei molitio quantauis, nimirum exsuperante ad omnia multitudine. Ergo ad vrbis radices, densum ordinem trabium, qui munientes ab tergo protegeret, pluteorum vice defixit. post hosce pluteos breui tempore duas turres, quæ fastigio altitudinem æquarent mœnium, latas pedes quinquaginta, è lapide & argilla excitauit; graduque ad ascensum adstruxit. in ijs turribus delecti bellato-

C res, & muralia tormenta disposita cùm neq; in aduersis propugnaculis quẽ quam consistere paterentur; & tectis ac delubris vltimum haud dubiè minarentur excidium; Regina, alioquin ad defensionem parata, admoto hoc tanto terrore despondit animum: perque notos calles, cum liberis & paucis familiaribus clam ex vrbe profugit. oppidani frustrà hostem aliquandiu arcere conati, ad extremum perditis rebus, in auri, argentique, & pretiosæ vestis aceruos (quos in idipsum ex publico priuatoque collegerant) ad Betelanam conuersi rabiem, subditis ignibus iniecêre se. tres ipsos dies incendium tenuit. ad septuaginta millia sexus vtriusque mortalium per eam desperationem absumpta. Sultanus vrbem ingressus ingenti lætitia, purpuratos amicosque nouis beneficijs ac vectigalibus auget; militi stipendia duplicat; se ipse adeò magnificè & elatè circunspicit, vt omnium Regum vni sibi, qui Citorem expugnasset, vmbellæ honorem deberi haud absurda quidem allusione iactaret. Verùm, quæ sunt humanæ vicissitudines, non diuturnum Sultano eius victoriæ gaudium fuit. aduentanti copijs auctis Mogori obuiam progressus; ad Docerem vrbem semel, ad Mandoum iterum profligatur, & castris exuitur. inde cùm ab alijs, tum ab ipso Mustafa desertus; barba, ne dignosceretur, abrasa, gregali cultu, perpaucis comitibus Diu vsque contendit. Ibi, à concepto pauore, de asportandis Mecam thesauris,

qui ſupererant,& regnò relinquendò agitaſſe dicitur. Sed ſuorum hortatu retentus,dum hoſtes populando agrò,& egerenda è deſertis vrbibus præda morantur,& ditati ſpolijs,vt fit, patriam cogitant; interim ad opem à Solimano Turcarum tyranno petendam oratores miſit:ijs dona ad ipſum Turcam data,quorum æſtimatio ad ſexcẽtorum millium aureorum ſummam aſcenderet;ad milites verò quàm exercitatiſſimos(nam id vnum ab Turca implorabat auxilium)mercede conducendos, magna pecuniæ vis. Hoc in præſentia reparandi belli conſilium Badurius cepit. Veritus deinde,ne ſerũ afflictis rebus id remedium eſſet;fracta demum ſuperbia, Soſam, ab Ciaulo (nam in ea tum ſtatione claſſem habebat)dein ab Goa Prætorẽ ipſum Nonnium ad ſe per legatos ac litteras inuitauit:ijſq;,modò partẽ capeſſerẽt belli; poteſtatem arcis ad Dium ædificandæ(quod fruſtra iã toties omni arte quęſierant)vltrò detulit.Hiſce nuntijs allatis,ab neutro in tam pręclara occaſio ne ceſſatum eſt.Soſa prior,tum Nonnius Dium inſtructa claſſe contendũt. Ibi nouis vtrinque fœderis & amicitiæ legibus in publicas tabulas teſtato relatis; deſignati communi conſenſu fines arcis, in extremo inſulæ promontorio,qui locus imminet in ipſum introitum portus, vt clauſtra maris haud dubiè Luſitani tenerent. Annus tum agebatur ſeculi huiuſce trigeſimus quintus.Area dimenſa,confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantùm & nauali turba, ſed ipſis etiam militibus & præfectis enixè rem adiuuantibus.Triquetra, vtpote in promontoriũ deſinens,loci eſt figura.iactis fundamẽtis,ab aperto mari ad interiorem tumulum, è regione oppidi,murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine,altus ad coronã vſque viginti.in eo tumulo,rotũda,vti mos tũ erat,ceſpite ingeſto erigitur arte omnia turris dodrantiũ nonaginta diametro. Thomæa appellata, quod eius Apoſtoli feſto die exordiũ ſumpſerat:inde rurſus ad alterũ inſulæ marginẽ continuata mœnia ſunt;qua rupes abſciſſæ portũ attingunt. ibi turris altera exſtructa diametro dodrantium ſexaginta. Huic ab Diuo Iacobo Hiſpaniarum præſide inditum nomen. Muris foſſa circundata quoad cautes & præcipitia tulêre.Inter duas turres medio fermè ſpatio,portã cum lorica in vrbem aperiunt.intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidij militibusque tecta militariter excitant. Per hunc modum in præſentia duntaxat arx ab vrbe interſepta eſt;laterum munitio, quod ea mari alluuntur, in aliud tempus reiecta:Cæterùm opus vndequinquageſimo die, non ſine Sultani admiratione perfectum. Simul, ad recuperandum in Cambaiæ finibus Variuenem pagum,arcemque appoſitam Indo flumini, miſſus rogatu Sultani Vaſcus Petreius à Sancto Pelagio cum Luſitanis ducentis & quinquaginta;Sofare adiũcto cum Turcis trecentis. Mogores centum & quinquaginta,incenſo pago,arcem obtinebant.ij,quandiu leuioribus miſſilibus dimicatum eſt, hoſtibus egregiè reſtitêre. Aſt vbi prouectis è claſſe maioribus tormentis mœnia quati cæpta;diffiſi viribus arcem deſeruêre. Ita Variuenes denuò in Sultani poteſtatem redigitur.Præterea in maritima Cambaiæ oppida præcipua Luſitanorum manipuli aliquot præſidij cauſa profecti.cuius auxilij fama è longinquo,vt fit,in maius aucta,retardatus Mogor; ſpolijs Cambaianis grauem exercitum trahens,inſtante iam hyeme,domũ reuertit. Is Mogorici belli finis Badurio fuit. Inde Sultanus ad refouenda quæ recentibus cladibus afflicta & proſtrata iacebant, itemque ad continendos in fide populares intendit animum.quippe,non pauci ea tẽpeſtate, Sultani tyrannidis iugum excutere conabãtur.Per eoſdem ferè dies,ad nualem nominis Luſitani gloriam, vnius viri virtute ac felicitate, haud mediocris acceſſio facta eſt.Iacobus Botellius erat nauarchus egregiè ſtrenuus, idemque,maritimæ ſcientiæ laude præcellens. is,cùm aliquot annos in India & Emmanueli & Ioanni Regibus operam fortem ac fidelẽ nauaſſet;in

Luſita-

A Lusitaniam deinde redijt ad præmia de more petenda. ibi dum suã agit causam, resque, vt fit, ab se gestas exponit; ab inuidis in crimen repente vocatur; quod fretus nauigandi peritia, Magalianis exemplo, res nouas cum regni periculo moliretur; atq; ad Regem Gallię, qui tum erat Franciscus eo nomine primus, transfugere cogitaret. Per eam criminationẽ oppressus, relegatur in Indiã. in eo exsilio, non tã de patria, quã de existimatione solicitus, id maximè laborabat, quo pacto iniquorũ calumnias refelleret factis; ac suam in Regem obseruantiam & fidẽ, insigni aliquo documẽto probaret. Iuncta per id tempus inter Lusitanos, & Sultanum amicitia, locoq; ad arcem Diensem dato, quod Ioannes dudum ardenter optabat; pergratum se Regi facturum existimauit, si omnes tam lætæ rei nuntios celeritate præuerteret. Modicã biremem pedes minus octodecim longam, sex latã habebat, ære suo in belli cos vsus exstructam. In eam egregijs aliquot nautis, ignaris consilij, assumptis, (quos in itinere deinde tumultuãtes partim donis mitigauit; partim metu minisque coercuit) tam paruo nauigio protinus Lusitaniam petere intendit. Dabulum ab Cocino prouectus, præciso Indico mari, ad Arabiæ littora vehitur; & aquatione facta, cùm ex eo loco ad Bonæ spei promonto-
B rium incredibili audacia processisset; inter flectendũ aliquoties pæne merso actuario, caligine tum obtectam insulam Sanctæ Helenæ præteruectus, contento cursu Tertias, ac demum Olisiponem per summos labores atque pericula tenuit: resque ad Dium gestas ab Lusitanis, libentissimo narrauit Regi: quam narrationem ab Nonnio Prętore mox nuntij & litterę, deflorata iam eius nouitatis gratia, comprobarunt. ita, non modò purgatus Ioanni, sed etiam præmijs donatus, patriæ redditur. Permultos dies in ore omnium ea nauigatio fuit. Quod si paria tã fortibus ausis vir sortitus esset scriptorum ingenia, scilicet Argo illa, tot poetarum carminibus inclyta, præ Botelliana biremi haud immeritò rideretur. Compositis vtcunque ad Diũ rebus (nam inde diuertit oratio) Prætor ad arcis tutelam relicto cum octingentis militibus, & idoneo tormentorum apparatu, Emmanuele Sosa, Goam hybernandi causa reuertit. Eodem tempore bellum atrox inter Zamorinum, & Cocinensem exarserat. Cocinensi, pro amicitia missus confestim auxilio, cum virtutis expertę militibus, Martinus Alphonsus Sosa is, conantem ingenti exercitu in Cocinensem agrum irrumpere Zamorinũ, ad Repẽ
C lini vada, Eduardi Patieci quondam nobilitata victorijs, parua item manu, magna cum laude repressit. Repelini regulum, Zamorini socium, ex oppido per vim exegit: dein ad naues reuersus; Calecutanam classem ad Coulctem oræ Malabaricæ fudit, fugauitque. ac rebus terra mariq; præclarè gestis, Lusitani nominis gloriam apud eas gentes non parum auxit. Inter hæc, Sultanum Badurium, vel ab ingenij leuitate; vel quod Prætor non pro spe copias ad persequendum bello Mogorem misisset; pœnitere cæpit indomitæ gentis in suum regnum admissæ. Ninarao Diensi præfecto mandat, vti extemplò per speciem cingendi ex omni parte oppidi, & includendi quod in extremo patebat regij stabuli, modico interuallo murum arci Lusitanæ prætendat. Id cùm se Lusitani passuros negarent, quod ex eo munimento periculum ingens immineret arci; elatus iracundia Sultanus, conuitia in eos, & minas intemperanter effudit: dein, simulata rursus amicitia, incautos adoriri, atque adeò Prætorem ipsum, vt ferunt, simulatque rediret, ad epulas inuitatum opprimere statuit. Super hæc, ad distinendas quàm maximè Lusitanas vires, missis clam litteris nuntijsque, Zamorinum cęteroque eius oræ dynastas in Lusitanum instigabat nomen. Prætor, pluribus ac minimè obscuris indicijs fraude cõperta, ineunte seculi huius anno trigesimo septimo; nauibus triginta, in quibus erãt Lusitani quingẽti, Diũ iter edixit. Eodẽ cum sua classe Martinũ Alphonsũ ex ora Malabarica subsequi iubet;

1537

paratus, vbi res facultatem daret, Sultani insidias anteuertere. Ea facultas D
opinione celerius oblata. Cùm enim in Diensi portu sub arcè iactis anchoris Prætor morbum egregiè simulans, Regi salutem nuntiari iussisset; ac se, quominus ad eum adiret, valetudine prohiberi; Sultanus, nimirum ad sua tegenda consilia, vltrò ipse parua biremi ad inuisendum in prætoria Nonnium accessit, venatorio amictu viridi, atro capitis diademate, gladio inaurato succinctus. Vehebantur eodem nauigio, præter Emmanuelem Sosam (quem ipse pro amicitia ex arce euocarat) Satrapæ vel amici non amplius tredecim; præterea pueri duo, regium pugionem alter, pharetram alter & arcum de more gestabant. Lembi quatuor cum cætera familia sequebãtur. Vbi ad prætoriam applicuit, conscendenti, Nonnius aperto capite obuiam ad scalas magna cum obsequij significatione progreditur; acceptumq; perhonorificè, in puppim instar cubiculi, regio apparatu exornatam induxit. intromissi cum eo, præter interpretem & puerum vnum, præcipui Satrapæ tres. in prętoria Lusitani milites erant ducenti. Scilicet ingrediens Rex, à cõscijs arcanorum illicò morti destinatus: intentique ad imperia exsequenda, suspenso omnes exspectabant animo, quàm mox Prętor ad occidionem vocaret. Sed apud Nonnium, tantisper dum in naui moratur Sultanus, hospi- E
tij valuit fas. Taciti ambo, & alter concepti facinoris, alter aditi periculi magnitudine confusi, aliquandiu perstitisse dicuntur. ad extremum Sultanus, cùm à suis Persico sermone quæsisset, num in pergula quæ ad gubernaculum est, armati laterent; responsumque esset, nihil videri tale; tandem, prosequente officij causa Nonnio, ad scalas redijt, suamque in biremem saltu se misit, defunctum periculo vana opinione confidens. At Nonnius, vti abeuntem vidit, quasi omni religione solutus, confestim suos aspera voce vultuque cessatores increpitat. Illi, dudum ad cædem instructi, in expedita nauigia extemplò desiliunt; contentoque remigio Sultanum intra Lusitana præsidia classemq; deprehensum inuadunt. Emmanuel Sosa cũ promptissimis in regiam è sua naui transcendit. Alij ab lateribus circunsistunt. Atrox circa Regem pugna cooritur. multi vtrinque vulnerantur, aut cadunt. in ijs Sosa, ab Sofaris genero, quẽ Tigrem mundi à virtute appellabant, gladio confossus, in mare proijcitur; & puer is, qui pharetram & arcum Sultani ferebat, artis sagittariæ peritissimus, octodecim spiculis totidẽ Lusitanos, nullo prorsus in irritum misso, confixit: atque ipse ad extremum glande traiectus occubuit. In eo tumultu, armatę celoces regiæ tres à Mangalore super- F
ueniunt; in quibus erant mercenarij Turcæ complures. ij, vt Regem in extremo discrimine circumuentum vidêre; haudquaquam exterriti, ad eum eripiendum per media hostium tela nauesque perrumpunt. neque à prælio abstitêre, quoad affluente in singula momenta maiore Lusitanorum numero, ad vnum omnes interfecti sunt. interea regiam nauem promiscua cędes vacuam epibatis fecerat. Rex ipse, vulnere accepto, nautis ac remigibus omni ope adhortandis instabat. iam prope littus erat nauis, cũ è remigibus duo tresve, vno tormenti ictu discerpti sunt. inde biremis, præsertim æstu recedente, transuersa repente vadis inhæsit. neque segniter Sultanus ad vicinam salutem in mare desilijt. sed nimirum frustra eluctanti extremus aderat dies, inter enatandum, affecto corpore, cùm in aduersos fluctus aliquan diu tetendisset; denique ad Lusitanum actuarium, cui pręerat Tristanus Paiua Scalabitanus, ipso aquarum impetu abripitur. ibi, spem inter ac metum, cum ingentibus promissis ac precibus vt reciperetur, qua Regem, qua Sultanum se clamitans miser, dum illi remum ad euadendum porrigit Paiua; præter exspectationem, à quodam è nautis infimæ sortis homine, conto seu hasta confícitur. Exanime corpus cùm diutius fluitasset, subsidit deinde, neque vnquam apparuit. Ita, opulentus in primis Indiæ Regum, cùm nuper

maria

A maria terraſque ſui nominis terrore compleſſet;ab ijs demum quos magna mercede conduxerat,teterrimo genere leti,ſuorũ in cõſpectu peremptus, cæcitatem humani conſilij,& vanitatẽ eorum,quę vulgo ſolida ac præclara putantur,exitu cõprobauit.Ex ijs qui pugnæ ſuperfuerant,ſemineces ali quot in claſſem accepti:quo in numero Sofarem Nonnius clementer habitum,curatis vulneribus,miſit ad comprimẽdos in vrbe tumultus. namq; omnis multitudo(& erat eo tempore frequentiſſima) vt in eiuſmodi perturbatione rerũ,incendij ac direptionis metu perculſi,ad portas ac muros, fugæ cauſa ruebant eo impetu,vt,præ conferta in anguſtijs turba, eliſi aut obtriti ſint aliquot.is pauor ac trepidatio,Sofaris demum aduentu atq; auctoritate ſedatus. Badurij mors, non tam interfectoribus glorioſa,quàm læta ijs gentibus fuit:fœdam quippe in populares tyrannidem exercuerat: vitijs omnibus à pueritia deditus; numinum contemptor; æquè ſui prodigus,& rapax alieni;potentiæ viriumque per libidinem & ſæuitiam oſtenta tor dirus : multos per calumniam omnibus fortunis euerterat;multis beneficia dederat idem , ademeratque ; multos etiam ex amicis, in ijs duos Iazij filios, vt Dium inde reciperet, omnibus tormentis excruciatos neca-
B rat.Ergo,tot ſcelerum ſibi conſcius,adeò omnes homines,omnia loca tẽporaque ſuſpecta habebat;vt cibum ſuis ipſe ſibi pararet manibus, perque ſummam indignitatẽ, principis ſimul & coqui munere fungeretur. Quò magis mirandum eſt,ad inuiſendum Prætorem veniſſe tam exiguo comitatu. Sed illum videlicet vltrices furię in eam amentiã impulerunt; vt quibus perniciem extremã haud obſcurè machinabatur, eorum poteſtati ſemet vel nimis callida ſimulatione,vel ſtolida temeritate permitteret.Sublato Sultano,tota inſula in Luſitanam ditionẽ extemplò conceſſit. Cuſtodes ad caſtella tuenda, itemque vectigalibus in portu exigendis ad Dium atque ad Rumæpolim (nam eò quoque facili appulſu commeabant naues)ſcripturæ magiſtri à Prætore diſpoſiti.In regijs theſauris haud ita multum pecuniæ inuentum:in horreis verò & armamentarijs,commeatuum & inſtrumenti bellici omnis generis ingens copia . in naualibus etiã haud exiguus nauium variæ formę numerus.omnium ratio in codices à Quęſtoribus relata.Neque multo poſt,contra omnes belli caſus arx ab vtraq; parte,qua in mare vergit,muro circundari cæpta; & è vaſto ſpecu,in quem medio fermè ſpatio tellus receſſerat;admodum capax effecta ciſterna; & euer
C ſa Rumæpoli , quod ad eius præſidium copiæ non ſuppeterent, eius loco nouum propugnaculum excitatum eſt.Dum hæc parantur,quidam è Gangaridum gente , quam hodie Bengalam vocant,ad Prætorem adijt,natus, vt ferebatur,annos trecentos triginta quinq;. neque mẽdacij ſuſpicio ſuberat:nam & ſeniores qui tum erant , ſe de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepiſſe;& ipſe filium habebat nonagenariũ ; & cùm litteram noſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus,ad fidẽ annalium optimè congruebant.Huic aliquoties iam deciderant dentes,alijs continuò ſubnaſcẽtibus:& barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuò colorem,idq; paulatim,ſemet ipſa vertebat.ante centeſimum annum idola coluerat:inde æquè miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam.is propter miraculi nouitatem Sultani ſtipendijs ali conſuetus, idem vitæ ſubſidium ab Nonnio petijt : Nonnius haud grauatè aſſignauit: dein arcis cuſtodia cum ſexcentis ferè militibus Antonio Sylueriæ cõmiſſa,Goam,vti ſolebat,in hyberna ſe contulit. Vulgato Sultani caſu,Cambaiæ proceres Mamudium puerũ,eius ſorore genitum,creant Regem.rectores pueritiæ,ijdemq; tutores regni,tres, Driacan, Madremalucus, Alucan adiuncti. Ad hoſce,poſt Nonnij profectionem , Sofar, vel ob nouas offenſiones, vel Chriſtianæ religionis odio in Luſitanos accenſus, omnibus

ſuis re-

ſuis rebus miro ſilentio in tutum auectis (& erat totius ciuitatis lõgè ditiſſimus) triginta fermè leucarum itinere ad vrbem Madabã ab Dio contendit; iamq; ad bellum ſponte inclinatos, facili negotio perpulit, vt omni conatu ad pellendos ex arce Luſitanos incũberent. Confeſtim habito delectu, conſcripta decem peditum, quinque equitum millia. Alucan dux ijs copijs datur. Præterea Sofar, egregiæ virtutis pedites ter mille, equites mille ſuo ære conduxit. Pari fermè imperio vterque ex vrbe Madaba Iunio menſe profecti, non longè ab Rumæpoli caſtra locant. Ex recentibus eius loci ruinis, continuò Luſitani in nouum necdum omnino abſolutum, de quo dixi, caſtellum ſeſe recipiunt. Id caſtellum Sofar, Alucane interim operibus occupato, cum ſuis magno impetu adortus, dũ muros incautius ſubit; altera manu plumbeo globo transfixa, prælio exceſſit. Eo vulnere ſpatium Luſitanis datum perficiendo caſtello; itemque ciſternæ intra arcem, conuectis è vicino aquis, ad iuſtam altitudinem implendæ. ac primò conſilium Antonij Sylueriæ fuit, totam inſulam tueri, atque ob idipſum nauarchos aliquot, cum ſuo quemque manipulo, ad loca idonea toto freto diſpoſuit, qui tranſitum hoſtium ex continente impedirent. Simul, quoniam Dienſem populum aliena ab ſe voluntate, multoſque inſtitorum habitu peregrinos milites in vrbe verſari didicerat; eorum cœtus aliquoties vi miniſque diſcuſſit; arma pleriſque ademit; & mercatores quatuor, in primis pecunioſos, qui obſidum loco eſſent, repente in arcem arripuit. Dein, cùm promotis munitionibus Alucan fretum omne tormentis infeſtum faceret; nec poſſent ſine pernicie Luſitani diutius in ea ſtatione perſtare; nauibus inſuper aliquot tormentiſque, alieno ſanè tempore, ſubitæ procellæ impetu amiſſis; Antonius, de ſuorum ſententia denique relicta inſula, nauarchos in arcem recepit. Rumæo caſtello Franciſcum Patiecum, adiunctis ex vniuerſo præſidio militibus ad ſeptuaginta, præpoſuit. in marino propugnaculo, quod in ipſo aditu portus olim Iazius exſtruxerat, Franciſcum Goueam cum delectis locauit. itemque in arce, prout res poſtulabat, alijs alias partes cuſtodiendas attribuit. Relicta ab Luſitanis inſula, confeſtim hoſtes libero tranſitu ſumma ciuium gratulatione in vrbem admiſſi. Alucan regijs in ædibus procul ab hoſte conſedit: neque in aleam pugnæ, grãdi iam ætate vir, ſeſe facile committebat. Sofar, prope arcis mœnia locum cepit, atque communijt. Inde per occaſionem leuia certamina ſeri cæpta, quibus fermè ſuperior Luſitana res erat: duce plerunque Lupo Soſa Cotinio, qui cum præſidio lignatoribus aderat, idemque poſtea totam hanc obſidionem duobus libris diligenter eſt perſecutus. Dum hæc in Cambaia geruntur; Ottomanus interea alijs alijſque Badurij nuntijs procibuſque fatigatus, ac demum de eiuſdem cæde ab vxore vidua & profuga coram edoctus; non tam ad laceſſendum bello Mogorem, quàm ad pellendos ex India Luſitanos, & Orientis regna ad ſuum imperium adiungenda, conatus omnes adhibuit. Claſſem ad Suezium, cura Abrahemi purpurati ædificatam & inſtructam habebat maiorum nauium (quarum pleræque remis agebantur) ad ſexaginta quatuor: ad quas acceſsêre deinde Cambaicæ ſeptem, Malabaricæ tres. Ei claſſi cum ſumma poteſtate præpoſuit Solimanum Peloponneſium, præſidem Aegypti, virum enormi non minus adipe, quàm auaritia & crudelitate notiſſimum. huic, remigum ad ſeptem millia, bellatorum ſex attributa; in quibus erant Ianizari ſeu prætoriani mille quingenti: Turcæ bis mille; aliarum gentium cæteri, maritimæ fermè rei callentes; qui & militum, vbi opus eſſet, & nautarum partes obirent. Solimanus, luſtratis ad Suezium copijs, cùm remigum pars imperium detrectaret; ducentos vno imperio iuſſit occidi. eo metu ſeditione compreſſa, profectus, ad Giddam appulit vrbem ab incolis metu relictam. dy-

naſta,

A naſta,cui Solimani rapacitas & immanitas haud erat ignota,cum popularibus in auia loca ſeceſſerat. Ab Gidda ad Camaranum,inde ad Zebitum traiecit claſsis. Nocoda Hamedius Turca oppido imperabat. is, largè & munificè accepto Solimano, eiuſdem iuſſu repente ſecuri percutitur.oppidum Muſtafæ Mammaluco donatum. Ab Zebito Adenū ſuperatis faucibus ventum eſt:præmiſsis iam ante legatis,qui ab Rege commeatum,vacuaſque in vrbe ædes curandis ęgrotis pro amicitia peterent. vtrumque cum cura præſtitit Rex.& alimenta in claſſem, & hoſpitium laborantibus datum.in id hoſpitium,ſimulato morbo,ſinguli milites à quatuor valentibus à mari tranſuehebantur,armis in lectulo ſub veſte contectis.per eam fallaciam,nihil eiuſmodi ſuſpicante populo, quingenti paulatim intromiſsi.Tum Solimanus ex compoſito per ſatellites Regem ad naues accerſit. ille, cùm ſuæ dignitatis haudquaquam oblitus, indignabundus abnueret;confeſtim inſidiatoribus,quod iam ante conuenerat,è claſſe proponitur ſignum.ij cum armis extemplò coorti,ſtupente ad inopinatā rem ciuitate,regiam circūſiſtunt,comprehenſumq; Regem ad Solimanum vi pertrahunt.Ibi ſuperbè interrogatus ab eo, cur tertium iam diem ad ſe officij
B cauſa venire diſtuliſſet;cùm liberius reſponderet, quàm prædonis aures ferre conſueſſent;arreptus propalam ex ipſius prætoriæ nauis antenna ſuſpenditur.Vrbe dein crudelem in modum direpta,præſidioque impoſito, Solimanus ex eo portu ſoluit.ac tametſi ex Ottomani mandatis Goam primò intenderat curſum,tamen mutato poſtmodum conſilio, Diūm flexit, haud dubius quin facili negotio Luſitanam eſſet expugnaturus arcem; ac ſimul potiturus inſula magni ad vniuerſam Indiam obtinendam momenti.qua tota de re cùm litteras ab Sofare iamdudum accepiſſet, Sofarem deinde ipſum in itinere ad leucas ab Dio circiter quindecim obuiū habuit.In terea dè Turcarū aduentu & ante rumor, & ipſi poſtremò ſpeculatores ad Antoniū Sylueriam attulerant. Ille tā multis varijſq; terroribus minimè fractus;pro ea quam habebat copia vigilias intendit;cuſtodias auget;munitiones inſtaurat:ſimul,ad petendū à Prætore ſubſidiū nuntios Goam cum epiſtolis mittit.iam Turcæ appropinquabant,in hunc ferè modū inſtructi. dextrum cornu è quatuordecim triremibus,quas regias vocant,in altum Solimanus extenderat.ſiniſtrum,è triremibus non amplius ſeptem, propius ad terram admouerat.medium locum tenebant onerariæ, totū agmen
C reliquæ triremes & roſtratæ claudebāt. Vt in conſpectu fuit claſsis;ad nobiles,qui ad ſpectaculū ex arce conuenerant,Sylueria per q̄ ſerena fronte cōuerſus;En,inquit, viri, tēpus,acceptam à maioribus bellicam gloriam,debitamq; tum Deo, tum Regi noſtro fidem nobis ob oculos proponendi. horum vtrumq; ſi attentis animis intuebimur, profectò labores omnes atque pericula,quæ ex hoſtili tanto tamq; multiplici apparatu nobis impendent,præ officij ac pietatis fructu leuia ducemus.Equidem, & ex ipſa quam agimus cauſa,& ex veſtra virtute commilitones,magna in ſpe ſum,fore vt de immanib⁹ hiſce barbaris illuſtrē intra paucos dies victoriā reportemus. qua vos eadem fiducia quoniam teneri certo ſcio; ſuperuacaneū reor hoc loco trophæa recenſere,quæ toties iam ex communibus & Chriſtianæ religionis,& Luſitani ſanguinis hoſtibus, Deo bene iuuante,retulimus. Ab hiſce dictis,ad ſtationes diſponendas animum intendit. Feſsis in tutum receptis,alios de more ſubſtituit.Ceſpitis &materiæ ad renouādos aggeres,itemq; lanæ & centonum ad protegenda mœnia vim ſedulò cōportari iubet.ad hæc,ſeruitijs,ne quid eorum perfidia occultæ fraudis erumpat, cuſtodes apponit.in primis verò annonæ diligens habita eſt cura:vt ſalubri temperamēto ac dimēſione per idoneos miniſtros erogaretur.Super omnia,propitiādo immortali Deo diurnæ pariter ac nocturnę ſupplicationes

adhi-

adhibitæ. At Solimanus, in ſalo ancoris iactis; ad tentandam arcis oppug- D
nationẽ ſeptingentos prætorianos in proximum littus exponit. ij, miſti ſa-
gittarijs egregio ornatu fiſtulatores, cùm ad mœnia ſubij ſſent; repentina
miſsilium vi, ſex è Luſitanis occidunt; viginti conſauciant. Neque ſeg-
niter ab incluſis reddita iaculatio eſt. Ianizari quinquaginta interfecti, vul
nerati complures. Cæteri, minoribus quã venerant animis, ad Sofaris mu-
nimenta ſe recepêre. Per eoſdẽ dies, tranſuerſo cum ſordidis nubibus Au-
ſtro, claſsis propemodum ad terrã alliditur. Eo metu Solimanus, & quod
telis ex arce peteretur, ad Madrafabæ portum, leucas vltra Dium quinquẽ
proceſsit. Deſcendenti, paratus iterum ad omne obſequiũ præſto fuit So-
far. Cum eo Solimanus conſilia de totius belli ratione, atque adeo de ipſi-
us Cambaiæ occupando regno communicat. Expoſito dein milite, mura-
libusque tormentis, Dium terreſtri itinere accedunt. Eodem fere tempo-
re Alucan, haud leuibus argumentis ſuſpectum habens Turcicum ſcelus,
ac dominandi libidinem; cum parte copiarum (nam reliquas promiſsis &
auctoritate Sofar apud ſe retinuit) omiſſa obſidione, in mediterranea loca
ſecedit; Regemque Mamudium & rectores de ſuo conſilio per litteras e-
docet. Rex & factum probauit; & miſsis circum populos & dynaſtas edi- E
ctis, nequicquam expoſtulante Solimano, cõmeatus in caſtra ſubuehi ve-
tuit: quæ res non paruo Turcis impedimento ad victoriam fuit. Inter hæc,
operibus, ad ſtatuenda maximè tormenta, inſtabant barbari. Illud etiam
incendiariæ machinæ genus ab ijſdem excogitatum. Vaſtæ magnitudinis,
ad onera tranſuehenda, nauis erat in portu. Huic naui præcelſam ex arida
materia pyram, pice, ſulphure, nitro, alijſque ad fœtorem ſimul ac fumum
excitandum rebus, imponunt. Conſilium erat, ardentem ſtruem in mari-
num propugnaculum æſtu reciprocãte demittere, vt vel præſidiarijs flam-
ma tetroque vapore ſpiritum includeret; vel certè, dum extinguendis ig-
nibus occupãtur; inter eam trepidationem atque caliginem, Turcæ traie-
cto celeriter euripo, ſcalis in muros euaderẽt. Verùm ad eam molitionem,
quò tanti ponderis machina innatare fluctibus, & muris applicari poſſet;
nimirum exſpectanda erant ſumma per plenilunium incrementa maris,
quas vulgo nautici aquas viuas appellant. Ea re animaduerſa, Luſitani, vl-
trò nauem incendere, Albuquercij ad Goam exemplo, & illud vtcunque
ſeu exitiale commentum, ſeu inane ludibrium amouere conſtituunt. Ad
eam rem Franciſcus ipſe Goueanus eligitur, qui maritimæ rei, & propug- F
naculo præerat, inſigni conſtantia vir. is proxima nocte duobus egregiè ar-
matis caturibus eò ſenſim accedens, non fefellit excubias. continuò è ſtati-
onibus denſæ pilæ in prætereuntes emiſſæ. at ille nihilo ſecius in incepto
perſiſtit; perque media tela, fauente Deo, ad locum ſine damno prouectus;
in pyram multis ſimul partibus ignes conijcit. cuſtodes ad viginti confe-
ſtim in mare deſiliunt: ij è caturibus plerique confoſſi. Vbi materiam flam
mæ tenacius occuparunt, quàm vt opprimi facilè poſſet; pari audacia & fe-
licitate, Goueanus, volitantibus vndique globis retrò vnde venerat, cum
ſuis incolumis abijt. Ea ſpe deluſi Turcæ, haud omiſſa interim arcis Dien-
ſis obſidione, ſeſe cum magna parte exercitus ad Rumæi caſtelli mœnia
quaſſanda conuertunt. Inde cùm vtrinque ſumma vi pugnaretur, & multi
quotidie occumberent; in Luſitana muliere (Barbaram nomine appella-
bant) inuictum animi verè Chriſtiani robur enituit. Huic, amiſſo coniuge,
duo ſupererant filij, ætate viribusque florentes, Aloiſius, & Chriſtophorus.
ille ad Rumæpolim, hic in eadem arce Dienſi agitabat excubias. Fortè ita
euenit; vt Chriſtophoro, cùm pro muri corona ſtaret armatus, contorta
ab hoſtibus è tranſuerſo pila partem ventris vnà cum inteſtinis abriperet.
extemplò ſemianimis domum relatus, vti erat de æterna ſalute ſolicitus;

parentem

A parentem optimam interrupta compellans voce; Peto, ait, abs te, quæsoq;
„ mater; vti mihi prius ad explanda crimina sacerdotem, quàm ad prose-
„ quēdum obitum, lacrymas ac suspiria præbeas. Vereor enim, si te ingemi-
„ scentem audiero; ne dolor tuus ac mœror, meam ad supremum hoc iter
„ necessariam exigui temporis præparationem impediat. Cui parens, inter
„ adstantium singultus & complorationem vna siccis oculis, & placido vul-
„ tu; Ego verò quod doleam, inquit, fili habeo nihil, nisi noxæ aut piaculi
„ quippiā tibi supersse, quod eluas. Nā alioqui probè intelligo, ijs qui istud
„ obierint leti genus, præclaram esse mercedem paratam in cælo. Tu modò
„ clementis Dei pacem ac veniam fidenter implora: teq; in hoc transitu vi-
„ rum præbe. Id vnū in hac orbitate maximo mihi solatio futerit. Inter hasce
adhortationes, labentia moribūdi viscera manu suffulciens, fugientis ani-
mæ reliquias tandiu fouit, quoad accito in id sacerdoti peccata cū salutari
detestatione confessus, & absolutus; in sinu parentis animam efflauit. Vix-
dum demortui corpus vidua terræ mandauerat; cùm de alterius filij nece
nuntius affertur. in propugnatione Rumæi castelli paulo ante ceciderat.
scilicet nemo fuit, quin geminato intra paucas horas vulnere, confectum
B iri fœminam pro certo putaret. At illa, in tam acerbo casu, tantū abfuit vt
quicquam Christiana spe & grauitate indignū admitteret, vt etiam venien
tes ad se doloris leniēdi causa notos ac familiares vltrò consolaretur. Hu-
ius mihi matronæ sensus, & in liberos caritas, laudabilior haud paulo visa,
quàm eius quæ ad primum de morte filij nuntiū exanimata est; aut illius,
quæ lætitia conspecti repente nati quem mortuum crediderat, exspirauit.
Cæterùm Patiecus Rumęo castello præpositus, magna parte muri diruta,
cùm hostium multitudini vltra obsisti non posset; saluis, præter arma, re-
bus atque corporibus, deditionem fecit. Vix ea facta deditione, hostes ex o-
mni parte in castellum irrumpunt, Sylueriānis, qui freto diuulsi rem ex ar-
ce ipsa cernebant, ad spectaculū adeò triste collacrymantibus. inter eam
irruptionem, planè memoranda contigit res. Vexillū erat Christi Domi-
ni in summis mœnibus de more defixum. id vexillum Turca signifer con-
temptim raptum abiecit, & Mahometanum eius loco substituit. Non lon-
gè inde aberat Ioannes Petreius, exacta iam ætate vir; cæterùm egregiè pius
idem, ac strenuus. is, vbi strata humi diuina trophæa conspexit, generoso
quodam ardore succensus, eos qui circa se erāt, ad illam vnà secum vindi-
C candam contumeliā inuitat. Sex fermè sequuti. Cū ijs ad locum intrepidus
vadit; euulsisq; pseudoprophetę, Christiana reponit insignia. id conspicati
extēplò victores accurrūt; Lusitanis interminātur; Mahometana restituūt.
nil valuerunt minæ. Turcis vixdum digressis, pari cōstantia Petreius & so-
cij ad locū aduolant; Mahometis afflicta rursus imagine, Crucē extollūt.
hoc ipsum tertio vel quarto, Lusitanorū incredibili perseuerantia factum
est. neq; certamini modus fuit, quoad exasperati & perciti rabie barbari,
obtruncatos Christianę dignitatis assertores in mare deijcerent. Hinc mi-
ra visu dictuq; res. Militū Christi cadauera, diuino scilicet nutu, ne honore
sepulcri carerent, obliquo euripo, cōtra vim æstus rapidissimi, sponte ad ip-
sam arcis Lusitanæ portā euasēre; haud obscuro sanè documēto, cùm tan-
ta sit corporū diuinitus habita ratio in terris, q̄ glorioſa fuerint eorum ani
mis in cælo prędia persoluta. reliqui dedititij, cùm honestæ morti antetu-
lissent exiguę lucis vsurā; initio comiter accepti ab Solimano, atque adeo
donis culti, sed ijsdem postea, in reditu, ab ira malè gestæ rei, capita ad Ze-
bitū præcisa dicuntur. Capto Rumæo castello, in vnam Diensem arcē tota
belli moles incubuit. ac simul terra mariq; oppugnatio cępta. Maioribus
primùm tormentis per dies aliquot sine intermissione muri quatiebantur;
Lusitanis, vbi quid procidisset, impigrè obmolientib⁹. Aspera dein prędia,

promoto ab hoſtibus aggere vineiſq;, commiſſa. acti vtrinq; cuniculi: ſæpè D eruptionibus, ſæpè in ipſa mœnium ſtrage pugnatum eſt. Verùm atrociſſima omniũ poſtrema dimicatio fuit. Triplici acie deinceps ad mœnia ſucceſſerãt Turcæ. quatuor ipſas horas mira contentione certatum. ac tantus fuit ardor animorũ, vt Luſitanus fiſtulator, aſſidua neq; irrita iaculatione iam̃ loculis pilarũ exhauſtis; dentẽ excuſſerit ſibimet, raptimq; ad in fiſtulã inditum plũbi loco in hoſtes emiſerit. E Turcis quingẽti eo die deſiderati: vulnerati circiter mille. è Luſitanis fortiſſimi viri cecidêre quatuordecim; è reliquo numero partim ambuſti, partim grauiter vulnerati adeò multi, vt non plus quadraginta idonei ad ſuſtinẽda arma ſupereſſent. iamq; ad extrema ventum erat. vnà cum viribus annona quoq;, & tormentarius puluis, & pleraque inſtrumenta belli defecerant. Vicit nihilominus pertinacia Luſitanus, quod nulla vi, nullis cladibus; non modò ad arcis deditionẽ, ſed ne ad pacis quidem mentionem adduci potuit: ipſis quoque fœminis pueriſque, ſupra ſexum & ętatem, omni ope adiuuantibus viros; eoſque ad certamen, ac decus, & oppetẽdam in Chriſtiana cauſa mortem adhortantibus. Inter hæc, ab Nonnio, dum ad ſubſidium incluſis ferendum reliquã ornat claſſem, celeriter præmiſſæ liburnicæ ſexdecim, ad Madrafabam ac- E ceſſerant noctu, quaternis in ſingulas puppes luminibus ad ſpeciem augendam haud fruſtra ſublatis. eo quippe terrore Turcæ perculſi, trib⁹ iam millibus ſuorum amiſſis, & ſuper alia damna, arctioris etiam in dies commeatus, & imminẽtis hyemis pauore perterriti, Sofarem exſecrantes, vrbem incendunt; & noctis intempeſtæ ſilentio conſcendunt naues, duobus circiter menſibus in obſidione conſumptis: ac vela dant in Arabiam tanta cum trepidatione, vt ſaucios quingentos, & magnam tormentorum partem fędè reliquerint. Is dies fuit feſtus Sanctorũ omnium: quò etiã pulchrior lætiorq;, Luſitanis, exitij metu præter ſpẽ liberatis, illuxit. Turcico amoto auxilio, Sofar quoq; cũ ſuis in loca remotiora diſceſſit. Inſulã dein totam Luſitani ſine certamine recepêre. Inclyta per gentes ea fuit victoria; bonamq; Aſiæ atq; Africæ partem, Europamq; pæne totam noua cum nominis Luſitani laude peruaſit. quippe, non cum incondito ac ſemiermi Aethiope, vel cũ fugacibus Indis, ſed cum paratiſſimo & exercitatiſſimo milite & imperatore, in ſumma propugnatorũ inopia fuerat res. Ergo Franciſcus ipſe Rex Galliæ, magnus virtutum æſtimator, captus admiratione Sylueriæ, pictam eius imaginem è Luſitania poſtmodum expetijt, præſtantium virorũ F ac ducum tabulis inſerendam. Dum Luſitani obſidentur, paranti Nonnio quàm primùm incluſis auxilium ferre, præter opinionem ſucceſſor è Luſitania venit Garzias Noronia. Huic, ob Turcici belli famam, naues vndecim, armatorũ ſeptem millia tribuerat Rex. Qua in expeditione atq; apparatu minimè ſilenda res accidiſſe fertur. Ad maiorem delectus copiam, vt in tanto periculo, Ioannes, inſuper natura miſericors, facinoroſos, ac noxios, & rei capitalis damnatos, qui ad militiam idonei viderentur, conſcribi & centuriari imperauerat. ij, quò notior eorũ eſſet opera, ſeparatim vnam in nauim impoſiti: Callaicam appellabant. Hæc Regis clemẽtia diuino iudicio haud ſatis cõprobari viſa. Cæteræ quippe naues, Oliſipone profectæ, curſum tenuêre omnes: vna dunta xat, qua cœnũ illud atq; colluuies vehebatur, incertũ quo infortunio quoue loco, prorſus in itinere perijt. Ac ne reliquarũ quidem magnus in publicum vſus fuit; quippe ſoluta, vti dictum eſt, obſidione Dienſi, profectiſq; iam hoſtibus. Prẹter militares autẽ copias, epiſcopo Fernando iam vita functo, virum egregium, qui eo munere fungeretur, ſecum Garzias adduxerat Ioannem Albuquercium è Franciſcana familia, Caſtellanũ, eiuſq; comites atq; adiutores, Vincentium ex eadem familia, catechiſtam eximium; & clericum quendam, nomine Iacobũ, ex

oppi.o

A oppido Lusitaniæ Borba, notæ facundiæ concionatorem. Horũ verò, cùm in episcopatu administrando, tum in excolendis atque ad Christum alliciendis hominibus, fructus pietatis & industriæ constitit. Vincentio etiam memorabile quiddam contigisse perhibetur. Cùm enim Episcopi iussu in Malabarica regione iuuentutem Christianæ doctrinæ rudimentis imbueret, pueris aliquot vel tardioribus, vel aliud forsan agentibus colaphos infregit, quæ res apud eas quoque nationes probro vel maximo ducitur. Inde ira parentibus mota, cumque furore perciti, ad eam, vt ipsi rebantur, ignominiam demendam, arreptis armis in Dei famulum irent; quamuis læsa puerilis ætas, tantum abfuit vt patrum facinus adiuuarent, vt etiam facta manu lapidibus eos arcere non dubitauerint. Cuius rei miraculo stupentes barbari, gradũ illicò retulêre, & suam quisque domum re infecta dilapsi sunt. At Nonnius tradita successori prouincia, cùm circiter decennium Indiæ præfuisset, in patriam deinde renauigans, graui correptus morbo, circa frontem Africæ moritur. Defuncti corpus, nequaquam tanto viro dignis exsequijs, in mare piscibus esca proiectum est. Noronia, vt primùm inijt magistratum, ad componendas maximè res Diensis, iniuria bel
B li profligatas ac perditas adiecit animum. Id quia non nisi pacatis Guzaratibus fieri poterat; tentatis ante procerum voluntatibus, legatos de pace ad Mamudium misit. Aegrè impetrata. nam etsi rectores iam tum propensi ad quietem & otium erant; duæ tamen faces Regem adolescentem assiduè ad vlciscendam auunculi cædem omni arte incendebant; Badurij mater, & Sofar: quanquam is quidem occultè ac dissimulanter, vt spatium ad reparandas interim vires, ab Lusitanis haberet. Pax in has maximè conuenit leges. Vti portum arcemque Lusitanus; reliquam insulam & oppidum Cambæus haberet, dimidiumque portorij caperet. Eidem quandocunque libuisset, murum è regione arcis liceret ducere; veruntamen remoto ab arce, & nequaquam suspecto præsidiarijs loco. ij fines communi consensu præscripti. Iacobus Lupius Sosa, loco Syluriæ, cum nongentis militibus arci præpositus: & otium, quod ita vtrique parti expediret, in multos annos fore videbatur. Cæterùm inquietus adolescens, auiæ præsertim stimulis agitatus, ad recuperandum ab Lusitanis Bazainum, vicinasque insuper insulas, quod nihil in nouo fœdere cautum de ijs diceret, præfectos cũ modico exercitu misit. Cum ijs ab Rhoterico Laurentio Tauora, qui Bazaino
C præerat, minutis aliquot prælijs prospero ferè semper euentu pugnatũ est. Guzarates ad extremum fessi bellicis incommodis, vltrò pacem ab Laurẽtio petiêre. Neq; ea cõcessa. per vim omnes haud sine magna cæde ex ijs locis exacti. Circa idem tempus, Ceilani Regem Zamorinus acri bello premebat. Missus à Prętore ad auxilium socij Regis & amici cum haud magna classe Michael, Ferreria, Calecutanos cõmisso prælio superat: cæsi ex hostibus fermè notissimi, in ijs Patemarcar ipse classis præfectus: pleræque naues cum magno tormentorum numero in potestatem venêre. Michael, defuncti ducis caput absciſſum, munus gratissimum Ceilanio misit Regi. ob eam rem cùm grandi pecunia donaretur; pecunia reiecta, contentus victoria, domum ouans reuertit. Ea clade, Zamorini maritimæ vires accisæ: pacemque dein à Prætore haud æquis cõditionibus impetrauit. Dum hi duces in India Lusitanas opes ac nomen armis amplificant; in Molucis interim Christianam rem pietate ac iustitia Galuanus augebat. Post Celebios dynastas ac Reges ad veri Dei cultum adductos, magnus in Molucensibus quoque populis, ac Ternatensi præsertim, ad eadem sacra motus animorum exstiterat. Ea re animaduersa, Mahometani Cacizij, quippe quorum priuata res ageretur, omnes insulas circumire; proceres ac Reges obiectis religionibus admonere, orare, obtestari, vt orienti quamprimum

occurrerent malo: neu tã insignẽ summo prophetæ cõtumeliam imponi D
permitterent. Horũ precibus ac denũtiationibus fatigati Reges, minaci edicto, si quis Mahometanos ritus atque instituta desereret; exsilium, & omnium fortunarum proscriptionem intentant. Eo edicto, aliorũ studia Christianæ disciplinæ restincta: aliorum, vti sæpe fit, multo magis accensa: in ijs Colanus Sabia ex intimis Aerij Regis amicis, & cõsiliarijs; nullo terrore de sententia demoueri se passus, in arcem Lusitanam repẽtè confugit, ac mox ipse cum suis baptismo expiatus, Emmanuelis Galuani sibi nomen desumpsit. Post hunc, Geilolij quoque Regis consobrinus, Mahometica superstitione contempta, Christianam religionem amplexus. Accessit quinetiam è Caciziorum ordine primarius quidam, natione Arabs, ex ipsa Mahometis progenie: quod summum apud eas gentes nobilitatis est decus. Huius verò conuersione, nequicquam mœrentibus collegis atque frementibus, maiorem in modum plebs vniuersa commota: atque adeò Aerius ipse Rex parum abfuit, quin patrijs ritibus relictis, illicò se se ad Christum adiungeret. Alij certè complures auctoritatem Arabis apertè sequuti, quos omnes Galuanus in fidem ac patrocinium benignè receptos; opera, consilio, pecunia tuebatur. Neque tamen iccirco quicquam apud alios ipse vel E
de existimatione, vel de gratia perdidit. Mira quædam erat caritas & veneratio viri; nihil magis æquè summi atque infimi, quàm ne sibi Galuanus eriperetur, timebant. Ergo, re sæpius agitata; permissu denique magis quàm voluntate Galuani, legationem communiter ad Ioannem Tertium decernunt cum litteris; in quibus exposita priorum præfectorum auaritia, crudelitate, superbia; itemque commemoratis ex altera parte Galuani beneficijs, integritate, prudentia; enixè petebant, salutis & pacis omnium causa, vti proprium ac perpetuum, quoad viueret, Galuanum Ternatis præfectum esse pateretur. Addita, si hoc petentibus daret, promissa, quæ ad Lusitani Regis dignitatem & commodum magnopere pertinerent. Hæc à Regibus proceribusque, communi omnium nomine missa legatio. Cæterùm tanto locorum interuallo satis maturè peragi ac renuntiari nõ potuit. iam Georgius Castrius erat in cursu, designatus Galuano successor. Huic Ternatem appulso, auideque expetenti prouinciam, Galuanus nondum spatio sui magistratus exacto, minimè peruicax vel ambitiosus, extemplò concessit. Nihil tam acerbum aut calamitosum ijs nationibus euenire tali tempo F
re potuit. Vixdum abierat præfectura Galuanus, cùm tota Molucensis res, illius viri lenitate atque consilio quàm optimè cõstituta, ijsdem fermè quibus olim de causis, in pristinos fluctus ac perturbationes cum inæstimabili detrimento Christianæ fidei recidit. Quæ quoniam vulnera sine acerbo dolore tractari non possunt; consultò faciam vt ea posthac vel attingã leuiter, vel etiam silẽtio prorsus inuoluam. Dabit, opinor, haud grauatè pius mihi lector hanc veniam: contentus videlicet ijs quæ superioribus libris, ad genus indicandum, inuiti retulimus. Hoc rerum Molucensiũ statu, Garzias Indiæ Prætor, lætali correptus morbo, sesquiannum circiter administrata prouincia, anno seculi huius quadragesimo è vita migrauit. Garziæ statim è regio chirographo substitutus est Stephanus Gamma, qui Malacæ vrbi paulo ante præfuerat. Martinum Alphonsum Sosam multis rebus præclarè gestis insignem, primo loco nominauerat Rex: sed cùm is nuper in Lusitaniam redijsset; ad Stephanum, qui proximum ab Sosa gradum in ea nominatione obtinebat, omnium consensu delata res est. Per idem ferè tẽpus, nouo Lusitanorum beneficio cum Thoma (quẽ alij Tamasum vocant) Persarum Rege firmata societas. Reixelanus tyrannus, de quo supra demonstratum est, ab Ismaele defecerat. idem è Persicis finibus magna cũ incolarum trepidatione ingentes agebat prædas. Ad eũ coercendũ plectendumque

1540

A dumque missus ab Thoma Cazican præfectus cum duodecim millibus equitum,& magno peditatu, ad Reixelum locauerat castra.sed oppidi præclarè muniti neque facilis erat expugnatio,& in obsidione spes erat nulla, quoad mare liberum tyrannus haberet.iccirco, ad commeatus vndique prohibendos,nauale subsidium Persa iure amicitiæ ab Lusitano, arcis Armuzianæ præfecto,per legatum ac litteras petijt. In eam expeditionē profectus ab Armuzia cum celocibus aliquot Martinus Alphonsus Carualialius,adhibita cura,vigilijsque dispositis, breui maritimos omnes ad oppidum aditus intersepsit. Tyrannus, inopinato ictus malo, cùm in singulos dies inopia crescceret;magno primùm auri pondere Lusitanum aggreditur,vt onerarijs duabus alimenta vehentibus transitum dissimulanter ad se permittat.dein,vt inuictū ab auaritia sensit animum viri; desperatis iam rebus,in eius maximè fidē concedere voluit: sed Caciziorum verbis ab ea mente deductus est:cùm ita dissererent,multò satius,vt in malis, esse, Persarum quàm Lusitanorum arbitrio sese committere.quippe,si in potestatem Mahometanorum veniret;corpori duntaxat imminere discrimen: sin impijs magni prophetæ aduersarijs vltrò se dederet; non corporis mo-
B dò,sed animi quoq; damnum dubio procul esse facturum. Ea superstitione obiecta ,miser, ad cruciatus ac necem sese Cazicani permisit. Capti latronis nuntio valdè lætatus est Thomas, eamq; victoriam Lusitanis præcipuè tulit acceptam.At Carualialius,hoc facto Persis maiorem in modū nomini Lusitano deinctis,nō minus integritatis ac fidei,quàm rei naualis ac bellicæ decus Armuziam retulit.Dum hæc in sinu Persico fiunt,Stephanus Gamma interim & viribus ferox,& paterna gloria stimulante, haud leuis momenti rem , cùm à Vasco parente olim,tum nuper à Garzia Prætore cogitatam susceptt;vti subductas ad Suezium Mahometanas triremes, ingenti cum Turcicæ rei detrimento combureret.In id classe instructa ornataque,per speciem Diensis reuisendæ arcis,vel Adeni mox oppugnādi;ad Arabicum fretum rectà contēdit:& succesisset vota;si protinus ab sinus introitu Suezium petijsset.Sed visendi studio applicita ad dextrum littus classe,dum agros vicosque maritimos,& veteris Arabiæ monumenta perlustrat; interim de ipsius aduentu , & malè tecto consilio,ad regionis præfectum citatis equis nuntij perferuntur. Neque ille cunctandum ratus in tali re,validas equitū ac peditum copias ad loci custodiam extemplò sub-
C misit.Ea re segnes Lusitanorum conatus elusi. Appropinquanti Suezium Stephano,à præcursoribus nuntiatum,Turcica naualia magnis firmisque militum præsidijs obtineri.Non plus triduo(tantum in celeritate momenti est)Suezium Turcæ præoccupauerant.Lusitanus Prætor, magna spe deiectus,& grauiter semetipsum incusans; in Arabem ac Saracenum effudit iras,totamque oram nullo obuio latè vastauit: Philoteras, hodie Alcoceris portum, itemque Elanam seu Torum,& Suaquenum olim Aspidem, vrbes;nauesque permultas incendit.inde abiturus,cùm ad Mazuam applicuisset insulam, Lusitanæ classis fama excitus Barnagazius, & vnà orator Asnafasagaris Abassini Regis(quem alio nomine Claudium appellabant) cùm ipsius Regis,& Elisabethæ matris litteris affuit.Fessis rebus auxilium cōtra communem aduersarium ex fœdere postulabant. Gradaametes Adelis ac Zeilæ tyrannus,Solimani Turcæ stipendiarius,infestissimus nominis Christiani hostis,in Abassiam dudum cùm exercitu irruperat:multisque cladibus Regem penitus in intima Aethiopiæ cōpulsum , magna parte finium exuerat; religiosissima templa,cùm sacris monachorum cœnobijs euerterat;prædas pecorum hominumq; identidem agebat.Hæc Abassini cùm miserabiliter exposuissent; indigna,vti par erat, visa Prætori Lusitano res.confestim aduocato concilio, suppetiæ Christianis contra Mahometanos communi consensu decretæ.Reliqua erat consultatio, quem

potiſſimùm expeditioni præficerent.in magna competitorum turba,cùm D
id pietatis & officij munus certatim ſibi quiſque depoſceret; Chriſtopho-
rus Gamma Prætoris frater,acri ac præferuido ingenio adoleſcens, cæte-
ris antefertur.Huic,ex vniuerſis copijs,Luſitani cum armis duplicibus qua
dringenti,& magnus tormentorum numerus attributus.Cum hac manu
Gamma profectus Iunio menſe,anno ſeculi huius quadrageſimo primo,
1541 ad puteos quoſdam ſalſos prima nocte conſedit.Inde caloribus maximis
per loca partim à feris inſeſſa,partim etiam confragoſa & arentia,ſummo
labore fieri cæptum iter eſt pedibus.tormenta, commeatumque, cameli
ac mulæ vehebant,Barnagazij cura contractæ.vbi anguſtiæ occurrerant,
qua tranſitus onuſto iumento non eſſet;detracta belluis onera Luſitani,
atque ipſe ante alios Gamma, ſubibant humeris.ita, ſeptimis demum ca-
ſtris peruentum ad prælti montis iugum,ex quo in vberes & irriguos A-
baſſiæ campos longè ac latè proſpectus eſt. Ab iugo degreſſi,aliquot amni-
bus facilè ſuperatis,tertio die Baroam procedunt. Vrbs eſt in ditione Bar-
nagazij ampla,& exornata ædificijs;piſcoſus præterlabitur fluuius,circa ri-
pam vtramque frequens vicis pagiſque;ſed per id tempus Mahometano-
rum iniuria deſertis. Appropinquanti Luſitano, ſacerdotes & monachi E
obuiam prodiêre cum infulis,Dei primùm, tum Gammæ & commilitonũ
implorantes opem:quartumdecimum annum premi ſeſe dura atque into
leranda Zeilani tyrannide.oppida euerſa;incolas miſerrimam in ſeruitu-
tem abductos;antiquiſſimæ religionis ædes atque cœnobia nefariè ſpolia-
ta ac diruta:iam ſibi ne aras quidem,quò ſupplicandi aut ſacrificandi cau-
ſa confugiant,ſupereſſe.Pergerent porrò alacres,ad ſalutem eius gentis è
cælo demiſſi:ac violatæ religionis,contemptique Chriſti Domini pœnas,
ab impio & ſacrilego tyranno repeterent.Hæc,monachi,& alia quæ in tali
re iuſtus piuſque ſubijcit dolor,cum flebili vociferatione conqueſti, adeò
confudêre audientium animos; vt in tanta rerum indignitate lacrymas
nemo teneret.Gamma,ſeruis Dei bene ſperare iuſſis,ad proximi templi pa
rietinas adorandi cauſa conceſſit. nobiles erant columnæ,& lapidis elabo
rati fragmenta:neque auſi Chriſtiani ædificium inſtaurare, temporarium
ſacellum rei diuinæ faciendæ,vili deſuper tegete paleiſque operuerant. A
precatione, Gamma cum ſuis in ſtatiua extra vrbem locata ſe contulit. ad
noui auxilij famam,Abaſſini ſubinde aliquot in caſtra affluebant.Mox, du
obus eorum præfectis & Barnagazio in conſilium ab Gãma vocatis, de ra- F
tione gerendi belli deliberari cæptum.Victoriæ ſpem in eo verti cenſebãt
omnes,ſi cum reliquijs copiarum Abaſſini Regis maturè ſe ſe coniunge-
rent.Sed quod is bimeſtri fermè itinere ab eo loco diſtabat,nemini erat du
bium,quin ſæpius interea cum Zeilano certãdum foret.in præſentia, cùm
ad Luſitanorum exiſtimationem,tum ad commeatus facultatem & copi-
am expedire viſum in primis,vti Eliſabetham Regis matrem in caſtra per-
ducerent.Eam ſi apud ſe haberent;& maiorem hominum concurſum ad
ſigna futurum;& audacius multo ac libentius alimenta ab agreſtibus vn-
dequaque ſubuectum iri.Eliſabetha non longè inde ſeſe munitiſſimo te-
nebat loco,quo Regum filij natu minores, ne quid eorum gratia ſeditio-
nis exiſtat,Sinarum more includuntur.excelſa & vndique abſciſſa eſt ru-
pes;quæ ab ſatis lato fundo paulatim faſtigiatur ad ſummũ. inde ad fungi
maximè ſpeciem,circumquaq; prominet labrum,mille ferè paſſuum am-
bitu,ex quo ſubiecta quæque ita luſtrantur oculis;vt nullus circa latebris
inſidijſue ſit locus.Intra eius proiecturæ planitiem, regia tecta, cum capa-
ciſſimis duabus ciſternis,& ornatiſſimo templo cœnobioque viſuntur:ac-
cedit agri,quod probè cultum,in annua quingentorũ ferè hominum ali-
menta ſufficiat.Vno duntaxat, eoque peranguſto ac tortuoſo anfractu ad

certum

A certum vſq; ſpatium aſcenſus eſt.ab eo ſpatio ita arrecta ſunt ſaxa;vt funibus corbibuſq; extollantur demittanturúe homines, quęq; alia vel importanda, vel euehenda ſunt.ac demũ ea natura eſt loci, vti prorſus neque vi, neq;fame ſit expugnabilis.Gamma lętus propinquitate Reginę,litteras primũ ac nuntios ad eãofficij cauſa;tum ad ipſam deducẽdam armatos prẽmi ſit centũ.Eliſabetha,ne publicæ rei pro ſua parte deeſſet, ex diuturno veluti carcere haud grauatè deſcendit,liberis & arce, parenti quæ ibidem agebat exacta iam ætate,concreditis.Inſtratæ mulæ(nam equis minimè vtũtur Abaſſini)ad ſaxi radices,opera Barnagazij præſto erãt. Regina, præter Luſitanam centuriam famulis quinquaginta, ancillis non amplius triginta ſequentibus,in viam ſe dedit hoc ferme ornatu.Veſtes erant ex Indica tela niueæ, tenuiſſimo textu.haſce bombycinapenula contegebat cinerea; ramis floribuſq; ſubtiliter ex auro conſperſa. Caput Hiſpanico more velatum,faciem etiam,niſi qua cerneret,linteo obductam habebat; phaleratę, & ſerico ad pedes vſq; veſtitæ inſidens mulæ,quam Barnagazius ipſe,obſequij cauſa,nudo exerto brachio,tygridis exuuijs humeros tectus, loro ducebat:cingebant latera linteati dynaſtæ pedites duo.Pro vmbella, pellucidum conopæum ingens, ita omnia contegebat,vt niſi reducto linteo,nequaquam introſpici poſſet.Aduenientem,Gamma feſto veſtitu,ac denſis tormentorum bombis,quibuſq; alijs rebus lætitia ſignificari ſolet, venerabundus accepit:idemq; quod ante per litteras,coram per interpretem docuit;ſe à Stephano fratre Indiæ Prætore,quod ita velle Ioannem Luſitanię Regem intelligerent,cum ea manu miſſum ad ipſam filiumq; adiuuãdos. proximo anno maiores,Deo volente,copias affuturas.interea paratum ſe cæteroſque qui aderant, pro Chriſtiani nominis dignitate,& Abaſſini regni ſalute mortem oppetere.Ad hæc Regina paucis ita reſpondit; vt magnas Luſitano primùm Regi,tum Gammę cæteriſque gratias ageret. ſperare ſe tam firmo præſidio collapſas Abaſſiæ res in priſtinum ſtatum breui eſſe redituras.Inde,tranſacta iam ad Baroam hyeme,caſtra mota; certuſq; & in caſtris & in agmine locus Reginæ aſſignari cæptus; eidemque cuſtodes corporis,Luſitani fiſtulatores centum attributi, Michaele Caſtanoſio præfecto,qui hæc ipſa in commentarios retulit.Aduentu Reginæ vulgato, Abaſſini frequentiores adeſſe,& è ſua inopia,quippe finibus ab hoſte vaſtatis,certatim cibos in caſtra conuehere.Per hunc modum Gamma,dierum aliquot iam iter emenſus,munita loco excelſo caſtella duo, haud incruento certamine cepit.complures populos,qui ad Zeilanum metu defecerãt, ad Abaſſini fidem imperiumque reuocauit.Maturanti dein cum Rege ſe ſe coniungere,à quo binas iam in itinere acceperat litteras,compendijs viarum antegreſſus Zeilanus occurrit, multitudine copiarum longè ſuperior, cæterùm armorum ac telorum genere minimè par. ducentos non amplius ferreis inſtructos fiſtulis Turcas auxiliares habebat. cæteri, leui armatura, ſagittis, haſtiſque, & gladijs vtebantur. Vbi propius ventum eſt, neque iam vitari congreſſus poterat;in aciem dux vterque copias educit. ac primùm Luſitanorum paucitas contemptui Mahometanis eſſe. dein, vbi tormentis geri cæpta res eſt; equi flamma & fragore conſternati, domitis plerique frænis, in fugam ſeque & ſeſſores auertunt; tum ſagittarij deſtinatis ictibus toto paſſim campo ſternuntur. Denique Gradaameti in primis ordinibus reſtituenti pugnam, femur, vnà cum equo plumbea pila tranſfigitur. inde ſuper moribundum equum ad terram corruens, concurſu ſuorum ex acie in tutum effertur. Ad caſum tyranni, fuga Mahometanorum ex omni parte fieri cæpta. inſtant Luſitani, & quoad vires tulêre, ferociter hoſtem inſequuti, magna edita ſtrage, non plus vndecim ſuorum amiſſis, victores in caſtra reuertun-

uertuntur.Idē,iterati paulo poſt prælij euentus fuit: hoc etiam lætior,quòd D
nuda preſidio caſtra Mahometana direpta ſunt.deleri eo die hoſtis potuit,
ſi ad perſequendū equi Luſitano fuiſſent.grauis adhuc ex vulnere Gradaa-
metes lectica in aciē exierat.nō niſi tranſmiſſo vicino flumine,ab effuſa cō
ſtitit fuga.Luſitani,gemina intra paucos dies victoria gratulabundi,onuſti
manubijs,in ſtatiua redière.ibi dū ſaucijs curandis operā dant;Barnagazi
cum populariibus quingētis,& paucis inſuper Luſitanis è maritima ora ſu-
peruenit.Inde territus barbarus,magna ſuorū parte dilapſa, retro ad Māga
dafum præcelſum montē,qui fauces in Arabicas imminet,hyeme iā aduē-
tante conceſsit.nec Luſitani à veſtigijs abſtitêre.cumq; ſe ſe Gradaametes
tū loci natura,tum anni tēpore tueretur, Gāma itē vicinum montē, Ofalā
nomine,ad hyemandū elegit.ibi dum Luſitani partim intercipiendis com
meatibus;partim finitimis pagis vicisq; in Abaſsini ditionē aut vi,aut volū
tate redigendis inſiſtūt;Gradaametes interea,quàm occultiſsimè per lega-
tos ac munera,trans fretū ab Zebitano prefecto aduerſum Chriſtianos opē
implorat.Miſsi Turcæ fiſtulatores admodum mille, quo maximè genere
militum opus erat,cū tormentis curulibus decē:quos ille per auerſam mō
tis partē inſcio Luſitano,vere iam appetente,lętus accepit.neq; interpoſita E
deinde mora,quò minus vltrò vallū & caſtra Luſitanorum inuaderet.Sen
ſit illicò Gamma non mediocriter auctas hoſtium vires:ac primò, diſtribu
tis manipulis;in ſubita re ſtationes ad idonea loca diſpoſuit:dein,vbi curu-
les admouebantur balliſtæ,munimento diffiſus,vti per vices in hoſtē erū-
perent ſuis edixit. dictis obtemperatū:& in ſumma rerum omnium iniqui-
tate Luſitani pugnā acriter initio ſuſtinebant:dein perpetua ferri ac plum
bi procella ſtratis pleriſque;cæteri priuſquam ab hoſte circumuenirentur,
fugam in ſaltus auios rupesque præcipiunt. De Barnagazio nihil tradi-
tur.Eliſabetha cùm ſaucijs curandis aliquandiu piam, vti ſolebat,ac ſedu-
lam nauaſſet operam;perditis ad extremum rebus pauida perexiguo comi
tatu profugit.Caſtanoſius prefectus,& è ſtipatoribus triginta ſequuti.in Re
ginæ tentorio vulnerati complures incerta ſpe vitæ relicti.in eos parta vi-
ctoria Mahometani cum fœdè ſæuirent;quidam è Luſitanis,atrox ac triſte
facinus ab vltima deſperatione commiſit.accenſo funiculo, tormentarij
pulueris cadis(nam ibidem adſeruabantur)ſenſim adrepens, applicuit ig-
nem;flammisque momentò diffuſis,ſeque & quotquot intra id tabernacu-
lum agebant,eodem abſumpſit incendio. Gamma, cùm egregiè aliquan- F
diu dimicaſſet,ad extremum grauiter ſaucius,hortatu ſuorum, intenden-
tibus iam ſe tenebris,præter ipſa caſtra cum paucis effugit. dumque egere
da è caſtris præda hoſtes diſtinentur;tota nocte per ſummam vexationem
itinere facto, orta demum luce, ne conſpici poſſet, in proximam conual-
lem,& denſas circa ſyluas è via deflexit. ibi,dum ad abditum fontem è lon
ga defatigatione colligit vires; ab equitibus inſequutis, indicio vetulæ cu-
iuſdam oberrantis,inter curandum vulnus opprimitur. Ad tabernacu-
lum dein regium cum ingenti plauſu raptatus, cōgeſtis in eum ab Gradaa-
mete probris miniſque,detracta primùm veſte, virgis acerrimè cæditur:
tum ad ludibrium &contumeliam totis caſtris per militum & calonum
ora traducitur.poſtremò, cùm omnes iniurias & cruciatus inuicto propter
Deum animo pertuliſſet; ad ſe retrahi iuſſum, ad impotenti ſæuaque
iracundia ſuiſmet ipſe manibus tyrannus obtruncat. Sunt qui,ex ipſo mor
tis & cauſæ genere,Gammam in cæleſtium numerum pro certo referen-
dum exiſtiment. Sanè, Abaſsinus Rex in ea quam ad Indiæ Prætorē de his
rebus miſit epiſtola,Chriſti martyrē non dubitanter appellat.Caput Gam-
mæ præciſum,& cum eo primarij Luſitani duodecim ad Solimanum Ot-
tomanum ab Turcis dono tranſmiſſi. Ea victoria intemperanter elatus

Gradaa-

A Gradaametes, conuiuijs ludiſque, aliquot deinceps dies indulſit. Cæterùm inſolenti barbaro, lætitia primò in mœrorem, mox etiam in perniciem vertit. Dimiſſis cum congiario Zebitanis, quaſi nil iam ſupereſſet periculi; cum vxore liberiſque, & cætera multitudine, ad Nili fluenta, valetudinis & animi cauſa conceſſerat. Ibi, nihil tale metuentem Claudius cũ Luſitanorum reliquijs è fuga collectis, & Abaſſinorũ peditum octo millibus, & equitibus quingentis inuaſit. Contracto certamine, Gradaametes, ab Luſitano cuius nomen ignoratur, cùm vnum tyrannum ſimul omnes impeterent, plũbea glande traiectus occubuit. Magna dein edita Mahometanorum fugientium ſtrages. & caſtra cum tormentis & cætero belli apparatu direpta. &, quod omne ſuperauit gaudium, haud exigua Chriſtianorum omnis ætatis & ſexus vtriuſque multitudo, è miſerrima ſeruitute ac vinclis erepta. Gradaametis vxor, cum trecentis equitibus, quos circa ſe præſidij cauſa habebat, & cum theſauris effugit. Certa dein pax Abaſſino Regi aliquandiu manſit; ijs qui per bellum ab eo deſciuerant, cum lacrymis & infima deprecatione ad fidem atque ad officium redeũtibus. Tam inſigni parta victoria, Claudius, in ijſdem locis, anniuerſarias hebdomadæ ſacro-
B ſanctæ ferias admirabili pietate celebrauit, quandiu corpus Domini clauſum in ſepulchro adſeruatum eſt, atratus & ſqualidus veteri gentis more, nihil omnino guſtauit, nec pedem è templi finibus extulit. idem à Regina matre, & proceribus factum. Nec minore cæremonia ſtudioque paſchalia dein peracta myſteria. elutis per cõfeſſionem ſordibus animorum, ſalutari cæleſtis agni cibo refecti, ſummi atque infimi, ad extremum agmine compoſito collucentibus vndique cereis, cum ſolenni pompa ſupplicationem obiêre. Neque ita multo poſt, Luſitanis qui in bello ceciderant, iuſta funebria, & regalis apparatus exſequiæ, cum inſigni erga pauperes benignitate, & piacularibus ſacrificijs, & ſumma omnium ordinum frequentia perſolutę. Luſitani ſuperſtites, virtutis ergo donis ab Regè donati, & liberaliter habiti, quod reliquum erat vitæ, ferè omnes in Aethiopia tranſegêre.

Libri vndecimi Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER DVODECIMVS.

PLVRA iam hinc,& vberiora,de progreſſu Euangelij,deque rectæ in Deum fidei propagatione dicentur. Quippe, ad hæc vſque tempora, conſtituendis emporijs,arcibus exſtruendis,tuendo mari, & propulſandis finitimorum armis diſtenti Luſitani duces ac proceres,in magna illuſtrandi nominis Chriſtiani voluntate,humanæ tamen magis quàm diuinæ rei operam dederant. Et è Franciſcana familia fratres,cùm domicilium in India pridem conſtitutum haberent;eſſentque amplificandæ religionis Chriſtianæ percupidi,tamen quotidiana pſalmodia,funeribuſque,& cæteris diurnis pariter ac nocturnis cæremonijs impediti, ſatis otij nequaquam ſuppeditare poterant peregrinationi,catechiſmo,alijſque muneribus, quæ ad conuerſionē gentium,& curationem, & cultum haud dubiè requiruntur.De cæteris, neminem illorum temporum,ego quidem cum Antonio Galuano, vel prudētiæ laude,vel caritatis ardore contulerim.Proximi Galuano habebantur, Michael Vaſæus,totius Indiæ pro Epiſcopo: (Vicarium generalem appellabant)& Iacobus,de quo ſupra dixi,Borbanus, Epiſcopi comes: itemque Coſmus Annius,regius ſcriba.ij, communi conſenſu , Stephano Gamma prætore,& Fernando Rhoterigio Quæſtore approbātibus,cuiuſmodi Ternate Galuanus,collegium ſeu Seminarium in vrbe Goa inſtituerant puerorum è varijs nationibus,ad fidem Chriſtianam(ſi fieri poſſet) vſquequaque diſſeminandam:atque ob id ipſum , ei collegio ab Sancta fide nomen indiderant.Sed mox, in ſtadio equeſtri (ita enim vocatur is vicus)attributa huic operi noua Diui Pauli conuerſionis ædicula, priore appellatione antiquata,cognomen collegio fecit.eidemque alendo,prædia & reditus quipaulo ante in Ticuarino,Diuare,& Ciorano inſulis, dæmonum cultui deſeruierant ; fanis eorum ac delubris Vaſæi cura diſturbatis euerſiſque, ex Regis auctoritate aſſignati.Per eoſdem fere dies,haud contemnendum etiam aliunde incrementum Chriſtiana res ceperat . Parauæ ſunt populi ad Comorini ſeu Cori promontorium, imbelles ac mites,piſcatui margaritarum præcipuè dediti.Inde Piſcarium,quinquaginta fermè leucarum ſpatio,littus appellant.idque ab ipſo promontorio initium ducēs, meridiem ſpectat primò,tum in ſeptentriones reflexum, ad vſque Remanacoris vada,& Manarem inſulam,fronte in orientem ſolem obuerſa protenditur, tanta in tā breui locorum interuallo cœli varietate, quemadmodū ſupra demonſtratum eſt,vt ijſdem anni menſibus,eis promontorium, æſtas & calor;trans idem illud,hyems & frigora ſæuiant. pagis vel oppidis quinque circiter,& viginti,ora ea tota cenſetur.ij ergo populi ab inquilinis Mahometanis adempto piſcandi arbitrio,cùm grauioribus in dies afficerentur iniurijs,coacto concilio, de re communi conſultant.Fortè in ijs tum locis negotiabatur è Chriſtianis Malabaribus quidam Ioannes Crucius ; qui

nuper

A nuper in Luſitania fuerat, eumque Ioannes Rex comiter acceptum, honoribus ac beneficijs auxerat. Hoc maximè auctore, Parauæ, in ſumma conſilij inopia, rerumque difficultate, legatos opis petendæ Cocinum mittunt magiſtratus ac decuriones (Patangatini patrio ſermone dicuntur) hiſce imperatum, ſpondeant, ſi rebus afflictis auxilium latum ſit, paratos Parauas omnes, publico gentis decreto, Luſitana ſacra ſuſcipere. Ei promiſſo quo maior eſſet fides, Cocinũ delati Patangatini, mandatis ſuorũ expoſitis, confeſtim ſalutaribus abluuntur aquis, & Chriſto dant nomina. Hoc veluti pignore cæterorum voluntatis accepto; nõ dubitauêre Luſitani ſuppetias laborantibus ferre. Claſſis ab Cocino ad Piſcariũ littus miſſa, non modò Mahometanorũ audaciã repreſſit, ſed etiam Parauis erepta piſcationis iura magno cum ipſorum emolumento reſtituit: & ſacerdotes aliquot eadẽ claſſe delati, luſtrandis baptiſmo Parauis æquè ſummis atq; infimis, nemine repugnante, inſtitêre. Ac per hunc modum, paucis diebus, voluntaria conuerſione, in Chriſti fidem gens pænè vniuerſa conceſſit. Ad huiuſmodi veluti ſubitarios fidelium greges; aliqua ſubinde mancipia, vel ſocij & auxiliares Indi temere adiungebant ſeſe (certorũ hominum teſtatam & il-
B luſtrẽ vocationem excipio) magis quò dominis aut Luſitano prætori gratificarentur, quã quòd ſuis ponderibus religionũ diſcrimen ac momẽta perpenderent. Ergo, multo maxima neophytorum pars, præter intincti lympha corporis, & nominis immutati memoriam, Chriſtianæ diſciplinæ reti nebant nihil. Id autem, partim ſocordia gentis fiebat; partim etiam cultorum inopia, quippe qui, propter paucitatem, nec probè ſubacto ſererent ſolo; neq; ſata deinceps ab initio vſque ad extremum, æquali cura proſequerẽtur. Ita, labores in ſemine deſtituti, optatã ſegetẽ virtutis ac pietatis ferre non poterant. Inter hæc, è quotidiano commercio nationũ quæ ignorant Deũ, multa & grauia in hominum noſtratiũ mores irrepſerant vitia: propi uſq; aberat, vt Europæi aduenæ aliquid in ſingulos dies ex Aſiatico traherent luxu, quã vt indigenis ipſi Chriſtianę ſanctimonię & ſeueritatis quicq̃ impertirẽt. Ad hanc morum contagionem, accedebat ingeniũ ſoli cœliq;, mirè factum ad corrumpendam vel generoſam indolẽ; quodq;, ni ſumma cautio adhibita ſit, quamlibet Martiũ vigorem animorũ, otij dulcedine, & varijs voluptatum delinimentis extinguat. Hæc, Ioãnes Rex, cùm & litteris multorum, & ſermone didiciſſet; angebatur intimis ſenſibus, quippe cui ſa-
C lus hominum, ac præcipuè popularium ſuorum, cariſſima ſemper fuiſſet. præterea, ſtimulabat animum illa quoque religio, quod ex decretis Pontificijs, & iure communi, non niſi tuendi augendiq; diuini cultus, & promulgandi Euangelij nomine, ſi promulgatiõnem eam impedirent, bellũ ignotis inferre gentibus, & Indicarum frugum opumq; decimas, & vectigalia capere ſibi liceret. In tanto autem reliquarum artium ſtudio, tantiſque diuitijs, & copia rerum, languere Chriſtianam induſtriam, & adeo paucos exiſtere, qui mortalibus inani ſpe & praua cupiditate deceptis, rectum viuendi monſtrarent iter, haud immeritò nefas arbitrabatur. Ac proinde, quo pacto hiſce occurreret malis, dies noctesque agitabat animo. Sed in ſumma rei expediendæ voluntate, nihilominus hærebant conſilia Regis: quippe, ad tantam hominum vim in arctam & anguſtam ab lata & ſpatioſa via traducendam, tot peragrandas terra marique regiones, tractanda tam variarum nationum ingenia, multorum inimicitias atque odia ſubeũda, refellenda iã inueterata, & penitus infixa captis errore mẽtibus, Brachmanicæ vanitatis aliorumque mendacia; & numero magiſtrorum, & ſpectata innocentia vitæ morumque, & egregia corporis animique firmitate, & ſana multiplicique doctrina, & ſuper hæc, non vulgari prudentia, magnoque rerum vſu opus eſſe non ignorabat. Huius autem generis

magna

magna per id tempus erat in Luſitaniæ regno penuria. Sacri concionato- D
res è finitimis regionibus accerſebantur. Liberalium artium ſtudioſi, Com
plutum fermè aut Salmanticam adibant. nonnulli etiam, Regis impenſa
Pariſijs alebantur. Vnicum erat regni totius Oliſipone gymnaſium infre-
quens, ab Dionyſio Rege inchoatum. ibi, pars iuuentutis iuri maximè ciui-
li operam dabat. atque id ſanè gymmaſium, nuper ipſe Ioannes, in poſterũ
longè proſpiciens, ex Oliſiponenſi tumultu Conimbrigam tranſtulerat,
in vrbem antiquam, & Muſarum otijs iam ante dicatam; actum quidem,
caſtigato præterlabentis Mondæ fluminis alueo, ſalubris pariter & amæni
ſeceſſus. Eò clariſſimos dicendi magiſtros, ac mathematicæ rei ac medicæ
profeſſores, & humani diuiniq́ue iuris, & ſacrarum litterarum interpretes,
non ex Hiſpania tantùm, ſed etiam ex Gallia, Germania, Italia, magnis pre
mijs euocabat: ſcholiſq́; ex Pariſienſi formula & diſciplina inſtitutis, ali-
quot inſuper adoleſcentiũ collegia in eadẽ vrbe fundauerat. Sed necdum
ad maturitatem ea peruenerat ſoboles; & Indicæ neceſſitates præſentem
efflagitabant opem; & domeſticis hiſce præſidijs, ad excolendam Luſitani-
am ipſam, & ſupplendos magiſtratus, & ſacerdotia tuenda, egebat Rex. Ne
que porrò verum erat, quò remotæ fouerentur partes, inteſtina ac vitalia E
membra deſtitui. Hiſce anxio curis, atque ad Indicam ſubleuandam rem,
externa circũſpectanti auxilia; tale remedium haud obſcura Dei prouidẽ-
tia oblatum eſt. Ignatius Loiola Cantaber agebat Romæ, qui paulo an-
te, cum eximijs aliquot eiuſdem propoſiti viris, afflatu diuino ſeſe ad
vineæ Chriſti culturam, atque ad Euangelij prædicationem, ſine vlla pror-
ſus aut temporum aut locorum exceptione deuouerat. Ea ſocietas IESV
ab ipſo Pontifice Maximo, qui tum erat Paulus hoc nomine Tertius, poſt-
modum appellata. Iamq́ue varijs Europæ locis haud obſcurum egregiæ
cuiuſdam pietatis ac doctrinæ ſpecimen dederant. Id Ioannes certis auctо-
ribus vbi cognouit; Petro Maſcareniæ, ſuo apud Pontificem oratori, man-
dat, etiam atque etiam agat cum Ignatio, vti alumnos diſciplinæ ſuæ mini-
mum ſex mittat ad ſe. quando generis humani ſalutem, & Chriſti Domini
gloriam vſque adeo ſitiant; non defuturas in Aſia atque Africa ſcaturigi-
nes, quibus eam aliqua ſaltem ex parte releuent ſitim. præterea, nullam in
eas terras nauigandi moram fore, ſimulatque commoda tempeſtas affue-
rit: quæq́ue ad nauigationem neceſſaria ſint; ea ab ſuis procuratoribus lar-
gè & copiosè præbitum iri. Hoc accepto mandato Maſcarenias Ignatium F
appellat. Ignatius ex auctoritate ſummi Pontificis, quod alijs quoque regio
nibus pro ſua parte conſultum vellet, expetenti ſex oratori duos tantùm
aſſignat, Simonem Rhoterigium Luſitanum (quem Ioannes ipſe Lutetiæ
in ſtudio litterarum aluerat) & Franciſcum Aſpilcotam Nauarrum claro
inter ſuos genere natum, cognomento Xauerium. Ac Simon quidem, ma
turè præmonitus, quod quartana tum laborabat febri, in Luſitaniam naui
tranſmiſit comite Paulo Camerte, egregia probitate fideq́ue viro, qui ſe ſe
cum alijs ad Ignatium per eos dies adiunxerat. Xauerio autem, quò maio-
rem videlicet in re ſubita ferret obſequij laudem, non niſi pridie quàm illi
cum Maſcarenia itinere terreſtri abeundum fuit, denuntiata res eſt. Ac, ta-
metſi, confirmata nondum ſocietate, nihil in cæteros iuris erat Ignatio;
Xauerius tamen ad imperium vſq; adeo durum, ac repentinum, non mo-
dò tergiuerſatus vlla ex parte non eſt, ſed etiam inceſſit omnibus lætitijs:
acceptoq́ue ſpatio vix quod ſalutandis amicis, & reſarciendæ attritæ ac la-
ceræ tunicę ſatis foret, poſtera luce cum oratore diſceſſit. Huius mihi profe
ctionem viri (nam Rhoterigius, Regis ac procerum deinde rogatu in Luſi
tania ſubſtitit) paulo fuſius perſequi eſt animus: vt promulgandi Euange-
lij ſtudioſis hominibus, recens propoſitum ſit Apoſtolicæ peregrinationis
exem-

A exemplar. Quamquam huiusmodi narrationem exsequēti mihi, subit illa suspicio, fore vt quæ de piorum hominum in ægrotos, ac pauperes, & infimam plebem officijs, vel prodita sunt, vel in posterum prodentur à nobis; aut friuola, aut etiam sordida videantur ijs, quorum videlicet aures, magnificis de republica; de moribus, de natura disputationibus, vel sumptuosis bellorum apparatibus, terrestribusque ac naualibus prælijs, & inclytarum vrbium expugnationibus adsueuere. Sed habet hoc vtique philosophia Christi. nihil primo aspectu contemptius; nihil in recessu diuinius. quippe, animos, non ad sitim cædis ac sanguinis, vel ad inanis gloriæ cupiditatem; sed ad humanitatem ac mansuetudinem, atque ad amorem solidæ ac veræ virtutis inflammat: quæque ab alijs de officio, vel ostentationis, vel etiam animi sæpe causa quæruntur, ea rebus ipsis ac vita quàm verbis multo libentius explicat. Ergo Christianæ documenta virtutis, tanto & ad bene viuendum aptiora, & ad narrandum grauiora censenda sunt, quanto facta dictis; & pacis munera bellicis artibus antecellunt. Xauerius igitur, vbi profectionis affuit dies (annus tum agebatur huius seculi quadragesimus) ita ex vrbe decessit, nihil vt secum præter simplicem
B corpori tegendo vestitum, & in quotidianas preces Romanum breuiarium extulerit. Vt fieri cæptum est iter, illud ante omnia mordicus tenuit, vt intimam sui custodiam, & certa precandi commentandique spatia non omitteret. inde vegetior in dies atque robustior, ad opem alijs ferendam semet acriter incitabat. Hi quò libentius curationem vbi opus esset acciperent, cunctis interim officiosè demerendis, atque omni ratione sibi conciliandis insistere: deposita seueriore persona, comiter alloqui singulos: hilari ac sereno respondere vultu: faciles ad se cuilibet præbere accessus; contemnere omnino neminem: gloriam æquè fugere atque alij captant: nihil in victu cultuque sibi præcipuum sumere; minimis vilissimisque contentus esse: vti quisque pessimè se acceptum à prodromo quereretur, ita huic libentissimè suo lectulo tectoque cedere: vbi quis per niuosa, ac lutulenta, & prærupta itinera laberetur, ad eum subleuandum raptim, ad pedes vel cum periculo desilire: alio quouis casu periclitantibus, vbi non posset manu, prece votisque succurrere. Inter cæteros, primarius quidam, contra omnium sententiam ausus tumenti fluuio ad transitum se se committere, cùm aquarum impetu vorticibusq; ad exitium ra-
C peretur, pia (vt affirmant) Xauerij supplicatione seruatus est. ad hæc, lassos & imbecilles omni obsequio ac sedulitate refouere: postremus cubitum ire, primus exsurgere. denique, famuli dum quiescunt, ipsis operam dare iumentis. Hac ille summissione, officio, suauitate, clementia, cæterisque artibus, quas ei spiritus cœlestis haud dubiè suggerebat; breui omnium animos ita sibi deuinxit, vti deinde nihil ad cuiusquam reprehensionem ab eo profectum; aut acerbum vlli videretur, aut nimium. Neque ipsos dumtaxat qui in comitatu erant legati, meliores quotidiè reddere conabatur; sed etiam in cauponis ac diuersorijs, cùm se occasio daret, promiscuè cunctos docendo, monendo, iuuando, excellentis cuiusdam virtutis & caritatis relinquebat impressa vestigia. Per hunc modum superatis iam alpibus & Pyrenæo saltu, in Pompelonis veniunt fines. cumque inde Xauerius ad suos facillimo negotio posset excurrere, nunquam adduci se est passus, vt quicquam omnino carni aut sanguini daret; atque ad patriæ saltem incunabula reuisenda, quamuis modico diuerticulo de via deflecteret. Inter hæc, sagaci viro Mascareniæ, cognoscendi noui comitis, atque introspiciendi penitus eius animi sensus, maxima dabatur facultas: nihil enim vitia virtutesque hominum ita explorare consueuit, vt bene longi itineris diurna pariter, & nocturna cōsuetudo; quippe

quæ simulationem quamlibet callidam & artificiosam, diu sustineri non D
patitur. eò liquidius Mascareniæ de Xauerio ferre sententiam licuit. cum-
que in dies notitia pariter & admiratio crescceret viri ; præmisso ex itine-
re tabellario , de ipsius laudibus ad Ioannem ita multa perscripsit , vt
Rex miram in eius videndi ornandique cupiditatem incumberet. Oli-
siponem denique tertio mense peruentum. ibidem agebat Simon. huius
quartana vetus, cuius accessum eo ipso die exspectabat, Xauerij demum læ-
to ac salutari amplexu discussa. Post triduum Xauerius euocatur in re-
giam. accedenti , sese Rex perhonorificum præbuit , ac verbis amplissi-
mis , quid de illius meritis ac sanctitate sentiret , in amicorum ac pro-
cerum corona testatus est. At ille, peracto salutationis officio ; cùm ei
lauta ad diuersandum hospitia non deessent ; ab regia protinus ad pu-
blicum valetudinarium, quod Misericordiæ sodales procurant, vnà cum
Simone, & Paulo Camerte se confert. ibi , dum naues ad cursum pa-
rantur , de more tempus ita distribuunt patres , vti nocturnas horas ,
breui duntaxat excepto somno, sacris carminibus, & rerum diuinarum
contemplationi : diurnas, ægris omni ope refocillandis, confessionibus
quamplurimorum excipiendis , & quotquot ad se venirent , aut consi- E
lio, aut re iuuandis insumerent. Hisce fermè occupationibus, quod reli-
quum erat hyemis, summa populi Olisiponensis approbatione transa-
ctum. Iamque Indicæ nauigationis appetebat tempus, cùm regij œcono-
mi , & Castanerianus in primis dynasta , iussu Regis instare Xauerio ,
vti , consultis hominibus peritis , indicem ederet eorum , quæ vel ad
iter tam longum, vel ad prouinciam adeò remotam necessaria duceret.
ita sibi etiam atque etiam ab Rege mandatum , vti prorsus nihil , ipsi
vel socijs ; neque ad valetudinem, neque ad commodum cultumue de-
esse pateretur . seorsum dein illi Ioannes totam Indicam rem accuratè
commendat: conuertendis ad Christum ethnicis , neophytis in fide fir-
mandis insistat , Lusitanæ ditionis arces atque præsidia lustret , deprauа-
tos corrigat mores ; deque omnibus rebus quàm diligentissimè ad se per-
scribat. Postremò, quò sibi aptiorem & expeditiorem fore prouinciam
intelligat ; transmissum ad se ex vrbe Roma diploma litterasque Xauerio
reddit ; quibus eum Summus Pontifex Nuntium Apostolicum in regio-
nibus Indicis ampla cum potestate creauerat. Et Xauerius Regi quidē pau
cis ita respondit, vt cùm eximiæ illius benignitati gratias ageret immor- F
tales; tum verò, quod ad procurationem Indicæ rei pertineret, se se, quan-
tum liceret ac posset; serui fidelis officio functurum esse reciperet. Regijs
verò curatoribus, & Castaneriano præsertim, cōplura in vsum nauigatio-
nis identidem offerenti; aliquandiu obfirmato restitit animo: dein, ne per
contumaciam superbiamue cuncta respuere videretur, perpelli se tan-
dem est passus, vt sibi comitibusque duobus (nam ad Paulum Italum, pau-
cis illis diebus, studio pietatis incensus accesserat Franciscus Mansilia Lusi-
tanus) singulas crassiore textu lacernas ad arcenda circa Bonæ spei promō-
toriū Antarcticæ plagæ frigora, itemq; sacros aliquot libros, cuius generis
inopia laborare India dicebatur, in nauim imponi pmitteret. reliqui verò
cōmeatus atq; viatici genus omne reiecit, cū ita diceret: suscepto pauperta
tis voto, & vnius Dei causam agenti sibi nequaquā esse de crastino laborā-
dum. Hortāte dein dynasta, vti puerū saltem vnum adsumeret, victus quo-
tidiani administrum; Mihi verò, inquit Xauerius, dum pedibus manibusq; „
vti licet meis, opus ministro non est. Cùm ille nihilominus vrgeret ac pre- „
meret; indignū ea fore persona quam gerebat, affirmans, si in tanta vecto-
rum ac nautarum turba palam conspiceretur, aut vestem ad nauis mar-
ginem abluens, aut cum cæteris ollam foco in quotidianos cibos impo-

nens;

A nens; Atqui clarissime vir, Xauerius inquit, dignitatis tuendæ, artes istæ &
„ præcepta quæ narras, quo vides loci Christianam rempublicam adduxe-
„ runt. itaque mihi, & ollas, vbi res postulauerit, inspectante populo,
„ non attrectare solum, sed etiam tergere; & lauare pannos, & infima quæ-
„ que, modò peccatum absit, obire ministeria certum est. Cuius veritate
responsi, & in præsentia œconomo vocem incluſit; & magnam apud
eum de se in perpetuum præclaræ cuiusdam ac diuinæ sapientiæ opinio-
nem reliquit: quam Castanerianus postea prædicare libenter solebat; il-
ludque crebris vsurpare sermonibus, in classis discessu, non minus cum
Xauerio sibi certaminis fuisse, vt plus acciperet, quàm cum alijs homini-
bus, vti ne plus exigerent. Ab eo colloquio, & Simonis deinde amicorum-
que complexu, Prætoriam nauim Xauerius Regis iussu conscendit. ibi
verò, quàm in omnes partes fructuosa eius caritas & industria fuerit, quo
facilius possit existimari; pauca de vniuerso genere classium Indicarum
hoc loco præfari est necesse. Præter nauigia permulta, quæ varijs anni
temporibus ex Olisiponensi portu ad alia atque alia commeant noui or-
bis emporia; quatuor fermè vel quinque in Indiam onerariæ destinan-
B tur, magnitudinis adeò vastæ, vt cùm inflatis aura secunda feruntur velis,
oppidi propemodum instar obtineant. Harum singulis, præter com-
meatus, instrumenta, merceſque, complures hominum ordines vectari
mos est. Primus ordo, nauticæ multitudinis. ij certis inter se legibus ac
disciplina constricti, cursum ex arte moderantur. Secundus est præfe-
ctorum ac magistratuum, qui vel ad obtinendas arces ac maria; vel ad
ius dicendum, & curanda publica negotia, in orientem ab Rege mit-
tuntur. Tertius militum, quique ad naues tuendas, quique ad Indica præ-
sidia supplenda conscripti sunt. Quartus est mercatorum, qui cum vxo-
ribus interdum ac liberis, in colonias Indicas migrant. Accedit famulo-
rum ac mancipiorum ingens numerus. Nec desunt medici seu quos vul-
go physicos, seu quos chirurgos appellant. Populus vnius onerariæ, in
vniuersum capitibus modò sexcentis, modò octingentis, interdum etiam
plus mille censetur: &, obuersante plurima leti specie; culeum è sparto,
& linteum quisque secum in nauim infert, quibus inſutus, si diem obi-
re contigerit, deijciatur in mare. Porrò, cunctorum expiandis animis
& rei diuinæ procurandæ, mercenarius plerunque præest: qui morien-
C tium vbi confessiones audierit; & mittendos in pelagus, lustralibus aquis
& piaculari precatione fuerit prosecutus; nimirum sat suo muneri, sat
legi factum existimat. Ab Olisipone Goam; inde Cocinum, coemen-
di maximè piperis causa, nauarchi petunt. is cursus, vt nullus grauio-
or interueniat casus, quinto haud citius mense conficitur. interea, pro lo-
corum ac temporum varietate, modò cadentibus ventis, malaciæ len-
tissima tædia; modò sæuientibus procellis, iactatio vehemens, sæpe si-
ne exitu nausea, fastidium cibi, terror assiduus, diuturna insomnia to-
leranda. adde malignè diuisa, & sæpenumero vitiata cibaria; vicissitudi-
nes immoderati caloris & frigoris; grauitatem cœli sub æquinoctiali maxi
mè plaga, quæ superando Bonæ spei promontorio, semel iterumque traij-
citur. Ad hæc, non leue incommodum in ipsa quoque habitatione consi-
stit. ab ima carina ad summam nauis oram, contignationes quatuor vel
quinque attolluntur. in infima, nautici saburram ad æquilibrium sternũt.
in cæteris, tormenta constituunt, vasa disponunt, mercimonia capsasque
cõstipant. vectoribus, admodum exiguã sub ijs tectis agẽdi spatia relinquũ
tur. à prora puppiq; gemina in pugnam surgũt castella. in horum vtroque,
& simul ad gubernaculum, ligneas casulas ac tuguriola fabri concinnant.
hasce, qui sunt pecunioſi, magno in breue tẽpus conducunt pretio. cætera

curba,ni ſæuiant venti, prout cuiq; datur, ſub dio in anguſtijs cubant. ſin à- D
trocior tempeſtas diſcurſum nautarum ad repentina imperia poſtulet; pà-
uidi confertiq; ſub tabulata coguntur.ibi, concluſo halitu æſtuque,teterri-
mus odor ſentinæ,pædorq;,& illuuies afficit corpora.Inde cùm graues alij
morbi,tum verò lethargi,apoſtemata,febres variæ,fœda oris vlcera,& pu-
rulenti gingiuarum tumores exiſtunt:& ipſos etiam haud rarò ſacerdo-
tes,medicoſque corripiunt. Iam, in tanta plebis colluuione, militum-
que licentia, quot quantæque ſint labes animorum ac vitia;enumerare ſu-
peruacaneum eſt.tacitus ea ſibi quiſq; ſubijciet.Omnem hanc benemerẽdi
ſyluam,& ſempiternę glorię ſegetem,in ſua nauigatione Xauerius habuit.
Martinus Alphonſus Soſa cum ſummo imperio præerat claſſi, Prætor In-
diæ deſignatus:qui in eius maris præfectura paulo ante præclaras geſſerat
res.Huic primùm,Xauerius,& aſſeclis eius apparitoribusq;, ad iuſtitiã colẽ-
dã ac fidẽ,plena prudẽtię,plena ſalutis monita per occaſionem dabat:tũ ad
aliorũ animos pariter ſanandos & corpora,omnes cõferebatvires.excitarẽ
afflictos, conſolari mœrentes,adſidere ægrotantibus,interdũ etiam ijſdem E
ſua manu condire & coquere cibos,præbere ſorbitiunculas,atque vitalem
inſtillare ſuccum,ſternere lectos,ac ſordes euerrere. quibus eſſet ſpes vitæ,
hiſce,auertendi cœleſtes iras, & mores in poſterum corrigendi præcepta
inculcare.quorũ deplorata eſſet in terris ſalus,ijs æternæ vitæ facere ſpem,
& ſimul ad ſupremam pugnam arma contra dæmonum incurſus ac peti-
tiones induere.valentes, ad officia pietatis & humanitatis hortari, detra-
hentes de aliorum fama, ſerentes iurgia diſcordiaſque, vel impia in ſupe-
ros verba iactantes, vel rem alea diſsipãtes,leni ſimul & graui oratione cõ-
peſcere;plurimã diuinæ tum iuſtitię,tũ clementiæ mentionẽ & recordatio
nem inferre; controuerſiasrixaſq; dirimere;lenire odia; religionis ignaros
ac rudes,Chriſtiana doctrina inſtituere;omnib' omni ratione prodeſſe.in-
ter hæc,ſe ipſe inuictum ab omni perturbatione præſtare,cibo potuque vti
parciſſimo; nec dies modò totos exerceri, ſed etiam noctes:& fatigatos vi
gilia cadenteſq;oculos,tãdiu in opere continere,quoad ſomno & laſsitudi
ne oppreſſus,vbi vbi ſors ferret, tandẽ aliquando ſuccũberet.Atque ex hoc
tam abiecto,tam in ſpeciem ſeruili genere vitæ,tantùm abeſt vt quicquam
vel de auctoritate,vel de exiſtimatione deperderet; vt eum, ſummi infimi-
que,tamquam ſalutis omnium præſidem,& è ſupernis demiſſum ſedibus, F
intuerentur.Inde primùm & patris, & ſancti cognomentum inuenit:ſic e-
nim in oriente poſtea ſemper, & vocitatus, & habitus eſt. Cæterùm in hoc
itinere,Xauerij virtus, eò maiorem habuit campum; quò tardius illo qui-
dem anno ab Luſitanis nauigatum eſt.non niſi Auguſto menſe exeunte
ad Moſambicũ deuenêre:ibi ad Aprilem vſque hyemare coacti ſunt. & ę-
gris, qui permulti erant,in regium noſocomium è claſſe deportatis;in eo-
rum famulatu pater tanta denuò cum aſſiduitate vigilijſque verſatus eſt,
vt præ ſui corporis negligentia grauem & periculoſum in morbum inci-
derit:in eo morbo cùm maximè arderet febri,teneri non poterat,quin,va
cillante corpuſculo,periclitantibus tamen ac moribũdis adeſſet.in ijs,nau-
ticum infimæ ſortis adoleſcentem; cui exitialem exitum haud ſine cau-
ſa metuebat;è faucibus tartari, ſi qua poſſet, eripere ſtatuit. iacebat miſer
humi,deſtitutus ab omnibus;eique per extremam phreneſim(quod erat in
primis dolendum)ad deteſtanda & confitenda crimina tali tempore ne-
que mens, neque ſermo conſtabat. Hunc tolli à valentioribus iuſſum, in
ſuomet cubili Xauerius collocat.ad eum contactum(mira dictu res)confe
ſtim ad ſe iuuenis redijt,& peccata Xauerio ritè confeſſus, magna cum ſa-
lutis æternæ ſpe ſub veſperam exceſſit è vita.Inter hoſce labores exhauſta
iam hyeme; Prætor Soſa, quod certis de cauſis præuenire cuperet; quæ

prima

A prima facultas nauigandi fuit, roſtrata maiore celeriter anteceſſit; neque Xauerium, viribus vtcunque receptis ab ſe diuelli permiſit. Paulus & Manſilia, in noſocomij procuratione, quoad claſſis abiret, iuſſi perſiſtere. Xauerius interim, de inſtituta vitæ conſuetudine remiſit nihil, certam ei nauis particulam ibi quoque Soſa in hoſpitium aſſignauerat. hanc item pater alijs egentibus vltrò cõceſſit. ipſi pro culcitra funis anchorarius in ſpirã conuolutus, pro ceruicali fuit ipſamet anchora. Ex itinere primùm ad Melindem, tum ad Socotoram nauis appulſa. vtrobique, in erudiendis ac ſubleuandis hominibus, pro temporis breuitate, Xauerij nauitas ac diligentia conſtitit. Goam denique anno ſeculi huius quadrageſimo ſecundo peruẽtum eſt, pridie nonas Maias, quo die Romæ quondam ſanctus Ioannes Apoſtolus ex olei feruentis dolio illæſus emerſit. Deſcenſione facta, pater ad Regis valetudinarium, vti ſolebat, extemplò ſe cõfert. Eodem paulo poſt cum claſſiarijs ægrotis Paulus & Manſilia comites magna omnium gratulatione ſuccedunt. Goanæ tum Eccleſiæ præerat Ioãnes Albuquercius (de quo ſupra commemoratum eſt) præſtanti ſapiẽtia Pontifex. Ad hunc, Xauerius, antequam vllam reipublicæ attingeret partem, adijt honoris &ob-

B ſequij cauſa: eiq́ue ſine ambagibus id quod erat expoſuit: ſe Pauli Pontif. Max. & Ioannis Regis Luſitaniæ miſſũ, ad impertiendum ethnicis euangelium, ſtabiliẽdos in fide neophytos, Chriſtianos aduenas & inquilinos proviribus adiuuandos, in ea loca veniſſe. attamen, ita ſibi certum eſſe fixumq́ue: communis rei nihil omnino, niſi ex ipſius Epiſcopi auctoritate ac ſententia gerere. Simul, Pontificias litteras, quibus Nuntius Apoſtolicus fuerat declaratus, eidem offert venerabundus: ac profitetur, ſe ſe iure illo ac poteſtate nequaquam vſurũ, niſi quatenus epiſcopus ipſe permiſerit. Hac ſeu altitudine animi, ſeu modeſtia capt⁹ Albuquercius, illicò ruit in amplexus viri: perlectum probatumq́ue diploma reſtituit: poſtremò, etiam atque etiam Dei ſeruum adhortatur, vti animo ſoluto ac libero Chriſtianã rem è præſcripto ſummi Pontificis adminiſtret; valdè confidere ſe ſe, illius aduentum, ad Indicæ eccleſiæ vel tutelam, vel amplificationem magnopere profuturum. neque in præſentia modò Xaueriũ comiter ac libenter accepit; ſed etiã in poſterum præcipuo ſemper tũ in honore, tum in amore cum ctis approbãtibus habuit. Ab ea ſalutatione regreſſus in domiciliũ hoſpitale Xauerius, cõſueta pietatis & caritatis munia cũ ſuis obire perrexit. Præ-

C ter hæc, ſalutarem publici catechiſmi ritum, in regionibus ijs vtiq; primus inſtituit. Quotidie fermè prodibat ipſe cum tintinnabulo, & ingentẽ promiſcuæ turbæ numerũ in tẽpla cogebat. ibi rectæ fidei capita, & Chriſtianæ vitæ p̃cepta, vulgi ſermone breuiter ac dilucidè cõprehenſa (quæ ipſemet poſtea certioribus ad modulandũ adſtrinxit numeris) decantabantur hoc ferè pacto. Verba præibat pater, inflexis ad aures populi demulcendas leniter vocibus. eaſdẽ voces reliqui extẽplò reddebant. id cũ pro populi captu bis terue ac ſæpius fieret; ſequebatur, vt ſonus ille, ad aures blandè ac ſuauiter accidens, integra paulatim ſenſa, totaſq́ue periochas penitus in pectora demitteret vulgi. Ad extremum, vt ſilentio indicto ſymphonia cõquieuerat; certos ex eadem inſtitutione locos, Dei famulus fusè ac populariter explicabat. Ita, pueruli, fœminæq́ue, ac tarda plerunque mancipia, paucis horis ac pæne ludibundi, multò plura percipiebant de rebus altiſſimis atque diuinis; quàm illa noua ac vetus Academia, lycæumq́ue illud inclytum, & omnes antiquæ philoſophorum ſcholæ, tot ſeculis; tanta contentione, tantis lucubrationibus extundere valuerunt. Hæc tum in vrbe Goa per hyemem à Xauerio geſta: & ſimul, optimatum rogatu, Paulus Camers, Diui Pauli ſeminario collegioue; quod iam puerorum numero haud paruo conſtabat, adminiſtrando regendoq́ue præpoſitus. At Xaue-

rius,quod per eos dies de recenti Parauarũ & Piſcariæ gentis conuerſione D
cognorat;Manſilia comite ad eos edocendos & confirmandos vere ineunte profectus eſt.ij populi,vti ſupra docuimus,magna Michaelis Vaſæi & ſociorũ alacritate,ſalutaribus illi quidẽ abluti fuerant aquis;cæterũ eius myſterij vim,& reliqua eccleſiæ ſacramenta,itemq; precãdi formulas,& Chriſtianæ fidei articulos,& legis diuinæ præcepta penitus ignorabant. Neq; ſacerdotibus Europæis quiue Goę,quiue Cocini degerent,vlla oſtendebatur facultas barbariæ illius erudiendæ:quippe in magna diſtantia locorum, & nullo propemodum linguæ commercio.ex quo nimirũ facilè conijci poteſt,dum peregrinus homo Xauerius ignotũ ſermonẽ addiſcit,cœcamque ignorantiæ noctem ex ijs mentibus conatur expellere;quàm graues illi miſeriæ,quantus moleſtiarum cumulus fuerit perferendus. Cùm Brachmanis præcipuè magna ſeruo Dei fuêre certamina. Abduci à ſe populũ, fraudeſq; ſuas ac mendacia detegi,mortis inſtar ducebant. cumque à vi cædibuſque eos turbarum abſterreret metus, fruſtra Euãgelici præconis linguã donis ac mercede alligare ſæpe conati ſunt.Interea,vicino quodam in oppido,quod tyranni metu in patria ſuperſtitione perſtabat,fœminæ quartũ E
iam diem ex partus difficultate grauiſſimè laboranti agentiq; animã,Xauerius accitus interuenit. fidei ſummam exponit:certũ ad ſalutem iter oſtendit.aſſenſa eſt mulier:baptiſmum expetijt:illicò peperit.ea re adducti propinqui,dein populares vniuerſi,tyranno mitigato, repudiatis idolis, Euangelio credidêre:quos omnes probè inſtitutos pater ſacro item baptiſmate proluit.Hæc & alia plurima Xaueriũ mirè diſtrictũ habebãt:atq; vbi quod in præſentia ſatis eſſet,eodem ſubſtiterat loco ; delectos ex omni Chriſtianorum numero hypodidaſcalos(ij patrio ſermone canacapoli vocantur) & probitatis,& ingenij laude præſtantes,in ea locabat ſpecula, qui cæteros in officio continerent,ſacras tuerentur ædes, baptiſmate fungerentur; & ſi quid accidiſſet grauius aut difficilius, cõſignatum interea litteris memoriæ cauſa,poſtmodum ad ſe referrent. Hiſce vicarijs commendato grege, ad aliud ipſe aliudque deinceps oppidum aut pagũ, pedes, & quidem ſine ſacculo ſemper ac pera,tranſibat.Vbi oram omnem ijs quæ dixi caritatis officijs,& prædicatione Euangelij peragrauerat; orſus iterum à capite eandem pari diligentia prouinciam obibat,penſum cùm à cæteris Chriſtianis, tum verò à canacapolis exigens.Atque huic hominum ordini, quò com- F
modius tam pię ac neceſſariæ functioni vacarent;certum auri pondus impetrauit quotannis in Luſitanæ Reginæ ſocculos ab Indis conferri ſolitũ; cùm quidem ad Catharinam ſcribens,Ioannis vxorem,inſigni virtute ac pudicitia fœminam, haud ineptè luſiſſet,nullis eam ſoccis æquè facilè ſcãſuram in cœlum,ac precibus neophytorum, in quos Chriſti cauſa id opis ac beneficentiæ contuliſſet.Amplius annum Dei famulus in Paraua regione traduxit;eumque Domini agrum adeo reliquit probè cultum & conſitum,vt hodie in primis totius Indiæ felix ac fertilis habeatur. Harũ rerum fama commoti Macoæ finitimi populi è Trauancoris regno ad Comorini latus occiduum,Parauis multitudine fermè pares, Xauerium ad ſe baptiſmi cauſa per ſupplices nuntios ac litteras euocant.ille profectus, eodem & inſtitutionis,& peregrinationis ordine,plus decem hominũ millia vertente menſe ad Chriſtum adiunxit.noui dein ad eum concurſus quotidiè fieri,atque vbi patrio ſermone propoſita principia Chriſtianæ doctrinæ dicerant;cùm alia ſuſpicere, & laudibus in cœlum ferre; tum verò ipſa prę cipuè decem diuinæ legis præcepta. mirari quàm illa æquitatis plena eſſent,quàm vera,quàm rectæ rationi conſentanea.oblatã ſibi è cœlo haud dubiè lucem gratulari inter ſe; deplorare ſuam , & maiorum ſuorum amentiam,qui ad eam diem in tam denſis errorum tenebris, ac tanta vitio-

rum fœ-

A rum fœditate iacuiſſent. inde ſe mutuò ad Chriſtianam religionem adhortari: mox cateruatim ad fontem æternæ ſalutis accurrere. Hiſce abluendis cùm maximè inſtaret Xauerius, noui à Manare legati ſuperueniunt, id ipſum orantes: hoc nomine inſula eſt, extremæ Ceilano ad ſeptentriones appoſita. eam quoque gentem, ne ipſe ab inchoato opere abduceretur, miſſis interea pro ſe idoneis vtcunque viris, initiat. Is verò ager, non fidelium modò, ſed etiam martyrum vberem ſegetem paucis diebus effudit. Si quidem Iafanapatani Ceilaniæ terræ tyrannus, cuius in ditione erant Manarenſes, idolis ad inſaniam deditus, audita re, inſitam ingenio feritatem nouellos in Chriſtianos exercuit. immiſſoque ſatellite, partim eorum occidit, partim varijs ſupplicijs per ſummam indignitatem affecit. pauci ex inſula in continentem elapſi (in ijs regius quidam adoleſcens) terreſtri leucarum amplius ducentarum itinere Goam vſque ſe contulêre. ibi ritè inſtituti omnes, & myſtico partu renati ſunt. Neque hac tãtùm regione ſe ſe tenebat animorum ardor. Macazares quoque, leucas in ortum quingentas ab Cocino diſiuncti, Chriſtianos doctores maiorem in modum expetebant. ij legatos primùm ea de re ad Antonium Galuanum (vti ſupra commemora-
B tum eſt) miſerant. Galuani iuſſu cùm ad eos tenderet Franciſcus Caſtrius, aduerſa tempeſtate prohibitus, Ternatem redierat infecta re. Felicius deinde nauigauit, cùm Soſa Indiam regeret, Antonius Paiua, coemendi ſandali cauſa miſſus in eaſdẽ inſulas ab Rhoterico Vaſæo Pereria, Malacæ Præfecto. Iam ante, in illis emporijs negotia geſſerat Paiua, ac proinde multos ibi notos habebat; neque erat Macazarici ſermonis ignarus. Vt in Supanos deuenit (hoc nomine gens eſt) Rex ipſe, iam ſeptuagenarius, in primis totius Macazaris potens & bellicoſus, vltrò (quæ facilitas Regum illorũ eſt) ad inuiſendum aduenam acceſſit. Filium ducebat ſecum, annos quindecim natum; itemque adoleſcentulas, aureis armillis ornatas, triginta. Eo comitatu cùm ad portum veniſſet; accepta ſalutatione redditaque, varijs de rebus, vt fit, cum peregrino mercatore ſermonem inſtituit. inter cætera quæſiuit ex eo, quid ita, Luſitani Mauris (ſic vulgo Mahometanos appellant) infenſi infeſtique potiſſimum eſſent. Ea occaſione arrepta, Luſitanus, in hæreſis Mahometanæ vitia, & ipſius auctoris ambitionem, fraudes, auaritiamque pro ea quam habebat fandi copia inuectus; ijs dein vitijs fraudi-
C buſque, veritatem, ius, faſque Chriſtianæ religionis oppoſuit: deque ipſo Chriſto Dei filio, generis humani liberatore, nonnulla ſubiũxit. Inde affirmauit, nomini Chriſtiano cum ſceleratiſſima & corruptrice animorum ſecta, proprium ac perpetuum bellum eſſe ſuſceptum. Omnia Regi probabilia admodum viſa: &, quod iam adueſperaſceret, domum regreſſus, Paiuæ xenia miſit ad nauem. Poſtero die, ac ſæpe deinceps, multa ex eodem ſciſcitari perrexit: in ijs, illud etiam; quiſnam eſſet Iacobus quidam, quem in prælijs inuocari ab Luſitanis, ad ſe Mauri detuliſſent. Ad hæc, Paiua, de Chriſti diſcipulis ad Euangelium prædicandum à magiſtro dimiſſis, pauca perſtrinxit. in ijs, præcipua ſanctitate meritiſque fuiſſe Iacobum, qui primus lætiſſimum Hiſpaniæ, patefacti hominibus cœli, nuntium attuliſſet: atque idcirco in eius præcipuè Apoſtoli tutela ac patrocinio Hiſpanos latere vniuerſos. ac proinde, inter dimicationem ab ijs inuocatum contra Chriſtianæ fidei hoſtes adeſſe fulgentibus armis horrificum, igneo equo inſidentem. eius rei, vel Maũros optimos eſſe teſtes, qui conſerta cum Luſitanis pugna, plures ipſi ac parationes, tali viſo non ſemel cæcam in formidinem, fugamque præcipitem acti ſint. Sub hæc Paiua è Chriſtianis inſtitutis, de inuocatione præſidioque cœleſtium pauca diſſeruit. Cùm hæc & alia id genus complura, mira quadam approbatione per eos dies audiſſet Rex, neq; tamen de capeſſenda peregrina religione ſtatue-

ret quicquam; Paiua, quod in eo emporio tempus vltra negotiandi non D
eſſet; ad Siani regnum leucas inde quinquaginta proceſſit. Cum Sianio Re-
ge familiaritas intercedebat Paiuæ; quippe apud quem ægrotus olim in ho
ſpitio fuerat, multaque cum eo de Chriſtianis initijs egerat. Hunc vbi adeſ-
ſe cognouit Rex, confeſtim ad eum, iactis procul à portu anchoris in ſalo
ſtantem, prior viſendi gratia tranſmiſit. & mirifica quadam ex eius aſpectu
voluptate perfuſus, poſt mutuam ſalutationem; Auguror, inquit, fauſtum
ac felicem mihi meiſque tuum eſſe aduentum, ò Paiua: quādoquidem, ex
quo te aſpicio, tanta ac tam noua me gaudia pertentant. multo dein ac ſua
ui cum peregrinis habito ſermone, digreditur. Inſequenti luce, cùm ad eum
ſalutandum honoris cauſa viciſſim in vrbem Sianum Luſitani veniſſent,
conuerſus ad Paiuam Rex, Caue, inquit, putes excidiſſe mihi, quę, hic apud
nos cùm eſſes, de veſtræ nationis in vnum Deum fide ac pietate narraſti.
hærent ea mihi penitùs infixa; neque vnquam ex eo tempore voluntas mi-
hi eiuſdem amplectendæ ac profitendæ fidei defuit. Sed hactenus, me, po-
pularium metus, ſi ab auitis inſtitutis abſcederem, nec non exiſtimationis
ratio, ſi, grandi iam natu, repentè immutatus viderer; ab hoc tam honeſto E
conſilio retardarunt. eaſdem ob cauſas adhuc animi pendeo: teque pro a-
micitia conſulo, quid mihi faciendum putes. ac ſimul quæſo vti corā hiſ-
ce proceribus (adſtabant autem plures) aliqua de fidei veſtrę myſterijs, deq;
hominis Chriſtiani officio diſſeras. Tum Paiua, ſe indoctum præfatus, ac
minimè dignum qui tam ſublimia tamque diuina tractaret; ac nihilomi-
nus incenſo pij Regis ſtudio pro ſua parte non defuturum; orſus à primo
decalogi præcepto, cætera ſingillatim deinceps quàm planiſſimè potuit ex
plicauit: eaque cuncta ſummatim ad illa duo capita redigi oſtendit: amoris
erga Deum, & proximum. Magno aſſenſu, Regis præſertim, ea oratio audi
ta. ſic ille abijt dies. Poſtero, eædem ſcholæ pari auiditate repetuntur. Pai-
ua, ad ea quæ tradiderat, ſermonem adiunxit de officijs operibuſve miſeri-
cordiæ, quæque ad corporis, quæque ad animi auxilium pertinent; iſſque
operibus præcipuas Chriſtiani muneris partes docuit contineri. Ab ea per-
oratione dimiſſus Paiua, proximo die reuocatur in regiam. ille, Deum eni-
xè precatus, vti mortalibus cœcis lumen aliquod æternæ veritatis offerret;
ad vrbem properauit, in rerum diuinarum cogitatione ita defixus, vt viæ F
laborem, ac tempus omnino fefellerit. Vbi ad Regem peruenit, adſtante
nobilium corona, rurſus de Chriſtianis præceptionibus verbà fecit. exinde
quæſiuit ab eo Rex, num quid de mundi creatione cognoſſet: ille, totam
eius creationis ſeriem, à ſanctis hominibus & prophetis conſcriptam eſſe
reſpondit. Cùm, Sanctus quidnam ſibi vellet, rurſum interrogaſſet Rex (id
enim verbum Paiua reddere Macazaricè nequierat, propterea quod ij po-
puli, vt ſanctitatis ipſa re; ſic etiam vocabulo carent) ſanctos eſſe, inquit,
eos, qui propoſita nuper ab ſe præcepta ſeruarent; ac ſe quàm maximè à
corporis contagione ſeiungerent. huiuſmodi fuiſſe rectæ religionis inter-
pretes, Dei plenos; ac proinde nullum in eorum ſcriptis ineſſe mendaciū.
Tum Rex; quid eſt, ait, mendacium? Atqui, vt ad hoc reſpondeam (inquit
Paiua) liberali venia eſt mihi abs te opus, ò Rex. quod ſi nihilominus a-
cerba & aſpera mea tibi viſa erit oratio; peto quæſoque, vti omnem in me
vnum iram exerceas: Luſitanos meos cum ſuis rebus incolumes abire per-
mittas. Cùm ille continuò quidlibet expromendi poteſtatem feciſſet, Scire
aues, inquit, mēdacium quid ſignificet. Ego verò, nulla comparatione hu-
iuſce tibi vocabuli vim facilius aut clarius demonſtrauerim; quàm iſta ipſa
quam vos agitis vita. Cùm enim IESVM Chriſtum, Dei filium, totius ve-
ritatis auctorem, penitus ignoretis; ſic fit, vt erroribus infinitis impliciti, à
veritate ſemoti, in ipſo mendacio volutemini. Cùm hæc & eiuſmodi ma-

xime

Maximè dicerentur, subitò coactæ nubes, magno cum cœli fragore, tonitribusque, & procellis, ingentem vim imbrium effudêre. quæ res eò & mirabilior visa est, & gratior accidit, quò maiore cum detrimento frugum, diuturna siccitate laboratum in ijs regionibus fuerat. Cùm dein Regem vrgeret Paiua, vt in Christi verba sine dubitatione iuraret; ille nouem insuper dies ad deliberandum sumpsit. Obstabant egregiæ ipsius voluntati, maximè sacrificuli, quos vocant Becos, teterrimum genus. ij, quemadmodum Satanæ ministros decet, ipso amictu ornatuque corporis, muliebrem sexum certatim ementiri non dubitant, expilant faciem, crines alunt comtúque: dentes artificio quodam inaurant: denique fractis motibus gestibusque, luxum atque mollitiem produnt. ijsdem fœminam attigisse capitale est: ardenti viuus crematur pice qui tale quippiam admiserit. at verò ipsi (quod vix auditu fas sit) certis inter se legibus nubunt: & praua insuper vulgo ferentes dogmata, miseram gentem nefariæ turpitudinis ac superstitionis implent. igitur hi præcipuè, ab noua religione absterrebant Regẽ; quippe qui omnibus adsueti flagitijs, Christianæ seueritatis & castimoniæ nomen horrerent. Accedebant ad labefactandum, si qua possent, Regis pro-
B positum Mahometani quoque complures, qui mercaturæ causa in eius regnum ex Vgentana, Pane, Patane conuenerant. Horum sceleri & conatibus dum obuiam itur, Supanus interim Rex, bene comitatus, ornatissima classe, nec opinato superuenit. ac primùm omnium interrogat Lusitanos, num Sianius Christo se addixerit. Cùm ab ijs responsum esset, Sianium cunctari deliberabundum adhuc; Supanus, in re adeo salutari, tam longa deliberatione quid opus est? inquit. ego quidem, nulla interposita mora, Christianum me volo fieri. Tum Paiua, quod sacerdotibus careret, ipse per se perq; suos raptim ara excitata, quã maximè festo apparatu, Regem sacro baptismo ritè lustrandum curauit à quodam è comitibus, cùm cæteroquin corporis habitu, tum ipsa canicie venerando. post Regem, alij quoque complures amici & propinqui eodem sacramento expiati. Regi, Ludouici nomen impositum. cætera cohors, alij aliter appellati. Summa dein cum lætitia, & gratulatione bombarda perstrepuit; reique gestæ fama longè ac latè manauit. eo exemplo incitatus, tandem aliquando Sianius omni contempto periculo rupit moras. à Paiua ipso cum primoribus aliquot ba-
C ptizatus, Ioannem appellari se voluit. Bonorum ingenti gaudio celebratus hic item dies: & Reges ambo præter veterem amicitiam ac vicinitatem, nouo insuper sacræ necessitudinis ac societatis vinculo magis magisque constricti. Abeunte dein Paiua cum suis, veriti, ne duce, ac magistro destituta gens, breui pristinos in errores ingeniumque recideret; oratores ad Malacæ præfectum implorandi tam necessarij subsidij causa misêre. Hic admodum Euangelij cursus (quod quidem exstet) gerente Præturam Sosa, per triennium fuit. Interea Prætor ipse, tuendæ atque administrandæ prouinciæ diligenter operam dederat. Is, vt primùm Goam est delatus, inito magistratu, hyemem totam fermè iure dicundo consumpsit. atque illud ab eo in primis laudabiliter institutum, vt sexta quaque feria valetudinarium publicum ad consolandos ægrotos inuiseret: ibidemque rei diuinæ palam interesset. custodias præterea singulis hebdomadis adibat: vinctorum cognoscebat causas, curabatque vt salua æquitate ac fide, quamplurimi soluerentur. idque toto præturæ tempore solenne seruauit. Exacta hyeme, præfecturas de more distribuit. ipse ad Baticalæ Reginæ ferociam edomandam arma conuertit. Hæc mulier, stipendiaria Lusitani Regis, non modò vectigal dudum abnuebat pendere; sed etiam piratis & hostibus nominis Christiani tutũ in suos portus dabat receptũ. Sosa, quadraginta nauibus, in quibus præter auxilia Lusitani erant mille quingẽti; ad Ba-

ticalam

ticalã profectus,in ipſo portus aditu conſiſtit.inde miſſi ad Reginã,qui debi D
tas penſiones,& præterea piraticas parones ad vnũ exigerent.illa, metu re-
pentino icta, quatuor in præſentia mittit parones.inde cùm varias ad fru-
ſtrandũ excuſationes afferret;deſcenſione facta Prętor inſtruit aciẽ.Maho-
metani,primò è palmetis in hoſtem intrepidè ſubeuntem, varij generis te-
la conijciunt.dein,vbi ea ſperni ſensêre, ad vrbem citato recedunt gradu.
ibi rurſus conglobati in conſpectu liberorum, & coniugum (nam Regina
tum aberat)prælium inſtaurant.anceps aliquandiu dimicatio fuit, ſed inſe
rente ſe acrius Luſitano,fuſi per agros, fugatique omnes: oppidum nullo
defenſore captum & incenſum eſt:è Luſitanis deſiderati duodecim, vulne
rati complures.è barbaris maior multo numerus cecidit. Cæterùm in ea
pugna inſigne traditur facinus Franciſci Almeidæ Scalabitani.is,conſpica-
tus commilitonem in extremo diſcrimine,hoſtiles manipulos impetu ca-
pto perrumpit:circumuentum Luſitanum egregiè protegit: & in eodem
hærens veſtigio,intentos in ſe mucrones ac tela tandiu ſuſtinuit;quoad ſuis
ad opem vtrique ferendam ſpatium datum eſt.ita,coronam is quoque ci-
uicam;populari ſeruato:præcipuam victoriæ laudem, abſterrito Mahome E
tano promeruit.exinde Prætor,ſuccedentibus in orbem centurijs, Batica-
lanos fines,non intermiſſa dierum aliquot clade vaſtauit.ac metu maliſq;
demum,Reginam & conſiliarios,ad piraticas tradendas naues, pernume-
randa ſtipendia,& pacem renouandam adegit.poſtremò victor incolumi
claſſe Cocinum petijt:ab Cocino dimiſſis varia in loca nauibus, in vrbe
Malaca primus portorium & ſcripturæ magiſtros inſtituit:ex quo,ad regia
vectigalia non mediocris acceſſio facta eſt.Inde Goam in hyberna reue-
ctum,cupido inceſſit Tremelani delubri exſpoliandi,credo, quod eo cul-
tu ac donarijs indignum idolum duceret.in Coromandelio tractu delu-
brum id eſt;cùm cætera ſuperſtitione,tum auro ac diuitijs inclytum. in eã
rem,Soſa,permultis ijſq; aptis remigio nauibus quò facilior eſſet ad ter-
ram appulſus, & tribus ferè armatorum millibus, ineunte vere cùm ab
Goa ſoluiſſet,vixdum in altum euectam claſſem atrox tempeſtas obortа
pæne demerſit.maximo in periculo prætoria ipſa triremis fuit.diſperſæ cæ
teræ,Cocinum denique tenuêre.Inde ad inſulam proceſsêre, quam à vac-
cis appellant.ibi ab exploratoribus cognitum,Coromandelium littus om
ne,contra quàm Prætor ab alijs audierat, aſperum & importuoſum eſſe: F
nullam ibi tutam ſtationem fore.Hoc nuntio reuocatus;ne nihil omnino
tali apparatu egiſſe videretur,ad Colanum repente flexit. ibi arcem, vti do
cuimus,Luſitani habebant.Rex erat ſocius:ac tum ab vrbe cum exercitu
aberat,bellis finitimis occupatus.ab arce leucas circiter quatuor, à mari
non plus vna,diſtabat fanum,in quo magnã item pecuniæ vim aſſeruari fe
rebat fama.Prætor in terram egreſſus,per ſpeciem amicitiæ paulatim ad lo
cum progredi . populus mirari quid in pacata regione ſibi vellent ar-
matæ Luſitanorum cohortes.vbi templum intrantem vident Soſam; tum
demum ſensêre quid peteret. extemplò reliquias militum ex agris euo-
cant:atque ad naues redeuntem Luſitanum anguſta ac depreſſa via (quod
ad Calecutum olim Albuquercio euenerat)è ſuperiore loco,ſyluisque ac
ſepibus,Naires minus centum adorti;ſagittis ac fiſtulis magno detrimento
affecêre.Soſa,cùm agmen clauderet,ex equo degreſſus quò minus ad ictus
pateret;fermè triginta ſuorum amiſſis, vulneratis compluribus, ægrè ad
mare peruenit,haudquaquam ſatis magno operæ pretio:ſiquidem effoſſis
templi penetralibus,auream ollam extraxerant numulis argenteis plenã,
quos Indi fanones vocant,neque ſeſtertium plus vnum continent ſinguli.
Eam ollam Ioanni Regi dono miſſam, conſulti Pontifices reddendam
Colanio cenſuerunt. reuecta quamprimum in Indiam, & eodem loco

Regis

A Regis iuſſu repoſita eſt. Per idem tempus, creſcendi ex aliorum malis, præclara ſe Luſitanis dedit occaſio. Inter Azedecanem & Idalcanem (vti ſunt eæ gentes ad omnem flatum ſpei vel timoris mobiles & infidæ) noua odia & ſimultates exſtiterant. Idalcan Azedecanem, beneficiarium & vectigalem ſuum, in regiam pro poteſtate euocabat. ille capiti metuens, pariterque theſauris quos diuturna parcimonia rapiniſq; congeſſerat; palam imperium detrectabat. Inde mutuò ſibi ſtruere inſidias, mox etiam bellum apertè moliri: ac demum in eius belli ſocietatem pro ſe vterque muneribus ac promiſſis Luſitanos allicere. Inter cætera, Azedecan, exturbandi è malè parto imperio Idalcanis, conſilium cepit eiuſmodi. E ſtirpe Decanij Regis, quem à ſatrapis ducibuſque circumuentum & captum fuiſſe memorauimus, Meales erat quidam. is, ad otium magis quàm ad arma natus, & ſeuitiam Idalcanis haud ſine cauſa pertimeſcens; veniam ab eodem impetrauerat, religionis ergò ſecedendi Mecam. ibi cum vxore liberiſque aliquandiu commoratum; Solimanus archipirata, de quo ſupra diximus, Indiam petiturus, auexerat, iniecta quidem ſpe auiti regni recuperandi: ſed, quod multo ſimilius veri eſt, quò per eum, ſi res ita ferret, ſeditiones ac turbas in
B ijs regionibus excitaret. Hiſce ergo promiſſis inflatus Meales, & comiter in claſſem acceptus, in Cambaiæ deuenerat fines. Cæterùm à Luſitanis paulo poſt victo & fugato Solimano, haud quaquam ſuis viribus fidens, ibidem in exſilio ſponte ſubſtiterat. ea re cognita Azedecan, ex vrbe Bilgano leucis ab Goa quatuordecim, per occultos interpretes ac litteras inſtare Garziæ Caſtrio Goæ præfecto (nam Soſa tum aberat) vti Mealem è Cambaia quamprimùm accerſat, is vbi Luſitano præſidio ſeptus in terra Decania pedem poſuerit, concurſum ex agris viciſque, ab importuni tyranni odio, ad iuſtum ac legitimum Regem extemplò futurum. ſe quoque in id ipſum paratas habiturum copias: & Luſitanos, Meali tum inopi egentique quibus velint impoſitis legibus, ſi eum in patria locauerint ſede; pro inſidioſo & rapaci accola, vicinum Regem ad omnia fidum atque opportunum habituros. Hiſce atque alijs rationibus facilè perſuaſum præfecto, vti magnis pollicitationibus Mealem cum vxore liberiſque Goam euocaret. Eò vbi peruenit; confeſtim admonitus Prætor, qui tum erat Cocini, Goam repetit. ibi in concilio dies aliquot anceps deliberatio tenuit. nam & pacem cum Idalcane factam, repente violare, nefas; & Mealem vltrò
C accerſitum repentè deſerere, turpe non ſine cauſa videbatur. Variantibus inde ſententijs, cùm aliquandiu hæſiſſet Prætor; tandem è dignitate fideq; nominis Luſitani ſtatuit eſſe, Mealis afflictas fortunas omni ope excitare; & cum Azedecane, iamdiu id exoptante, vires atque arma coniungere. Habito delectu, clam dies ad reducendum Mealem præfectis edicitur. iam ad primos Decanij regni fines præſto erat populariũ manus, Meali excipiẽdo ſubmiſſa. Vbi dies affuit, Prætor ipſe cũ armatorũ copijs Mealẽ ſine fine gratias agentẽ ad littus honoris cauſa deducebat. vix ad arcem Beneſtarini peruenerant, vnde in continentẽ ex inſula traiectus eſt; cũ ſeuocatum Prætorem Petrus Faria Luſitanus vir bello egregius, & magno rerum Indicarum vſu monere etiam atque etiam inſtitit, integris rebus videret quid ageret: perfida barbarorum ingenia, inconſtantiam rerum humanarum apud ſe reputaret: neu florentes tùm Luſitanas opes cum perditis miſceret exſulum rebus; neu Idalcanem tãta potentia Regem, amicum ac ſocium, ſine cauſa laceſſeret. mittendi Mealis, quandocunque ſit opus, arbitrium penes Prætorem fore: ſedandi belli, ſi temerè moueatur, non quoties libeat, facultatẽ fore. Hac oratione, & ſimul auctoritate viri permotus Prætor, qui adhuc fluctuaret animo, repente, quaſi noua res aliqua maioris incidiſſet momenti; redire vnà cum Meale cunctos in vrbem iubet. id cũ initio

ſermo-

sermonem æquè ciuibus atque aduenis præbuisset, sapienter dein factum D
apparuit. siquidem quintodecimo fermè post die, nuntius venit, ab Idalca-
ne debellatum esse. Profectus magno cum exercitu ab Vrbe Visapore (ea
distat ab Goa leucas circiter sexaginta) Bilganum acri obsidione cinxerat.
Azedecan incluſus, vrgente animi ægritudine senioque, extremum obie-
rat diem. eo demortuo, Idalcan vrbem facili negotio captam diripuerat.
magnas ibi opes, ingentem rei bellicæ apparatum inuentum aiebant. Hæc
vbi Goam allata sunt, Prætor necessitatem in consilium vertit: celato quid
nuper egisset; legatum victoriæ gratulandæ ad Idalcanem mittit. Mirè op-
portuna ea fuit legatio. Idalcan, inter ipsam rei tantæ lætitiam, vel Præ-
toris officio, vel ipsius legati dexteritate captus, Bardesios & Salsetanos vi-
cos agrosque; & extra suam ditionem quicquid Azedecanis fuisset; Lusita-
nis attribuit; cum eo tamen, vti Mealem cum coniuge & filijs Malacæ ama-
darent, ibiq; custodiendum curarent, ne ad nouos tumultus ciendos redire
posset in patriam. Prætor, ea donatione gaudens, misit extemplò qui
possessionem locorum adirent, & vectigalia nomine Lusitani Regis, vt
olim, exigerent. De Meale incertis implicans responsis, callidè rem ex-
traxit, neque ab Goa dimisit hospitem; verbo, vti in oculis populi Goani tã E
tius adseruaretur: re vera, vt in tanta locorum vicinitate, hoc metu Idalca-
nem in officio contineret. ex eo tempore Meales nequicquam è proximo
auita intuens regna, & Lusitani præfecti fidem implorans, Goæ in libera cu
stodia dissimulanter est habitus. Hæc fermè ab Sosa Prætore gesta;
quem deinde virum, in Lusitaniam secundo cursu reuectum, & auctori-
tate florentem & opibus, præcipuo in honore semper habuit Rex. Cæ-
terùm eius præturam vna res maximè fecit insignẽ; aperta per id tempus,
& primùm cognita nostris hominibus terra Iaponia. cuius de terræ & cul-
torum ingenijs ritibusque, tametsi non pauca dudum à nobis alibi tradita
sunt; tamen hic etiam exponi quædam aut ex eo tempore allata, aut etiam
liquidius comperta, locus haud dubiè postulat. Quem igitur vulgo Iapo-
nem vocant, eæ præcipuæ tres insulæ sunt, circumfusis alijs minoribus in-
terfluo euripo disiunctæ. Prima & maxima, in satrapias aut regna tria &
quinquaginta diuiditur: eius caput est vrbs Meacum; inde insula tota deno
minatur. alterã Ximum appellant. hæc satrapijs regnisve cẽsetur nouem.
nobilissimas habet vrbes, Vosuquim & Funaiũ regni Bungensis. Tertia di-
citur Xicocum: satrapias aut regna continet non plus quatuor; insignis F
maximè Tosa vrbe regni cognominis. ita Iaponis vel regna, vel satra-
piæ (sunt enim complures in quas vocabulum regni minimè conuenit)
in vniuersum numerantur sexaginta sex. Totius terræ longitudo fermè
in ducentas, vti ferunt, leucas excurrit. huic nequaquam respondet latitu-
do: decem tantùm alicubi patet; summum triginta non amplius. de ambi-
tu nil dũ certi proditum est. Iacet ab Aequatore in Arctum à trigesimo gra
du ad trigesimum ferè octauum. Ab oriente obuersa est nouæ Hispa-
niæ, centum & quinquaginta leucarum interuallo. A Septentrione,
Scythas vel Tartaros, & alios ignotæ feritatis populos, ab Occidente
adspicit Sinas, varia pro littorum flexu excursuue distantia: siquidem
ab vrbe Liampo, qui Sinarum regnis in ortum est limes; ad Iaponis insu-
lam Gotum, quæ prima inde nauigantibus occurrit, leucas numerant
sexaginta: ab Amacano autem, occiduo Sinarum emporio, vbi Lusita-
ni fermè negotiantur, ad eandem Gotum, leucarum ducentarum nona-
ginta septem traiectus est. A meridie, vasto mari interfuso, inexplora-
tas habet terras, è quibus casu nautas olim quosdam in Iaponem delatos
fama est, neque inde soluisse. Tellus, maxima ex parte, niualis ac frigida,
neque admodum ferax. Septembri mense oryzam (is cibus est communis
omnium)

A omnium)quibuſdam etiam locis Maio triticum metunt: neque ex eo panes more noſtro,ſed genus quoddã offę,ſeu polentę cõficiunt.Salubris cœli temperies:aquę bonæ:calidas etiã alicubi,medicos in vſus emicare cogni tũ eſt.Editi præruptiq; montes cũ alij paſſim,tum duo præcipua nobilitate viſuntur,quorũ alter, incertæ appellationis, aſſiduè flammas euomit;inq; eius cacumine,certis hominibus,poſtq̃ voti cauſa diu ſe macerauerint,ſplẽdida circumfuſus nube ſe ſe cacodæmon oſtendit;alter Figenoiama nomine,Leucarum aliquòt aſcenſu trans nubes attollitur.E terræ viſceribus incolæ varia effodiunt metalla:& longinquas nationes ea merce pelliciunt. Arbores vel ad amænitatem,vel ad fructum ſerunt haud abſimiles noſtris. vnius tamen, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorſus ingenium.ſiquidem(vti perhibent)humorem quẽlibet reformidat: ſi fortè maduerit,contrahit illicò ſeſe, ac veluti peſtifero contactu marceſcit. remedio eſt,auulſam radicitus, in ſole ſiccare; & in vacuum ſcrobem ſcoriam ferri contuſam,vel ſitientem arenam infundere: ibi, poſtquam aruerit,rurſus depacta,reuireſcit, ac priſtinum nitorem decorẽq; recipit.rami
B quoque decidui ſeu defracti, ſi clauo ad truncum affigantur, velut inſiti coaleſcunt.Plurima verò varijs locis exſurgit cedrus,tantæ proceritatis, & craſſitudinis,vt inde fabri,baſilicarum columnas,&cuiuſlibet quamuis capacis onerariæ malos efficiant.Ex animantium genere, oues,porcum, gallinam,anſerem,fædaſque alias domi haudquaquam alunt Iaponij: ſi caro guſtanda ſit,ferina veſcuntur.Campos, boum & equorum militarium armenta:ſaltus atq; dumeta,lupi, cuniculi, apri, cerui pererrant. è volatilib⁹, phaſiani,anates amnicæ,palumbes,turtures,coturnices,ac ſylueſtres gallinæ cernuntur.Piſce cùm alio abundant incolæ,tum verò fluuiatili trutta, ſeu ſilare,& marina tamquã aloſa;huic honos plurimus.Butyrum neſciũt: oliuo carent:factitio vtuntur,è cetis ad littus eiectis:pineas tædas ac faces, alicubi etiã paleas ad lumen adhibet vulgus.Procera ſtatura,ſi cui contigerit,& decoro corporum habitu gloriantur.lenta pleriſque viuacitas;firmę vires:in ſexageſimum vſque annum militaris ætas extenditur .Barbam alunt modicam:in capillo varius eſt mos: volſella depilant, pueri ſinciput, plebeij ac ruſtici dimidium caput, viri nobiles totum fermè, paucis ad occipitium relictis capillis,quos attigiſſe quempiam,cõtumeliæ loco vel ma-
C ximæ ducitur.Mortalitatis incommoda,famem,ſitim, æſtum, algorem,vigilias,laboreſque admirabili patientia tolerant.in lucem editi, vel hyeme ſumma,protinus lauandi ad flumina deferuntur.ab vbere auulſi, venatu exercentur, & procul à matre ac nutrice locis habentur aſperis, quod ita ſentiant,nulla re magis infringi animos, quàm molli ac blanda educatione.Storeis, culcitræ in modum tumentibus, nitidiſque, pauimenta conſternunt.in ijs & ſomnũ,ſubiecto ceruicibus lapide vel tigillo,& cibum capiunt genibus nixi,cruribus inſidentes. Munditiarum apud eos haud minor quàm apud Sinas cura. paxillulis item ipſi duobus inter edendum ita ſcienter vtuntur, vti neque excidat quicquam, nec digitorum terſu opus ſit.cænationem intrant excalceati,ne cataſtromata calcando coinquinẽt. tenuiores,ad mare præſertim,victitant herbis,oryza, piſce:diuites, ad conſuetudinẽ, Sinarum,ornant ſplendidè atq; apparatè cõuiuium.in ſingula fercula, ſine linteis aut mappis mutatur ſua cuiq; conuiuæ menſa è cedro pinuue,palmi ferè altitudine,binum dodrãtium quadro,nitidiſſima,lectiſſimisque diſtincta coloribus.cibi cõfecti, in pyramidem exſtruuntur,auro conſperſi,cupreſſinis ramulis ad gratiam prominentibus. nonnunquã etiam,roſtro pedibuſq; inauratis aues integræ nobilibus patinis inferuntur. Hoſpitem & conuiuam hilarè ac libenter accipiunt. conuiuandi ac propinandi

pinandi multas habent leges cum ritibus exquisitis : hasce cuncti dili- D
genter obseruant. Vsum vitis ignorant. oryza exprimunt vinum: sed ipsi quoque ante omnia delectantur hausti bus aquæ pæne feruentis, insperso quem supra diximus puluere Chia. circa eam potionem diligentissimi sunt; ac principes interdum viri suis ipsi manibus eidem temperandæ, ac miscendæ, amicorum honoris causa dant operam: certasque habent ædium partes, huic ministerio dicatas: in ijs foculus assiduè stat, cortina è ferro liquato superimposita. inde, venientibus & abeuntibus amicis pocula porrigunt: hospitibus verò, in digressu, contemplandam etiam offerunt gazam, quæ apud eos maximi fit. ea fermè sunt illius quam dixi potionis instrumenta, focus & olla cum tripode, infundibulum, figlini calices, cochlearia, & vascula, tum herbæ ipsi, tum pulueri qui ex ea conficitur, adseruando. Hæc, vtique certi generis, quod non nisi peritus eiusmodi rerum inspector intelligat, haud inferiore apud Iaponios habentur loco (quandoquidem hæc opinione gentium constant) quàm apud Europæos anuli gemmati, & baccata monilia. Mira etiam dignitas, omni ornatu remoto, nudis gladiorum laminis certorum opificum. prorsus, vti nonnullæ aureorum quinque circiter millibus æsti- E
mẽtur. Magnus insuper honos papyri plagulis quibusdam læuoris eximij, in quibus, atro monochromate singulæ tantùm aues, arboresue, nobilium artificum penicillo pictæ retinent oculos. Hæc igitur, vt dixi, Iaponij, dynastæ præsertim, & auidè sibi comparant, & alijs ambitiosè proponunt. Ligneis plerique ob crebros terræmotus, quidam tamen ab imo lapideis vtuntur ædibus, elegantia atque arte visendis. magnifica item exstruunt templa, & sacerdotum vtriusque sexus ampla & sumptuosa cœnobia: quamquam ingentem eorum numerum, hæc scribentibus nobis, præpollens tyrannus Nubunanga, non tam Christianæ rei studio, quàm exsecrabili quodam omnium religionum ac superstitionum odio, nuper euertisse nuntiabatur. Sermo Iaponiorum, vnus & communis est omnium; sed ita varius idem & multiplex, vti plures haud immeritò videantur esse. quippe vniuscuiusque notionis ac rei, multa vocabula sunt, quorum alia contemptus, alia honoris causa; alia apud principes, alia apud plebem; alia denique viri, alia fœminæ vsurpant. ad hæc, aliter loquuntur ac scribunt; & in ipsa scriptione, aliter epistolas, aliter volumina librosq; conficiunt: habent autem plurimos, tum soluta oratione, tum elegantissimo versu conscriptos. por- F
rò notis vtuntur eiusmodi; quarum singulæ, singulas, vel etiam plures dictiones, Aegyptio ac Sinensi more, cõtineant. ad summam, à nostris haud imperitis rerum æstimatoribus, Iaponica lingua, Latinæ, vel genere ipso, vel vbertate præfertur. Itaque ad perdiscendum, & magni laboris, & longi temporis indiget. Armis verò apprimè dedita gens est. ea sunt, præter ferream fistulam, arcumque & sagittas, gladius incuruus, & pugio (queis ab duo decimo ætatis anno se se præcingunt) tam egregia chalybis temperatura, vti ferrum nostrũ acie propemodum illæsa diffindat. accedit pilum auro argentoue bracteatum, falce præfixum: nanguinatam appellant. hastis item egregiè vtũtur, quæ nostras & leuitate, & longitudine superant. Amictus ab infantia ad iuuentutem sumunt varios, idque cum cæremonijs, & solemni apparatu. Cæterùm, qui adulti iam sunt, talarem gestant versicolorem tunicam. hanc domi demittunt; prodituri autem, in caligas infundunt, ad imum æqualiter laxas; easque circa renes leui subligant nodo. Tunicæ amiculum superinduunt breuiorem (quimonem vocant) manicis non vltra cubitos eminentibus. hasce vestes per æstatem gerunt simplices, ac subtilissimo textu: per hyemem scilicet densiores ac duplices, inserto item serico tomento; easque, ne incommodè tumeant, perquàm

artificio-

A artificiosè perpungunt. Calceis crepidisue sine obstragulo, sandaliorum instar, vtuntur, corneo ad extremum exstante hemicyclo, quē, firmitatis causa, primum inter & secundum inserunt digitos. Flabella gerunt, tum ad velandam faciem, tum ad auram colligendam, auro sericoq; intertexta. sub vmbella fermè proceres, alioquin aperto capite, in sole pariter ac pluuia vterque sexus incedit. è coloribus festum habent nigrum atq; puniceum: albus in luctu est. Ac plurimis quoque alijs in rebus, credi vix potest; quantopere à nostro, victus eorum & cultus abhorreat. In olfactu, suffitus nostros minimè ferunt; alia ipsi quædam odoramenta succendunt. In gustu, nostras illi epulas, nos vicissim illorum condimenta aspernamur. Aquam nos gelidam, illi calefactam æstate pariter & hyeme potant. In auditu, symphoniam eorum, nostræ aures omnino refugiunt. Nobis, dentium, in candore; illis, quod mirēre, in ipsa nigritie decor est. itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt. fœminas in publico viri & cognati præcedunt, famuli subsequuntur. equum nos ab læua, illi ab dextra conscendunt. Inter salutandum, nos caput; illi, perleui crepidarum vel
B sandaliorum excussu, pedes aperiunt. aduenienti amico nos adsurgimus, illi subsidūt. nobis gemmæ, illis ferrea vel fictilia vasa in honore sunt. Iam, in curationibus, nos dulcia & bene cocta, illi salsa, & acria, & cruda ægrotis apponunt: nos, pullos & altilia; illi pisces atque conchylia. pharmacis nos fermè olidis & amaris: illi perquàm suauibus & odoratis vtuntur. nos crebrò sanguinem, illi nunquam eliciunt. Atq; alijs item in generibus ita multa obseruant eiusmodi, vt si minus plātis (neq; enim id probè dū exploratum est) moribus certè orbi nostro planè oppositi videantur esse. Neq; verò, cur ita faciant, probabilem plerunq; rationem afferre non possunt. vt illa: sidere quā attolli, maioris venerationis indiciū: cuiuslibet vsus vasa, quàm nullius cōmodi lapillos, quantauis mercede, sapientius emi: frigida cōprimi fibras, irritari tussim, & pectoris vitia, restingui natiuos ignes: feruida foueri calorem insitum; laxari meatus, eoque facilius leuari sitim; ægro, quas appetat natura potiones, non quas horreat, propinari: sanguini, quippe vehiculo vitæ, parci oportere defendunt. & alioqui, non minus illis Europæi, quàm Europæis illi ridiculi sunt. ac, si quando per mun-
C ditiarum aut elegantiæ contentionem, vt fit, cauillis agatur; par pari nobis egregiè referunt. Sed cùm in eiusmodi rebus tā vehementer à nostra cōsuetudine discrepent; ijdem tamen in constituendis hominū classibus ordinibusue, haud absimile nostro discrimē ac ratione sequūtur. ordines ij, quinque præcipui. Primus, eorū qui cū imperio sunt, rerumq; potiuntur: hosce communi cunctos nomine Tonos appellant, quamquam inter ipsos Tonos alij dein existant dignitatis gradus, vti apud nos Regum, Ducum, Marchionum, & Comitum. ij omnes, non tā auro pecuniaue: quàm cęteris opibus, & clientelis abundant. quippe ad regnum euecti, militibus amicisq; agros (iure fundi sibi retento, ac nullo imposito vectigali) diuidunt ea lege fruendos, vt & in pace, descriptis ordine ministerijs appareant Regi; & in bello, suis ipsi cibarijs ac reliquo sumptu militiā obeant. sic fit, vti dynastæ, quamquam in magna numorum inopia, tamen & multitudine bellatorum, & aulæ frequentia cæteroque apparatu, vim imperij, ac speciem regiæ maiestatis obtineant. Illud verò præclarum, quod animo excelso, nō morte demum aut vltima necessitate cogente excedunt gubernaculo, sed vbi vrgere cæpit senium, certis ad victum cultumue sibi prædijs reseruatis, filiū aut si quem alium successorem destinarunt, artibus regnandi ac præceptis imbutum; plerunq; ipsimet in solio collocant; ac iuuenilē eius ætatē exinde prudentia, rerū vsu, consilijs iuuant. quod ipsum apud nos ab Carolo Quinto Cæsare, quò latius ac felicius imperabat, eò maiore moderationis

ac ſapientię laude factum animaduertimus. Altera Iaponiorum claſſis, eo- D
rum eſt qui nefaria gentis illius procurãt ſacra, capite ac mento prorſus ab raſo, inter quotidiana & occulta flagitia & ſtupra, cœlibem nihilominus ac ſobriam profeſſi vitam, atque ad mortales decipiendos, concilian-dę pecuniæ cauſa, in omne argumentum ſanctimoniæ grauitatiſq; cõpoſiti. ijdem nobilium ac diuitum exſequias ducunt; & alternantibus in odæo choris, carmina ſuo more decantant; & dicendi copia & facultate præſtantes, concionibus populum arbitratu ſuo circumagunt. Variæ ac multæ numerantur eorum ſectæ: nec deſunt qui ad quandam Rhodiorum equitum ſpeciem (Chriſtianos quippe ritus hac etiam ex parte malus effingit dæmon) bellicas vnà cum religione res tractent: ſed communi omnes appellatione Bonzij vocitantur, honeſto loco nati pleriq;: nam proceres, multitudine liberorum, & anguſtia rei familiaris vrgente, ex ijs aliquos ad Bonziorum inſtituta ac familias aggregant. Multa inſuper varijs habent locis gymnaſia, quas Academias dicimus, copioſis inſtructa vectigalibus; atq; ob eas res præcipuum, ante hanc hominum ætatem, toto Iapone obti- E
nebant honoris ac dignitatis locum; ſed poſt illatas in ea loca faces Euan-gelij, faudeſque vulgo nudari & coargui cæptas, multum videlicet vniuerſo generi de auctoritate atq; exiſtimatione deceſſit. Tertius ordo, ciuium ac reliquæ nobilitatis eſt; è quibus, in cultu Regum plurimi, ac ſimul in militaris gloriæ ſtudio conſeneſcunt; nec pauci, artibus ijs quas ipſi liberales exiſtimãt, atque inter cætera pangendis carminibus delectantur. Sequũtur inſtitores, ac ſellularij, & variarum opifices rerum, egregia fermè ſolertia. Multas armorum habent fabricas; atque ipſi etiam typis ad impreſſionem vtuntur. Poſtremus eſt agricolarum locus, & eorum qui propter inopiã, in ditiorum famulatu ac miniſterio victitant, quorum longè maior quàm apud nos multitudo cenſetur. In vniuerſum, acuta, ſagax, ac bene à natura informata gens eſt: iudicio, docilitate, memoria, non Eois modò, ſed etiam Heſperijs nationibus antecellit: quæ res in ruſticis ac pueris liquidò cernitur. illi, vrbanos pæne mores, vegetum ingenium, ac minimè agreſtem indolem præſeferunt. hi, celerius multò quàm Europæi noſtri, latinas, & litteras, & artes arripiunt. Paupertas dedecori aut probro eſt nulli: vix etiam in multis agnoſcitur, adeo accuratè familiarem diſpenſant rem, & F
pro ſua tenuitate concinni ac nitentes incedunt. Maledicta, furta, impiam temere iurandi conſuetudinem, aleæ genus omne auerſantur. Famæ gloriæque auidiſſimi, dignitatis verò ſupra quàm credi poſſit retinentes æquè ſummi atque infimi ſunt. nullam non modò contumeliæ ſpeciem, ſed ne dictum quidem paulo aſperius ferunt. ergo reuerentur inter ſe, præcipuè nobiles, certantque officijs & honore verborum. quin, ipſi rerum viliſſimarum artifices, quique ſe in diem locant, comiter appellandi, ſi eorum vti velis induſtria. nam alioquin irritantur, ac ſpreto lucello, cęptum opus abijciunt. Conſtantiam ac decorum ita cuſtodiunt vulgo, vt vel ab imminente ruina, ſenſim ac ſine trepidatione vlla recedant. cauentque diligenter, ne quid abiectum, aut timidum, vel in dictis vel in factis appareat. atque ob id ipſum, animi perturbationes, ægritudines, impetus, in ſpeciem cohibere, atque iræ præſertim notas omnes obruere, vel potius in contrarium flectere didicerunt. tum enim & gradus lentior, & frons hilarior eſt. intemperantiam verò linguæ, maximo animo minimè dignam putant. ac proinde, vociferationes ac iurgia, neq; inter populares in publico, neq; domi inter maritum vxoremq;, parentes ac liberos, herum ac famulos audiuntur. Sedatè grauiterq; quod agendum eſt, agitur. ſi quid odioſius accidit, internuntij commeant: quin etiam, inter ipſas noxiorum pœnas, conuitia remouentur, & verborum acerbitas. prouocationes autem ac rixę, contra

quàm

A quàm apud nos,admodum raræ.ferociam illi minaſque in tempora belli
reſeruant.Iam verò(quæ haud poſtrema amicitiæ lex eſt) mutuis in con-
greſſibus,domeſtica incommoda,neceſſitates,ærumnas,amicis haud teme
re impertiunt:triſtitiam & curas egregiè condunt: neque alienam pacem
& iucunditatem,ineptis querimonijs,& ſuperuacaneo mœrore ſolicitant:
ab alijs interrogati,rem totam vel renidentes eleuant,vel certè modica ſig-
nificatione perſtringunt.denique aſperis atque aduerſis in rebus, planè in-
credibilem animi æquitatem oſtendunt,ac velut in gradu perſtant, & quic
quid euenit,ſine gemitu excipiunt:credo, ipſa varietate caſuum edocti, &
inconſtantia rerum humanarum,quæ in ijs regionibus vel maximè viget.
infimæ ſortis homines ad regiam celſitudinem euehi repente,alios è ſum-
mo faſtigio ad ima præcipitari,pæne quotidianum eſt.hac illi viciſſitudine
ſcilicet eruditi,lætiſſima quæque ſic optant,vt interim difficillima cogitēt.
Firmus autem eſt animus ad quæ diu meditatus ac præparatus accedit.Ne-
que prouectæ ſolùm ætatis eæ laudes:in puerorum conſuetudine, atque
adeo in ipſis luſibus & remiſſione animorum, ſenilis prope maturitas, &
moderatio quædam elucet.Hæc fermè Iaponiorum bona: quæ tamen ea-
B dem,ingenti malorum cumulo compenſari nil ambigas.Ac primùm, in
Dei cultu, quod potiſſimum iuſtitiæ munus eſt; & in finibus bonorum ac
malorum,vnà cum cæteris quæ Chriſtum ignorant gentibus,miſerādum
in modum errant.Magiſtris religionum ac ſapientiæ vtuntur ijs quos dixi
Bonzijs.hi,vario alioquin dogmate mēdacijſq;, omnes tamen (quod facili
negocio deprehendas)in tollenda pariter Dei prouidentia, & animorum
immortalitate conſentiunt. Inter docendum intereſt, quod impietatem
hanc pauci palam & promiſcuè cunctis hominibus; alij non niſi nobilibus
ac dynaſtis ex arcano tradunt:vulgus ac multitudinem,tartari metu in of-
ficio continendam affirmant. Duobus hiſce generibus interiecti ſcelere &
amentia ſunt, qui veteres quoſdam impoſtores,Amidā,& Xacam ſuppli-
citer adorandos inculcant plebi, verbiſque conceptis deprecandos iden-
tidem,neq; id per hæſitationem angoremúe,ſed animo planè ſecuro;certa
que,ſi tantùm hi ritè inuocantur, ſalutis æternæ fiducia; quippe quorum
vtriuſque,dum in terris agerent,tanta durities & aſperitas vitę fuerit ad ge-
neris humani luenda peccata,vti vltra ſolicitum eſſe de ſuperum pace ve-
C niaq;, aut hoc nomine corpus diuexare quēquam, vel quoquomodo pæ-
nas delictorum ab ſemet exigere, non modò ſtultum & ſuperuacaneum,
ſed in ipſos beatæ vitæ parentes contumelioſum ac nefarium ſit. hoc
Bonzij multi & priuatim & publicè ſuadere non deſinunt, nequitia Luthe
rianæ perſimili:vt vnum vtriuſque auctorem facilè agnoſcas. Porrò,quos
dixi,Amidam, & Xacam, & ſi qua ſunt alia primæ notæ numina,à quibus
futuræ vitæ bona expetantur, patrio cognomine Fotoques vocant. alios
dein habēt veluti minorum gentium Deos,bonæ valetudinis,liberorum,
pecuniæ,& eorum quæ ad corpus attinent, largitores: hoſce Camis appel-
lant, Reges olim ipſos, Regumúe filios, aut inuēto quopiam,inſigniúe a-
lio facinore,falſæ diuinitatis gloriam conſequutos. horum de vita rebuſ-
que geſtis,vti de Ioue,Saturno,Libero,cæteriſque inanibus Dijs Greci pōē-
tæ,abſurda quędam,& ridenda, & turpia fabulātur.Inde Iaponij paulatim
extinctis quæ Deus indiderat, veritatis igniculis; conſcientiæ magiſterium
exuunt,effractiſque pudicitiæ clauſtris, in choreas, ludos, comporationes,
ac venerem intemperāter effuſi,cœci cum cœcis ducibus viatores ad ſem-
piternum interitum præcipiti celeritate feſtinant.ijdem, per cauſam reti-
nendæ grauitatis atque conſtantiæ,dum animorum ſenſa motuſque à pri-
mis annis obtegere ac celare adſueſcunt,facili deflexu,à prudentia ad aſtu-
tiam, calliditatem,perfidiamq; degenerant. inde prauum ſimulandi ſtu-

dium,& fallendi certamen.vti quẽmque peſſimè oderunt, ita familiariſſi- D
mis oculis intuentur:bona fides, & aperta ſimplicitas, & candor illuditur.
Accedit ſæuitia morum, & immanitas dira.leuiſſimis de cauſis, & quidem
nec opinantes & auerſos inuadunt homines, vnoque aut altero acuti ac
ponderoſi acinacis ictu conficiunt;dein, compoſito ac ſecuro vultu, quaſi
facinus ad ſe nulla ratione pertineat, ferrũ vaginæ reddunt. inſuper, nacti
occaſionem ex tuto, gladij acumen in capite humeriſue inſontis cuiuſpiã
interdum experiri non dubitant. In bello,captis per vim oppidis,aut pagis,
certum exitium; cuncta ferro flammiſque vaſtantur:non ætati,non ſexui
parcitur.in prælio victi,ſi palantes effugiant,nullo diſcrimine ciues hoſteſ-
ne ſint, ſpoliorum cauſa plerunq; ab agreſtibus opprimuntur. aliena, vt
diximus,furto ſubducere dedignantur;cædibus rapiniſq; graſſari nõ item.
terra latronibus,mare piratis vehementer infeſtum.prægnantes fœminæ,
partum haud rarò medicamentis abigunt, idq; Bonzijs auctoribus ac ma-
giſtris;vel etiam editos in lucem infantes, alendi tædio, inopiaue,crudeli-
ter iniecto præfocant pede.egentibus ægrotis,aut peregrinis publica & gra
tuita diuerſoria nulla.ſub dio pernoctant, miſeramq; trahentes animam,
deſerti ab hominibus, vel ipſa die ſanantur, vel extincti morbo,abijciũtur E
in ſterquilinium. Eo maiore cum approbatione Iaponij Chriſtianam cari
tatem erga deſtitutos & calamitoſos,itemque ſepulturæ ac funerum inſti-
tuta mirantur. Sontibus, quolibet nomine, haud leuiora quàm exſi-
lij, aut proſcriptionis,aut capitis ſupplicia conſtituta ſunt. gladio fermè
trucidantur improuidi.nam alioqui ſe haud inultos cadere patiuntur.qui-
buſdam tamen locis comprehenſos latrones, certoq; ad ignominiam ve-
hiculi genere per ciuium ora tranſuectos, extra vrbem cruci, ab ignaris
quanta ſigno illi veneratio debeatur,affigi mos eſt.In ſeditioſos etiam, qui
quidẽ potentes ac principes viri ſunt,ex antecondicto interdũ animaduer-
ti ſolet in hunc ferè modum. Aedes noxij,Rex,vbi viſum eſt, milite arma-
to circundat,eidemq; facit liberũ aut pugnæ aut mortis arbitrium. Si pug-
nam optarit,commiſſo protinus certamine,cum familia planè tota dele-
tur,ac perpetua in omnem poſteritatem notatur infamia. ſin volũtariam
elegerit necem, vltrò ſibimet ventrem alta plaga in obliquum, nonnulli
etiam animoſiores duplici in decuſſim incidunt. vbi effluere inteſtina cæ-
pêre,parato in idipſum famulo ceruices amputãdas præbent; & ex amicis
præcipui illatis pariter ſibi manib⁹,ſupra mortuũ corruere ſibi glorioſum F
putant.Atq; idẽ facinus,in alijs quoq; periculis,præſertim vbi agitur exiſti-
matio & fama, valdè vſitatum eſt,& obductis denſa caligine mentibus ho
neſtiſſimum ducitur.quin,ipſi interdum pueri vel à parentibus exacerbati
vehementius,vel grauiore aliqua indignatione concepta, genus id leti pa-
lã ſibimet ipſi conſciſcunt.Forenſis res,nulla propemodũ: non iuris ciuilis
formulæ;non reſponſa prudentũ;non vadimonia;non carcer: non iudicũ
teſtiumúe reiectio;non citatio reorum, aut cauſæ dicendæ poteſtas.ius to-
tum in armis,aut principum placitis:horum in proceres duceſque;ducum
in ciues; ciuium in ſuam cuiq; familiam formidabile vitę pariter ac necis
arbitrium:neque ab inferioribus acta pro poteſtate, à ſuperioribus in cog-
nitionem reuocari, aut reſcindi conſueuêre.ipſi autem dynaſtæ Regeſue,
quamquam ab externo ac mercenario milite planè imparati,atque ob id-
ipſum indigenis vehementer obnoxij; tamen barbaro quodam faſtu, vti
de Sina retulimus, adorari colique ſe volunt: ſtipati armatorum caterua,
difficiles aditus,delicatas præbent aures:adductoque vultu,nutibus fermè
vel ſcriptis agunt:ſermonem grauatè cõſociant:nil opis habent in populi
caritate repoſitum: regit omnia metus:huic adiunctum eſt odium: inde
crebræ, & occultæ conſpirationes ac ſeditiones erumpunt; excuſſoque

recto-

A rectore,ſceptrum ad alios alioſque,in ſumma rerum omnium perturbatione tranſfertur.vetuſta imperia,& principum longa ſerie deductas imagines oppidò pauca reperias. Sanè Iaponium omne nomen vni quondam parebat Imperatori,cui titulus Vo,ſeu Dairi:quoad is diuturna pace in delicias atque ſocordiam reſolutus;præfectis, & ſatrapis, ac præcipuè Cubis (ſic enim duo primarij vocabantur,quorum alter deinde extinxit alterũ) contemptui cæpit eſſe.Viri ergo militares,talem aliquandiu perpeſſi, mox indignati dominum;tandem abrupêre frænos, & ſuam inuasêre quiſque prouinciam:ita,momentò vnitas illa,& maximi contextus imperij, multas in partes ac veluti fragmenta diſſilijt;ius tantùm Dairi manſit in hunc vſque diem,honorum vocabula proceribus diuidendi,quæ pro graduum varietate mutantur identidem,certiſque characteribus deſignantur. inde haud ſpernendas cogit pecunias:alioqui pæne precariam obtinet dignitatem.Summus verò & potentiſſimus Iaponiorum omnium habetur ille, quiſquis Meacum,& Meaco finitima nobiliſſima regna(quem tractum cõmuni nomine Tenſam appellant)armis atque arcibus occuparit. Ea loca
B nuper obtinebat Nubunanga,quem dixi,tyrannus.huius in ſolium à coniuratis ante hoc biennium interempti;liberis eiuſdem aut pulſis aut occiſis,per factionem ac vim præcipuus è ducum numero Faxiba ſucceſſit. Hactenus de moribus inſtitutiſque Iaponiorum,quod adhuc in tanta locorũ longinquitate cognoſci potuit.Cæterùm aditæ primùm eius terræ titulũ, decuſſe,& alij quidem Luſitani ad ſe trahunt:ſed ego Antonio Galuano crediderim,in eo libro quem de inuentoribus orbis noui conſcripſit,apertè narranti, Antonium Motam, Franciſcum Zeimotum, & Antonium Pexotum,cùm ex vrbe Sionis Dodra peterent Sinas,pertinaci vento ad inſulas Iaponiorũ abreptos anno ſeculi huius quadrageſimo ſecundo, cùm Soſa(vti dicebamus) Indicam prouinciam regendam accepiſſet.Is,eo perfunctus munere,Ioanni Caſtrio ſucceſſori gubernacula tradidit, qui feliciſſima vſus nauigatione,præter militum ſupplementa,egregios tres viros è Societate IESV ad Xauerij labores adiuuandos aduexerat: Hiſpanum vnum,Ioannem Beiram è Ponteuetere (id oppidi nomen, oræ Callaicæ) Italos duos,Nicolaum Lancilotum Vrbinatem,& Antonium Criminalẽ Parmenſem,qui deinde,vti explicabimus, præclaro martyrio coronatus
C eſt.Hiſce comitibus Goam delatus Prætor,forenſi primùm compoſita re, nouiſque magiſtratibus & ſcribis cum cura ſuffectis,in reficiendam exinde augendamque claſſem,& reuocandam omni ſtudio militarem diſciplinã incubuit.Circa idem tempus,Moluci Rex Aerius,Goam vinctus defertur. Solio deturbatum nulla ipſius culpa; ferroque & criminibus oneratum Iordanus Ternatenſis præfectus cum armatis cuſtodibus ad Prætorem Indiæ miſerat.Aduenientem,Caſtrius,detractis catenis,regio apparatu excepit;& in ſeparato hoſpitio liberaliter habitum,cauſa probè cognita,de cõſilij ſententia clementer abſoluit:ornatum inde laudibus & honeſto comitatu,in regnum,haud ſine tacita Iordani ſuggillatione reſtituit. Hoc item Prætore feliciter adminiſtrata Chriſtiana res eſt.Michael Vaſæus, de quo ſupra commemorauimus,eximia virtute ſacerdos,deque Eccleſia Chriſti optimè meritus,conſilijs cum Franciſco Xauerio communicatis, ſub aduentum Caſtrij nauigauit in Luſitaniam;Indicæ rei vitia demonſtrauit Regi;vt ea tollerentur,omni ope curauit;ab eodem Rege, anno ſequenti litteras ad Caſtrium Prætorem eiuſmodi retulit:IOANnes Rex, Ioanni Caſtrio Indiæ Prætori,amico S.Quod non ignoras,idololatria tam graue piaculum eſt,vt ea in meis regnis vllo pacto ferenda non ſit. delatum eſt autẽ ad nos,in Goanis finibus,tũ publicè,tum priuatim coli ſacella idolorũ. præterea ludos,rituſq; ethnicos celebrari palã.Ac proinde,tibi etiam atq;

1542

etiam mando ac planè iubeo, idola omnia per idoneos administros inue- D
ſtigata, & vndiquè ſublata comminuas, comburaſque, & cum grauibus e- "
dicas minis, ne cui prorſus vllum eiuſmodi ſimulacrum aut ſignum ex æ- "
re, ligno, argilla, gypſo, alioue metallo, materia, maſſa, fundere, ducere, "
ſculpere, fingere, exprimere, figurare: aut aliunde importatum habere, "
ſeu ſacra ludoſue ethnico more facere, aut Brachmanas concionatores "
magiſtroſue, teterrimos Chriſti aduerſarios, vlla ope iuuare, vel tecto re- "
cipere liceat. Qui ſecus faxit, pœnis in edicto propoſitis nulla remiſſione "
mulctator. Et quia gentes ad legitimum vnius Dei cultum, non modò ſpe "
futuræ beatitudinis, ſed etiam præſentibus interdum præmijs inuitandæ "
ſunt; curabis enixè, vti redemptura vectigalium, curationes publicæ, & alia "
munera quæſtuoſa, in homines ethnicos ad hanc diem cõferri ſolita, in ip- "
ſos Chriſti neophytos primo quoque tẽpore transferantur. Ad claſſes me- "
as deducendas audio promiſcuũ cogi vulgus Indorũ. Placet excipi Chri- "
ſtianos. quod ſi neceſſitas, eorum quoque operas interdum exegerit; vide- "
bis omnino poſthac, vti quotidiana illis merces ac iuſta ſoluatur. Atq; hoc "
toto de genere Michaëlis Vaſæi ſententiam exquires: quem nos virum & "
publicæ rei bene peritum, & Chriſtianæ religionis apprimè ſtudioſum ani E
maduertimus. Ad hæc, certis auctoribus magno mihi meo dolore cõper- "
tum eſt; ab Luſitanis hominibus vili pretio coempta mancipia, quæ apud "
Chriſtianos dominos perfacili negotio ad baptiſmum adduci poſsint; Ma- "
hometanis ac barbaris mercatoribus, ad non dubium animorum interi- "
tum, vberioris quæſtus cauſa venundari. Id piaculum ne admittatur in po- "
ſterum, neu ſeruitia vlli niſi Chriſtiano emptori aut licitatori addicantur, "
item graui cauebis edicto. Fœneratorum licentiã, quam certo capite Goa- "
narum legum ali didicimus, fac imperio atque auctoritate coërceas: idq; "
caput è legum ſerie quamprimum expũgas. In oppido Bazaino templum "
Diuo Ioſepho exſtruitor, idoneumque ſtipendium alendo Vicario, & be- "
neficiarijs aliquot, de meo adſignator. Annua porrò tria pardaum millia, "
in impuras Mahometis ædes, & nefarium cultum, ab eius ſectatoribus im- "
pendi antehac ſolita; euangelij præconibus, & conuerſionis adiutoribus "
in poſterum numerantor. In agro Cialenſi, neophytis à Michaële Va- "
ſeo inſtitutis, & ſi qui prẽterea ad Chriſtum acceſſerint; è meis vectigalibus "
trecenti quotannis oryzæ modij ab antiſtite diuiduntor. Pondera, pretia, "
pactiones, olim cum Thomæis Chriſtianis initas, qui in Cocinenſi ditione F
diuendunt piper, à noſtris mercatoribus labefactari violarique cognoui- "
mus: nec non ſubtrahi corollaria, quæ ad pretium addi ex pacto conuen- "
to cõſueuerant: idque magno cum eorum damno pariter & offenſione, "
quibus multas ob cauſas præcipuè conſultum oportuerat. Ac proinde cu- "
rabis quàm diligentiſſimè, vt in hiſce commercijs, Thomæi prorſus inco- "
lumes indemneſque ſeruentur: eoſque cæteris etiam in rebus, vti Chriſtia- "
nos & ſocios æquum eſt, liberaliter comiterque tractabis. Ages etiam cum "
ipſo Cocini Rege, vti ritus quoſdam ethnicos ab ipſius augurib⁹ in piperis "
venditione adhiberi ſolitos (quandoquidem nihil ipſius ea res intereſt) è "
noſtro cõmercio tolli permittat. Ab eodem Rege aiunt Indos ex eius di- "
tione, qui relictis idolis Chriſtiana ſuſcipiũt ſacra, fortunis omnibus illicò "
ſpoliari. Ab eiuſmodi immanitate & tu omnibus neruis amicum Regem "
niteris auertere: & nos ipſi quoque in eandem ſententiam ad eum litteras "
dabimus. Socotoranam cauſam diligenter ipſe tu mihi, coram & per "
litteras commendaſti. eos ego populos, è miſerrima ſeruitute ereptos ad- "
modum cupio; ſed cum eo, ne Turca, cuius in imperio ſunt, acri⁹ irriteretur; "
claſſeſque in iſthæc maria mittere paulatim adſueſcat. Hoc totum, adhibi- "
to Michaële Vaſæo, tu pro tua prudentia rerumque iſtarum vſu, videbis "

cuiuſ-

A « cuiuſmodi ſit. Piſcarij littoris incolas, cùm alijs iniurijs affici à meis duci-
« bus ferunt;tum verò cogi ad ea quæ piſcantur, ſibi tantùm, iniqua condi-
« tione vendenda. Cauebis igitur etiam atque etiam, ne populis ijs liberum
« vendendi arbitrium adimatur:duceſque mei in commercio eiuſmodi ne
« quid ſibi proprium arrogent.atque ad cæteram quoque tollendam vexati
« onem,videbis num ea littora ſat cuſtodiri,meaque vectigalia ſat commo-
« dè exigi ſine claſſibus poſſint.quæ res ſi facultatem habuerit; non eſt cur il-
« luc in poſterum nauigent.Præterea,cum magiſtro Franciſco Xauerio con
« ſultabis atque diſpicies,vtrum ad eius Eccleſiæ incrementum expediat,fas-
« ve ſit;piſcandi poteſtatem patere duntaxat ijs qui Chriſtum induerint: cæ-
« teros;quoad ſapiant,eo quæſtu & commodo prohiberi. Qui ex ethnicis ad
« Chriſtum ſe ſe conuertunt,eos audio tanquam ſceleratos & ſacros,à parẽ-
« tibus,cognatis,amiciſque tecto eijci,bonis euerti,ac ſumma protinus in ſo
« litudine atque egeſtate verſari.Horum tu inopiæ ſubleuandæ, communi-
« cata cum Vaſæo re,annuam è meis reditibus pecuniæ ſummam decernes,
« diſtribuendam à ſacerdote,qui eiuſmodi neophytorum inſtitutioni præ-
B fuerit.è Ceilano inſula,regius, vti fertur,adoleſcentulus,impias, auun culi-
« ne an parentis?effugiens manus,Goam baptiſmi gratia ſe contulit. Huius
« in perſona quando ad aliorum conuerſionem haud leue momentum eſt,
« dabis operam vti doctrina quidem ac moribus, in Diui Pauli collegio cũ
« alumnis cæteris imbuatur:quod verò ad victum cultumque attinet, lauto
« ſeparatim hoſpitio,impenſa mea copiosè ac liberaliter habeatur. Signifi-
« cauit is ipſe mihi per litteras,ad Ceilani regnum, ſibi ius actionemque cõ-
« petere:videbis quidnam hoc ſit:totamque rem probè exploratam & cog-
« nitam ad me perſcribes. Quod autem tyrannus in ſuos populares, qui Euã
« gelio credidêre,tam crudeliter ſæuijt;ſeras quidem illas, veruntamen debi
« tas tanto ſceleri pœnas ab eo per te quamprimum exigi volo: & grauem
« audaciæ mercedẽ ſtatui; quò intelligant omnes,nihil eſſe mihi antiquius,
« quàm vt omni ex parte integri incolumeſque ſeruentur, qui à dæmonum
« caſtris ad Chriſtiana ſigna tranſierint. Ab ethnicis artificibus, Chriſti Do-
« mini, Virginis Matris,& ſanctorum imagines pingi,atq; adeo circumferri
« venales;minimè decorum eſt nomini Chriſtiano.Tu ergo,cum proſcripti
« onis ac virgarum minis edices,ne cui profano tabulas eiuſmodi pingere,
C aut vendere quoquomodo in poſterum liceat. Paroeciale Cocini templũ,
« itemque Colani,dudum inchoata,patere imbribus putrefacienda, turpiſſi
« mum eſt.Vtrunque tu,architectis ac fabris adhibitis, quamprimum tegen
« dum ac perficiendum curabis. Placet etiam,in vico Noroa templum Di-
« uo Thomæ Apoſtolo fieri; Calapore cæptam ſanctæ Crucis ædem abſol-
« ui;itemque in Ciorano inſula templum excitari . præterea; locis idoneis
« auditoria & ſcholas inſtitui, ad quæ ſtatis diebus non Chriſtiana modò
« plebs catechiſmi cauſa;verùm etiam ethnici ad Euangelium audiendum
« vel inuiti conueniant.Quandoquidem in iſta mea ditione mihi primùm
« omnium & maximum eſt obſequium Dei,& Chriſtianæ religionis ampli-
« ficatio;cupio vehementer è Salſetanis quoque & Bardeſijs finibus, quibus
« mihi nuper Idalcan ceſſit: idolorum cultum,ac profanas gentium ſuper-
« ſtitiones prorſus euelli.Id quò citra tumultum ac vim, hoc præſertim ini-
« tio fiat;expedit,rationibus ac diſputationibus quàm leniſſimè populos e-
« doceri,quãto in errore,ac veritatis ignoratione verſentur:quamq;vel per-
« uerſum vel impiũ ſit cultum, vni debitum Deo, ſimulacris lapidibuſq; ab
« homine tribui.Porrò,ad eas pellendas tenebras, cùm alios viros adhibebis
« virtute & eruditione præſtantes; tum verò ipſe tu primarios gentis euoca-
« re,alloqui,monere non deſines,atque omni ratione ad Chriſtum allicere.
« Qui ſe ſe dederint;hoſce,in fidẽ receptos,nõ tueberis modò, ſed etiam pro

ſuo

ſuo quemque captu fouebis ornabisque. Hæc omnia ſcito nobis maiorem D
in modum eſſe cordi: quæ ſingula, te pro tua induſtria & probitate ſedulò "
curaturum eſſe cõfidimus. Almerini viij. Idus Martias. M.D.XLVI. Epiſto- "
lam igitur hanc, indicem regiæ pietatis ac ſapientiæ, Vaſæus in Indiam per-
tulit plenus optima ſpe. Cæterùm ſalutaria principis mandata, itemq; Præ
toris edicta, non quãtum par fuerat ponderis habuêre. obſeruata & exhau-
ſta fermè facillima quæque. reliqua, partim quod priuatis obſtarent com-
modis, haud æquo animo in vulgus accepta: partim, nondum maturis ad
agendum rebus, in aliud tempus dilata. Eiuſdem Regis decreto, ad reditus
quos antea capiebat Diui Pauli Collegium, aureorum inſuper annua bi-
na millia Goanis è vectigalibus acceſsêre. Xauerius interim, Parauana Ec-
cleſia conſtituta, Molucas (quam Domini vineam à Galuani diſceſſu fœ-
dum in modum ſqualere didicerat) Parauis illum apud ſe retinere ſum-
ma ope conantibus, petere nihilominus intendit. Meliaporem ex itinere
primùm, inde Malacam: à Malaca in Amboinum, & Mauricas inſulas, po-
ſtremò Ternatem defertur. Omnibus locis bene ac feliciter geſta re, plan-
tarijs de more inſtitutis pro copia præſenti villicos atque cuſtodes appo-
ſuit. Hinc ad reuiſenda quæ liquerat; operasque in Chriſti latifundia diui- E
dendas (quippe recentes interim ex Europa cultores aduenerant) haud ſi-
ne magno Molucenſium fletu Goam renauigare eſt coactus. Interea To-
lanus Mauricæ terræ dynaſta, in Eccleſiam Dei (& erat ibi neophytorum
ingens numerus) odium exprompſerat nominis Chriſtiani. multos acer-
bè torſerat, quoſdam occiderat, pleroſque omnibus fortunis exuerat. Ad
ea facinora punienda profecti ab Ternate Luſitani, locum tum cætera mu
nitione, tũ ſudibus præacutis, ac tribulis ferreis vndique ſeptum offendũt.
adeò, conſcius quid meruiſſet Mahometanus, oppidum ad hoſtes arcen-
dos omni quidem arte, veruntamen irrito conatu firmârat. ſiquidem eru-
ctantibus è vicino verticibus montium, tanta repente cecidit cinerum vis,
vti munitionibus coopertis obrutisque, liberum ac tutum Luſitanis ad
vrbem acceſſum daret. hinc, non ſolùm exitu læta, ſed etiam miraculo in-
ſignis parta victoria. Circa idem tempus Meliapore item inſignis ad me-
moriam accidit res. Luſitani, ſuburbano in colle, vbi mactatum à barba-
ris Apoſtolum Dei Thomam fuiſſe docuimus, nouum eidem Apoſtolo
ſacellum exſtruebant. Aperientibus fundamentum, inſculpta quadrato
lapidi, ſanguineis & in ſpeciem recentibus cõſperſa guttis apparuit Crux, F
lapideo item circulo incluſa; repandum in lilium deſinens. inſidet in ſum-
mo columba: lætæ ab imo herbæ luxuriant: in eo circulo inciſæ notæ cer-
nuntur, quas propter vetuſtatem legi adhuc potuiſſe negant quidam; alij,
ſeorſum ad legendum adhibitos diuerſarum nationum Brachmanas du-
os præcipua eruditionis fama; haud paruo quidem labore, veruntamen
congruenti ambos interpretatione reſpondiſſe ferunt, notas eas, plurium
litterarum ſingulas obtinere vim. ijs Apoſtoli Sãcti martyrium, quale nos
è vetere traditione deſcripſimus, breuiter contineri: atque illud nomina-
tim (quod ipſæ teſtentur guttæ) Chriſti famulum, inter eius Crucis adora-
tionem & oſcula cecidiſſe. Extractam ergo tabulam ac probè purgatam,
Luſitani confeſtim in ara gratulabundi conſtituunt: intentiore cura ſacel-
lum abſoluunt. Noua inde loco frequentia, nouus honos acceſſit. ſed mi-
raculo mox euidenti maiorem in modum aucta religio. octo ante Chriſti
Domini, tribus ante Apoſtoli natalem diebus, cùm ab Eccleſia celebratur
exſpectatio Virginei partus, in eam ædiculam Chriſtiani rei diuinæ cauſa
cõuenerant. Mirum dictu: ſimulatq; ab ſacerdote cœptum Euãgelium eſt;
vniuerſo inſpectante populo, Crux ea modicis primò ſtillis, largo dein ſu
dore manauit. admota hinc terſui linteola ſacra, liquido cruentas ebibê-
re ma-

A re maculas. Color etiam Crucis, è candido ſenſim in pallidum, è pallido in atrũ ceſſit: grato poſthęc ſplendore cęruleus effulſit: ad extremum, ſacrificio peracto, natiuus redijt. Scilicet, rẽs tã noua & illuſtris, ineffabili quodã gaudio delibutis adſtãtium animis, altos gemitus, pias acclamationes, vim lacrymarum exciuit: neque verò proprium illius duntaxat diei cœtuſue, id ſpectaculum fuit. ex eo tempore, ſingulis fermè annis, eadem feſta luce, eodem non modò ſacrificij, ſed etiã Euangelij momento recurrit. ſi quando intermiſſum eſt, ipſo doctus euentu dirum aliquid portendi populus putat. Aç, ne quis apud nos in tali tantaq; re dubitãdi foret locus; totã dein & facti ſeriẽ, publicis conſignatã litteris, & operis effigiẽ è lapide ipſo diligẽter expreſſam, Cocinenſis Epiſcopus in Europã ſub initia Concilij Tridentini tranſmiſit. Cæterũ theſaurus ipſe, repertus Caſtrio demũ obtinẽte prouinciam; & Euãgelio adſtruxit fidem, & opportunè Prætori ad omne periculum ac dimicationẽ pro Chriſti nomine ſubeundam, animos addidit.

HISTORIARVM INDICARVM LIBER TERTIVSDECIMVS.

B TRanquilla tum Luſitano res erat Indica, finitimis tyrannis dynaſtisq; partim vi ac metu ſubactis; partim etiam æquo fœdere in amicitiã ac ſocietatem adſcitis; cùm repẽte periculoſum & graue bellũ, vnde minimè putabatur exortũ eſt. Eius belli cõcitator ac princeps fuit Sofar, qui poſt fœdũ ab vrbe Dio Solimani diſceſſum, pacemq; redditã Luſitanis, nunq; animum remiſerat à colligẽdis per otiũ viribus, quibus, vbi maturũ eſſet, ad eorum perniciẽ vteretur. Sex amplius annorũ ſpatiũ liberum in oẽs apparatus habuerat. quo tempore ita ſe ſe in Mamudij adulta iã ætate Regis gratiã inſinuarat, vt omniũ arcanorũ non particeps eſſet modò, ſed pæne moderator & arbiter. ac ſimul animũ adoleſcẽtis, & ſuo ipſum dolore, & muliebribus iam ſat incenſum facibus, ad vlciſcendos auunculi Badurij manes, delendumq; ex India Luſitanũ omne nomẽ, miris artibus incitarat. In eã rem, præter veteres copias, nouos quotidiè varijs è nationibus milites, duceſq; belli peritos, ingentibus præmijs euocabat Rex. ijs in diſciplinam tyrones & collectitij tradebantur: fa-
C brũ, artificum, ac munitorũ multitudo quàm maxima cogebatur. ac pter cæteros, architecti etiã & machinatores egregij quinq; à Byzantio vrbe cõducti, menſtruo in ſingulos trecentorũ aureorum pacto ſtipendio. armorũ ac tormentorum omnis generis officinæ locis idoneis peramplæ inſtitutæ. ſolicitati occultis legationibus Indi Reges ac principes ad puniendas iniurias, & recuperandam maris poſſeſſionem, quam latrones pauculi, ſpecie mercaturę ſubreptã, aliena magis ignauia, quàm ſua virtute obtinerẽt. Sibi eſſe certũ ac fixum, primo quoq; tempore Dienſem arcẽ inuadere. ſi vnà cuncti cõſurgant, libertatẽq; ac dignitatem, qua nihil prius debeat eſſe, tandẽ aliquando reſpiciant; tam exiguã profectò manũ, tot ſparſam preſidijs, ab ope domeſtica toto pæne terrarũ orbe diſcluſam, mutui demũ inter ipſos auxilij cõmunione ſublata, nullo negotio prorſus obrui & extingui poſſe. Cũ eiuſmodi fere mandatis dimiſſi quoquouerſum legati. Et omnia hęc interim clandeſtinis agitata conſilijs, alto ſilentio tegebantur. Vniuerſæ comparationi, tantiſque delectibus, probabili ſanè commento prætendebatur imminens in ſingulos dies à Patanio Rege bellum, quicum propter vicinitatem, quotidianæ diſcordiarum cauſæ non deerant. Sofar, ſimulandi æquè ac diſſimulãdi magiſter, tum vel maximè cum Luſitanis, honore verborum, officijs, humanitate certare. Neque verò callidi veteratoris fucum aſtutiamque inſcitè Mamudius imitari: quippe, tum ſuopte ingenio tectus ac perfidus; tum domeſticis diſciplinis ad omnes

dolos

dolos atque fallacias eruditus: adeoque se per id ipsum tempus in Lusita- D
nos bene animatum ostendere; vt noxios etiam perfugasque, si qui ex eo-
rum ditione in suos transissent fines, magna cum beneuolentiæ significati-
one ijsdem ad supplicium redderet. Porrò, artificium hoc dupliciter pro-
derat Cambaianis: quod cùm suas ipsi cogitationes vario obtentu celarēt;
tum Lusitanos (vt est omnis incauta securitas) ad cuncta quæ nosse cupe-
rent de viribus ipsorum opibusque, de numero militum ac nauium, deque
omni statu prouinciæ palam & sine ambagibus promenda perlicerent. E-
rant autem, siue superiorum temporum vitio, siue inani fiducia diuturnę
pacis, tum eiusmodi res, quæ vel quietum hostem & otij cupidū, pæne ex-
plorata victoriæ spe irritare facile possent. Disciplinæ bellicæ studium, ad
mercimonia quæstusq; conuersum. regius fiscus, vario sumptu & fraude
multorum exhaustus. classis in naualibus, interna vermiū labe ac situ cor-
rupta. nautæ remigesq;, neglectis custodijs infrequentes: milites, è statiuis
atque præsidijs, causati sibi stipendia non pernumerari, pleriq; diffugerāt,
atque arma flagitiosè vendiderant. in ipsa Diensi arce, quæ maximè omni-
um erat, propter loci naturā, subitis ac varijs belli casibus opportuna, è de- E
fensoribus nongentis, quos ibi Garzias pace cōstituta reliquerat, ad ducen-
tos circiter & quinquaginta redierat summa. atq; hos ipsos, Ioannes Mas-q
carenias præfectus, priuata magis munificentia & comitate, quàm auctori-
tate imperij, vel sacramenti religione retinebat. ibidem adseruabatur pul-
ueris tormētarij, si acrior instaret necessitas, quod vix vnum in mensem es-
set satis. ac, ne frumenti quidem, vel oryzæ, & reliqui commeatus, ex ante-
conuecto atq; sepositō copia suppetebat. Hæc, Sofar, in primis, & alia id
genus, ab Lusitanis, qui in Cambaia negotiabantur, seperatim ac sæpius, p
familiari consuetudine percunctando, probè cognorat. Inde Regum exte-
rorum, præsertim qui mare accolunt, pertētari animos denuò placuit. mis-
si rursus legati. ijs auditis, Reges alij pecunia & milite iuuēre Mamudiū: a-
lij, quominus eandem coirent societatem, intestino ac propius vrente bel-
lo distenti sunt. apud quosdam etiam, rei euentū exspectantes, composita
nuper cū Lusitano pax & amicitia valuit. At Cambaianus, posteaquam sat
sibi copiarum viriumq; paratū ad omnes conatus animaduertit; gerendi
belli hanc maximè rationē instituit. Sofarem, ingentibus inflatū promissis,
summæ rerum ample cum potestate præfecit. Rumecani Sofaris filio, rei F
tormentariæ procurationem attribuit. hyems ad obsidionē arcis delecta,
cuius initium, vti supra demonstrauimus, in ijs locis est à Kalen. Aprilis: vt
ipsum anni tempus, præcluſa nauigatione, Lusitanos maritimis, quæ vna
supererant, auxilijs prohiberet. Rebus ita constitutis, ad earum suspicionē
quoad fieri posset auertendam, rumorem insuper è cōposito dissipant; vr-
bem Dium Sofari pro amicitia donatam ab Rege; in eamq; possessionem
breui Sofarē esse venturū: nec sine magno comitatu; reuocādæ veteris fre-
quentiæ causa. quæ res eò propius ad veri similitudinē accedebat, quod &
plenus certaminū & controuersiarum esset is dominatus, vt non multū ex
ea largitione Rex damni facere videretur; & huic eidē Sofari oppida nobi-
lia duo, Surratū, & Reinelum paulo ante concesserat. ea fama vulgata, So-
far, Surrato, vbi tū agebat, litteras ad Mascareniam dat: in quibus erat scri-
ptum: Ad cætera loca, quę Mamudij Regis benignitate obtineret, nouissi-
mè Diū vrbem accessisse. id munus eò sibi accidisse iucundius, quò maiorē
inde facultatem sit habiturus, optata Mascareniæ tanti viri consuetudine
perfruendi. simul sibi esse in animo, vrbem superioribus belli cladibus ma-
gna ex parte dirutam & euersam instaurare, & in pristinam, si fieri possit,
celebritatem reducere; tumultus ac rapinas arcere; aduenis ac mercatori-
bus, quò libentius affluant, pacem, annonam, fidem omni ratione præsta-

re: ne-

A re neq; id ſua tantùm, ſed etiã ipſius Regis Luſitaniæ cauſa. hæc quoniã in tanta hominũ perfidia, tamq; ſeditioſis incolarũ ingenijs fieri ſine magno apparatu cõpijſq; non poſſint; petere ſe & orare, ſi armatus, & cinctus amicorũ frequẽtia, Dium aduenerit; ne quid idcirco aduerſus Luſitanam rem aut amplitudinẽ ab ſe, vel à Mamudio cogitatũ interpretetur. id adeò reap ſe daturũ operam, vti æqui pariter & iniqui omnes intelligant. Si fallat; diras omnes in ſe, caputq; ſuũ, fortunas, ac liberos, imprecatur. Hæc per ſummam impudentiã à Sofare in præſens tẽpus de more conficta. Maſcarenias haud ita pridẽ in eius arcis præfectura ſucceſſerat Emmanueli Soſæ (alteri ab eo qui à Badurianis eſt cæſus) cognomẽto Sepulueda. atq; is initio præfecturæ, cũ in Cambaiæ finibus multa miſceri ac parari contra Pataniũ Regẽ audiſſet; haud ſanè cõmotus eſt. quippe nec ſine cauſa, Mamudio, rebus iã à Mogore acciſis, æmuli atq; opulenti Regis inſidias omni cõnatu præcauẽ das putabat; & quò minus temere Luſitanum, cõſtituta iam pace, Cambæi laceſſerent, vel ſibi obnoxiũ ducerent; ſat magna ipſorũ mercede recentibus euẽtis edoctos arbitrabatur. Hæc fermè principio Maſcareniã ſolicitudine liberabant. Aſt vbi, tempore procedente, Patanius nihil mouebat; ac
B nihilominus Cãbaia erat in armis; & militari concurſatione, machinarũ opificio, carriſq; ac iumentis omnia perſtrepebant; enimuerò tũ ſuſpicari Maſcarenias cæpit, ſubeſſe fraudem, atque ad Luſitanæ arcis excidiũ ea cũcta ſpectare. ſuſpicionem auxêre commeatus atq; tormenta, in pagos Dio próp inquos paulatim ſubuehi cæpta. Poſtremò dubitationẽ exemêre omnem, Sofaris ipſius litteræ, tanta præſertim adulatione blanditijſq; conſperſæ; nec non magna calonũ lixarumq; turba cũ plauſtris & impedimentis in vrbem ingreſſa; itemq; ſub ſignis cohortes armatorũ aliquot ſubſequutæ. Annus tum numerabatur ſeculi huiuſce 46. & exacto iam antumno Martius menſis erat in exitu. Maſcarenias, quamquã atroci ac ſubita perculſus re, tamen extemplò colligit animũ; ſeque in omnes firmandæ arcis, & ſeruandi præſidij partes intendit. Prima fuit propitiãdi præpotentis Dei cura. cæleſtem opem & ſupplex implorauit ipſe; & aliorũ precibus iuſſit expoſci. Tum per expedita nauigia Caſtriũ Indiæ Prætorẽ, itemq; Bazaini & Ciauli præfectos Hieronymum Meneſiũ, & Antonium Soſam; de hoſtium apparatu & conatibus edocet: ni ſuppetię quamprimũ ferantur, vltimum haud dubiè ſibi ſuiſque imminere diſcrimen. In eadem loca mox nauibus inſti-
C torum amandat imbellem turbam, exceptis aliquot vſus quotidiani mancipijs, & paucis inſuper matronis, quæ ſexus oblitæ, ne deſererent viros, ſocietatem periculi, & diuturnæ obſidionis incommoda minimè recuſabãt. Luſitanos præterea negotiatores, quibus erat arctior cum Dienſibus amicitia, hortatur tum publicæ ſalutis, tũ priuati compendij cauſa, vti coemptã frumenti & oryzæ vim, carnes piſceſq; ſale duratos, & alia id genus alimenta militibus deinde vendenda, celeriter in arcis apothecas importent. id, vti potuit in tãta temporis anguſtia, & Dienſium iniquitate, ſedulò factum. Simul, tecta & tabernæ in veſtibulo arcis euerſæ. tigna, tabulæ, ferramenta, mali nauium introlati. Inter hæc, Maſcarenias pari diſſimulatione, & ijſdem quibus peti ſe videt artibus, ad Sofaris epiſtolã ita reſcribit: Quod Sofar, præter cętera in eum à Mamudio collata ornamenta, honoreſque, nuper etiam Dienſi toparchia decoratus auctuſque ſit; neque mirari ſe, qui præclara eius in Regem regnumque Cambaiæ merita dudum norit; & magnam cepiſſe animo voluptatem, non ipſius modò Sofaris, verùm etiam reipublicæ cauſa; quod bonorum omniũ interſit, fortibus & induſtrijs viris laborum præmia pro dignitate perſolui. Quod ad ipſius aduentum in vrbem attineat, nequaquã ſe illi concedere, vti maiorem fructum, è mutuo conſpectu & familiari conſuetudine percepturus ſit. De copiarũ numero,

quas ad vrbem varijs de cauſis cogatur adducere;neq; pudoris, neque arbi- D
trij ſui eſſe,definire quicq̃:tantùm admonere pro amicitia, videat etiã atq;
etiã,ne quid in tanta hominũ colluuie,& Luſitani præſidij vicinitate turbe
tur.Hiſce litteris acceptis,magnopere lætari Sofar,tam bellè recta ſua con-
ſilia;tam læta initia dare ſeſe.neque diutius morandum ratus;inſtante iam
hyeme,Dium alias identidem aliaſq; ſubmittit manus. interdiu milites ac
lixæ cum ſarcinis,noctu maiora tormenta cum reliquo inſtrumento op-
pugnationis intrabant. Poſtremò Sofar ipſe ad XIV. Kalend. Maias cum
Rumecane filio vrbem inuehitur.millia quinque Turcarum ducebat.ij e-
rant exercitus nerui.ſequebatur longè maior è varijs gentibus multitudo.
Nouus dominus,vetus inquilinus,ingenti gratulatione & plauſu ciuitatis
exceptus,diuertit in regiam. inde per cauſam Maſcareniæ ſalutandi,ſpe-
culatores in arcem mittit.à Maſcarenia viciſſim ad eum, honoris & officij
cauſa deſtinatur Simon Pheus Limenarcha,notæ prudentiæ vir.Hunc So-
far aduenientem primò comiter accipit:mox,varijs de rebus inſtituto ſer-
mone, deliberatum eſſe,ait,ſibi,ad rixas vitandas,muro vrbem ab arce di-
uidere;valde optare ſe,ne Luſitani,vt olim,adeò ſalutare impediant opus. E
dein eorundem iniuriam inſtitit queri,quod pẽnè precario in eas regiones
admiſſi;totum ſibi vindicent mare;& cùm alios populos ac dynaſtas,tum
verò ipſum quoque Cambaiæ Regem iniuſſu nauigare prohibeãt. Sat iam
peregrinos & aduenas veteribus incolis inſultaſſe: tantam indignitatẽ feri
non poſſe diutius.hæc Pheum renuntiare ſuis, ac ſimul reputare iubet
quemq; apud ſe,quã pauci,quàm procul ab domo, quã à rebus omnibus
imparati,quàm incommodo anni tempore,tot tamque infenſis nationi-
bus ad prædam obiecti ſint.ad ea ſi prudenter animum aduerterint; profe-
ctò fore,vti,vel cum iactura,paci atque otio conſulant, nedum in tanta re
rum iniquitate deprehenſi,validiorum opes atque arma vltrò laceſſant.
Cũ hiſce mãdatis Pheus in arcẽ regreditur. Maſcarenias ad conſiliũ refert.
ac tametſi liquidò cunctis apparuit,à Sofare non certamen iuris quẽri,ſed
vim;tamẽ, ne furendi materiã hoſti armato præbuiſſe viderẽtur;de cæteris
rebus placuit reſponderi,nihil ipſorũ iuris aut poteſtatis eſſe. haud longè
diſtare Prætorẽ Indiæ Caſtriũ. ſi ad eum legati mittãtur, ſperare pro eius iu
ſtitia,quod fas æquumq; ſit,facilè impetraturos. Quod verò ad murum at- F
tineat exſtruendũ,in Garziano fœdere diſertis verbis cautũ eſſe de limite. ſi
intra id ſpatiũ ædificare Sofar animũ inducat;ſe non modò nõ prohibitu-
ros,verũ etiam adiuturos manu.Sin terminos tranſilire,&,quod Ninarauis
ante fruſtra tentarit,arci obmoliri atque officere cogitet;daturos operam
vti denuo Cãbaia atq; India omnis intelligat,Luſitanos nullo terrore,nul
lis difficultatibus,vel de iure finiũ,vel de gradu conſtantiæ demoueri. Hæc
Pheus idem referre iuſſus in regiã,& vnà exemplũ fœderis, teſtato deſcrip-
tũ.Ad ea denũtiata,nimirũ Chriſti deſertor excãduit: traditũq; ſibi à Pheo
libellũ,incenſus ira,diſcerpſit.id Sofari,& committendi belli principiũ; &
finis alienæ gerendæ perſonę fuit.confeſtim iectę legato catenę:& ambu
lantes in proximo Luſitani alij duo repẽte cõprehenſi, & in cuſtodiã tradi-
ti:nimbus telorũ in arcem ſubito procurſu coniectus. Per hunc modũ ho-
ſtili ſcelere patefacto,Maſcarenias,quò propius cernit periculũ, eò in ſpe-
ciẽ erectior celſiorque;ſuos omni ratione cõfirmat.hortatur ne improui-
ſo malo icti contrahant animos.proprium eſſe Luſitani generis & ſangui-
nis,demonſtrare quidnam diuino fulta præſidio, neque tamen idcirco in
ſocordiam reſoluta,paucitas poſſit.Eius rei multa eaq; illuſtria varijs orbis
terræ partibus edita documenta.Sed ne longè abeant, nuper hãc ipſam ar-
cẽ,Antonio Sylueria præfecto,maiorib⁹ etiã copijs terra mariq; oppugna-
tam obſeſſamq;.Luſitanos perexiguo numero ad vltimũ inopiæ redactos,

multo

A multò maxima parte ſuorum amiſſa; tamen ſtetiſſe cœleſti ſubnixos ope; & quæ pati in iis anguſtijs poſſit humanum corpus, omnia pertuliſſe, quoad fracti metu aduentantis ab Goa ſubſidij, Turcæ pariter & Guzarates, atque adeo Sofar idem ille, relictis per ſummam trepidationem impedimentis, abſceſſerint. Inde, prædicatione omnium & fama, nomini Luſitano ingens additum decus. haud diſparis exitus, in ſimili cauſa, nunc quoque præcipiendum animis gaudium. nam & aduerſus ruptores fœderum, contemptores diuini atque humani iuris, teterrima dæmonum mancipia, pro inſontibus & circumuentis, &, quod caput eſt, rectæ fidei defenſoribus, haud dubiè ſuperos bellũ eſſe geſturos: & accita iam ab Goa, Bazaino, Ciaulo, & alijs oppidis fideliſſima ſuorum auxilia propediem affutura. Neque verò, quod ad timorem vel maximè proponatur, extimeſcendam eſſe hyemem. Luſitanæ pietati, virtuti, nauigandi ſcientiæ, non regionum interualla, nõ ventos, non tempeſtates, quominus vltima experiantur, obſtare. Tantùm interea ſe ipſi viros præbeant: omni conatu enitantur ad laudem; neu committant, vti vel Chriſtiana fiducia, vel duritie militari, Sylueriani aut alijs inferiores vlla ex parte fuiſſe videantur. Eiuſmodi vocibus publicè priua-
B timque obfirmato ad omnem patientiam milite; Maſcarenias, pro tenuitate præſidij, ſtationes vigiliaſque diſponit. Septem, inſtauratæ paulo ante arcis erant propugnacula: in iis totidem duces cum vicenis fere militibus collocat. Marinum caſtellum Fernando Caruallio committit. huic defenſores triginta attributi. Cambaicam oram Iacobus Lacteus duobus caturibus tueri iuſſus, & hoſtẽ, quoad liceret, maritimis commeatibus interclude re. Reliquam manum ſibi Maſcarenias ad ſubitã belli reſeruat. Duces ad ſua quiſq; digreſſi loca, ſe ſe alacriter ad opus accingere: cẽtonibus ac molli tomento protegere muros: aggerere ceſpitẽ: farta glebis dolia inter pinnas locare: arma, contos, machinas, & quicquid ad repellendum hoſtem opus eſt, pro copia præſenti raptime xpedire: ad nominis Chriſtiani gloriam retinendã; ſubeunda pericula; famem, ſitim, vigiliaſq;, & vltima perferenda; mutuis adhortationib⁹ incitari. Inter hæc, Sofar, omnibus iã rebus in proximo cõparatis, qua parte ex oppido eſt aditus, aggerẽ vineaſq; ad arcẽ agere inſtituit. apertam quippe oppugnationem, & repentinum ad mœnia ſucceſſum impediebat, præter defenſorum virtutem, ipſa quoque altitudo
C & latitudo foſſæ; quam poſt Sylueriæ diſceſſum, Emmanuel Soſa duplo quàm antea capaciorem effecerat. Sofaris autem, muniendi ratio fuit eiuſmodi. Ab vtroque inſulæ margine vallum arci ad teli iactum obiecit. in eo vallo turres locis editioribus excitantur è ſoluto lapide, frontibus duntaxat ad lineam exæquatis. ab tergo baiuli atq; operarij terram adaggerãt. in ſummo, ptentis goſſipij ſarcinis, muralia tormenta; in medio atq; imo, relictis ex arte feneſtellis, minores fiſtulæ collocantur. Hæc omnia paucis diebus admirabili celeritate perfecta. noctu fere muniebant, quò minus ad certos Luſitanorum ictus paterẽt. interdiu, ſicut ab opere ceſſabatur; ita ab arce diuerberanda, & fatigando præſidio nulla dabatur quies. A vallo dein multiplex murus cæptus duci, flexuoſis Indico more mæandris: quò & oppidani tutius ad arcem ſubirent, aggeremque protruderent; & præſidiarij, ſi fortè erupiſſent, non modò ad tranſuerſas ex occulto iaculationes præberent corpora; ſed etiam ignotis anfractibus & errore viarum impliciti tenerentur. Dum hæc fiunt, Sofar optimum ſtatuit, ex alia parte marinum adoriri caſtellum: vt eo capto, & portum haberet in poteſtate, & arcem ab latere tormentis impeteret. Eius rei cauſa ingentem onerariam in receſſu intimo procul ad hoſtium telis, ad caſtelli faſtigium adæquandum, pluribus tabulatis attolli iubet; multoque bitumine ac pice diligenter oblini: quam deinde, ad caſtellum admotam æſtu ſecundo, ſuccen-

dant;concepto igne,in ſcaphas deſiliant armati; auctoque tumultu inter D
fumum & clamorem,ſcalis aſcenſum in muros obtineant.Hæc res,priore
bello fruſtra tentata,eundem rurſus habuit exitum. quippe, tabulata pau-
latim in ſublime creſcentia conſpicati è turribus Luſitani, rem ad Maſca-
reniam deferunt. Extemplò negotium datur Iacobo Lacteo,qui captiua iã
aliquot nauigia ad arcem traxerat, vti quamprimũ occupet parato ad in-
cendium pegmati nec opinatos ignes inferre.Noctu profectus cum fiſtula
toribus haud plus viginti,quamquam tectis ſub manus vola funiculis,le-
niſſimoque remorum pulſu ,non latuit Sofarem ipſum, ea fortè hora cir-
cumeuntem excubias.ille confeſtim ad arma littuſq; dat ſignũ .tollitur cla
mor. ex omni parte concurritur. Lacteus,ad ſimilẽ caſum præparatis iam
ante ſuorum animis,rectũ curſum rectaſq; proras in periculum tenet .nec
minus feliciter quàm antea Goucanus , circumfrementibus ferreis globis
atque ſagittis, ad onerariam penetrat, vt in nullo tali metu,minimè cuſto-
ditam.Confecta iã videbatur eſſe res,cùm in ipſo(vt fit interdum)articulo,
ingens præter omnem exſpectationem difficultas oboritur. hoſtilis pyra,
quam vel è longinquo conceptura ignes crediderant Luſitani, aduerſum
coniectas è proximo tædas ardenteſque ollas,repẽte contumax & inuicta E
perſtare:iteratis vndique iaculis nihilo magis lædi:iaculãtium oculos ani-
moſque ipſa rei nouitate confundere.Tum Luſitani,ancipiti vrgẽte malo,
quod & in mora exitiũ,& in irrito incepto deformitas foret; conſiliũ à cu-
piditate gloriæ mutuantur audax ac pænè temerarium . inciſis momento
anchoralibus,nauem ipſam remulco ad caſtellum vſq; per media tela per
ducunt.ibi demum facibus per otium ingeſtis, in hoſtium conſpectu,relu-
cẽtibus latè flammis abſumpta.Id euentum,ſicuti eximiam in ſuos Dei be-
nignitatem,& priſtina miracula retulit,nullo,ne tum quidẽ,è Luſitanis in
itu redituq; inter tantam miſſilium procellam deſiderato,vno tantùm le-
uiter ſaucio;ita Sofarem,primò indignantem,dein ſtupore defixum,ab cõ
ſilio maritimæ oppugnationis auertit.eò acrius ab terra munitiones vrge-
ri cæptę.& abundabat multitudo,vt ſi quid tormẽtis ab Luſitano dirutum
eſſet,Mamudiani extemplò reficerent;& mortuorum loco (plurimi autẽ
quamquam per tenebras fixi cadebant) fuſtuario coactos alios alioſque
ſubmitterent. incluſis contra,neque ad erumpendum copiæ,neque ad per
petuos & temerarios ictus iacula ſuppetebant.Per hunc modum, vertente
menſe,ad arcis pæne foſſam agger vineæq; perductæ.huic rurſus aggeri la- F
pideum præſtruunt murum,tredecim pedum latitudine:& in eo noua ca-
ſtella,crebraſque ſtationes,& varia tormenta conſtituunt. Hanc fermè
circumuallandæ quacunque licuit,arcis formam ſequutus eſt Sofar. Inte-
rea Caſtrio Prætori,ad claſſem, vt dictum eſt,reparandam ſat per ſe incita-
to,acres addiderãt ſtimulos,Maſcareniæ nuntij ac litteræ.Confeſtim,è duo
bus filijs Fernandũ natu minorẽ,egregiæ indolis adoleſcentem, cum naui-
gijs compluribus,& vario commeatu,cadiſque ſulphurei pulueris, & no-
bilium manu, Dium quàm celerrimè iubet præcedere. Hoſce, dubio pro-
fectos cælo , atrox in medio curſu tempeſtas adorta diſiecit. pars Bazai-
num & vicina littora petiẽre:Fernandus cum octo caturibus inſtando &
remigando peruicit, vti Dienſem teneret arcem;inuitiſque , & inſpectan-
tibus Mamudianis,militem, & commeatus,& omne bellicum inſtrumen-
tum exponeret. Ingenti Luſitanorum gaudio id ſubſidium acceptum : ac
minimè dubia ſpes victoriæ conſequuta. initur bellatorum numerus : ad
quadringentos & quinquaginta peruenit.Suppletæ dein auctæq; cuſtodię,
& Fernando infirmiſſimum omnium propugnaculnm Diui Ioannis(ſu-
um cuiq; propugnaculo fermè ab cæleſtibus patronis indiderant nomen)
cum fortiſſimis iuuenibus eſt datum . Per eoſdem fere dies , Mamudius,

ad vi-

A id viſenda opera militeſque animandos, cum nouo exercitu Dium aduenit. id ſuſpicatus è concurſatione plauſuque Maſcarenias, Fernandũ Caruallium è marino caſtello rem per exploratores iubet cognoſcere. Tranſmiſſi multa iam nocte nandi periti & ſpectatæ fortitudinis viri ſex, ad vicinam hoſtium ſtationem adrepunt; & è cuſtodibus vni manus inijciunt. ad cuius vociferationem cõcurſu facto, Luſitani duo treſve inter tumultum occiſi. reliqui, tenaciter apprehenſum vigilem, præualentes ipſi viribus, ad ſuos illicò tranſtulêre. Ex eo, de Regis aduentu cognitum eſt, itemque de conſilijs hoſtium nonnulla comperta. quibus rebus adeò nõ exterriti ſunt Luſitani, vt etiam per tenebras, crebro igne, bombiſque, & tubarum cantu ſigna effuſæ cuiuſdam gratulationis ediderint. Inde cùm admiratio cepiſſet hoſtes, auſi è proximis vigilijs percontari quidam (è diuturno commercio haud ignari linguæ Luſitanæ) quænam eſſet cauſa tantæ ac tam repentinæ lætitiæ. Reſpõſum ex arce eſt: efferri gaudio Luſitanos, quod Mamudium ipſum in caſtris verſari didicerint. quippe, hactenus cum fugitiuis & deſertoribus, miſtis ex omni colluuione, turpiter dimicatum. deinceps, cum Rege regnique proceribus multo honeſtiùs fore certamen. eo
B reſponſo irritati vigiles inuicem probra Luſitanis ingerere, ſeruitium Sofaris, æternas compedes, acerba ſupplicia minitari. Verborum iaculationẽ ferrea vtrinque ſequuta miſſilia. Per continuos dein dies, inſpectante atq; adhortante Mamudio, arcis mœnia quatiebantur. Sub teſtudine baſiliſcos (noxiorum plerunq; nominibus animantiũ hodie balliſtas appellare mos eſt) & alia id genus tormenta Mamudiani promouerant. ijs Thomæum, & Iacobeum propugnacula, & quantum inter vtrumque erat muri, cum ruinæ minis, ac terribili fragore feriebant. Minora verò tormenta, in ipſas potiſſimum feneſtellas ac pinnas obuerterant ita ſcienter, vt ſine præſenti exitio ſe vix quiſquam propugnatorum oſtenderet. Inter cæteros nobili viro Iacobo Gnaiæ (à quo multa de his rebus accepimus) in hoſtem collineanti globulus in fomitẽ fiſtulæ illatus; fracto impetu, oculũ ipſum quo collineabat, excuſſit. Puluis autem, eo erat artificio ac ſubtilitate perfectus, vt è flammis emicantes ouales pilæ, dolia ceſpite plena transfigerent. Mortarium etiam idoneo ſtatuerant loco (& peritiſſimus aderat librandi magiſter) inde immani ambitu globi triginta paucis diebus in arcem immiſſi, maore tamen incluſorum trepidatione, quàm damno: quod tum è genere ſoni
C tus, tum è magnitudine impendentis è ſublimi peſtis ac ponderis, plerique ſpatium ad præcauendum haberent. tecta fermè perforabantur, & diſſilientibus lapidum fragmentis nihil erat in proximo tutũ. magiſter dein fortuito ex arce telo perimitur. ſucceſſit huic artifex, nequaquã vſu vel ſcientia par. huius culpa recidentibus in caſtra globis, tres è Mamudianis obtriti: neque vltra exerceri machinam placuit: ita is terror amotus. Cæterùm ex alijs partibus haud intermiſſa verberatione aliquantum prociderat muri. & propugnaculũ Diui Thomæ, ſolutis cõpagibus, metuẽdo hiatu diſceſſerat. Aduerſus id malum interior murus latitudine pedum viginti maturè perductus. diruta prius ædificia materiam & ſaxa variæ magnitudinis præbuêre. A præfecto ipſo cum nobiliſſimis primùm admotæ operi manus: horum induſtriam cæteri deinceps acriter ſubſequuti: magnoque certamine continuata ſtructura, intra ſeptimum diem murus abſoluitur. Sub hæc Mamudius, longiorem quàm putarat obſidionem, & ſine vlla pacis mentione obſtinatos cernens Luſitanos, è ſuo comitatu Iuſarcanem ducem impigrum, & bellicæ compotem laudis, cum Abaſſina legione in caſtris reliquit. ipſe, procerum hortatu Madabam vndecimo quàm venerat die regreditur: verbo, ad expediendos commeatus nouumque ſubſidium: re vera, præter moræ tædium, metu quoq; perfuſus, quod è cognatorũ

numero quidam hoſtili glande traiectus, ad ipſius pedes exanimis corruiſ- D
ſet. At Sofar, incenſus dolore & rabie, quod nullam admodum inſignem operam præſenti nauaſſet Regi, præcelſam aliam ſtruem è ſaxo terraque, interſtratis ad firmitatem ramis ac frōdibus (vnde Ramoſa appellata eſt) erigebat; vt libero in arcem proſpectu, Luſitani præſidij diſcurſum ad bellica miniſteria, deſtinatis è ſuperiore loco ictibus impediret. Aduerſus eam perniciem, Maſcarenias, opportunitatē captans iaculandi, tormenta identidem alio atq; alio transferebat. turrim dein è regione creſcentis machinæ raptim excitauit. in eo præſidio poſitus Antonius Paſſanius cum fiſtulatoribus quadraginta; quot ipſe quamquam arctis in rebus priuato ſumptu propter diuitias ac ſplendorem alebat. ij ſumma contentione opus impedire iuſſi. id quò commodius facerent, nocturnis horis (quo maximè tempore muniebat hoſtis) ferrea candelabra permagna, crebræq; faces ad idonea loca diſpoſitæ: quæ, fuſo longè lateque lumine, cùm ſitum caſtrorum, genus operum, multitudinem hominum veluti diurna luce nudarent; magnus videlicet, vilium præſertim operarum interitus conſequutus. Sed ea erat agreſtis turbę copia, is ab tergo inſtantium atque vrgentium præfectorum terror, vt plagis coacti miſeri ſeſe volitātibus palam telis obijcerēt; ac E
peremptorū loca noui ſubinde recenteſq; ſupplerent. ita, nequicquam conantibus prohibere Luſitanis, ad ſummum perducta moles, & omni bellico apparatu confeſtim inſtructa. Inde, cùm arcis interiora in dies magis infeſta fierent, Maſcarenias ante ſacram ædem edito loco tumulum extollit: collatiſque eo tormentis, & ingenti præcipuè baſiliſco, Ramoſam ità quatefecit, vt magna cum ſuperſtātium clade proſterneret. neque ſtratam rurſum exaggerare auſi Mamudiani. Conatus dein omnis ad foſſas opplendas, & opera mœnibus ipſis iniungenda conuertitur. iam ad marginem vſque perduxerāt vineas. acceſsêre validis ex aſſeribus muſculi, quàm duriſſimo corio tecti, ſub quibus operæ ſine periculo commearent. Ex ijs muſculis tabulæ decliues ita prominebant, vti per eas deuoluta ex occulto ſaxa, truncique; arborum, & glebæ vltra mediam foſſam impetu ipſo ferrentur. Inter hæc Mamudiani per tenebras clara voce maledicere obſeſſis, quod more fœminarū intra ſepta latitantes, non haſta gladioue, ſed miſſilibus tantùm è longinquo rem gererent. at non hiſce artibus qui primi è Luſitania ad Indos venerint, gloriam quæſiſſe: non ita nuper Syluerianos bellum exercuiſſe: verùm in dextris & pede collato propoſitā habuiſſe victoriæ ſpem: neque ſe mœnibus, ſed armis mœnia tutari ſolitos. attamen ſibi nō eſſe dubium, quin eius deſidiæ, nō tam penes militē, quàm penes præfectū reſideat culpa. quippe qui communem ſalutem proprio timori prætexat: viroſq; (ſiquidem eius diſſimiles ſint) vitæ prodigos, laudis appetentes, ad conſerendam cum hoſte manū paratos, fame poſtmodum & omnium rerum inopia perituros, exemplo ſegnitiæ, & imperij vinclis intra munimenta cohibeat. Hęc & alia eiuſmodi ad excitandam ſeditionem, vel ad prouocandos ad temerariā pugnam Luſitanos, iactare ſub muris ac portis identidem barbarus, nimirū Sofaris iuſſu: quod magna eſſet in ſpe, ſi apertum ad certamen elici poſſent, paucis prælijs abſumptum iri omnes præſidij vires. Sed neque milites, in id vſque tempus obedientes duci, neque ducem, minimè leuem, aut bellicæ artis ignarum, admodum mouebant importuna & quotidiana cōuitia. Magis illa cunctos angebat cura, vt ingruenti à muſculis damno quàm primū obuiam iretur: quæ res magnas habebat difficultates. nā & coniectos è muris ignes coria reſpuebant: & maiorū balliſtarum vſum, quo vel maximè incluſi valebant, ſpatiū ipſum propinquitatis ademerat. His rebus anxio, multaq; apud animum ſuum agitanti præfecto, remedium tale in paucos tamen dies oblatū. Fornix erat in imis

mœnibus,

A mœnibus,ſimplici lapidum ordine in ſpeciem obſtructus.Eo animaduerſo,locum aperiri ac repurgari Maſcarenias imperat;poſtibuſque validiſſimas imponi fores.Immiſſi dein qui perpetuo egeſtu,ſuccedentes inuicem alij alijs,foſſam latentes exhaurirent:ac tradita per manus rudera ſilentio in arcem aſportarent.ij deciduam vndequaque materiam ita ſubducebāt, vt quàm integerrimum cumuli faſtigium,fallendi hoſtis cauſa, relinquerent.Quatriduum totum nocturnus diurno continuatus eſt labor.interea Mamudiani munitores fabrili bolide fundum ſubindè explorare.ac primò admirari cur minimè creſceret,neque reſpōderet operi aceruus.dein, poſteaquam magis etiam ac magis imminui ſentiebant (extenuatus quippe,demum aſſidua ſubtractione corruerat)noſcendi cauſa, periculo contempto,capita proferunt.Luſitanos,quæ iaciebantur,impigrè amolientes cernunt.confeſtim & è muſculis in foſſam,& è muris in muſculos tela conIecta.Et Sofar à præfectis fabrum admonitus aduolat.is,dum ad oram valli,in dextrum innixus cubitum, Luſitanam cryptam attentius contemplatur,ſuſpenſo & cogitabundo,nequaquam in ſpem tantæ rei miſſus ex arce globus,manum ſimul & ſinciput abſtulit.Ea vulgata re,tantus exercitum B inceſſit pauor,vt parum abfuerit,quin deſertis operibus vineiſque,obſidio ſolueretur.Obſtabat maximè Rumecan,ferox ingenio viribuſque,&odio nominis Luſitani à primis annis imbutus. Is,domeſtico luctu minimè fractus,celebratis more Mahometano paternis exſequijs;tum vniuerſos,tum ſingulos appellare:hortari ad perſeuerandum: tot iam exhauſtos labores; tantę molitionis opera ſudore perfecta;ex hoſtibus in ipſa paucitate perijſſe non paucos;&qui ſuperſint,vulneribus,fame,vigilijs, defatigatione confectos, hominum ſimulacra non homines,vix iam ſuſtinere arma,latitare in angulis, deſperato nouo ſubſidio fugā haud dubiè meditari.ſed & maritimos exitus,aduerſo anni tempore,&terreſtres,vallo & ſtationibus intercludi;immanes belluas indagine cinctas teneri;victoriam eſſe in manibus; tam propinquæ ſpei exitum nullo pacto deſerendum:tot nationum ſalutem,tantum diſcrimen opinionis in hac obſidione verti:ſi paulum adnitantur Mamudiani;& liberatæ Indiæ decus æternum, & nauatæ Regi ſuo operæ mercedem opimam laturos.Hiſce dictis animati plerique,Rumecanis conſilium approbant;in tanta tamque recenti cladē tantam animi magnitudinem vulgo admirantur.denique dum à Mamudio veniant mandaC ta,ſummam belli adminiſtrādi conſenſu militari ad eum deferunt.mittūtur ad Regem legati.ille per litteras iubet duces oppugnationē vrgere;noua identidem ſupplementa,confecti belli præmia pollicetur ampliſſima: prærogatiuam ſuffragij militaris de Rumecane confirmat. Luſitanis interim,cognita è fugitiuo quodam Sofaris nece, magna videlicet ſpes tranquillitatis affulſerat:ac,veluti pactis induciis,dum ſedatur in caſtris timor, vtrinq;otiū fuit.Sed mox nec opinato recruduit bellum,nouo imperatore adeo impigrè obeunte munia;vt Sofarem deeſſe,neq; hoſtes,neq; ciues vlla ex parte ſentirent.Ad foſſam pręcipuè aggerandam,ex patris deſtinatione curas intenderat.itaq; præter eam turbā quam in caſtris habebat,alia inſuper ex agris oppidiſq; multitudo contrahitur:ac turmatim diuiſa,ad tintinnabuli pulſum in orbē ſubit: neque iam è muſculis tantū,ſed propalam è vallo,cùm interea miſſilibus certaretur,variæ magnitudinis lapides, arbores totas,virgulta,ceſpitem iactāt:occiſorum cadauera,ne cęteri ſpectaculo terreantur,obruta ruinis accumulant.poſtremò,vineas ac vallum ipſum vndique prorutum,cum ingenti fragore deuoluunt:neq; iam vlla ope reſiſtere Luſitanus valebat.Fornix primùm aſſiduo iniectu materiæ obſtructus:dein,quod ſupererat ſpatij,quotidianis incrementis occupat moles.Inter hæc,Maſcarenias,tot vndique cinctus anguſtijs,nouum à Caſtrio

Prætore auxilium efflagitare per litteras nuntioſque,quos in apertum vi- D
tæ diſcrimen ſpeculatorijs nauigijs hyeme ſæuiente mittebat. Rumecan verò,quamquam libero iam ad mœnia ſucceſſu, cruentam nihilominus dimicationem proſpiciens;Simonem Pheum ſub muros miſit, qui varijs conditionibus popularium tentaret animos;Mamudij,& Rumecanis clementiam prædicaret; obſeſſisque,ſi abire incolumes animum inducerent, naues ad profectionem offerret.Ad ea cùm ferocius reſponderetur, negaretque Maſcarenias, cum violatoribus fœderum atque periurij,vllam ſibi pacis conditionem eſſe;confeſtim Pheus è conſpectu ſubtrahitur: coniectiſque per iram telis,Luſitani duo,qui ad colloquium pinnas muri fidenter aſcenderant,occiduntur.Poſtridie ſub veſperam è Mamudianis promptiſſimi,excelſos nauium malos tranſuerſis iunctos tigillis, ad Sancti Ioannis propugnaculum erigunt:elatiſque ſuper capita ſcutis, in ſummum enituntur.Fermè triginta iam aſcenderant,cùm Luſitani ad periculū propulſandum,ac demendum dedecus mutuò ſe cohortati,impetu capto,alios è corona præcipites dant;alios in ſcalis obnixos, contis detrudunt; detruſos,iaculis, & flammarum alimentis, & ſaxorum ponderibus obruunt. in horum locum ſuccedere conantes alij,pari defenſorum conſtantia re- E
pelluntur.pauci incolumes,magna pars ambuſti, aut vulneribus confecti recedunt.neque vltra tentari pugnam ipſa patitur nox.Paulo dein ſegnior obſidio fuit,dum ad ſummum certamen Mamudiani ſe comparant: accēſiſque vrbe tota luminibus obeunt templa, ſuumque Mahometem inani prece ſolicitant;multi etiam ſolenni vouent coniuratione, ſe non niſi victores ab arce redituros.In diem viij.Kal: Auguſti certamen edixerant. is Diui Iacobi Apoſtoli natalis eſt dies:quod ipſum victoriæ mox omen Luſitanus accepit.Vbi tempus affuit, Mamudiani inſtructis ante lucem copijs, ad arcem ſilentio primùm,vt fallerent;dein,poſtquam vigilare hoſtem sēsēre, magna cum vociferatione ſuccedunt. Luſitani præſentibus animis corripiunt arma,Sanctum Iacobum ingeminant;tentantes ab omni parte aditum hoſtes,igne,ferro,lapidibus prohibent; vbi plurimum periculi oſtenditur;ibi frequentiores obſiſtunt. Rumecan interea ſuis hortator adeſſe;alios caſtigationibus,alios promiſſis ac laudibus incitare, alijs voti ac iurisiurandi religionem incutere;acerrimè vtrinque prælium cieri; confuſus imperijs,minis,gaudio,metu clamor, itemque tremendus tormentorum ſonitus ad aſtra ferri;ſubeuntium audaciſſimi quique paſſim occum- F
bere.in Thomæū præcipuè & Diui Ioannis propugnacula ingruerat belli moles.Eò dum intenti propugnatorum oculi pariter animique ſunt,è Mamudianis interim eximia corporum agilitate complures, obſeruato æſtus receſſu,ad maritimum arcis latus,antequam diluceſcat, accedunt: perque præruptum,eoque deſertum ab hoſte ſaxum, partim brachijs humerisque, partim qua cautes patiebantur,ſcalis innixi,in arcem ſcandunt, inque ædium tectis Mahometana vexilla conſtituunt. dein,ſtolida capti auiditate,armorum atque hoſtium obliti, ad prædam illicò dilabuntur. Mulierculæ quædam, alijs omnibus ad pugnam digreſſis,in ea parte curabant. ex ijs nōnullæ virili animo arreptis haſtis,prædatores locorum ignaros, & incerto concurſu nocturnoque pauore perterritos, intra tecta coercent;aliæ ad opem à præfecto expoſcendam ad mœnia prouolant. Maſcarenias trepido nuntio excitus,ne pugnantium frangantur animi,ſilentium imperat; ipſe cum expeditis ad locum accurrit:ibi hoſtes partim in ædibus incluſos; partim in angiportibus errantes obtruncat.triginta fermè, cùm ſeſe conglobaſſent,ad vnum cæſi.cæteros ex arce deiectos, tum altitudo præcipitij, tū prominentes è rupe ſilices acuti dilacerant.intentiore dein cura locus cuſtodiri cęptus:& Maſcarenias,ab ea parte victor,in prælium feſtinè regredi-

tur; ſuis

Atur; ſuis laborantibus omni arte animos addit; neque verbis tantùm, ſed etiam corpore miſcet certamen; duciſque pariter ac militis partes egregiè ſuſtinet. Sex fermè horas dubia victoria pugnatum eſt. Ad extremum Rumecan ſuorum clade perculſus, receptui cecinit. Luſitani tantis defuncti periculis, primùm omnium Deo ſuperiſque, ac patrono præſertim Diuo Iacobo laudes, grateſque agunt: cæſorum deinde ineunt ſummam. è ſuis tantum modò ſeptem; ex hoſtibus comperiunt amplius mille & trecentos. capta etiã militaria ſigna non pauca. Chriſtianorum funus magno omniũ ſtudio celebratum eſt. Laudati pro cuiuſq; merito milites ac præfecti. Ludouicus Soſa, & Fernandus Caſtrius, quorum alter Thomço, alter Sancti Ioannis propugnaculo præerat, præcipuũ fugati hoſtis, arciſq; ſeruatæ decus tulêre. Antonius quoque Paſſanius, interiorem aggerem turremque magna cum hoſtium ſtrage tutatus eſt. Ac, fœminarum etiam, illo potiſſimũ die conſpecta virtus: è quibus aliæ furtiuo, vti dicebamus, aſcenſu trãſgreſſum munimenta hoſtem Maſcareniæ trucidandum obiecerant; aliæ ad mœnia dimicantibus viris arma & ſaxa, itemque faſcias & medicamenta ſuggeſſerant, verſatæque inter ipſam dimicationem erant adeò pertina
B citer, vt ſauciæ nonnullæ conſtanti dextra ſibi ſpiculum euellerent, plagiſque obligatis ad inſtitutum redirent. Is, bene iuuante Deo, pugnæ illius exitus fuit. Secundùm eam pugnam, obſtinatis vtriuſque partis animis, aliæ deinceps haud abſimili euentu pugnatæ. in ijs, præter cætera tormenta ferrumq;, ardẽtibus maximè iaculis certabatur, maiore oppugnantiũ, quàm defenſorũ pernicie. quippe goſſipio, quo Indi ad veſtẽ vtuntur, ignis tenaciter adhæreſcens, momento excitatum incẽdium per confertos manipulos cuneoſque latè fundebat. quos autem flamma comprehendiſſet; ij, abiectis armis, cùm ſimul veſtimenta proijcere non valerent, cæteroſq; ab ijs adiuuandis exuendiſve, ſui quemque periculi metus auerteret, cæci amenteſque crebro cum gemitu, incerto veſtigio, extra ordines ferebãtur. Hinc, deformatos vultus; exuſta lumina; pendentem è nudatis artubus cutem, ac velut in lora diſſectam; horrendo ſpectaculo cerneres. At Luſitanum multo minus lædebat ignis, amictu laneo, & inſuper ocreis & chirothecis ac thorace munitum. & corio deficiente, præfectus, in eundem vſum, è pellibus inauratis periſtromata pretioſa militibus diuidenda curauerat. Ex eo
C tempore Mamudiani cùm aperta parum proficerent vi, ſubterraneis operibus (& ſuppetebat ad omnia multitudo) occultè graſſari conſtituũt. Cuniculos plures ad arcem agunt. interea, vt ab ſenſu operis Luſitanũ abducãt, fabros cum dolabris ad ſuffodiendos muros quàm tumultuoſiſſimè ſubigunt: maiores globos cum fragore terrifico ac denſa fumi caligine iaculãtur. Porrò cuniculorum diſpar, neq; vno tempore fuit exitus. alij ſpecubus puteiſq;, quos Maſcarenias maturè in id ipſum effoderat, inutiles facti: alij non interrupto ſucceſſu ingentibus detrimentis rem Luſitanam affecêre. Longè pernicioſiſſimus omnium fuit is, quem ad Sancti Ioannis propugnaculum præcipua contemplatione direxerant: is vt infra fundamenta peruenit, locum tormentario complent puluere: eiuſdemque puluueris tãquam inſtitas ad cuniculi os perpetuo tractu perducunt. Poſthæc, veluti ad vltimam oppugnationem inſtructi, ſub ſignis ad eam maximè partem ſubeũt arcis; ac vix tentato conflictu ſe ſe recipiunt. dein rurſus accedunt recedũtque ſimulato metu, nimirum vt è Luſitanis quàm plurimos, propugnandi ſpectandique ſtudio in fraudem illiciant. Tum Maſcarenias, ratus id quod res erat, hoſtem dolo non metu pedem referre; mittit extemplò qui Fernando Caſtrio & reliquis præſidiarijs nuntiet, quàm primùm ex eo loco ſe cedant: hoſtilem trepidationem in tempus fictam: aliquid profectò occultæ machinationis ſubeſſe. illi, & vigore ætatis, & ſuperiorum dierũ victoriis

nimium

nimium ſibi præſidentes;qua Indorum ignauiam irridere, qua præfecti ſeu D
monita ſeu iuſſa contemnere.Graue piaculum contumaciæ dedit nobilium cohors.nam ſimulatque frequentes in turri conſpecti ſunt; ignem cuniculo Mamudiani raptim inijciunt.is à primo aditu ad inteſtina momento perlatus,multiplicatis in arcto flammis,& in apertum impetu vaſto enitentibus,euulſam ab radicibus turrem cum terribili ſtrepitu qualis ex Aetnæ cauernis interdum cieri ſolet,in altum ſuſtulit, longeque ac latè diſiecit.è ſuperſtantibus alios,volitantia ſaxorum fragmenta dilacerãt: alij, ſub lime quantum prope oculorum ſequi acies poſſet elati,dein ad terram afflicti,ſuo & armorum pondere conteruntur.alios,dira ignium vis,tamquã tormento excuſſos ad hoſtem vſque proiecit: quorum interitu nequaquã expletis odijs barbari, inanima & mutilata cadauera tum inceſsũt probris, tum ſparis & gladijs crudeliter fodicant.Viginti fermè ex ea ſtatione tantæ cladi ſuperfuêre:ad centum extincti, in Ioannis Regis familiam adſcripti plerique,& claris orti natalibus. quo in numero Fernandus Prætoris filius fuit.corpora dein conquiſita mulieres terræ mandarunt. Cæterum vixdum reſederant flammæ, cùm per ſtragem ac ruinas Mamudiani cõnantur in arcem irrumpere.aduerſus eum impetum quatuor è ſuperſtiti- E
bus raptim oppoſuêre ſeſe:nam reliqui incendio afflati,& recenti malo attoniti ac ſopiti iacebant. & cum pugnaciſſimis aliquot Maſcarenias confeſtim accurrit. huic manipulo ſacerdos effigiẽ Chriſti Domini è Cruce pendentis intrepidè præferebat.eius admodum pijs adhortationibus, & occulta nimirum è cælo vi,non dubiè confirmati erectique Luſitani,tumultum ac periculum pugnæ ſuſtinuêre,quoad opere tumultuario murus interim ab tergo ingenti aliorum ſudore ac certamine obiectus eſt : & imminente iam nocte,Mamudiani,multis item è ſuorum numero amiſſis & ſaucijs,incepto irrito receſſerunt.Eius diei caſu admoniti reliqui præſidiarij, exinde cautius in muris agitare, atque ad primas talium incendiorum notas abſiſtere.itaque & Iacobæa &Paſſania turris,item ſubditis ignibus,nullo defen ſorum interitu prociderunt.Thomæa verò(nam eò quoque cuniculus penetrauerat) procumbentibus in foſſam ruinis,paratos atque imminentes in irruptionem trecentos è Mamudianis oppreſſit. Atque huiuſce machinationis in vniuerſum fermè hic erat euentus, vt Mamudiani introitu excluſi,ſpatia ſaltem obſeſſis eriperent, & intra mœnium excidia ſubitarias munitiones raptim excitarent:Luſitani contra, & per patefactum ruinã i- F
ter conantem tranſcendere hoſtem,virtute atque armis arcerent;& nouũ introrſus pro diruto murum ſumma contentione reficerent. Inde anguſtior in dies arx fieri,&vix ad explicandos ordines relinqui locus. Quatuor iam menſes obſidionem pertulerant Luſitani, cùm ex adeo paucis aliqui fermè quotidiè aut vulnerarentur,aut caderent. Acceſſit inopia & fames, frugibus carnibuſq; conſumptis:& præter fœda animalia, quicquid etiam erat fruticoſum aut herbidum,in alimenta conuerſo. hinc vulgo ingruerant morbi:feſſiſq; & animis & corporibus, qui arma tractare poſſent,vix centum & quinquaginta ſupererant.atque ij admodum ægrè continebantur,quominus in hoſtium ſtationes vltrò impetum facerent, vitæque miſerias & ærumnas honeſta morte finirent. In hoc rerum diſcrimine diu exſpectatum ab Goa ſubſidium aduenit. naues quinquaginta Bazainum facili tenuerant curſu.Aluarus Caſtrius Prætoris item filius,& Franciſcus Meneſius præerant. inde Aluarus cum meliore parte claſſis Dium protinus antecet.reliquæ,carptim,prout agilitate vel robore quæque præſtabant, captatis tempeſtatibus,ante Septembris exitum ſubſequutæ. armati ſupra nongentos cum omni rerum copia in arcem expoſiti. quę resLuſitano maiores quam pro viribus animos fecit.Auxit ferociam,baſiliſcus, qui demer

ſis in

A sis in ruina rotis inhæserat, cùm eum ad se iectis funibus Mamudiani attrahere niterentur, prospera pugna retentus. Ex hoc indignari postremus quisque, & accusare primos, quod hostium conatibus non statim ex arce obuiam ierint, quod opera mœnibus applicari, munitiones transferri, se se in tantas angustias cogi permiserint. recensere victorias (vt de Europa & Mauritania silcatur) ad Sofalam, Quiloam, Goam, Malacam, Armuziam, Calecutum, ad Repelini vada, ad Dium denique partas; ingentes barbarorum exercitus parua sæpe manu fugatos; peruagatum Africa atque Asia tota nominis Lusitani terrorem; scilicet quò tanta decora, tantæq; laudes, in vno demum præfecto atque in vno præsidio pereant. tuendum omnibus viribus quod à maioribus acceperint patrimoniũ dignitatis ac famæ. viriliter tandem erumpendum in hostium castra, & dignum aliquid rebus olim gestis & vetere gloria perpetrandum: quicquid ad eam diem acceptũ in arce sit damni, id fraude, cuniculis, tormentis illatum: si vera virtute, manu, & gladijs decernatur; Lusitanum impetum, & micantia ex propinquo arma Indos hauquaquam laturos: hæc initio pauci; dein velut ex contagione plures quotidie palam in circulis & contubernijs fremere; & in Mascaren
B reniæ cunctationem qua vera, qua falsa iactare. Postremò ad eundem conuenire frequentes; pugnam efflagitare; minari, si diutius torpeat, se quemlibet alium vel ex argilla ducem haud dubiè sufffecturos. Mascarenias contra, lenire furentes; de hostium genere numeroq; differere; iam nunc abũdare commeatu arcem; custodes vti ad hostem lacessendum paucos, ita ad prohibendum sat multos adesse; hyemem maxima ex parte circumactam; vniuersas ab Goa copias propediem affore; tum demum certioribus victoriæ præmijs, & minore suorum detrimento prælium inituros. Hæc & alia in eandem sententiam, surdis canere Mascarenias: adeo certamen penitus imbiberant animis plerique: nec deerant, qui ab insito liuore, solutæ obsidionis gloriam præreptam Ioanni Castrio cuperent; atque ad profligandos Guzarates eguisse Prætoris ipsius auxilio nollent videri. Mascarenias,
» vt inflatos inani fiducia, fixoq; in audaci proposito animaduertit; Aequũ
» fuerat (inquit) ciues, militem ab duce regi, non regere; exspectare signa, nõ
» extorquere; scire, quæ ad rationem gerendi belli pertineant, præfecto & cõ
» siliarijs curæ esse. Nunc, quando mihi prope manus inijcitis, & seditionem
» vultu verbisque præfertis; vincat sanè maiestatem imperij, inconsulta spes,
» & libido. ite, quod superi bene vertant: virtutem istam, lacertosque, & ar-
C morum scientiam expromite. ego, quos agere debueram, sequar; & quam-
» quam alieno tempore, tamen partem periculi ac laboris vobiscum vnà ca-
» pessam. Vos modò videte, vt quos ante pugnam spiritus atque ardorem ostenditis; eosdem in ascensu valli postmodum, atque in ipso conflictu præstetis. Cùm hæc dixisset, provt in arcto licebat, copias instruit: primam aciẽ Aluaro Castrio; alteram Francisco Menesio dat; cum cæteris ipse, modica manu ad custodiam arcis relicta, subsequitur. Facta secundum euripum eruptione (nam ex ea parte latior patebat exitus) ferociſſimi quique vallo succedunt; ac defensoribus primo impetu perculsis aut deturbatis, ingenti ardore transiliunt. dein, signo ab hostibus dato, cùm noua identidem subsidia è castris affluerent, atrox esse prælium cæpit: & qui nondum transcenderant Lusitani, cùm proculcatæ priorum pedibus lætiores herbæ, altitudinem nudassent valli, quod ex arce prospicientibus nuper humilius apparuerat; icti re subita, primò hæsitare, dein, hoste imminente, fugam aut latebras circumspicere. Tum Mascarenias: Hæccine pugna est, quam poscebatis? increpitans; ante discrimen feroces, in ipso discrimine timidos & ignauos appellans; ad opem laborantibus ferendam frustra conatur accendere. Inter hæc Menesius intra vallum acriter dimicans,

tans,& circa eum aliquot principes Lusitanæ iuuentutis occumbunt. Ar- D
uarus Castrius saxo percussus,cedente ad ictum galea cùm attonitus cecidisset,Mascareniæ interuentu seruatus est.Neque vltra sustineri superfundens se ex omni parte castrorum,poterat multitudo.Lusitani cùm vndiq; pulsi transfigerentur,& oppugnari è diuerso latere arcem,seu consilio seu temere sublata nuntiaret vox;nequicquam obsistente Mascarenia,nullius nisi vitæ memores ad mœnia portasque præcipiti cursu vertuntur.cupientem simul inuehi Mamudianum tormentis è muro deterrent.Hic temeritatis eruptionis euentus fuit.Exinde suo ipsi conatu segniores facti (vt in cõtrarium sæpe migrant vitia)vix pro muris obire stationes, vix recenti successu elatis,& subinde arcem aggredientibus Indis obsistere:quoad refectis tandem ex pauore animis,rursum alacres, & obliterandæ ignominiæ cupidi,ad consueta munia redière.At Mamudiani, quò se magis magisque obfirmatos ad continuandam obsidionem ostenderent;atque vt expeditiores ab continenti commeatus haberent;euripo ad Rumæpolim, iactis vtrinque molibus,alterum pontem imponũt ea magnitudine ac firmitate, vt quamlibet onustas vehes tutò ac largè transmitteret.Simul,dies noctesque fatigare ac premere Lusitanum;stantes muros frequenti verberatione E concutere;quæ minus commodè ballistis labefactari possent;in ea subditis ignibus calefacta, syphonibus acetum immittere; putrefacta continuò excindere ferramentis;igniferos è stupa,gossipio,& sulphureo puluere globos in tecta conijcere;denique cuniculos, quod ea res prosperè cessisset,ad arcem vniuersam euertendam pluribus simul locis agere. Aduersus ea, Mascarenias,operarijs auctus,non vna regione item obliquas aduersasq; excauare fossas;tormentis ac missilibus ab omni parte hostes impetere;intergerinos ædium parietes perforare; qua tecti milites & mancipia commearent.Iisdem ferè diebus,quibus hæc ad Dium fiebant, Goam de Fernãdi & commilitonum clade nuntius affertur.inde grauis mœstitia simul & metus ciuitatem incessit.Prætor, quamquam acri doloris morsu perstrictus,tamen ad cæteros animandos,lugeri filium vetuit.ipse nitens purpura & ornatu alio sumptuoso,in campum vnà cum proceribus,velut animi causa,processit.ibi,tum in gyros flexo,tum cursu & saltibus incitato militariter equo,malum subinde Mamudianis interminans,cunctos vultu & oratione confirmat.mox in classis apparatum omnes de integro curas ac neruos intendit.ac mitescente iam hyeme, Aluarum Acuniam nauibus F quinque,in quibus præter magnam instrumenti bellici vim,fistulatores erant quadringenti,protinus iubet obsessos adire,ac suo nomine prohibere quominus ante vniuersæ classis aduentum,pedes è munitionibus efferant: sese paratis omnibus ad pugnam rebus breui affuturũ.Cum ea manu profectus Aluarus,circa Dium in aliquot naues Arabicas incidit.ijs mercenaria variarum gentium auxilia propinquus Sofaris quidam ad exercitum subuehebat.Aluarus,commisso feliciter prælio,naues expugnat. captum ducem in arcem infert.huic magnum auri pondus ad redemptionem frustra offerenti,vnà cum primoribus abscissæ ceruices.capita in euripum cõsultò proiecta,vt in conspectum vrbis æstu accedente ferrentur. perlata atque agnita,iram in Lusitanos ac rabiem hostibus acuêre.At Prætor, appetente vere,Bazainum oppidum nauarchis & militibus ad conueniendum edixit.atque ad cæteros excitandos eodem ipse confestim celocibus circiter quadraginta contendit.Coactis omnibus copijs,quæ contrahi è vicinis regionibus potuêre(ij fuêre præter naualem & aliam turbam, Lusitani bellatores mille quadringenti,Canarini auxiliares trecenti) Cambaicam orã ferro igniq; perpopulatus, ad Mortuorum insulam nauibus circiter octoginta peruenit. Huc euocato Mascareniæ mandat,vti ad exscensionẽ

cuncta

A cuncta quamprimum expediat, ac ſine intermiſſione tormentis vndique vallum hoſtium,& denſos aggeres quatiat,ruinaque patefaciat in vrbem iter.Dictis obtemperatum,& paulò poſt Prætor incolumi claſſe ſubſequitur.Ab auerſa parte arcis per triduum ſine tumultu expoſitus miles. naues portum inuectæ,quàm maximè tuto ab hoſtium telis receſſu conſiſtunt. Prætor, omnium poſtremus in terram egreſſus, vti munitiones intrauit; mirari faciem loci: ſolo æquatas turres ac propugnacula; alicubi nullum foſſæ veſtigium; inædificatos mœnibus ab hoſte muros, duaſque propemodùm ex vna arces factas. contemplatus deiñ, quatenus licuit, hoſtilia caſtra, adhibitis proceribus; de ſummâ belli conſultat. Erant qui differendam eruptionem, & reficiendum è maritima iactatione ſuaderent militem. ipſe, ratus ad nominis Chriſtiani dignitatem pertinere,ne vno quidem die Prætorem Luſitanum ab Indis clauſum teneri; nulla interpoſita mora certamen experiri conſtituit. militibus edicit; curatis maturè corporibus tertia vigilia præſto ſint. Aream; detractis valuis,ne qua in receptu ſpes vlli foret; Antonio Correæ cum idoneo præſidio inter prælij tempus tuendam adſignat:conſilio deiñ adiuuat rem, quod conſi-
B lium haud dubiè victoriam peperit. Turris erat ad dextrum vrbis latus,qua in apertum mare proſpectus eſt:Sylueriánam appellabant.ad eam quatiendam, quaſi ex illa parte deſcenſio quæreretur, dromones pridie miſſi tres; è ſalo eminus muri partem vehementi iaculatione diruerant. id vbi cognouit Prætor, Nicolao Conſaluo, impigro viro, & rei maritimæ in primis perito, mandat,vti naues quæ remis agantur, præter nautas ac libratores, imbelli turbâ, lixis & calonibus impleat: ij pariter ac nautæ haſtas erectas ſinguli binas: remiges altera manu remũ, altera accenſos funiculos teneant:libratores tormenta in hoſtem veluti ad oppugnationem exerceant. Hoc modo inſtructam claſſem iubetur Conſaluus ad inſulæ alterum latus, de quo dictum eſt, paulo ante lucem admouere; vociferatione, bombarda, tympanis, tubis, quàm maximum ſtrepitum ac tumultum ciere,alijs alijſque ſubinde locis deſcenſionem oſtendere, multimoda arte hoſtiles diſtinere copias. Hæc mandata Conſaluo. cæteris item præfectis,prout quæque res poſtulabat, ſub veſperam edita imperia. Rumecan, haud ſatis certus qua potiſſimum ex parte Luſitani eſſent eruptu-
C ri; ad omnes aditus æquè terreſtres atque maritimos, tormenta vigiliaſque diſponit; telorum omnis generis ingentem copiam in muros aggereſque comportat:auget munitiones:&,qua ex euripo deſcēſus ad oppidum eſt, præaltas foſſas leui ſuperiniectu ramorum ac terræ latenter occæcat. Externi ſelectique militis (præter Guzaratas Indoſque, quorum maior multo erat numerus) in eam curam ac ſumptum acriter incumbente Mamudio, viginti millia in armis habebat. Ex ijs ipſa robora ad primos impetus excipiendos in fronte caſtrorum locat,firmatque ab tergo ſubſidijs: Cumęum pontem ſeptingētis militibus inſidet; reliquam multitudinem, quò clamor,quò ſigna aduocarint;paratam ad omnia occurrere iubet.Rebus ita prouiſis, tanta virium ſuarum Mamudianos cepit fiducia,vti Luſitanorum paucitatem conatuſque irriderent,vixque vniuerſæ pugnæ ſubituros aleam crederent. Luſitani contra, vti Chriſtianos decet; vno Deo maximè freti, nihilominus expediunt arma : atque ad conſictum tempus ante Prætorium armati conueniunt. Dies erat iij. Idus Nouembris, Diuo Martino ſacer.Tum loco excelſo, vt vndique conſpici poſſet, Antonius Caſalius Franciſcanus inſigni pietati ſacrificat;Deumque precatus, vt in hoſtes Eccleſiæ ſacroſanctæ, formidinem ac terrorem auerteret; Chriſtianos,quò alacrius capeſſant pugnam, noxis omnibus Pontificia poteſtate expiatos abſoluit.Eoſdem, Prætor,quod pluribus agendi ſpa-

tium non eſſet, paucis adhortatur, vti Chriſto duce, cuius tueantur cauſam, forti ac fidenti animo prælium ineant. Ioannem ipſum Regem, vniuſ cuiuſque virtutis vel ignauiæ primò teſtem & ſpectatorem, mox remuneratorem aut vindicem adeſſe putent. Indici totius imperij ſummam in eius diei certamine verti nil ambigāt. poſtremò ſciant, præter naturam loci, ab ſe quoq; diligenter prouiſum, vti ſegnibus timidiſq; nullum neq; terra, neque mari effugium ſit. Ex arce detractas fores, è portu naues in expeditionē emiſſas. Magnanimis, certam vel in morte victoriam, vel in victoria ſalutem & prēmia conſtituta. Cū hęc agerentur, iam Nicolaus Conſaluus claſſem è compoſito ad alteram partem inſulæ circumegerat: variiſq; (vti conuenerat) locis deſcēſum & oppugnationem oſtentare pergebat. & nox adiuuabat inceptum, ex incerto ſpeciem omnium multiplicem oppidanis intuentibus reddens. & in Prætoria ſublime vexillum, ac lumen in puppi, ad hæc, denſi tota claſſe ignes, tormentorum fragor, micantiaque arma, & miſtus hominum vocibus ac tympanorum pulſu tibiarumque concentu Martius tubarum ſonus; Caſtrium cum omni exercitu adeſſe monſtrabāt. Eo terrore Conſaluus omnium oculos in ſe conuerterat: vt non ex vrbe tantùm, ſed etiam è caſtris, armatorum agmina, relictis præſidijs ad mare concurrerent. id vbi à ſpeculatoribus accepit Prætor, in primo tumultu, antequam dolum clarior proderet lux, inſtructas, prout anguſtiæ loci ferebant, copias, (fermè tria erant hominum millia) pluribus ſimul portis emittit. primum agmen ducebat Maſcarenias è veterano milite, ac perito locorum, atque ad eius imperia dudum adſueto: acceſſerant è reliquo exercitu quadringenti. cum cæteris modico interuallo ſequutus eſt Prætor. Cingebant latera ſpectatæ fortitudinis viri. Vnà Caſalius ornatu quàm auguſtiſſimo trabeatus, Chriſti ad Crucem affixi attollens imaginem, cōcionabundus aderat. Eius hortationibus inflammati Luſitani, ſimulque diuina & humana pleni ſpe, clamore conſentienti ad caſtra ſuccedunt: ac ſemiplenas adorti ſtationes, è vallo deijciunt: & partim ſtratos, partim integros aggeres muroſque, ſcalis, contis, humeris innixi tranſcendunt; hoſtēque obuium, haſtis, gladijſque conficiunt. Ad eius rei nuntium Rumecan vacuam ratus arcem, cohortes aliquot ad eam occupandam circuitu capto iubet extemplò contendere. ij, ab Antonio Correa, quamquam patentibus portis, magna cum cæde pulſi. Alia item manus ad opem caſtris ferendam à mari ſubmiſſa. inde aliquot locis atrociter dimicatum eſt. id adeò ex ipſa vulnerum fœditate perſpici potuit. Coſmo Paiuæ gladio femur abſciſſum. Vaſæo Fernando; cùm ſeſe in hoſtes acrius immiſiſſet; deciſus ab tergo thorax, perque plagam nudata vitalia: cuidam, quod ſuper aures oculoſque eminebat, à reliquo capite, prope ad oſtentationem artis, vno acinacis ictu diuiſum eſt. Circa vnam item è turribus, qua Prætor ipſe conſtiterat, multum ſanguinis fuſum: & vexillifer Eduardus Barbutus, inter ſcandendum ter ab hoſte præcipitatus, repetito quartùm conatu in pinnas euaſit, ibique per vim Luſitana ſigna conſtituit. Exinde ingens Mamudianos inuaſit pauor, & fuga paſſim fieri cæpta: perterritis, hinc Prætor, illinc Maſcarenias pertinaciter ab tergo cum ſuis inſtant, immiſtique fugientium turbæ eodem impetu in vrbem irrumpunt. ibi redintegrata pugna, & æquis aliquandiu viribus mercenarij ac transfugæ maximè reſiſtebant. Vrgente dein vehementius Luſitano, quantum ſe inuehebat hic, tantum illi de loco demoti. atque vti denuò inclinarat certamen, Luſitana vis vltra ſuſtineri non potuit. Fuſi Mamudiani, inſula trepidè relicta; ſuper alium alij ex vtroq; ponte ſeſe in continentē eijciunt. multi in turba obtriti, multi à perſequentibus interfecti. Caſtris & oppido Luſitanus vno die potitus. in oppidanos deinde nullo diſcri

mine

A mine ſexus ætatiſve ſæuitum eſt. Maſcareniæ præcipuè cohors, dolori atque iracundiæ paruit: Mahometicamque perfidiam, cæſos tot prælijs conmilitones,& diuturnæ obſidionis mala ad ſatietatem vlta eſt. armati iuxta & inermes, pueri ſeneſque, viri pariter ac fœminæ trucidati. vſq; ad brutorum animantium cædem atrox ira peruenit. regium Cambaiæ vexillum,& alia ſigna relata complura. caſtrenſis æquè atque vrbana præda militi ceſſit. vtrobique tabernas apertas, paratam expoſitamque rerum omnium copiam; triclinia ſtrata,& appoſitos cibos, velut in media pace(adeò Luſitanum Indus contempſerat)inuenerunt. Simon Pheus & ſocij, ad catenas demendas fruſtra quæſiti. ab irrito ſub muris colloquio Mamudiani Madabam vinctos attraxerant. hoſce dein,& vnà ciuem Goanum Athanaſium Frerium cum militibus viginti, dum lembo Dium peterent, vitem peſtatis ad Surratum nuper eiectos, ab nuntio cladis acceptæ Mamudius rabie furens iugulari omnes iuſſit. in ciſternam proiecta cadauera. Cæterùm in prælio è noſtris deſiderati circiter ſexaginta: ex hoſtib⁹ ad quatuor milia. Rumecan imperator(incertum à quo peremptus)inter cæſorum aceruos gregali amictu vix tandem eſt agnitus. ſexcenti viui, in ijs principes

B aliquot, in poteſtatem venêre. Præter innumerabilem armorum ac telorum copiam, ænea tormenta maiora in caſtris reperta quinque & triginta, è quibus vnum Arabicis inſcriptum notis, rudi opere factum, ſed inuſitatæ magnitudinis, in armamentario Oliſiponenſi cõſpeximus. Clara admodũ & glorioſa Luſitanis hæc quoque victoria fuit, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium & fama: celebritatem auxêre diuina miracula, quod hoſtes ipſimet affirmarent, conſerta iam pugna, maiores aliquot baliſtas, applicitum quater ignem, cælo minimè pluuio, reſpuiſſe. & ſuper ægor ita adſpicientium oculos menteſque perſtringeret; vt, cæci propemodum, neque in ordines ire, neque in vnum conglobare ſe poſſent; ac tanto ſuperiores numero, tamen, immutata repente rerum omnium ſpecie, in denos Luſitanos pugnaturi ſinguli viderentur. inde conſternationem, & fugam ortam. Prætor, ab tam felici euentu primùm Deo ſupplicationes habendas curauit. collaudato dein exercitu, laureatas ad Ioannem Regem litteras miſit, militumque ac ducum virtuti minimè malignè teſtimonium tribuit: inde hoſtiles omnes munitiones æquauit ſolo: pontes

C quibus inſula continenti iungebatur, interſcidit. Simul, ad reficiendam augendamque arcem, admotis ipſe ante alios manibus, cunctos accendit: atque vt ingenti labore militum; ita non magno ſumptu, intra paucos menſes partim repurgatæ ruderibus foſſæ; partim etiam turres ac mœnia reſtituta: ijſque, ad extremum, laxiore circulo noua foſſa nouique muri circundati. Hiſce rebus peractis, & ſtipendio militibus perſoluto, Prætor ineunte autumno victor Goam inſolita omnium ordinum gratulatione reuectus eſt. Per eoſdem fere menſes Idalcan in Bardeſianos & Salſetanos fines, eadem qua nuper ijs Luſitano ceſſerat leuitate, ad vectigal portoriumque exigendum armata manu procuratores immiſerat. Aduerſus hoſce, modicis copijs Prætoris iuſſu profectus Iacobus Almeida, eiectos ex agris, Pondam trepida compulit fuga, caſtellum, vti ſupra docuimus, magnis operibus ab Azedecane munitum. ijs cùm ab Idalcane ſubſidia mitterentur, Caſtrius ipſe cum duobus millibus peditum, equitibus ducentis in ea loca traiecit. Ad eius aduentus famam, pauidi hoſtes, ne exſpectata quidem oppugnatione, caſtello agriſque exceſsêre. Caſtrius Ponda recepta & euerſa, Goam redijt: inde aduerſus Mamudium reparantem bellum, protinus claſſe contendit lemborum aut biremium centum & viginti, quibus Luſitani mille octingenti, & è ſocijs Naires quingen-

ti vehebantur. Cum hiſce copijs in Cambaiam delatus; alijs atq; alijs locis D
milites ſub ſignis ad populandam oram agroſque duxit. Cùm diu nemi-
nem obuium habuiſſet armatum; ad Barocum denique vrbem cum equi-
tum millibus quinque acie inſtructa ſe ſe illi obiecit Mamudius ipſe Rex.
Turritos elephantos, & curulia tormenta in prma fronte locauerat; poſt
elephantos in dimidiatæ Lunæ figuram inſtructo equitatu ſubſtiterat. Ne-
que Caſtrius detrectauit certamen. Vbi ad teli iactum eſt ventum, repen-
te Mamudiani referunt gradum, haud tamen confuſis turmarum ordi-
nibus; & intra conſpectum hoſtium, loco remotiore conſiſtunt. Tam
ſubiti receptus cauſa in occulto eſt. Sunt qui ab Turca quodam ex præfe-
ctis monitum dicant Regem, ne florem nobilitatis, & vnà ſuum ipſe caput
furentibus rabie ac temeritate Luſitanis obijceret. Sunt qui putent eo con-
ſilio receſſiſſe, vti auiditate pugnandi pertractos intra ſua præſidia Luſita-
nos, ex omni parte circumueniret. ſiquidem è toto regno copias ingentes
equitum peditumque in loca vicina contraxerat. Vtcunque ſeſe habeat
res, Caſtrius ad oſtentandam fiduciam, integris item ordinibus, aliquantu-
lo ſpatio cedentibus inſtare perrexit: dein torrente deſuper Sole, armiſque
degrauantibus, expreſſa ab hoſte Rege timoris confeſſione contentus, in- E
columem exercitum præter oculos Mamudij, cum plauſu cantuque ad na
ues reduxit. Patanem inde Arabum coloniam metu ab incolis relictam,
itemque Patem eiuſdem tractus oppidum celebre, & alia emporia multa,
plurimas naues incendit: magnum mortalium numerum partim occidit,
partim cum alia omnis generis præda captiuos auexit: ſata, villaſque, &
conditas horreis fruges exuſſit. Eam vaſtitatem per ſe grauē, ſpatium tem-
poris grauiorem fecit. Tres ferè menſes circumlatus belli terror ac popu-
latio: & Mamudij conatus in multum tempus ea clade repreſſi. Inde Præ-
tor confirmato Dienſi preſidio, renauigans Goam, ex itinere Dabulum op
pidum Idalcanis maritimum vi cepit, direptoque flammas iniecit. Idal-
can, abſente Caſtrio, in Salſetanum rurſus agrum, externorum magna ex
parte militum octo millia miſerat, equites ſeptingentos. Abaſſini erant,
Arabeſque Turcis immiſti. Duces ijs quinque pari imperio præerant, ita vt
pluribus ſententijs in decernendo ſtaretur. ad Marganum vicum munie-
rant caſtra. Prætor, vti Goam inſulam attigit; priuſquam vrbem intraret,
nouis copijs auctus, ab Agacino (id loci nomen ad veteris Goæ ruinas) illi- F
cò in Salſetanam terram tranſmiſit ratibus. Luſitanorum peditum duo
millia, equites centum & octoginta; pedites Canarinos ex eadem inſula
Goa item bis mille; Naires ſagittarios peltatosque trecentos ducebat.
Eius aduentu cognito duces hoſtium ſilentio noctis in locum natura tu-
tiorem ſe recepêre. à fronte fluuius, ab tergo mons editus claudebat. eo-
rum veſtigijs acriter inſiſtens Prætor, in caſtris ab hoſte deſertis ea nocte
conſedit. ibi refectus ex itinere miles. Poſtridie, diuiſis quadrifariam co-
pijs, intentus prælio ad hoſtem ducit. Luſitanos interim, tanquam
non cum armatis ac pluribus dimicandum, ſed quaſi par pecorum grex
mactandus foret, accenſa cupiditas inuaſerat pugnæ: miniſque ac denun-
tiationibus plerique ad ſigna contineri vix poterant. ex ijs quinquaginta
fiſtulatores, inconſulto Prætore, deuijs callibus antegreſſi, flumen vado
traijciunt, intercluſique ab ſuis temere hoſtem laceſſunt. in eos contí-
nuò Arabicus equitatus emiſſus; cumque pauci à pluribus premerentur,
atque retro ad flumen trepidi cederent; conſpicatus laborantes Prætor,
ad opem circumuentis ferendam amne tranſmiſſo cum paucis equiti-
bus aduolat: perque ignium riuos, quos iactæ à Mahometanis ardentes
duxerant ollæ, perque media tela hoſtem aggreſſus, tandiu ſuſtinuit pug-
nam, quoad ab tergo reliqua ſuperueniret acies. Eo primū certamine (ita

per lit-

A per litteras iusserat Rex) cum Sancto Iacobo, Diuus quoque Thomas Apostolus inuocatus. & is ipse dies fortè natalis erat Apostoli, XII. Kalend. Ianuarias, quæ res animaduersa, fiduciam animosque militibus auxit. Simul etiam Casalius idem qui nuper ad Dium, Christi pro nobis è ligno pendentis effigiem excelsam gerens, cõmemoratione tantæ caritatis identidem addebat stimulos. Neque ad superos vota, neque ad homines hortamenta irrita fuêre. Euidens tum quoque cæleste numen Christianis affuit rebus. Et Lusitani proceres, nouo ardore concepto, in Mahometanas cateruas impetum dant. Aluarus Castrius primo incursu duos ex equis præcipitat; stricto dein gladio sese medios in hostes immittit. Ioannes Ataidius vnum ex primarijs deturbat: inde non gladio tantùm, sed manu atque impressione vrget aduersos. Franciscus Syluius, effuso item vno, cum tribus simul capessit pugnam, atque omnes interficit. Iacobus Almeida vnum è quinque ducibus hasta transfigit. Aluarus Camigna tres equites, Aluarus Gammà duos, Antonius Persona totidem sternit. Saluator Fernandus vexillifer, ad cæteros magis magisque incitandos, in mediam hostium aciem seque & signum intrepidus intulit. Dum hæc ab

B antesignanis fiunt, nequaquam ab alijs interea cessatum. acriter vbique gesta res. magna passim edita strages. ac nisi prælio interuenisset nox, è tanto hostium numero pauci omnino superfuissent. Sub vesperum cæpta pugna, circiter vnius horæ spatium habuit. arrepta dein fuga plenos vulnerum ac pauoris Mahometanos tenebræ simul ac sylua tutatæ sunt. Eorum equites cecidêre centum & quinquaginta: sexcenti pedites: è quinque præfectis, occisi tres. in ijs Celabatecan Turcâ, magna inter omnes auctoritate. è reliquis, alter duabus acceptis plagis ægrè tandem euasit: alter incolumis, per densas cohortes incitato equo sibi viam aperuit. E Lusitanis vnus tantùm desideratus, Ioannes Carriagius, Goanus ciuis, & Naires duo: vulnerati Lusitani quatuor, Naires haud amplius tres. Hæc omnia postmodum ad Ioannem Regem fusè perscripsit Prætor, idemque multiplici intra vertentem annum parta victoria, Goam vrbem specie triumphantis inuectus est. Sub hæc, perhonorificum de rebus ad Dium gestis decretum Regis allatum. ex eo cùm alia fortibus viris diuisa præmia; tum veteranis ad Bazainum agri assignati. Prætor ipse laudatus verbis amplissimis, &

C Proregis titulo decoratus est: eidem super honorarium stipendium, decem auri millia dono data, & in tres annos prorogatum imperium. Sed, quæ rerum humanarum vanitas est, Castrio non diu licuit vti honore ac beneficentia Regis. è magnis laboribus vigiliisque lenta correptus febri, gementibus bonis, intra paucos menses extinguitur; vir omnium consensu æquè belli ac pacis artibus clarus. Huius ingenium & industriam varij per omnem ætatem casus exercuêre. Olisipone, adolescens, ob clandestinum matrimonium electus à patre, in aliam partem vrbis migrauit ib., quamquam in magnis rei domesticæ angustijs, cum Petro Nonnio eiusdem vicinitatis, illustri mathematico, familiaritatem inijt, multaque ab eo per otium de rebus astronomicis, ac de nautica in primis arte cognouit. Ab ea commendatione, ipsomet insinuante Nonnio, in Ludouici principis amicitiam peruenit. Ioannis Regis frater germanus hic erat: idemque eximius bonarum artium patronus ac præses. Ab eo cum auxiliaribus copijs ductus in expeditionem Cæsaris Tunetanam, egregium se se virum & manu, & consilio præbuit. Inde cum Garzia Noronia in Indiam ab Rege missus; magnam sibi rerum Indicarum notitiam peperit: eamque litteris ingenti labore ac subtilitate explicauit. Ab Olisipone Goam vsque, singulorum dierum iter; locorum aspectus ac situm; altitudinem

Solis ac poli,diligentiſſimè perſecutus eſt. Idipſum rurſus præſtitit oram legens ab Goa Dium vſque, & ex partium dimenſione, multis oppidis viciſque vocabula antiqua reſtituit.ij cõmentarij, Ludouico dicati,in Academia Eborenſi (quam Henricus dein Cardinalis regali munificentia condidit)adſeruantur. Exſtant eiuſdem Prætoris ad Ioannem Regem epiſtolæ: in quibus, præter communis boni ſtudium inſigne, non vulgarem inſuper tum militaris, tum politicæ rei ſcientiam facilè animaduertas. Et, quod hæc omnia ſuperat, vſque adeò pius perhibetur fuiſſe, vti quantalibet ſtipatus aut nobilium aut plebis frequentia; ad Crucis adſpectum illicò poſitis humi genibus, oculos in cœlum cum attenta quadam veneratione defigeret.huic pietati non ſine cauſa victorias vulgo acceptas ferebant;quas breui tempore,paruiſque copijs ,non paucas neque obſcuras de nominis Chriſtiani hoſtibus reportauit:hoc etiam nomine felix,quod morienti Xauerius affuit, & in extremo illo certamine opem egregiam tulit. Caſtrio vita functo (annus tum agebatur ſeculi huius octauus & quadrageſimus) ſucceſſiones quas vocant, de more conſultæ. prima Ioannem Maſcareniam, cuius modò meminimus, nominabat.is,quod in Luſitaniam paulo ante redierat, ſolutus alter codicillus Prætorem declarauit Garziam Salam, grandi iam ætate virum, multisque in eadem prouincia honoribus domi pariter ac militiæ clarum. Huic, ritu ſolenni tradita extemplò gubernacula. Atque eò lætius fuit eius initium magiſtratus,quod per eos ipſos menſes, è Dominicana quoque familia prædicatores in Indiam peruenêre. Duodecim erant numero. Antiſtitem habebant Iacobum Bermudium Caſtellanum. Hiſce, ac venturis deinceps fratribus, templum cœnobiumque Goæ magno rei Chriſtianæ bono,& vrbis ornamento conditum eſt.

Libri tertijdecimi Finis.

HISTO-

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER QVARTVSDECIMVS.

SVB idem tempus, quo hæc in India gerebantur, in vltimas quoque terras porta præter ſpem & exſpectationem ingens Euangelio patuit. Angerus erat in Iapone quidam, maritimo in oppido Cangoxima honeſto loco natus, regni quod Saxumam appellant. Is, contracta cum Luſitanis inſtitoribus amicitia, de religionis Chriſtianæ myſterijs, ac ſimul de Xauerij ſacerdotis vita rebuſque quas gereret, multa ex ijs in familiari ſermone percepit. inde paulatim, & veritatis, & Xauerij tanto ſtudio eſt captus, vti ad eum inquirendum, vaſto & ignoto ſe ſe mari abſque vlla dubitatione crediderit. profectus ducibus Luſitanis ijſdem, poſt varios errores atque diſcrimina, Malacæ Xauerium (qui è Molucis Indiam repetens eadem in vrbe ſubſtiterat) ſumma ſua cum animi voluptate conuenit. atq; vt pater item de Iaponijs mira quædam audierat, aduenarum congreſſu & aſpectu valde lætatus, crebris deinde colloquijs varia ex ijſdem ſciſcitari non deſtitit. percommodè ad ſingula reſpondebant: minimeque vulgaris ineſſe cunctis, ac præſertim Angero, tum indoles, tum humanitas viſa. ergo Xauerius, vt primũ Indica negotia transegiſſet, Iaponios (quod iam ante cogitarat) omnino adire cõſtituit. Interea, quod Parauana & finitimæ Indorum Eccleſiæ erant illi ex itinere inſpiciendæ; Angerum Goam via breuiore præmiſit. Ioannem Beiram, Nunnum Riberium, Nicolaum Nonniũ ſocios Molucas petere iuſſit. Malacenſis catechiſmi, quem negligi aut remitti nolebat, munus Vincentio Viegæ externo ſacerdoti egregiè probo concredidit. Mox ipſe perquàm difficili ac periculoſa nauigatione Cocinum delatus, inde ad Cori promontorium Piſcarioſque traiecit fines. ac ſuis, qui in ea regione curabant, Antonium Criminalem communi conſenſu præpoſuit: neophytos ad perſeuerantiam adhortatus eſt; oratoria recognouit; nec leuibus denuò ſignis atque miraculis Chriſtianæ fidei veritatem oſtendit. morbos depulit: dæmonia exegit: mortuos quin etiam reuocaſſe perhibetur; quod tamen vt poſtea fateretur ipſe, quamquam grauiſſimorum hominum prece fatigatus, adduci non potuit. Hiſce alijſq; in ora Piſcaria geſtis rebus, ad vrbem Goam ſumma ciuium gratulatione peruenit paulo antequã Prætor Caſtrius è vita diſcederet. huic animam agenti (vt ſupra ſignificatũ eſt) affuit. Angerum vnà cum famulis probè inſtitutum, ſacro intinxit latice, ac Paulum appellauit. famulorum alter Ioannes, alter Antonius nominati. ea meſſis Iaponicę fuêre libamina. ſimul, è ſocios alios aliò: Alphonſum Cyprianũ genere Caſtellanũ, in Diui Thomæ Coloniam; Gaſparẽ Berzeũ, ortum in Belgis, Armuziam deſtinauit. Goani collegij ac ſeminarij domeſticæ diſciplinæ conſuluit. Indica ſuorum domicilia, dum abeſſet, Paulo Camerti cuncta ſubiecit. Interim verò, Iaponicam ad expeditionem, inſtante iam die, ſe ipſe diligenter parabat. is vbi percrebuit rumor, piorum

greges ad illum protinus lacrymabundi conueniunt. monent, obsecrant, D
obtestantur, ne semet vltrò tam ancipitem ac periculosam in aleam det;
neu publicam rem, quæ ipsius vel in primis nitatur capite, eiusmodi con-
silijs tantum in discrimen adducat. Sanè quàm multa erant, quæ quamli-
bet animosum hominem ac fortem, absterrere à tali itinere possent. pri-
mum ipsa longinquitas. quippe leucas amplius mille trecētas distat à Goa-
nis finibus terra Iaponia. dein, multis in regionibus, ac præsertim circa So-
matram ac Sinas, mare à piratis infestum, itemque à Sinarum præsidijs, quę
sæpenumero in peregrinos omnes nullo discrimine tamquam in hostes
inuadunt. idque tum erat extimescendum magis, quod Sinas inter & Lusi-
tanos nondum essent planè reconciliata commercia, neq; locus foret Si-
narum vllus, quo Lusitanis ad contrahendum apertè descendere, aut vbi
tutò commorari liceret. memorabantur etiam varijs locis insidiosa vada
syrtesque, nondum ad plenum ijs cursibus exploratis. itemque Eoi pelagi
natura, quod sæuum, & vastum, & vorticosum, totas haud rarò naues ab-
sorbet. & super hæc, præcipuus nautarum terror, ecnephias typhon; suetus
in ea vel maximè plaga furere: & ipsa cum oneribus vectoribusq; nauigia,
in asperum sæpe littus ac saxa torquere. Cùm hæc & alia multa ad timo- E
rem proponerentur, satisque mirari se posse amici negarent, cur tanto re-
rum vsu, tali sapientia vir, tantis periculis obijceret sponte se se, relictaque
in vicino segete, cuius ipsemet sementem fecisset; tam longinqua, tam ope
rosa, tam incerti prouentus noualia peteret; Ast ego (inquit ille) satis mira-»
ri non possum, cur infinitam Dei vim pariter & clementiam quotidianis»
præconijs celebrare soliti, eidem nunc potentiæ ac bonitati, meo potissi-»
mum in capite diffidatis. Anne vos præterit, qui rerum omnium arbi-ter»
sit, huic animata æquè atque inanima, prorsus ad nutum omnia deseruire?»
Testis haud semel vnda, quæ se se Domini ac famulorum postea gressibus,»
mutata illicò natura, calcandā exhibuit. Testes venti ac procellæ, quæ per-»
fusis vltimi exitij horrore discipulis, vno Christi imperio conciderunt.»
Testis inclytus ille Iob, in quem nihil omnino, nisi ex Domini voluntate,»
malo dæmoni licuisse comperimus. Testis denique (ne in re aperta fim fu-»
sior) veritas ipsa, quæ capitis nostri capillos omnes numeratos esse, ac ne v-»
num quidem ex ijs periturum, disertis verbis affirmat. ergo, sicuti Regū du»
cum ve internuntij ac p̄cones, regijs duntaxat insignibus freti, per media ca»
stra, p instructas armatorū phalangas ac tormenta disposita, vadūt securi & F
inermes; ita, diuinarū legum interpretes, gentiumq; doctores, vna summi»
Regis tutela ac maiestate subnixi, per varia terræ marisq; pericula, atq; a-»
deò per intentas vndiq; machinas ac mucrones, quocumq; res postularit,»
intrepidi atque alacres penetrare non dubitant. At enim isti ipsi quos nar-»
ras, in latrones incidunt, laniantur à feris, naufragia faciunt: varijs implicā»
tur morbis; æstu, frigore, fame, siti, rerum omnium egestate laborant; cir-»
cumueniuntur conscelcratorum insidijs, factionibus opprimuntur; tyran-»
norum iussu omnibus supplicijs excruciati mactantur. Concedo: & quidē»
hisce itineribus olim Apostoli ac martyres ad sempiternam gloriam per-»
uenerunt. Sed idem contendo; hæc omnia ad illorum vel probandam fidē»
vel constantiam illustrandam, Diuina tantū dispensatione permitti. Nam»
alioqui refertæ historiæ sunt exemplis eorum, quibus esurientibus angeli»
ministrarint cibos, quorum leuandæ siti, purissimi subitò fontes è terra»
emicuerint; quibus, posita extemplò sæuitia, flatus ac tempestates obsecun-»
darint; quos, voracissimæ & in alios ferocissimæ belluæ, propalam blandi-»
endo permulserint; quos vel exquisitissima lictorum carnificumque tor-»
menta nil læserint; queis ferrum, equulei, virgæ, rotæ, flammæ pepercerint.»
Atque in eiusmodi certaminibus, tametsi non semper explorata victoria»
est, mul-

A eſt, multiq́ue ac magni ſæpe conatus in irritum cadunt; tamen diuinæ glo-
» riæ & hominum ſaluti ſeruientem, fidenter omnia tentare, moliri, expe-
» riri par eſt. Itane verò? ad leuiſſimam incertamq́ue prædam, per denſas a-
» cies, micantes gladios, & volitantia tela cæco impetu ruet miles; inanes ho
» norum titulos, & ſpecioſa vocabula, nihil aut modicum duratura, ambi-
» tioſus per ſummam indignitatem atque miſeriam, quotidianis obſequijs,
« adulatione ſeruili, valetudinis damno, patrimonij profuſione captabit;
« ſordidarum mercium cauſa, quæq́ue dumtaxat corpori ſeruiunt & vetu-
« ſtate facillimè corrumpuntur, inſtitor ac nauicularius, terra vnde ortum
« habet, relicta, veluti ruptis naturæ fœderibus, ventorum ac maris iræ ſeſe
« permittet; obiectuſq́ue fluctibus ac piratis, ignotum orbem, peregrinarum
« auium inſtar, ignota ſemper littora pererrabit; nos, propagandæ religio-
« nis, amplificandi Chriſtiani nominis, omnipotentis Dei demerendi; ſer-
« uandi humani generis gratia; inopiam, ærumnas, incommoda, mortem
« denique recuſabimus? præſertim cùm illorum temporarios labores, ab
« improba plerunque cupiditate profectos, mortemq́ue vnam, altera ſæpe
« mors, & ſempiterni labores, atque infiniti cruciatus excipiant; noſtram
« induſtriam operamq́ue, ſi in officio ac fide ad extremum vſque perſe-
« mus, beatiſſima æternitas, immortales coronæ, immenſa præmia mane-
« ant. nihil ergo ſit tanti, quo noſtra de Deo, deq́ue hominibus beneme-
B rendi ſtudia retardentur. Nam quod Goanæ Eccleſiæ, viciniq́ue huiuſce
« tractus, abſente me, ſolitudinem pertimeſcitis; agnoſco pietatem veſtram.
« ſed ne in hanc meſſem operæ deſint, ſatis à me, vt in tanta noſtrorum pau-
« citate, prouiſum eſt. Paulũ Camertem eximia caritate virum, Goano col-
« legio; Antoniũ Criminalem, inſigni virtute paſtorem, Eccleſiæ Parauanæ
« cum idoneis adiutoribus vtrumq; præfecimus. Ad hæc, epiſcopum habetis
« in vrbe vigilantiſſimum; Franciſcanos, Dominicanoſq́; fratres, veſtri amã-
« tiſſimos cupidiſſimoſq́;: præter hoſce, alij quoque ſubinde ſacerdotes è Lu-
« ſitania ſuperuenient. Vltimis, vltimis, inquam, nationibus, ad quas læti ſa-
« lutis nuntij, nullo vnquã tempore allati ſunt, rectus ad vitam æternam cal-
« lis tandẽ aliquando monſtrandus; ac teterrima dæmonũ ſeruitute miſerã-
« dum in modũ oppreſſis; Chriſtianæ libertatis cominus attollenda vexilla.
« Neque enim pro Luſitanis tantùm, aut Canarinis, aut Parauis, ſed pro vni-
« uerſo hominũ genere, quot quot vbiq; ſunt, fuêre, futuri ſunt, redemptor
« idem & conditor IESVS vitam ac ſanguinẽ in Cruce profudit. quibus mi-
« ſerrima captiuitate detentis, cùm in idipſum à præpotenti Deo vocatus de-
« ſtinatuſq́; ſis, non omni ratione conſuluiſſe, neque per inuia quamuis &
C « aſpera ſacrũ Euangelium pertuliſſe; extremæ non modò ignauiæ, ſed etiã
« perfidiæ crimẽ eſſe quis ambigat? Proinde faceſſant querelæ, abſint complo
« rationes, ſingultus ac ſuſpiria ſileant. quin potius, vti Chriſtianos, & Dei
« hominumq́ue amantes decet, meam hanc expeditionem, fauſtis, vt ita di-
« cam, ominibus, & ſtudio incenſis apud Deum ſuffragationibus proſequi-
mini. Hiſce dictis leuato vtcunq; mœrore, conſcendit nauim Aprili men-
ſe, anno poſt Chriſtũ natum M D X L I X. Comites habuit è ſocietate Coſ-
mum Turrianum, & Ioannem Fernandum Hiſpanos: de externis, Paulũ
famuloſq́ue Iaponios. Cocinum ab Goa primùm, inde Malacam exeunte
Maio venêre. Hic patri quò intenderat pergere cupiẽti, nauis Luſitanorũ
nulla ſeſe obtulit. Iuncus erat Sinarũ in Malacenſi portu, & quidẽ piratica
infamis. vulgo latronis iuncũ appellabant. Cũ hoc ipſo latrone Xauerius
(tanta inerat eius menti fiducia diuinæ tutelæ, tantus ardor liberandi ab dæ
monum ſeruitute Iaponios) certa mercede paciſcitur, vti relictis ad læuam
Sinis, ipſum & comites in Iaponẽ extẽplò perducat. ſoluêre viij. Kal. Iulias
ipſo D. Ioannis Baptiſtæ die natali. Poſt multa nauigationis incõmoda, &

nau-

nautarum fraudes, Cangoximam, Angeri, vti dictum est, patriam attigêre D
xviij. Kal. Septembris, qui dies Assumptæ in cælum Deiparæ Virgini sacer
est. Xauerius à Pauli propinquis atque domesticis amanter exceptus, vixdũ
recreatis à maritima iactatione comitibus, ad Christianam rem animum
adiecit. linguæ primùm Iaponicæ rudimentis ad instar pueruli summo stu
dio ac sedulitate institit operam dare. in præcipuis dein fidei Christianæ ca
pitibus conuertendis, quamquam enixè adiuuante Paulo, tamen ob rei
difficultatem, & mysteriorum altitudinem, & linguarum insciciam, com-
plures dies ingenti labore miseriaque desudatum est. postremò, ijs in codi-
cem vtcunque relatis, ex eo codice Xauerius balbutire ad populum vnà
cum socijs cepit. magni extemplò concursus ad eos facti. atque, vt procacia
& acuta sunt Iaponiorum ingenia, ridere alij solœcos barbariemque; alij,
quid ea lectione significaretur, ambigere; alij peregrinum habitũ cultum-
que demirari: alij etiam, communis consuetudinis ac morum ignaros, pro-
bris & cauillis petulanter incessere. nec deerant, qui eiusmodi ludibria de-
testati, miserarentur innoxios; nec spernendum vtique genus hominum E
interpretarentur esse, qui tam remotis è regionibus, docendi tantùm gra-
tia, periculo maximo, nulla mercede venissent. Xauerius interea socijque
nihil de studio & contentione remittere. ad hæc, normam eam tenere vi-
uendi, tamque illustria sobrietatis, patientiæ, mansuetudinis, omniumque
virtutum exempla præbere; vti veram ac salutarem doctrinam afferre se,
factis moribusque multo magis, quàm dictis aut scriptis ostenderent. Inde
haud leuiter commoueri ciuitas cæpta; nostrisque non ad magistratus mo
dò, sed etiam ad Regem, qui tum extra oppidum agebat, Paulo præsertim
adnitente, facilè patuit aditus. Commercium is Lusitanorum auidè iam-
dudum expetebat, quos ad vicina emporia cum pretiosis oneribus com-
meare didicerat. apud eos quod plurimum gratia & auctoritate Xauerium
valere Paulus & famuli testarentur; valde sese illi comem & humanum
initio præbuit. quin etiam prolatam à Paulo, Christi & Sanctissimæ Virgi-
nis matris imaginem veneratus, idipsum fieri ab omnibus qui aderant, im-
perauit: ac prædicandi Euangelij, & baptizandæ ritu Christiano gentis po-
testatem haud grauatè concessit, eaque de re, publica edicta proposuit. Ac
Bonzij etiam (quo de hominum genere supra demonstratum est) superſti- F
tionum Iaponicarum antistites, vel nouitatis gratia capti, vel suis opibus
ac maiestate confisi: cùm nihil ab ignotis præsertim externisque sibi metu-
erent, fauere tum quidem Xauerio videbantur. ergo Christiana paulatim
sacra in vrbem inducta. Pauli primùm vxor & filia, tum propinqui & ami-
ci complures, eodem Paulo dies noctesque hortante, monente, docente,
ad baptismum adducti. hosce deinceps alij subsequuti; quibus ad virtutem
ac pietatem excolendis, operam Xauerius in primis impendebat assiduam.
Decretum erat illi, simulatque aliquem eius linguæ vsum nactus foret, Ia-
ponis caput Meacum adire, & quò expeditior ad cæteros prædicatio esset,
Regi primùm ipsi vel Imperatori, quem vniuerso Iaponi præesse audierat,
Euangelium afferre: sed Regis præcipuè Cangoximani promissis ac preci-
bus, & oblata rei bene gerendæ spe, diutius quàm cogitârat in eadem vrbe
detentus est. Inter hæc, negotiatores Lusitani cum mercibus Firandum re-
gni Figensis appulerant. id vbi Cangoximæ cognitum est; periniquo tulit
animo Rex, vicinos dynastas insperatis augeri opibus, at se diuturna lucri
aduentitij exspectatione frustrari. ex eo tempore sensim auersari Xauerium
cæpit, & ab ipsius doctrina præceptisque refugere. Bonzij quoque, postea-
quam Christianis institutis vitia sua reprehendi; Euangelij luce mendacia
prodi, sanctissimis decretis conuelli nefaria dogmata; denique discipulos
& sectatores ab se auocari animaduerterunt; immutata subitò voluntate,

Xaue-

A Xauerium exſecrari, fictis criminibus ipſum & ſocios in inuidiam adducere; publicè priuatimque maledictis lacerare atque proſcindere; offenſum iam Regis animum nouis in dies facibus inſtigare. neque ab incepto deſtitêre; quoad reuocato priore edicto, rurſus pœna capitali ſancitum eſt, nè quis omnino, relictis patrijs auitiſque noua & peregrina ſacra ſuſciperet. Xauerius, æquitate animi ac ſummiſsione furentes lenire nequicquam conatus, multaque & grauia perpeſſus incommoda, Meacum quò pridem intenderat, abire decreuit. Chriſtianorum numerus in vrbe Cangoxima ad centum fermè peruenerat. Paruulum eum gregem, Paulo commendat. ipſe, vertente anno, mœrentibus lugentibuſque neophytis, & gratias immortales agentibus optimo patri, Firandum ad Luſitanos cum Coſmo Turriano & Ioanne Fernando progreditur. ibi verò, cùm à Luſitanis ipſis ingenti gratulatione, tum in eorum gratiam ab regulo perhonorificè acceptus eſt; &, quod optabat vnum, illicò facta legis Euangelicæ promulgandæ poteſtas iam linguæ paulo maiorem notitiam noui præcones erant nacti. ergo, partim dicendo, partim alijs, alijſque, prout res poſtulabat, periochis è codice recitandis, & ſuper hæc, in oculis omnium innocenter &
B caſtè viuendo; plures paucis diebus Firandi, quàm toto anno Cangoximæ ad Chriſtum adiunxêre. ijs Coſmi Turriani curæ fideique concreditis, Xauerius cum Fernando Meacum petens; circa Octobris initium, ſæuiente iam hyeme, Amangutium, leucas fere centum à Firando proceſsit. ea tum erat vrbs perampla (nam aliquoties dein ferro & flammis euerſa eſt) in Iaponis ferme vmbilico ſita, ac Regem habebat longè lateq; imperantem. Ad eum Xauerius accitus Fernando comite acceſsit. ille de vno cœli terræque conditore, de lapſu angelorum hominumque, de redemptore generis humani IESV Chriſto Dei filio, de ſempiternis pœnis ac præmijs, ex eo quem dixi libro multa exprementi Fernando, vnius horæ ſpatio mirum in modum attentas aures præbuit: dein; vt ſine honore, ita ſine iniuria vtrumque dimiſit. eadem fermè noſtri quotidie bis ad circumfuſam multitudinem per vicos & compita prædicabant, obſoleto ac peregrino veſtitu, nulla pompa vel apparatu verborum. Nihil initio tam nouum aut abſurdum ad Amangutianorum aures oculoſque accidere potuit. ergo, non plebis tantùm inſanæ, ſed etiam nobilium infeſto clamore, ſibiliſque
C & cachinnis exploſi; & omni petulantiæ genere vexati ſunt nullo prorſus operæ pretio. Hæc per eos dies Amangutij geſta. Meacum inde abeuntes, duorum fere menſium iter excepit difficile & aſperum, à latronibus atque piratis infeſtum; niue geluque, ſyluis ac ſaltibus; ad hæc, interueniente pelago vel æſtuarijs impeditum. Id iter ingreſsi humano præſidio nullo, difficile dictu eſt quàm grauia, quàm acerba ignotis regionibus terra marique pertulerint, pedites ambulabant, & quidem in humeros elata ſarcinula. in manicas oryzæ ſemitoſtæ indiderant bolos (auelam vulgus appellat) eo cibo famem, aqua profluente ſitim leuabant. Ignari viarum, & ſimul quò latronum inſidias effugerent, indigenas equites citato gradu, nunquam talari depoſita veſte perſequebantur excalceati, quod eo anni tempore torrentes amneſque occurrerent vado ſuperandi non pauci. itaque partim antecedentium feſtinatione, partim etiam aſſidua ſarcinæ vectatione laſsi, ad hæc lubrica plerumq; via incerto ac fallente veſtigio corruebant, pedibus interim glaciei & algoris iniuria miſerandum in modum intumeſcentibus: ac noctu demum imbre perfuſi, fame & algore confecti, ſi cubi tecto ſaltem agreſti reciperentur, alia hoſpitalitate nulla; præclarè videlicet ſecum agi putabant. Nam in pagis quidem & oppidis, præter cætera vulgi ludibria, interdum etiã lapidibus petebantur. aſt vbi tranſmittendũ eſſet mare, vix atq; ægrè tandem in naues admiſſi, pecudum inſtar in ipſam

pœne

pæne ſentinam detrudi conſueuerant. Per eiuſmodi vexationes atque miſerias cùm ad vrbem denique Meacum ſoſpites haud ſine miraculo peruenissent; minimè idoneum ſationi Euangelicæ tempus, cuncta bello flagrãtia, ſurdas ad ſalutaria monita & obſtructas incolarum aures offendunt. Ad ipſum verò Imperatorem, quamquam adhibita diligentia conatuque, adſpirare non licuit. ergo, terræ natura, gentiſque moribus in præſentia vtcunque exploratis, per eaſdem difficultates, iiſdem itineribus, eodem fermè ſpatio temporis, Amangutium reuertuntur. ibi, quod ſe ſe haud iniquum illis ante præbuerat Rex, certum erat fixumque Xauerio, terram eam rurſus omni arte moliri, curaque & labore, quoad eius fieri poſſet, ſterilitatem ſoli maciemque peruincere. & quoniam experiendo cognorat, Iaponios, Bonziorum fuco & oſtentationi aſſuetos, plurimum externa moueri ſpecie, & animi bona fermè corporis habitu cultuque metiri; ad eorum mores, quantum ſine peccato liceret, in præſentia conformare ſe ſe; & Chriſti cauſa non nihil ad illorum ſalutem extrinſecus mutuari in animum induxit. ergo, priuſquam ad opus aggrederetur; Firandum accurrit. ibi, Luſitani Regis impenſa videlicet, auguſtioribus veſtimentis induitur; commendatitias ad Iaponios Reges litteras, quas ab Indiæ Prætore & Goano Epiſcopo ſibi traditas, interim ibi reliquerat, ſumit, nec non à Malacenſi Præfecto munera Iaponijs ante id tempus ignota. In ijs erat Luſitana veſtis, vinumque prænobile; muſica ſambuca, & horologium ex ijs, quæ inæquali ponderum exanime, pluriumque rotarum denticulis inter ſeſe implicatis, lento motu ac perpetuo, temporum interualla diſtinguunt: quam Europeæ ſolertiæ machinam gentes illæ ſine fine mirãtur. Hiſce rebus in iumenta impoſitis; ipſe, præter Ioannem Fernandũ duobus tribuſve Iaponijs comitatus, Amangutium redit: litteras & munera offert Regi: quibus ille magnopere delectatus; ac ſimul comitum numero admonitus, & noui habitus dignitate; caput cum conſiliarijs contulit, iiſdemque approbantibus, maiore deinceps in honore Xauerium habuit. ac primùm, auri argentique non leui pondere munificentiam aduenæ remunerari contendit: quæ cùm Xauerius obfirmato conſilio cuncta reiecisſet; altitudinem animi ſuſpiciens Rex, vacuas Bonziorum ædes illi ad habitandum adſignat; dein publica per vicos edicta proponit, placere ſibi, non Amangutij modò, verùm etiam omnibus ſuæ ditionis finibus regniſque, vnius Dei legem ac religionem declarari palam; eamque cuilibet amplecti liberum eſſe: legis eius ac religionis interpretes nulla ratione lædi, vel impediri. ſub hæc, Euangelici præcones ad inſtituta munia quàm acerrimo ſtudio retulêre ſeſe. interdiu, in areis triuijſque conciones habebant; noctu, confluentibus ad ſe omnium ordinum, ætatum, ſexus vtriuſque mortalibus, aures ac reſponſa præbebant: erat autem tanta frequentia celebritaſque, vti cœtum ædes ipſæ non caperent: alij, quæ in publico inaudiſſent; priuatim ac per otiũ auere noſſe: alij etiam, animi cauſa, incomptam ac rudem peregrinorum atque hoſpitũ irritare linguã, & cum effuſo adſtantium cachinno de induſtria diſputationem extrahere. alij, denique varijs interrogationibus etiam atque etiam fatigare doctores nouos. Huic tãtæ curioſitati cùm ab Dei ſeruis, partim ex vetere hiſtoria, partim è phyſica ratione, partim è Theologorum decretis atque reſponſis identidem ſatisfieret; illi, voluptatum illecebris irretiti videlicet, in ſtultitiæ tenebris, & cœno flagitiorum nihilominus hærebant. neque tamen idcirco Xauerius deſpondere animum: quin potius omnem in partem verſare ſemet, cæptiſque acriter ac perſeueranter inſtare. Cùm aliquot iam menſes crudum aridumque nouale tractaſſet, ac, nullodum fructu, diuini verbi ſemina proleciſſet; tandem è proſciſſo ac ſæpius iterato ſolo, Chriſtianæ fidei germen

A men emicuit. Germinis eius origo fuit eiusmodi. Concionanti, vt solebat, in publica via Fernando, præteriens è plebe nescio quis, attracta præpingui saliua, repente in mediam inspuit faciem. ille, sine perturbatione vlla sputum linteolo abstergit: ac ne verbo quidem reddito, cæptam orationem eodem prorsus tenore vultuq; prosequitur. id contemplatus ex auditoribus quidam haud imperitus rerum æstimator (ex quo facilè intelligas, ad permouendos ad virtutem animos, facta dictis quanto antecellant) cepit cogitare apud se; profectò nobilissimum atq; adeò diuinum philosophiæ genus esse, quod homines ad tantam æquitatem animi constantiāq; perduceret. dimissa dein concione, domum ad Fernandum venit; præcipua Christianæ fidei capita legesq; probè cognoscit: postremò, certis precationib⁹, Mosisq; decalogo, ac symbolo Apostolorū è catechismi formula memoriter hausti, Amangutianorū omnium primus, anteactę vitę detestatus peccata, sacro fonte renascitur. Hunc alij deinceps diuino impulsu imitati, quorum ad quingentos breui peruenit numerus; & quidem ita in proposito firmi stabilesque, vt per varias deinde clades, & bellica infor
B tunia, & nefarias Bonziorum cōspirationes, magistris ac pastoribus haud semel orbati, suis tamen ipsi moribus ac vitæ ratione, Christianam fidem & disciplinam in hoc vsque tēpus religiosè coluerint. inter quæ circumacto iam anno, Lusitanorum alia nauis portum Bungi tenuerat, quo nomine regnum Amangutio distat leucas circiter quadraginta. ab ijs de statu rerum Indicarum Xauerius cùm litteras accepisset, cùm alias ob causas eam sibi prouinciam repetendam existimabat; tum verò, vti rursus inde quocunq; opus foret, supplementum è noua copia mitteret. simul, quoniam apud omnes circa nationes magnum nomen Sinarum, magnam auctoritatem cōpererat esse: primo quoq; tempore Sinas ipsos Euangelij gratia adire cogitabat, haud absurda ratione cōiectans, si gentē illam Christo lucratus foret; eius lucri accessionem facili negotio postmodum vniuersos fore Iaponios. Hæc eo moliente, cæteri quoque dispersi per Indiam socij minimè segniter in suo quisque munere versabantur. Egregia in primis fuit opera Gasparis Berzei, quem Armuziam à Goa profectum, paulo ante docuimus. Is in Zelandia, seu Mattiacis Belgici Oceani populis, oppido Gousa, Francisco & Agnete parentibus, obscuro natus loco, à primis
C pueritiæ rudimentis Louanium ad studia grauiora se contulit. Inde per varios casus cùm in Lusitaniam deueniisset, in societatem adscitus, ac diu multumque probatus, in expeditionem Indicam vnà cum alijs octo deligitur. Conimbriga profectus Olisiponem anno seculi huius quadragesimo octauo, nauem Ioannis Mendozę conscendit. socij adiuncti quatuor: totidem cum Antonio Gomesio in aliam nauē impositi. Ac primum omnium, à nauarcho eblanditus est Gaspar, vti quotidie publicè tū ad plebem erudiendam catechismum exerceri, tum ad propitiandum cœleste numen catholico ritu litanias adhiberi permitteret. Mox ad vitia tollenda corrigendosque hominum mores paulatim aggressus est: rem in primis arduam atque difficilem. præter naualem quippe turbam, colluuiemque seruilem, epibatę circiter quadringenti numerabantur, plerique scortis, aleę, rixis, calumnijs adsueti. Ad horum sananda ingenia, Gaspar, exemplo priusquam verbo opus esse ratus, cunctis, vti æquum erat, ad omnem virtutē & caritatem prælucere perrexit. Neque sanè ampla defuit illi de Deo pariter ac de hominibus benemerendi materies. primùm socij eius è maritima iactatione & nausea in morbum incidêre. ijs dum accuratè ministrat, & propalam coqui munere fungitur, ita despicabilis initio visus, vti parenti ad focum cibos ac satagenti, procaces circum pueri, præter cæteras contumelias, appositam quoq; ollam aut furto subducerent, aut per lasciuiā

frangerent:quidã etiam ab innocente vix colaphos pugnoſq; abſtinerent. D perſpecta dein patientia & grauitate viri,paulatim contemptus in vereeũdiam vertit:nec defuêre,qui laboranti,per ſe perque ſuos opportunè ſuccurrerent.ſimul etiã ſocijs melius cæpit eſſe.operã ergo ijs adiutoribus,ad verbum Dei prædicandũ,prohibenda flagitia,curandos ægrotos, vetere iã ſocietatis inſtituto,conuertit.ex quo,mirũ dictu,quanta quã breui omniũ vitæ mutatio cõſequuta ſit.bene moratã inſtitutamq; familiam; non promiſcuam ſeruorũ,nautarum,militũ,inſtitorum turbam,contineri marino illo domicilio diceres. Primus fermè Præfectus Mẽdoza,Gaſparis conſuetudine & admiratione ſeſe collegit:pijsq; priuatim exercitationibus ab eodẽ excultus,vltro deinde cũ alijs quoque opportuna de Chriſto deq; cœleſtibus rebus habere colloquia; ſuos primùm familiares,tũ cæteros in officio cõtinere;egenos & imbecilles quotidianis eleemoſynis alere. Præfecti virtutẽ ac beneficentiam reliqui deinceps pro ſua parte imitati:vnus etiam haud infimæ ſortis negotiator,Chriſtianæ caritatis pulchritudine ac ſpecie captus,contempta rerum humanarũ inconſtantia & vanitate,ſeſe ad Gaſparis ductum ac vitæ rationes applicuit. inter eiuſmodi occupationes Guineæ malacia primùm,dein ſæuiſſimis procellis duabus circa Bonæ ſpei E promontoriũ ſuperatis,nemine(quod perrarũ eſt) tantis incommodis,tantaq; morborũ lue prorſus amiſſo,ad Moſambicũ nauis appellitur.Ibi optatiſſima dierũ quindecim capta quies;terreſtribus etiã diuerſorijs è maritima iactatione refecti pleriq;.Gaſpari tantùm ac ſocijs,de aliorũ magis quã de ſua incolumitate ſolicitis,integratus labor.lauta illis inquilinorũ hoſpitia minimè deerant;ac multi, vt ijs ad valetudinẽ tuendã vterentur,inſtabant;ſed Gaſpar, Xauerij æmulator egregius,deportatis in publicũ noſocomium ægrotis,eodẽ ipſe quoq; ſucceſſit:ac refouendis eorũ corporibus animiſq;(cùm ad centum & viginti decumberent) pari cura ac diligentia totũ ſeſe rurſus impendit. Per id ipſum tempus alia eiuſdẽ claſſis naui, fratres Dominicani duo Moſambicũ delati.horum quoque, in eo valetudinario,magna cum omniũ approbatione caritas ac virtus enituit. Goã deinde peruentũ.Ibi Gaſpar,nouo impetu capto,in omnes partes Chriſtianæ adiuuandæ rei animũ ac vires intendit.varijs quotidie locis ad multitudinem;in ipſo Prætorio ad ſelectã nobilitatẽ procereſq; verba faciebat:quãto cum fructu motuque,è noua emendatione morũ,è voluntarijs diuitum ac delicatorũ pœnis,è plurima peccatorũ confeſſione,è frequenti reſtitu- F tione pecuniarum apparuit.diſputationes etiam de religione cum Brachmanis habebat interdũ.Ex ijs primarius quidã ſæpe conuictus; deniq; cum vxore & ſororis filio baptiſmũ expetijt.Is baptiſmus octo ipſos dies tinnitu feſto,ſymphonia,choreis,ingenti omnium ordinũ ſtudio celebratus: viæ vrbis,vario periſtromate,ac virenti palma elegantẽ in modũ ornatæ: neophyti magna tum Chriſtianorum,tum etiam Brachmanarum frequentia in equis ad templum deducti;ibi ex aqua baptiſmatis,ab Epiſcopo ac Prætore,honoris cauſa ritè ſuſcepti.Marito, Lucæ Salæ;vxori, Eliſabethæ nomen impoſitum:adoleſcens Antonius appellatus.in hanc deinde familiã, ad cæteros ad Chriſtum inuitandos,Prætor ipſe,quod ita Luſitanum Regem velle non ignoraret,alia quoque propalam ornamenta & beneficia contulit.Hæc & eiuſmodi multa Goæ Gaſpar omni ope curabat. A Xauerio dein miſſus, vti dicebamus, Armuziam; in ipſa primùm nauigatione priſtinam cunctos adiuuandi conſuetudinem tenuit: eaque re ipſa commotos è vectoribus aliquot Chriſtianos fecit. Maſcatum Arabiæ felicis delatus; Europæos exſules, vel decoctores, qui tamquam ad aſylum in ea perfugerant loca,quoad fas tulit,expiare, atq; ad fidem officiumq; reuocare conatus eſt.A Maſcato prouectus Armuziã;in ipſo portu,officij cauſa

obuios

A obulos habuit Proepiſcopum,& ſacerdotes. ab ijs cum honeſto comitatu ad arcis Luſitanæ præfectum deducitur. ibi cùm inter ſe præfectus, & Proepiſcopus de hoſpitalitate certarent; & Gaſparem apud ſe retinere admodum cuperent; ille,gratijs vtrique actis, ad publicum videlicet noſocomium de more diuertit; eam veluti ſedem belli contra Satanam & vitiorum monſtra capturus. Hic, è Xauerij præceptis, quæ aſsiduè cogitabat, ſuum ante omnia pectus acri cuſtodia ſepſit ac munijt. ſimul, optimatum volũtates ſibi cõciliare aggreſſus, breui perfecit humanitate,ſubmiſsione, prudẽtia,vt omniũ nemo illis acceptior eſſet, aut carior.Per hos maximè, de ſtatu emporij,& generibus negotiorum,& moribus hominũ diligenter cognouit. Deliberanti dein apud ſe, qua potiſſimum ex parte oppugnaret ſceleris & nequitiæ munimenta; arcem ipſam protinus aggredi viſum eſt. ea fermè contemptu ſacrorum,inſcitia diuini pariter humaniq́ue iuris,& alta quadam futuri ſeculi obliuione conſtabat.nec mirum.multos quippe annos Chriſtiani cõuenæ & inquilini, magiſtris,ac monitoribus,parochiſq́ue caruerant: &, qui nuper aduenerant clerici, quæ tum erant tẽpora, pe
B cuniarum haud paulo magis quàm animarũ inhiabant lucris.ergo paſſim enata virgulta vepreſq́ue,omnẽ ab infelici tellure benigni ſyderis radiũ ac lumen arcebant.hinc teterrima rerum,cæremoniarum, errorumq́ue colluuies;artes magicæ; diuinatio; ſortes; cõcubitus inceſti ac vagi; quodq́ue haud minus deteſtêre, fidelium cum infidelibus, Iudæis, Turcis, Arabibus infanda connubia; vt Chriſtiana proles à matribus educata (proh nefas)in Mahometanos,& Hebraicos,& aliarũ gentium ritus moreſq́ue tranſirent.eam conſuetudinem, Gaſpar, admirabili ſpiritus vehementia, crebris concionibus,ac terribili cæleſtium irarum denunciatione diſcuſſit.Et auxerat opportunè pauorem auditorũ atque formidinẽ,terra per eos fortè dies horrẽdis motibus intremiſcens.Præterea Gaſpar,ad ſynceritatẽ fidei reuocandam, & prauæ religionis procul habendã contagia,nullo non die ſtatis horis,è Xauerij formula publicè catechiſmum habebat .id verò in omnes partes vnicè profuit. puerilis ætas,infima plebs, ſexus vtriuſq; mancipia,Chriſtianis præceptionibus ac myſterijs erudita. ſimul etiã quotidianæ ſingulorum vitæ cuſtodes adhibiti, qui ad Gaſparem cuncta deferrent: propoſitiſq́ue præmijs ac pœnis,pudici paulatim ac probi mores in vulgus inducti. eadem illa rudimenta legeſq́ue, ſerui mox heris, filij parentibus,
C fideles pueri æqualibus Mahometanis,alijsque priuatim edebant; eoſq́ue omni arte ad Chriſtum allicere nitebantur.ac demum, ſublatis ibi quoque prophanis & laſciuis cantionibus,caſtiſſimo verſu ac ſalutaribus monitis dies ac noctes omnia perſonabant. Ita, religionis integritati,nõ in præſens modò,ſed in poſterum quoque magna ex parte conſultum.Erant præterea qui ferrum, & ſulphur,vetitasq́ue merces alias,Turcis ac Mahometanis inferrent, quod Pontificias diras,contra id facinus in cœna Domini cũ horrendo carmine fundi ſolitas,vel proteruè contemnerent, vel penitus ignorarent. docti quanto id piaculo fieret,à quæſtu ſacrilego deſtitêre non pauci,& pro ea poteſtate quam habebat Gaſpar, in gratiam cum Eccleſia reſtituti. Ab hiſce victorijs, Chriſti miles,teterrimam aliam generis humani peſtem aggreditur ,auaritiam,& fœnebre malum : quo in genere tanta erat nonnullorum impudentia(qui ſe Chriſtianos ferebant) vt aureorum vix decẽ iteratis per annũ vſuris,integra ſemper ſorte, ſeq́ue familiamq́ue turpiter alerent.ad hæc tollenda ſcelera,Gaſpar,de auaritiæ peccato diſputationes inſtituit ea ſubtilitate doctrinæ,tam veris grauibusq́ue ſententijs, tam incenſis amore diuino verborum fulminibus, vt hoc etiam dæmonis caſtellum pæne à fundamentis frequenti verberatione conuulſerit.Id,gratijs multorum pœnitentia,& euidenti morũ ac vitæ mutatione declaratum

est;qui prima luce,ne salutato quidem Deo, ad argentarias tabernas pro. D
tinus itare adsueti,atq; ibi nullo recti prauique discrimine res contrahere,
pecunias huc illucq; traijcere, fœnus augere; iam,intima religione tacti,
domo templũ rectà,inde forũ adibant.ibĩ, stupentibus alienigenis pariter
incolisq;,tamquã in academia, de iure mutui, de legib⁹ permutationũ,de
Christiani mercatoris officio,è Gasparis potissimum præceptis ac traditio
ne quærebant.Neque labijs dumtaxat ac vultu sese philosophia continu-
it.ad rem atque ad facta peruenit: & inexorabilibus ad eam diem claustris
obseratas aperuit arcas. Igitur ex malè parto restitutiones vel in duplum
iustis dominis, aut,vbi ij non apparerent,in pios vsus;& super hæc eleëmo
synæ factæ complures,atque ex ijs,auri argentique redactum,quod magno
puellarum numero collocando, nosocomij laxandis angustijs, & multo-
rum inopiæ leuandæ sat esset. opulenti præterea negotiatores, gehennæ
metu perculsi,vltro suas omnes rationes ad Gasparis arbitrium contulêre,
parati,quicquid ab se fraudatum fuisset, non pecunia tantùm, sed etiam,
vbi satis ea non esset, corporibus luere. Per hunc modum, fraudibus & ra-
pinis obuiam itum est.Ingens præterea, vt in celeberrimo portu, amplis-
que diuitijs,erat Armuziæ luxus.ea quoque Satanæ opera Gaspar aggres- E
sus,multorum excussit delicias, multos à scortis atque à nefario pellicatu
diuulsit. inde ad lites dirimendas tollendasque inimicitias adiecit ani-
mum:monitisque & auctoritate viros aliquot honestos adduxit, vti datis
inter se dextris,& venia offensionum petita, publicè ad ipsas templi val-
uas,magna populi frequentia,in gratiam optimo exemplo redirent. Non
eundem cum sicarijs (quorum erat ibi summa licentia)succesſum habuit
res:Gasparis dicta palam aspernabantur, negantes, futura damna lucraue
sibi esse tanti,vt præsentem fructum ac dulcedinẽ vltionis amitterent. Hoc
perditorum hominum genus,itemque blasphemi, & seditiosi, & grassato-
res,egit cum Lusitano præfecto Gaspar, vt oppido pellerentur; sed pro-
pter multitudinem impetrari non potuit. Crescebat interim occupatio-
num moles. quippe non vnius nationis alteriusue salutem Gaspar com-
plexus erat animo,sed omnium prorsus, quotquot in eadem insula versa-
rentur. quò pluribus ergo sufficeret,spatia temporis certa ratione dispen-
sare coactus est.Dominicam feriam, itemque tertiam, quartam, & quin-
tam,populo Christiano:secundã ethnicis, sextam Mahometanis; sabbatũ
Hebræis(quos harũ quæque secta festos obseruabat dies)attribuit.Christia- F
nis, quod eorũ potissimũ gratia missus in ea loca fuisset, idcirco longè plu
rimum operæ tribuendum putabat.igitur & ægrotis in nosocomio,quoad
liceret,sedulus aderat;& custodias adibat frequentes;catechesim verò itẽ-
que conciones,vel feruẽtissimo solis ardore(cùm intra tectorum vmbras
immersi aquis incolæ sedent)habere pergebat tanto omniũ ordinum æta-
tumque concursu,loca certatim occupantium,vti pæne ante lucem tem-
plum auditoribus oppleretur. accedebat domestica & quotidiana cõsue-
tudo multorum;vt,quod è superiore incassum agerat loco,priuatis collo-
quijs,& familiari conuictu ad exitum haud rarò perduceret. Multo verò
maximam temporis partem eximebat pœnitentiæ sacramentum, cui Ga-
spar non interdiu solùm instabat, sed etiam noctu:atque ita distinebatur
interdum,vti ad necessariam corporis quietem,quantouis adhibito cona-
tu,spatiũ horæ vix vnius eriperet.Auxit eã occupationem, publicè per eos
dies accepta clades.Munitum & opportunũ castellum erat in Persidis con
tinente,Monaianum, Armuzianæ ditionis.id hosti repente proditũ est.eò
vehementius tum Regis,tum popularium animos inopinata res perculit.
missus extemplò recuperandi causa Mahometanus præfectus cum quinq;
millibus Persicę iuuẽtutis.additi ex fœdere,Lusitani circiter quadringenti.

Panta-

A Pantaleon Salâ præerat. Hoſce, Gaſpar, antequã ad bellum exirẽt, Chriſtia
no ritu ad confeſſionem conatus adducere, viginti vix perſuaſit; apud cæ-
teros inania fuêre monita: flagitijs non minus quàm armis operti ad ca-
ſtra tendebant. Venienti dein ad ſe Pantaleoni ſalutandi cauſa, vereri ſe
admodum dixit, ne graues neglecti numinis pœnas Luſitani propediem
darent. Præſenſioni reſpondit exitus. quippe, vt in ſtatiua peruentum eſt,
tetra Luſitanam cohortem inuaſit lethargi lues. breui periêre ad quinqua
ginta. vulnerati præterea ab hoſte circiter centum. inde cùm alij deinceps
atque alij caderent, ac veluti pecora paſſim inhumati iacerent; conſterna-
ta fœdo ſpectaculo reliqua cohors, & ex conſcientia delictorum, ſempiter
ni exitij metu perterrita; conuulſis repente ſignis ægrè Armuziam repe-
tunt; Gaſparem vnum omnes requirunt; vti ſe à peccatis abſoluat, ac reſi-
piſcentes exaudiat, obteſtantur. Nec mora; in valetudinarium admiſſi, & in
lectulis collocati plerique. Tum renouato ad omnem laborem conatu
Gaſpar in corporum ſimul & animorum curationem totus incumbere.
acciti extemplò medici adiutoreſque. Sacerdotes etiam aduocabãtur; ſed
vulgo negarunt milites, vlli omnino ſeſe, niſi Gaſpari, arcana ſui pectoris
B velle committere. quocirca ita diſtringebatur, vti vno eodemque tempo-
re, huic peccata expromenti, aures: illi animam agenti, voces & hortamen-
ta præberet. Cecidit perincommodè, quod vi morbi emotis mente non-
nullis, ad confeſſionem peragendam neque ratio, neque ſermo conſtaret.
in ijs quidam cùm ferrum in ſeſe repente ſtrinxiſſet; clamore & concurſu
retentus, extorto gladio, in Gaſparis fauces inuaſit manibus: ac minimum
abfuit, quin ſpiritu intercluſo præfocaret inſontem. per vim auulſus, pau-
lo poſt exſpirauit. inſtinctu mali dæmonis in eam rabiem actus creditur,
tantam à Dei famulo ſibi quotidiè prædam eripi non ferentis. Inter hæc,
ſolicito Rege populoque, quod extraheretur bellum, & amiſſi caſtelli ob-
ſidio malè procederet; ſupplicationes ad Beatæ Virginis ædiculam duo fe-
rè millia paſſuum ab vrbe, Gaſpar indixit. inſigni pietate concepta excal-
ceati nõ ſemel iêre quamplurimi, cæleſtem opem ac pacem conſono cla-
more poſcentes. haud in irritum fuſa obſecratio. Monaianum, vi & armis
ad eam diem fruſtra oppugnatum; conditionibus demum, ac ſubita volũ-
tatum inclinatione receptum eſt. ea res præter ſpem nuntiata, ingentem
C Gaſpari apud omnes gratiam & gloriam peperit. eximiæ viri ſanctimoniæ
felix tribuebatur euentus. Acceſsêre ad nominis celebritatẽ ac famam, in
alio genere nonnulla miracula. Luſitanus erat prædiues, mammonæ la-
queis valdè irretitus. is Gaſparem ſalutaria dantem monita, identidem re-
ſpuebat, hoc etiam nomine infenſus patri, quod ſuum negotiãdi ac viuen-
di genus (vt eſt ſuſpicax malè cõſcia mens) publicis ab eo concionibus pro
priè perſtringi putaret. cum huius pertinacia Gaſpar interim officijs & ca-
ritate certabat. ac plurima nequicquam expertus, ad extremum magis ma-
giſque pro illo ſe macerat, preces & obſecrationes inſtaurat. nouiſſima de-
mum hæc remedia valuêre. propitiati Domini in obſtinatum indulgentia
ſingularis apparuit: quippe ſera iam nocte, ſecundum quietem Luſitanus
præſentem ſibi videre viſus eſt ſacerdotem, pulcherrima forma conſpicu-
um, ſuauiſſimo quodam odore fragrantem. tum alter adſtans iacenti ne-
ſcio quis, amica voce; quid, inquit, dubitas, cœleſti huic medicõ, animi tui
latebras & vlcera patefacere? nonne cernis quantus oris decor, quanta &
quàm auguſta corporis totius habituſque dignitas ſit? Hiſce dictis erecto
mirum in modum homini, & experiendi cauſa manus ad tactum admo-
uenti, apparere Gaſpar è veſtigio deſijt. eam ſcilicet fruſtrationem Luſita-
nus ægrè admodum ferre. Tum alter ille, triſtem ac mœrentem bono ani-
mo iubet eſſe, certam deſiderati ſacerdotis in proximo ſpondet copiam;

quippe,vbi diluxerit, in regio noſocomio publicè ſacris operaturum. hæc D
effatus,item euanuit.Admiranda ſomnij virtus fuit. lapideum viri pectus
emollijt; vim lacrymarum expreſſit.madentibus inde oculis ac genis eui-
gilans,Gaſparem è valetudinario precibus infimis domum accerſit; perq;
ſummam obſeruantiam, ac miſtum gratulationi pudorem accepto, actæ
ad eam diem vitæ,quantum repetere potuit memorando, noxas ediſſerit;
eidem ſeq; & ſua cuncta permittit. mox tempeſtiuo dierum aliquot ſe-
ceſſu,meditatiõe ſaluberrima vegetatus,cùm alia Chriſtianæ ſanitatis mi-
nimè obſcura dedit ſigna;tum verò,quod in egentes, breui aureorum mil
lia circiter quinque diſtribuit.Alium quendam, Gaſpar, diu multumque
oblu&tantem,ad euomendam animi ſaniem, plagaſque nudandas tãdem
aliquando perduxerat.is,pera&ta confeſſione,dum circa mediam no&tem
è præſcripto ſatisfacit;ecce tibi,tetris animalibus fœdiſque monſtris cubi-
culum repente completur. ab ijs circumuentus, ac variè petitus, obriguit
primò;& conſcius offenſionum,incertus gratię,ne viuus in tartarum cum
ipſis,vt aiunt,veſtimentis illicò raperetur, extimuit. dein, vbi ſe ſe paulùlũ
ex pauore collegit, detra&tam è pariete ſacram imaginem arctè comple-
xus, magno clamore diuinum implorat auxilium. Ad eas voces(mirum E
dictu)confeſtim atra illa & feralis turba diſceſſit tanto cum tumultu ſtre-
pituque, vti domus tota concuti & conuelli funditus videretur.Id probè
expiati purgatique animi argumentum nõnulli duxêre. certè magna tum
ſua,tum Gaſparis laude, vir ille, haud paulò meliorẽ inde vitæ rationem
inſtituit.Alius,cùm aliquot iam annos in flagitiorum tenebris & cœno ia-
ceret;in Chriſti lucẽ extrahi nullo modo ſe patiebatur;affirmãs, mortem
ſubiturum potius, quàm Gaſparis vultum atq; iudicium. Veritus deinde,
ne,ſi diutius in eadem vrbe manſiſſet,ad id ipſum quod adeò horrebat,a-
micorum aut conuitijs tandem adigeretur, aut precibus; mutare ſedem,
& in Indiã proficiſci quamprimùm decreuit.eo conſilio vixdũ conſcen-
derat nauem, cùm ſubita vi morbi, miſer,ac ſimul panico quodã ita cor-
reptus eſt,vt cœleſtes in ſuũ caput minas vndiq; intentas putaret:quicquid
increpuiſſet,ſe videlicet vnum peti ſine dubio crederet. Hiſce terroribus
anxius,in terram exſcendit:Gaſparem aduocat:peccata fatetur:ac valetu-
dine tum demũ recepta, caſtigato vetere luxu nouum induit hominem.
eodem improuiſæ mortis metu pertinaces alij multi ad Gaſparis tribunal,
arbitriumq; pertra&ti.Atq; horum,animi fermè: illorum, etiã corpora ſa- F
nata diuinitus. Primarij viri filius, febri grauiſſima laborabat.eidem erat
oculus diuturna tabe putridus,& fœuo tumore diruptus.duplici malo mul
tis adhibitis effectu nullo remedijs; cùm in humana ope nihil iam eſſet
ſpei,mœrens pater Gaſparem demiſsè obteſtatur & obſecrat, vti pro ſalu-
te cariſſimi filij tam periculosè ægrotantis,litare dignetur.Fecit ille:neque
diutius dilatum è cœlo beneficium eſt.eo ipſo quo ſalutarem hoſtiã obtu-
lit die, non ſolùm æquatis humoribus vniuerſa febris abijt,ſed etiam de-
lapſis ex oculo maioribus ſquamis, planè reſtitutum eſt lumen. Tum pa-
rens,accito feſtinè Gaſpari,liberatum vtroque ſimul morbo iuuenem,vix
præ lætitia ſui compos oſtendit:agitq; gratias immortales, quod ſibi pari-
ter ac nato ſpiritum lucemq; reddiderit. At Gaſpar, modeſto vultu, con-
ſtantiq; ſermone,Deiparæ Virgini, cuius votiuum fuerat ſacrum, tantam
virtutem,adeò inſigne miraculum tribuit.Idem pro amico pæne iam ani-
mam agente rogatus fecit: ille,ſacro vixdum abſoluto, conualuit. Mulier
à dęmone propemodũ obſeſſa,ſpectriſq; horrificis agitata, in vltimũ vene
rat vitæ diſcrimẽ.Euocatus à marito Gaſpar, vt afflictæ & exſangui manus
imponeret;per occupationes ipſe tum quidem adire non potuit; cæterùm
ſchedulã,inſcripto diui Ioannis Euãgelio, pro ſe miſit, quam peſti amoli-

endæ

A endę mulier è collo ſuſpenderet.id vbi factum, confeſtim leuata morbo, terroribuſq; ſoluta,ſurrexit.Præterea,cuiuſdã acutiſſimus laterum dolor, pia Gaſparis deprecatione ſedatus eſt. Neq; verò ad corporis morbos duntaxat leuandos,aut depellendos,valebant eius vota;ſed etiam, vbi ad animi ſalutem id expediret, vltrò accerſendos augẽdoſq;. Centurio nobilis quidam,inſigni contumacia & procacitate pæne totius ciuitatis odia ſibi conciuerat: ac proinde cũ multis, vt fit, graues & apertas inimicitias exercebat.Is ad cõcordiã à Gaſpare diu multumq; ſolicitatus irrito ſemper conatu,incertũ cuius rei gratia ex vrbe ſeceſſit.regreſſus deinde, cùm in eadem obſtinatione perſtaret;quàm vellẽ(inquit Gaſpar) ad flectendam iſtius mẽtis duritiẽ,diuina manu in corpus aliquid grauioris cruciatus immitti!nondũ id planè optauerat,cùm ferus ille,ſæua correptus febri,adGaſparẽ, vrgente religione ſe contulit.à quo per Pœnitentię ſacramentũ ritè expiatus, cùm in eius poteſtate ſeſe futurũ omnino affirmaſſet; apprehẽſum inermẽ ac ſupplicẽ, pater, ad petendã ab inimicis veniam offenſionũ tota vrbe circũagit:ſanè opportunè:quippe, alij lapidibus, alij gladijs &balliſtis inſtructi, varijs locis inuiſum caput ad necem operiebantur: quorum in-

B cenſus dolor,& puniendi propoſitum,centurionis humilitate,& Gaſparis auctoritate ſubitò mitigatum eſt.Ita , quod ferreus miles, audacia & robore ægrè aſſecutus foret,vti aduerſariorũ iras atq; impetus frãgeret, id morbo ſubactus & Gaſparis hortatu, Chriſtiana virtute ac ſubmiſſione perfecit.Alium item ſuperbum, & ſanguinarium; truciq; ore minaces gerẽtem ſpiritus,aduerſa præter opinionem valetudo proſtrauerat. Vſus occaſione Gaſpar,ad hominem,ſi qua poſſet leniendum ſimul & expiandum,clementer accedit.mulcere iracundiam; bona concordiæ & pacis, diſcordiæ mala;perpetuum è mutuis certaminibus angorem ac ſolicitudinem;Chri

\ ſtianæ legis de reconciliatione vim ac neceſſitatem expromere.Ille, domita nondum aſperitate ſæuitiaque,patrem auerſatus,vltrò contumelias ingerit, Deumque laceſſit ipſum. abiret cum intempeſtiua ſapientia:nullo pacto velle ſe inultum excedere:neque ipſius Chriſti gratiam exiſtimationi ac dignitati præferre.hæc & alia, militariter, impia verba iactanti, renidens amarum Gaſpar;Itane?inquit.Atqui non ante craſtinus occidet ſol, quàm tu plus quinquies , & quidem fruſtra,ſacerdotẽ inclames.nec vana cecinit.poſtera luce ante meridiem acri ſymptomate oppreſſus, poſita re-

C pente ferocia, magnis vocibus Dei ſeruum ægrotus implorat. ac parũ abfuit, quin ad ſupplicium ſempiternum,temeratus ac ſordidus è vita diſcederet.Hæc & alia id genus,à Gaſpare, cœleſtis cuiuſdam virtutis edita documenta.Præterea miſti varijs è nationibus ad eum deſertores ac transfugæ,necnon ſchiſmatici ventitabant Abaſſini, Armenij, Georgiani, & ex Europa non pauci. quos ille, per ſummam lenitatem ereptis opinionum erroribus,ſolemni ritu piatos,reſtituebat Eccleſiæ.Ex ijs vnus,Ioannes nomine,in ipſo conatu Gaſparis adeundi, præclarũ martyrij decus tulit.Germanus erat genere,in vrbe Colonia patre natus admodũ locuplete;annũque iam decimum in oppido Turcarũ Catifa, nõ longè ab Armuzianis finibus pro Mahometano ſeſe gerebat,tormentarij pulueris artifex,atq; ob id ipſum genti percarus.is,audito Gaſparis nomine,rebuſq; ijs quæ Armuziæ gerebantur; ab impio miniſterio ad famulatũ Chriſti,ſi Gaſpar adiuuaret,quamprimùm redire conſtituit. Id quò ſine arbitris fieret, in atramenti librarij difficultate, ſulphureum diluit puluerem: ex eo diluto litteras ad Gaſparem vna eademque ſententia,Latino, Belgico, & Franco ſermone conſcribit:vehemẽter optare ſe,modò apud Luſitanos tutò liceat commorari,& in idipſum à Gaſpare fidem accipiat; Armuziã venire, & Chriſto Domino per ſacramentum pœnitentię ſatisfacere.eo nuntio lętus Ga-

ſpar extemplò reſcribit; fidenter accedat, ſibi ac Luſitanis aduẽtum ipſius D
gratiſſimum fore. Hæc epiſtola, incertum eius fraude qui perferendam acceperat, an alio quo caſu, ab Catifano præfecto intercepta, Ioannis conſilium prodidit. Confeſtim à Turcis de ipſius religione quæſitum. ille verò intrepidè ſeſe Chriſtianum fateri, atque ad omnia tormenta necemq; pro Chriſti nomine promptum oſtendere. Inde furentibus Mahometanis, fœdè laniatus atque diſſectus, ad vltimum vſque ſpiritum in veræ fidei confeſſione permanſit. Caput abſciſſum, & prælongo infixum haſtili, Turcæ in arcis mœnibus poſuêre. Haud ita multò poſt, Luſitana claſſis Armuziam tenuit. millia duo circiter hominum ea claſſe vehebantur. eius turbæ totius animorum ſordes Gaſpar eluit ſolus, quod ſacerdotes cæteri per eos dies in morbum incidiſſent. inde placato Deo Luſitanus ardentior ad Catifanum littus acceſſit, ac repentina deſcenſione oppidum cepit, atque diripuit. inter direptionem, Gaſparis epiſtola apud Præfectum reperta. eo argumẽto de Ioannis nece cognitum eſt. refixum extemplò caput, Armuziamq; accuratè tranſmiſſum Gaſpar cum pſalmodia & laudatione perhonorificè condidit. Atq; hęc fermè Dei ſeruus cum his qui vel Chriſti cenſebantur nomine, vel quoquomodo ad ius ac ditionem Eccleſiæ pertine- E
bant. Cum Saracenis autem, & Arabibus, quiq; alij pſeudoprophetã ſequuntur, cùm ex occaſione aliâs, tum verò ſexta, vti dictum eſt, feria maximè verſabatur. Apud eos, contra quàm in Iapone Xauerio, magnã illi pepererat exiſtimationem perſpecta & voluntaria viri paupertas; & in tantis animi bonis, tantaq; doctrina, tantus corporis neglectus, tanta externi cultus habituſq; tenuitas. Gratiam verò conciliarat comitas, & manſuetudo, & ſuper hæc, fœneratoribus Europæis per illum incuſſa religio, & exhauſtis incolis pecuniæ reſtitutæ. Augebat venerationem, conſtans apud omnes de eximia illius ſanctitate, editiſq; miraculis rumor. vt eum Mahometani magnum Chriſtianorum ſacerdotem, atque adeo ipſum Ioannem Baptiſtam Zachariæ filium vulgo appellarent. Ergo ab ijs, patri, inter cætera, nouum etiam & inuſitatum honoris genus illud habitum eſt. media nocte, videlicet ob calores, illum non modò in maximum Mahometis templum (Coranum, id eſt rem ſacram Arabes de ipſo Mahometicæ legis nomine appellant) quo Chriſtianis hominibus pedẽ intuliſſe capitale eſt; ſed etiam in ipſius templi faſtigium perduxêre frequẽtes, magna luminum accenſa vi, manum ipſius ac veſtem ſubinde oſculantes: neque abnuit ire F
Gaſpar, quò gentis ritus ac ſuperſtitiones, refutandi gratia, certius propiuſq; cognoſceret. Eadem fama permotus Armuziæ Rex ipſe, diuino impulſu paulatim in ſtudium Chriſtianæ religionis incubuit, atque in id ipſum viginti circiter millia traxit è multitudine, itemque è nobilitate nonnullos: neque ita multò pòſt ad ſe Gaſparem accerſijt, intrantiq;e, non aſſurrexit ſolùm, ſed etiam in ſuamet ſella diu renitentem ſedere coegit. Ad colloquium, cæteris arbitris conſultò remotis, vnus interpres adhibitus Garzias Penna Luſitanus, fidelis vir, & ſolers ingenio; Latinis pariter & Arabicis litteris eruditus. In eo congreſſu, cognita Regis voluntate, quominus inuiſa proceribus foret, actum de coarguẽdis in publico cœtu & principum corona, vanitatis Mahometanæ fallacijs: dein condictum catechiſmo tempus, ac ſacro baptiſmati. & Gaſpar, collaudato Rege, lætiſſimus abijt. eam rem (neque enim celari diutius potuit) ſatrapæ ægrè admodum paſſi, blanditijs primùm ac precibus tentant Regem: aſpernanti, mox defectionem, & arma, & iras Thomæ Perſarum Regis magni denuntiant. Haſce comminationes, diuina tutela fretus & ſubſidio Luſitano, temnebat Rex. Cacizios inſuper (quo nomine Mahometanæ ſuperſtitionis antiſtites vocant) auſos in regiæ veſtibulo de auita religione tenenda vociferari, con-

A ri,confeſtim abigi lapidibus iuſſit,atque perpetuo mulctauit exſilio.Hacte
nus conſtantiam & fortitudinem Rex præſtitit miram: ſed matris ad ex-
tremum,inteſtina bella,patriæ excidium, occaſum regni omni arte miſe-
rantis,obteſtationes & lacrymas diutius ferre nõ valuit. Regis exemplum
cæteri extemplò ſecuti.Aliquot deinde interiectis diebus, vocato rurſum
ad ſe Gaſpari plus etiam quàm antea honoris tribuit Rex. ingredienti ad
ſcalas occurrit,ac dextram inſuper apprehenſam nixus genibus exoſcula-
ri contendit.dein tarditatis purgandæ cauſa, docuit quãto in periculo res
verſaretur.Si pergant de baptiſmo agere;domeſticos tumultus ac ſeditio-
nes, externa imminere bella.cedendum tempori, neque experiendam tan
to diſcrimine vim. vbi primùm atrox procella conciderit,& optata afful-
ſerit lux,ſe neque ſuis promiſſis, neque patris optimi caritati ac ſtudio
defuturum. Interea,quæ alioquin ad rei Chriſtianæ dignitatem & incre-
mentum attineant, quantum præſentes difficultates ac tempora patian-
tur, ab ſe cuncta nihilominus exſpectet.Ad ea dicta Gaſpar, magna nimi-
rum ſpe deluſus ingemuit;hortatuſque Regem eſt;vti Deo,cui nihil ardu-
um,fideret;eiqúe totam rem ex animo commendaret. ipſe item ab Rege
B digreſſus,contra nouas dæmonum & hominum fraudes, nouum è cœlo
auxilium petit:voluntarias pœnas,ieiunia,obſecrationes per ſe perq́; ſuos
inſtaurat:ſupplicationes de more per vrbem habendas curat.concinentes
longo agmine incedebant pueri;validior ætas, quinquageni vel ſexageni
pariter,in ſua terga flagris acerrimè ſæuiebant: omnibus locis implorabā-
tur diuina clementia.Aduerſus ea Cacizij viciſſim inflati pœnitentia Re-
gis & popularium,concitata plebe, ſupplicationes item obire, inediã ex-
tendere,nouaculis cutem incidere,quàm maximas manus in Coranum &
reliqua fana cogere,Mahometis exſecrabile nomen, ex omni parte diſſo-
nis clamoribus inuocare.Tum Gaſpar, facinus indignum ratus, in vrbe
quæ Luſitano præſidio teneretur.Chriſto Mahometem opponi:cum veri-
tate mendacium,fabulas & ludibria cũ recta fide ſanctiſq́; myſterijs pro-
pemodũ ex æquo contendere; per ſummum animi ardorẽ aliquot maio-
ris formæ comparat Cruces; ac nulla vi,nullo armorum ſtrepitu,præuia
dũtaxat pſallentiũ puerorum imbelli turba,ad Coranũ tendit intrepidus.
res mira:Crucis virtute ac fulgore perſtricti atq; attoniti Mahometani re-
C pente diffugiunt.Gaſpar in Corano palã victricia mortis ac Satanæ defigit
ſigna.Regis dein iuſſu fabris adhibitis, templi ianuæ cæmento & calce ob-
ſtruuntur.Super hæc,graui edicto impiæ vociferationes inſula tota prohi
bitæ. tũ vero ſatrapæ & antiſtites fremere;violatas religiones,& ſacra deſer
ta, cum Armuziano corã,cũ cæteris Regibus,Perſaq́; in primis,per litteras
queri: cunctos ad arma atq; ad vltionẽ accendere; poſtremò, ſeſe vrbẽ re-
licturos,& in perniciem vectigalium aliò commercia auocaturos minari.
cùm parum terrendo proficerent,ac nihilominus clauſę valuæ perſtarẽt,
multò breuiorẽ,& magis cõpendiariam ineunt viam. Europæos aliquot,
profeſſione duntaxat ac nomine Chriſtianos,perque eos nouũ arcis Luſi-
tanæ præfectũ grãdi adoriuntur pecunia,vti Coranum deniq; patefieri, &
celeberrimæ religionis altaria ſibi reddi permittat.Præfectus,quietis vide-
licet otijque cauſa inclinato ad aſſentiendum animo, nihil tamen incon-
ſulto Gaſpare auſus aggredi,patrẽ ad conuiuiũ inuitat. in eo cõuiuio cùm
blandè ſuper ea re Gaſparem appellare, & molli brachio negotiũ tracta-
re cæpiſſet,ſubito deliquio pæne exanimatus, cæptũ omiſit. de cæteris qui
rem nefariam vrgebant,alij alio leto paucis diebus abſumpti.de templo in
præſentia nihil impetratum. Rex cùm aliquandiu Chriſti cultum agitaſſet
animo,improborum artificio ac ſcelere ſenſim infatuatus,deniq; ſapien-
tem cogitationẽ abiecit,ac regno cœleſti(quod nimiũ ſępè fieri videmus)

huma-

humanas opes,& fluxa commoda vitæ præſentis antetulit. De populo ta- D
men ſubinde fiebant aliqui Chriſtiani. Sed Gaſpar ipſa petebat capita;&
legis peritos in certamen ac diſputationem elicere nitebatur, vt Mahome
tica palam prauitate conuicta, gentem,ſi fieri poſſet, vniuerſam ad Chri-
ſtum adiungeret.illi contrà,tergiuerſari,congreſſum altercationemq; de-
fugere,& quidem ipſius religionis obtentu, quod ſubdola falſi prophetæ
ſanctione vetari dicuntur,Mahometica dogmata ad examen ac trutinam
reuocare, & in quæſtionem vllo pacto deducere. Hoc maximè prætextu
conatus Gaſparis & prouocationes diu elusêre. Veriti deinde, ne ſi perge-
rent abnuere pugnam;prædamnare ſemet,& cauſæ diffidere viderentur;
athletam denique producunt,ætate prouectum,natione Perſam, cùm ſo-
brietatis apud eos,tum verò doctrinæ fama præſtantem:quippe nō Maho-
metica dumtaxat volumina,ſed Ariſtotelem etiam lectitarat,ac medicam
inſuper callebat artem, eratq; in phyſicis apprimè verſatus.Is in medium
adductus,Gaſpari ante omnia ſponſionem obtulit; in montem natiui ſa-
lis(quales in eo tractu multi conſurgunt)ſqualidum, ac deſertum,& om-
nis alimenti penitus inopem ſecederent ambo. vter diutius in eo monte
inediam toleraſſet,eius fides in Deum ac religio, rectior ac ſanctior habe- E
retur.Ad ea Gaſpar,tentato,quod aiūt,Deo,nihil op⁹ eſſe reſpondit:homi
nem à brutis ratione tantùm & oratione ſecerni:verbis agerent prius:con
certatione verborum ſi decerni lis,atq; ad liquidum controuerſia perdu-
ci non poſſet;tum demum ſponſione certarent;atq; ad aſpera quamlibet
experimenta deſcenderent.Hiſce auditis philoſophus rubore ſtatim,mox
pallore ſuffundi: nolle ſe videri victum: nolle rurſus infirmas ac friuolas
theſes in diſcrimen adducere.ad extremū,vincente pudorem metu,in ali-
ud tempus dilata res eſt.Porrò,hæc nequaquā in occulto agebantur.Inter
cæteros aderant ipſius philoſophi vxor, & filia,non vulgari indole & in-
genio fœminæ,& inſuper, generis nobilitate inſignes, è Zeidenſi familia,
quam ferunt ab ipſo Mahomete originem ducere.hæ, perſpecta pugilis
Chriſtiani conſtantia,Mahometani formidine; profectò nihil ſyncerum
ac ſolidum ſubeſſe patrijs cæremonijs argutè coniectant. dein afflatæ diui
nitus,quando paterfamilias in amentia perſtaret, priuatim ipſæmet ſaluti
ſuæ proſpiciunt,baptiſmum à Gaſpare ſeorſim petunt. ille fœminas illu-
ſtres apud fidelem amicum & probum,catechiſmi cauſa in hoſpitio locat;
ianuis quæ in publicum ferebant,diligenter occluſis.ea res ob illarum cla F
ritatem atrox admodū incolis viſa,magnoſq; in vrbe animorum motus
exciuit:ſed partim Gaſparis reuerentia,partim Luſitanorum arce machi-
niſque deterriti,diuerſorio vim afferre non audebant. Tum philoſophus
deſiderio ac dolore agitatus, ad Gaſparem adit; iniuriam dolenter expo-
ſtulat;coniugem marito,parenti filiam reddi protinus æquum eſſe, Deos
hominesque teſtatur. Gaſpar contra,nihil iniuria factum dicere, fœminas
vltro(& ſapienter quidē)ſibi conſuluiſſe:vt Chriſto initiarentur, ſupplici-
ter exoraſſe:recta illarum ſtudia deſeri,ſanctiſſima poſtulata repudiari ne-
fas fuiſſe.Sub hæc,multis vltro citroq; habitis verbis,nouam conditionem
philoſopho Gaſpar tulit;relictam paulo ante diſputationem,ex condicto
repeterent; teſtes adeſſent;ſi victor euaderet Perſa, fœminas domū abdu-
ceret cum bona pace: ſin victus;vnà cum illis ipſe quoq; Chriſtū indueret.
Eam conditionem admodū grauatè Perſa viſus accipere:ſed amor, & ne-
ceſſitudo,& præterea ratio dignitatis vrgebat. dicitur diſputationi dies.ea
vbi affuit,in idem conclaue conueniunt.ſponſionis iudices ac ſpectatores
certaminis Proepiſcopus ipſe, & Penna interpres, itemq; ſcriba publicus,
qui dialogum ex fide mandaret litteris;nec nō alij partis vtriuſq; viri gra-
ues adſtabant:ſpectaculi autem eò maior fructus fuit,quod certantiū vter-

que

A que dialecticis artibus erat imbutus: vt non eminus inter imperitos tanquam velites, in irritum aut in diuersum tela ferrentur; sed vt inter statarios & exercitatos, collato pede, gladij mucronesque concurrerent. De natura Dei quæsitum in primis. quem solitarium, & generationis expertem, è Cerdonis & aliorum hæresi Mahometes affirmat. Hanc naturam vel maximè fœcundam validis argumentis Gaspar ostendit: effecitque ratiocinando, vti Persa Deum trinum vnicumque, ex fidei orthodoxæ decreto concederet. Deinceps de Christo Dei filio sequutum problema, quem ex Dei quodam halitu; & è Virgine matre conceptum genitumque Mahometani eximium illi quidem prophetam agnoscunt; veruntamẽ Deũ eundem, & pro generis humani salute mortuũ, prorsus negant. At Gaspar, verũ Deum pariter hominẽque, duplici in vnam hypostasim coeunte natura, non solum è Spiritu sancto conceptũ & natũ è Virgine, sed etiam omnẽ Dei patris iram in perfidum ac rebelle genus humanũ suo capite excepisse, diraque supplicia, & ipsam in Cruce mortẽ spõte subijsse; rationib⁹, exemplis, oraculis docuit. Iam, quæ Arabes de cœlesti beatitudine fabulantur, quam in fœda sensuum voluptate ac titillatione constituunt; quæque
B de immensis nescio quibus Angelorum corporibus ac ministerijs turpiter adstruunt, perleui momento cuncta Gaspar euertit. Denique, variè argumentando premendoque, paulatim aduersarium adduxit, vt Christianã religionem dignam esse quam prudentissimus quisque maximè foueret; Mahometicam nec sine stultitia suscipi, nec sine pertinacia defendi posse fateretur. Vbi ad hunc locũ ventum est; nouo persusus gaudio Gaspar, ad Persã: bene habet, inquit; nõ longè abes à regno Dei. dein cũ instare pergeret, & clarius eandem confessionem exprimere; Persa consusus ac perturbatus, dæmone reprensante resiliens, tam longè sese prolapsum ingemuit, ac sibi talia excidisse responsa. postremò, ne manus omnino dedisse videretur, ad veterem cantilenam confugit: domesticis negotijs impeditum, ne fidem falleret, subitò se in arenam descendisse: certis insuper libris ad commentandum sibi opus esse, quò paratior instructiorque in pugnam rediret. vt proferretur dies, & ampliaretur iudicium, postulauit. inde furtim ex vrbe ad vicinum dynastam consultandi gratia secessit. ab eo acriter obiurgatus, quod cum veteratore ac venefico (ita enim Gas-
C parem appellabat) egisset; camelis in Persidis interiora transmissus est, neque postea redijt. Insignis ad Caciziorum dedecus & ignominiam, illa fuga & exsilium fuit. vulgo, fractum & abiectum Persam latebras quæsisse narrabant. Vxor interim eius, & filia, Christianis institutionibus eruditæ, diuisis in pauperes aureorum quatuor fere millibus, magno apparatu pompaque ad templum Christi adeunt. ibi summo omnium gentium ordinumque concursu, mira bonorum lætitia, sacro fonte abluuntur. matronæ MARIA, virgini Catharina inditum nomen. hanc dein Gaspar Lusitano viro dedit in matrimonium. Earũ præclara conuersio Mahometanos in diuersa distraxit. alij exemplo incitati, rectam fidem amplectebantur. alios contra, è tam secundo Christianæ rei progressu metus incessit, ne magia & præcãtationibus ad peregrina & inuisa cogerentur sacra. ac proinde, antistitũ admonitu, non modò vocem Gasparis ac vultus horrebant; sed etiam ad consuetum catechismi signum, oppositis illicò manibus obturabant aures, quod ita persuasum haberent, in ipso quoque illius tintinnabulo ac sono, vim inesse maleficam. Per idem tempus, modò præconum adesset copia, nouus in vicinas regiones aditus Euangelio patescebat. populi sunt felicis Arabiæ, celeberrimis quatuor oppidis incolentes: Ammonitas quidam opinantur: vetustissimi generis: in ipsum vsque Loth originem referunt. Horum maiores, fama est mortalium primos à

Mahome-

Mahomete in fraudem inductos.ij,rumore excitati, qui de Gaſparis admi- D
rãda virtute ac doctrina longè lateq; manauerat;communi conſenſu pa-
trẽ ad ſe per litteras ac nuntios inuitarũt. magno ſtudio ſe teneri veritatis
& ſapientiæ:ad ſitientes aures accederet; non ſine fructu verba facturũ.ea
res Gaſpari miſtũ dolore gaudium attulit.ſolicitã de officij ratione,deq; ę-
terna ſalute gentem in media apparere barbaria, magnopere lætabatur.
obſtructum ſibi ad eos aditum,valde mœrebat. Optatum quippe Gaſpari
dudum fuerat;ad mortem ac ſupplicia pro Chriſti nomine ſubeunda, ſe
ſe in medios Perſas ac Turcas immittere; & Mahometanæ ſectæ menda-
cia refutare palam:ſed eo feruore comperto, Xauerius, publicæ magis rei
quàm Gaſparis gloriæ conſulens,in ipſo diſceſſu illum ex inſula Armuzia,
ad triennium, ſuo vel certè Goani Rectoris iniuſſu pedem efferre, vetue-
rat. Itaque Gaſpar,quamquam eundi ac periclitandi percupidus;tamẽ ob-
ſequium ſacrificio antiquius duxit:legatos, adhibita præparatione, bapti-
ſmo luſtrauit:quominus in eam regionem ipſe in præſentia tenderet,cau-
ſatus occupationes,per epiſtolam vniuerſę nationi ſuaſit,idoneos interim
ad ſe diſcipulos mitterent, atque in amore ac propoſito veri cognoſcẽdi
perſtarent. Hæc ſe ſe initia dabant expeditionis nouæ. neceſſariò dilata, E
multis,vt fit,difficultatibus interpoſitis deinde conſenuit. At Gaſpar à li-
bero excurſu,& ancipiti peregrinatione cohibitus, eò accuratius operam
ac ſtudium in omnes vnius Armuzianæ vineæ partes intendit. Inter alias
nationes,vti dictum eſt,ethnici quoque ſimulacris dediti Armuziæ verſa-
bantur.In ijs aliquot erant Iogues,(de quibus ante cõmemorauimus)hor-
rido in primis & aſpero victu cultuque famam ſanctimoniæ vulgo capta-
re adſueti.ſuburbanum habebãt ſpecum,ac delubrum: interdiu ad emen-
dicandam ſtipem,& imbuendas varijs erroribus hominum mentes prodi-
bant:noctu ſe ſe in eam recipiebant latebram:ſtatiſque horis(adeo ex om-
ni parte Chriſtianas cæremonias dæmon æmulari non deſinit) dato ſigno
ad certas primùm commentationes euigilabant;tum ad cæleſtes honores
ſimulacro ſeu pagodi cuidam, vt vulgus Indicum vocat, habendos.vnus
omnibus præerat,inſigni duritia & auſteritate vitæ: neglecta ſemper bar-
ba & capillo;aſperſo cineribus corpore;obſitus pannis,ac ſeminudus; di-
ra macie luridus.hiſce alijſq; id genus artibus in tãtam ſui admirationem
adduxerat cunctos,vti qua pedes aqua lauiſſet,hanc Armuziæ Rex ipſe re-
ligionis cauſa potaret.Hũc præcipuo conatu Gaſpar aggreſſus, paucis die- F
bus arcta ſibi familiaritate deuinxit;& crebra cum eodem inſtituit de om-
ni virtute,ac præſertim de continentia & de caſtitate colloquia. quibus il-
le paulatim in ſtudiũ Chriſtianæ religionis adductus, moram trahebat ni-
hilominus;& inter conſilium mutandæ vitæ perplexus hærebat.Ita nutan
ti & anxio,ſuaſit Gaſpar, vti diebus triginta continuis, quina verbera vir-
gæ,totidem Chriſti plagas recolendo ſuſciperet: certamq; ſibi lucem à ſo-
le iuſtitiæ accuratis precibus imploraret.Fecit ille diligenter. ac demũ no-
cte quadam diuinas laudes & bona reputãti apud ſe ſe, clara ſubitò ad au-
res accidit vox: Quin tu,quod tibi monſtratur iter ingrederis ? vna eſt ad
ſalutem via, quam populus Chriſtianus inſiſtit.ſimul, vigilãti,magnificus
noſtratium ſacrorum apparatus per ſpeciem oblatus: pretioſa Põtificum
veſtimenta:ſumptuoſa textilia: mitræ gemmis auroq; fulgentes: nitidiſſi-
ma lintea: nec non diſpoſita in abacis vaſa varij generis, auro argentoq;
cælata. His ille viſis, ac monitis, & intimo ſancti ſpiritus hortatu vehe-
menter incenſus, ad Chriſtum ſine vlla dubitatione tranſire conſtituit.
Manè, vitato Regis congreſſu, qui ad illum viſendi cauſa,vti ſolebat, ac-
ceſſerat, Gaſparem ipſe vltro conuenit; baptiſmum enixe petijt. adeptus,
noua innocentiæ ſtola & inclyto Pauli nomine decoratus eſt. Goam de-

in pro-

A in profectus,& in Europam classe transmissus, iucundum aliquandiu spectaculum Regi Lusitano,ac popularibus præbuit.paranti postmodũ è Lusitania Romam ipsam adire, interuenit mors. Cæterùm Armuziæ sequuti rectoris auctoritatem Iogues alij, suaue Christi iugum, graui & acerba dæmonum excussa tyrannide,subiêre.insignis ad veri Dei gloriam,& rectæ fidei propagationem ea conuersio fuit: atque ad multum exinde tempus in omnium ore ac sermone versata.specum ac delubrum Gaspar solemni ritu expiatum,prælta ibi defixa Cruce, Deiparæ Virgini dedicauit. Idem Iudæos omni officio & caritate complexus,miram ab eorum plerisq; gratiam inijt. inde sese comiter illorum synagogis & cœtibus inserẽdo, quem frustra exspectant liberatorem ac Regem aduenisse iamdudum;atque ad infinitam eius clementiam quamlibet noxijs ac perduellibus aditum perfugiumque patere,firmissimis argumẽtis ac testimonijs demonstrabat:vti ab inanibus vmbris,& rancida superstitione ad nouam legem veritatis & gratiæ se se tandem aliquando transferrent;suadere & instare pergebat. duos præsertim magistros; quos vocant Rabinos, magna apud vesanam gentem auctoritate,in certamẽ vocabat:ac parum abfuit,quin sæpius con-

B uictum vtrunque ad Ecclesiam aggregaret.quominus planè obsequerentur, nimia in vxores ac liberos indulgentia, & necessariò malè quæsitæ rei familiaris damno deterriti sunt. Hisce alijsque gestis rebus, celeberrimum in Oriente Gasparis nomẽ euasit.Vna res famulo Dei ad cumulum dignitatis & gloriæ defuit;occasio martyrij subeundi; quàm ille palmam ardenter,vti dictum est,adamauerat.Felicior in eodem voto fuit Antonius Criminalis,quem à Xauerio Ecclesiæ Parauanæ præpositum fuisse docuimus.Is totam oram, ducenta amplius passuum millia, singulis mensibus ingenti labore nudis pedibus obire adsuetus; ad Remanacoris vada tũ erudiendæ insudabat plebi.Vltimus in Septentrionem Christianorum locus erat ille:Narsingano seu Bisnagensi regno finitimus, agri malè pacati: atque ob id Lusitanorum aliquot præsidio tenebatur.In eodem littore nobilissimum idolorum fanum habent Brachmanæ;ij ab Lusitanis militibus per lasciuiam lacessiti,ac varijs affecti contumelijs, ad proximos Narsingæ populos confugiunt,quos Badagas vocant.cum ijs acceptas à Lusitano queruntur iniurias:orãt obsecrantque,ne patriæ religionis antistites,Deo-

C rum immortalium interpretes ac sacerdotes,peregrinis,& profanis, & desertis hominibus,derisui ac ludibrio diutius patiantur esse. Præsentissimũ quemque spreti numinis vindicem vltoremque,maxima ab superis haud dubiè laturum præmia.Hisce vocibus incitati barbari, certis de more significationibus iuuentutem ad arma vocant:millia fermè sex momentò conueniunt:ad Remanacorem agmine infesto contendunt. Haudquaquam anceps erat expeditio.Pagus, nullo aut perexiguo septus munimento, ad incursum patebat:incolæ minimè feroces ingenio; &, super insitam lenitatem;piscando natandoque magis quàm bello aut armis exercitati.in Lusitanis tantùm erat spes:qui tamen ipsi vix quadragenarium explebant numerum:& quidem per eos fortè dies, cùm ab alijs imparati rebus, tũ à tormentario puluere,quo maximè malo territare vel pauci magna barbarorum examina,& in fugã agere consueuerant.Nota hæc Narsingano: speculatores quippe ac delatores occulti non deerant. eò maiore fiducia & impetu ferebatur ad prædam.Aduentu hostium cognito (& prouecta iam erat dies)Antonius præfectum præsidij Ioannem Fernandum Corream ad pacem duris in rebus petendam,placandosque aliqua honesta ratione Badagas, nequicquam adhortatus; templum, vbi rem diuinam manè peregerat,rursus ingreditur;ibi tenellum gregem eterno pastori commẽdat. tum de ipsorum incolumitate solicitus,ad portum accurrit.Miseranda ibi

rerum facies.iam iamque adesse nuntiabatur hostis.inde alij protinus in a- D
uia fugam arripere:alij domo raptim elatis quæ quisque poterat, occupare lintres, vel vbi in ijs locus non esset,ad ipsas in salo stantes adnare naues; alij,deficiente consilio,incerti quid agerent, hac illac errabundi cursare. Mulierum in primis triste spectaculum.hæ paruos complexæ liberos, opẽ à viris implorantes;cuncta lamentis gemitibusq; complebant. Antonius, certatim offerẽtibus illi scapham Christianis; atque vt præsenti exitio subtraheret sese,etiam atque etiam obtestantibus; imbellem & opportunam iniuriæ turbam summa ope instat imponere.Inter hæc,Badagæ, nulla pacis mentione ad aures admissa,irarum & cupiditatis pleni,sine certamine irrumpũt: Lusitanos trepidè molientes à terra,telis eminus impetunt.lanceis multi;plerique sagittis,complures etiam, nuper illatis ad eos ferreis instructi fistulis aderant.ijs licet nondum ita peritè vterentur,tamen haud in irritum plumbea tela mittebant.Icti Lusitani periêre postmodum sex.Antonius,dum, suimet oblitus,pergit fidelis custos armento consulere;comitem suum & interpretem,eximia probitate virũm,occidi circa se videt.ad eius casum,illicò manibus oculisque defixis in cœlum, procumbit in genua; quod ille quadragies fermè cum iaculatorijs precibus quotidiè facitabat.Inter eam supplicationem,ipse quoque mox impio ferro confossus, E
animam Deo reddidit.Abscissum caput,& madentem cruore subuculam, barbari ad ostentationem ex alto suspendunt.inde ad prædam versi, magnum fœminarum ac puerorum abducunt numerum;atque ad gratias pro bene gesta re idolo agendas,cum læto cantu ac tripudijs abeunt. Beati martyris truncum,tenui cespite à superstitibus incolis in summa tellure contectum,Lusitani deinceps altius effossa humo,cum lacrymis condidêre. Vir fuit insigni morum sanctitate;minimè vulgari consilio & vsu rerum; cibi ac somni parcissimus;patientia corporis animique mira;ac multo plura spiritus Apostolici relicturus exempla,ni strenuum probatumque operarium, diuina bonitas, ad glorioſam laborum mercedem ex agro maturasset educere. Felicem eius exitum, cum cura exploratum atque compertum, socij à Xauerio eidem attributi, cùm alij priuatim ad alios,tum communiter omnes ad Goanum Episcopum ex fide scripsêre.

Libri quartidecimi Finis.

HISTO

A

HISTORIARVM INDICARVM

LIBER QVINTVSDECIMVS.



BALIS viri nece, ac neophytorum acerba vexatione commotis bonorum omnium animis, haud exigua ſpes aliunde rerum vtique lætiorum affulſit. Maritimum eſt oppidū Tanor, leucas vltra Goam circiter octoginta, cis Calecutum ad quindecim. eius oppidi Rex è Brachmanarum ordine ac diſciplina, cuiuſmodi plerique Malabaricæ terræ ſunt Reges; in Luſitanū nomen à pueritia valde propenſus, cum Cialenſis arcis præfecto Ludouico Xiralupo (quam arcem à Nonnio Prætore exſtructam in limite Calecutano docuimus) amicitiam ac familiaritatem inierat. Idem, Vincētium Franciſcanū, Goani Epiſcopi comitē; & Ioannem Soarium Cialenſem antiſtitem, ventitantes ad ſe, libenter audiebat. horum præcipuè ſtimulis diſcuſſo torpore, baptizatus à Soario, ſuſceptus à Xiralupo, & Coſmo Annio Queſtore (quitū fortè Cocino rediens, Tanore ſalutandi eius cauſa deſcenderat) Ioannis maximè nomen in gratiā Luſitani Regis deſumpſit. Paulo poſt, vxor quoque ſacro fonte luſtrata, itemq; è Cialenſis reguli præfectis vnus, & è Caimalibus ſeu dynaſtis alter. verùm hæc in occulto fiebāt, ne quis grauior popularium motus exiſteret; atque adeo Rex ipſe Tanoris, trina fila, Brachmanicæ ſuperſtitionis inſignia, palam è ceruice geſtabat; cùm tamen idem ipſe, Vincentij patris munus, æneam icunculam Chriſti ad Crucem affixi, abditam foueret in ſinu. ſub hæc, neophytum Regem adſtringendæ cum
C Luſitanis amicitiæ cauſa, inceſſit cupido regiam ipſorum vrbem vltrò adeundi Goam; & familiariter cum Prætore & cum Epiſcopo colloquendi. id quò tutius faceret, litteras ad vtrumque dat; vetuſtum ſibi hoſpitium eſſe cum Luſitano genere: nuper etiam, illorum ſacra ſibi & vxori ſuſcepta. Valde ſe optare, ſi per eos liceat, ad maiorem percipiendum eius neceſſitudinis fructum, dextraſque iungendas, Goam venire. eſſe præterea, quæ cum vtroque communicari vehementer expediat. Eiuſmodi litteris ad vrbem allatis, aduentus illius fama extemplò vulgata nouo gaudio cunctos affecit. præclarum atque honorificum ſibi ducebant, ſub nominis Luſitani tutela præſidioque latere quamplurimos; & Chriſtianam religionē relictis patrijs ritibus induiſſe haud ignobilem in ijs locis Regem: atque, vt cupiditati eſt fermè adiuncta credulitas, vulgo ita differebant: Malabarici littoris incolas omnes, viri huius exemplo atq; auctoritate, in Luſitanicā fidē breui eſſe venturos: ſimul, affuturo propediē hoſpiti, quod genus honoris habeatur, exquirunt. ſuper eadem re Prætor ipſe conſiliū aduocat. ei conſilio interfuēre delecti è nobilitate viri triginta: Quæſtores regij tres: cuſtos Frāciſcanorum; & Goanus Epiſcopus. Ambigebat Prætor, vtrum aduenientem Tanoriū, qui apud ſuos nondū pro Chriſtiano ſe gereret, neq; Brachmanicas è collo deponeret lineas, Goæ pro Chriſtiano accipi ac tractari oporteret. ea de re cùm alia alij rogati cenſerent; negauit Epiſcopus, neo-

phyto Regi,patrium in præſentia geſtamen , aut vitio verti, aut fraudi eſſe D
debere.Ioſephum quoque ab Arimathia, quem iuſtum ſacræ teſtentur litteræ:itemque Nicodemum,& Gamalielem, qua fide,qua probitate viros? occultos Chriſti diſcipulos fuiſſe propter metum Iudæorum . eandem ob cauſam,ipſoſmet Apoſtolos Chriſti, ante acceptã ſpiritus plenitudinem, ianuis clauſis dies aliquot in eadem cænatione latuiſſe.iam verò ,Diuũ Sebaſtianum, bellatorem illum ducemque fortiſſimum,ſuſcepta dudũ Chriſtiana religione,tamen Romano militari ornatu,vt nulla re prorſus à cæteris dignoſci poſſet,cuſtodias diſſimulanter obire,& martyribus animos addere ſolitum,quoad coram ipſo Diocletiano demum aperiendi quis eſſet,quem coleret,cui dies nocteſque ſeruiret, præclara ſeſe dedit occaſio. Similiter,huic etiam Regi tam pio, nondum maturis ad Chriſtum publicè profitendum rebus, concedendum aliquid ſpatij,dũ Naires ac proceres vitandæ ſeditionis cauſa paulatim ab inſita ſuperſtitione diuellat.ſuum eſſe cuiuſque rei tempus.id exſpectandum vtique ſapienti.ſæpe, quæ patientia ac lenitate ſanari negotia poſſint, peruicacia & feſtinatione corrumpi. Hæc,& in hanc ſententiam alia dixit Epiſcopus, haud dubiè beneuolentia in Regem,& quadam naturæ bonitate prouectus: nec ſatis animaduertẽs, E
quantum inter habitum nationis,& ſymbola religionis interſit. Vicit tamen auctoritas Pontificis,inque eius ſententiam Prætor & reliqui frequẽtes iêre.Confeſtim Ioannes Lupus cum octo biremibus, & idoneo cõmeatu,miſſus ad Regem aduehendum;in ipſo Tanoris aditu anchoras iacit,deque ſuo appulſu facit eum per nuntios certiorem.ille,ſoſpitem gratulatus acceſſum,ad profectionem extemplò ſe comparat.id vbi cognitum in vrbe,propinqui,& primores,ac præcipuè Brachmanæ circumſiſtunt Regem; monent,orant,obſecrant, ne regnum ſine cauſa deſerat;ne caput ſuum peregrinæ & ignotæ committat genti:ne ſeſe vetuſtiſſimis cæremonijs prædi tum auguſtumque,profana &impura contagione contaminet.Ea monita preceſque obfirmato ad iter animo cùm Ioãnes aſpernaretur; enimuero illi acrioribus remedijs opus eſſe conſtituunt:facta conſpiratione, cuſtodibuſque ad portas adhibitis, Regem in arcem includunt triplici circundatam muro.neque tamen idcirco ille de ſententia demoueri ſe eſt paſſus.nocte cõcubia,ſolus,reuincta capillis in ipſo vertice, quam dicebamus,effigie Chriſti,cuius opem ſubinde implorabat;ſubitariã reſtem, præligato quod fors obtulerat aduncо cerui cornu,retinaculi cauſa in pinnas iacit: eoque F
adminiculo in ſummum euadit.inde trãſlato in partem alteram vinculo, ſuſpenſus manibus ad ima ſeſe demittit.ita, ſeptum vnum atq; alterũ felici auſu tranſgreſſus;in tertij deſcẽſu, quod altitudinem mœnium reſtis haud æquaret,ex interuallo deſiliens,caput & alterum læſit crus .inde ad ſtationem Luſitanorũ ægrè progreſſus,in aſcenſu ſcaphæ,tumentibus aquis pænè ſubmergitur. Hiſce defunctus periculis, ad naues denique magna omnium gratulatione peruenit. Vixdum in Prætoriam erat acceptus,cùm eius cognito diſceſſu oppidani ad littus accurrunt:ſupplices tendunt ad illum manus;eadem quæ paulo ante, cum lacrymis obteſtantur. quos ille partim præſenti largitione,partim celeris reditus promiſſione ſolatus;familiaribus paucis adſumptis Goam ire perrexit. Propius ad inſulam accedenti , præfectus vrbis Franciſcus Lima in ipſo portus ore cum ſplendido comitatu,& fulgentibus vndiq; ſerico verſicolore caturibus ac lembis,obuiam fit.Ad mutuum conſpectum, vtrinque tubæ tibiæque,ac tympana perſtrepunt.Conſueta dein ſalutatione accepta redditaq; Rex ad impoſitam littori ſuburbanam Antonij Perſonæ villam, regio inſtructam apparatu,deducitur.ibi noctem exegit.Poſtera luce,Hiſpanienſi decorus habitu & aureo torque, pari frequentia, nec ſine horriſono tormentorum

fragore

A fragore ad vrbem classe prouehitur. ipsum Prætorem in arcis mole præstolantem; paratos item ciues populumque; structã summa ratione pompam offendit. eius pompæ ordo traditur talis. Ad portam qua intrandum erat, Lima præfectus in argentea lance claues vrbis tenebat; hospiti Regi more maiorum offerendas, adstabant decuriones auratis baculis holosericam ostrinam attollentes vmbellam, fimbrijs è cocco retorto pendentibus. Viam quæ recta vocatur, & præter Sabaianas ædes ad templum fert maximum, probè purgatam, aqua consperſam, virentiqúe stratam iunco, parietibus ex vtraque parte pretioso textili & varia pictura nitentibus; clerici & sodalitia sacra cum infulis & insignibus religionum, longo agmine insederant. postremus omniũ erat Episcopus, maioris formæ baiulans Crucem. Rex vrbem ingressus, cùm cætera lætus gratulatione; tum in primis honore clauium; sub vmbella cunctabundus incessit, adeò conferta occursantium ac deducentium multitudine (cùm interim è superioribus locis alij spectarẽt plurimi) vti à lictoribus, vmbellam antecedenti honoris causa Prætori, magno labore submoueretur. Vbi ad Episcopum accessit Rex, solemni ab eo precatione lustratus, Crucem venerabundus amplectitur,

B pendentis Christi signum exosculatur: dein templum intrat, fusisque ritè precibus, ad pridianum hospitium eques eodem studio & comitatu reducitur. exceptus dein à Prætore quàm apparatissimis epulis, arcano colloquio tempus ac locum petit. confestim vacua pars facta Prætorij. ad colloquium Episcopus, & nonnulli theologi nominatim adsciti, ac præter hosce Lima vrbis Præfectus, & Franciscus Aluarus à secretis, & regij quos dixi Quæstores, & Gaspar Nonnius interpres. Coram eo confessu Rex omnem sui de religione consilij rationem exposuit. Sibi, posteaquam, singulari Dei beneficio caligine discussa, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ ac veritatis emerserit, nihil æquè in votis fuisse, aut esse; atque vt populares suos non solùm, sed vicinos quoque Reges ac Principes Christo conciliet; cunctisque de suo (quod aiunt) lumine lumẽ accendat. Verùm lenitate opus esse: quæ nisi tempus ac spatium datum sit, constare non possit; vsque adeò Malabaricam gentem suas amplecti ac fouere, alienas horrere atque auersari leges ac cæremonias: adeò auitis erroribus ac superstitionibus captam atq; implicatam teneri. interea sibi Christum eiusque præcepta penitus hærere in medullis: eius rei Deum & conscientiam testes inuocat. si-

C mul, ad certamina, vbi res tulerit, pro Christi nomine subeunda sacrosancto Chrismate confirmari se postulat. Ad ea Prætor, & Episcopus, collaudata viri pietate, cùm experiendi gratia dicerent, satius videri sibi, Regem, ad cæteros permouendos, Christianũ sese fateri palam; & ope diuina præsidioque magis quàm humana prudentia vel dexteritate cõfidere; multo plus vniuersę genti exẽplo factisq; quã arte ac simulatione & occultis hortationibus profuturum; Rex magna rursum pericula, magnos rerum motus obtendere. inter cætera incommoda, fratrem sibi esse æmulum regni, præpotentis dynastæ vicinis opibus & fauore subnixum. haud sine causa vereri se, ne si noua, & peregrina obtrudenda religione, populorum animi grauius offendantur, eorum alienationem ille suam occasionem putet. Lusitanis paululum modò exspectare ne graue sit. Si vita suppetat; domesticas pariter & publicas res ita se Deo adiuuante cõpositurum, vt quæ nũc temporis causa corde tacitus premat, ea postmodum vultu, sermone, rebus denique ipsis tuto possit expromere. Aduersus hæc vltra tendere, neque Prætori, neque consiliarijs visum. ita, re infecta discessum est. seorsum dein super sacramento Confirmationis à Prętore consultus Episcopus, nequaquam negandum enixè petenti respondit; eodemq; approbãte Prætore, postridie ipsemet in priuato sacello, neophytũ, paucis adhibitis testibus

ne rumor manaret, ſolemni ritu adluctam ſpiritalem inunxit. ab eo myſte D
rio Rex nouis dein promiſſis optima ſpe tum Epiſcopum, tum cęteros om
nes impleuit. Decem fermè dies Goę in hoſpitio ſubſtitit. omnes hi dies Lu
ſitano populo geniales ac feſti fuêre. è cūctis ædium ſacrarum turribus cā
panum æs quàm citatiſſimo pulſu dies nocteſque perſonuit. Exhibiti ludi,
taurorumque venatio; acceſsêre armatæ ſaltationes & Indicæ, & Aegyptia
cæ; mimi, ſanniones, & petoriſtæ, quæque alia effuſæ lætitiæ ſigna ſunt: item
que ad Numidarum conſuetudinem edita equeſtris pugnæ ſimulacra; in
quibus expeditos equites, vario diſtinctos ornatu, arundinum iaculis inter
ſe decertare mos eſt. Inter quæ reuocatus domeſticorum epiſtolis precibus
que Rex, proficiſcendi veniam petit. Multum illi à Prætore bombycinæ
veſtis, multum goſſipinæ famulis in diſceſſu donatum. omni genere hono
ris & officij cultus, multo quàm ante Luſitanis amicior & obſtrictior ab-
ijt. Hanc nos rei geſtæ ſeriem cùm ex alijs auctoribus minimè ſpernendis,
tum verò ex ipſiuſmet Epiſcopi Goani litteris hauſimus, ad Catharinam
Luſitaniæ Reginam datis. quibus nuntijs mirum in modum lætus Ioan-
nes Rex, Tanorij conuerſionem vnà cum Antonij Criminalis exitu glo-
rioſo, non modò Luſitania tota prædicandam curauit, ſed etiam Romæ E
Pontificatum ineunti Iulio iij. per Alphonſum Alencaſtrium oratorem
ſuum diligenter expoſuit. quæ res, ingenti plauſu, per eos ipſos dies re-
ſurgente Britannia quoque (perſtitiſſet vtinam) bonorum ac fidelium vbi-
que gaudia cumulauit. Sunt qui totam eam conuerſionem, captandæ Lu-
ſitanorum gratiæ, in tempus ab Rege barbaro fictam putent, eo maximè
argumento, quod domum reuectus, promiſſa non præſtitit. Mihi, circum-
ſpectis rebus omnibus, veriſimilius videtur, metu potius quā perfidia neo-
phytū à ſuſcepto conſilio deſtitiſſe: præſertim q alioquin & ipſe contractā
cum Luſitanis amicitiam egregiè coluit, & ſucceſſor eius hodie ſeſe pręcla
rè in eoſdem animatum oſtendit. Circa idem tempus, extorres patria dy-
naſtæ alij duo, cùm ad Luſitanam cōfugiſſent opem, tenera ætate vterque,
ad Chriſtū adiuncti, atque à Prætore Societati IESV in diſciplinam dati.
Trichinamalo inſulæ alter, quæ Ceilano adiacet; alter Maldiuis, quarum
de regione ac natura ſupra docuimus, imperabat. Ac Trichinamalio quid
poſtea contigerit, incertum. Maldiuanus, ducta in matrimonium nobi-
li Virgine Luſitana; exſul adhuc, & regno ſuperſtes, Cocini extremā ætatē
degit inglorius. eius maximus natu filius, Franciſcus nomine, præſtanti in- F
dole & humanitate adoleſcens, nuper, cùm in Luſitaniam ad Philippum
Regem ſuis ac patrijs de rebus veniſſet; per noctem ignotus Oliſipone, à ſi-
carijs, contracta ex occurſu rixa, magno bonorum dolore peremptus eſt.
Cæterùm inter eas quas dixi conuerſiones, confecta iam ætate Garzias Prę
tor, anno ſeculi huius vndequinquageſimo ſupremum obierat diem; paca
tam nactus quidem ille prouinciam, veruntamen de Luſitana re inter ip-
ſam pacem egregiè meritus. quippe imminutam varijs caſibus claſſem, rō
ſtratis celſioribus ad quatuordecim cum cura ſuppleuerat. ſulphurei pul-
ueris in vrbe Goa inſtituerat officinas. Luſitanicæ ditionis oppida & propu
gnacula cunctis ad tolerandum bellum rebus inſtruxerat. inchoatam à Ca
ſtrio Dienſis arcis ædificationem, ex eius commentarijs ac deſtinatione
promouerat: multas ab eodem ob negotia bellica relictas in ſuſpenſo lites
& cōtrouerſias, attentā & æquabili iuriſdictione deciderat. In Garziæ locū
Georgius Capralius è regio codicillo ſuffectus. oppido Bazaino tum præ-
rat: vir & bello ſtrenuus, & pietatis laude præcellens. Hoc rerum Indicarū
ſtatu, Braſilicæ quoque ſyluæ ac dumeta paulatim interlucari ac ſubigi cę-
pta. Societati IESV id item onus impoſitum; cùm id ipſum Franciſcani
iam ante fratres aliquot, Italici maximè generis, forti magis animo quàm

proſpero

A proſpero euentu tentaſſent. Namque ante partam eius linguæ notitiam, vnus ex ijs in traiectu fluminis ignoti ſubmerſus, celebre illi ab ſe nomen dedit. Fratris flumen exinde appellatum. reliqui, ſubitò coortis in aduenas Braſilijs, interempti. Succeſsêre igitur è Societate primi omnium ſex; Ioannes Azpilcueta Nauarrus, Antonius Pireus, Leonardus Nonnius, Didacus Iacobæus, & Vincentius Rhoterigius Luſitani. Rector ijs additus item Luſitanus, Emmanuel Nobrega, præſtanti virtute ac ſapientia vir. Thomã ſequebantur Soſam, qui primus omnium Prætor ea littora petijt. Braſiliã attigêre ineunte Aprili mẽſe, anno poſt Chriſtum natum MDXLIX. cùm ante duos circiter mẽſes Oliſipone ſoluiſſent. Nauigatione ſunt vſi admodum læta, ventisque adeo ſecundis atque ferentibus, vti cæptis illorum adeſſe Deum, haud obſcurè appareret. Paucæ tum Luſitanici generis erant in ijs regionibus, ac vix dũ inchoatæ coloniæ, ſeu præfecturæ. antiquiſſima omnium, & ab Aequatore in meridiem prima, Itamaraca dicebatur. alteram Pernambucum, tertiam Illeos, quartam (Capralis quondam appulſu prænobilem) Portum ſecurum; extremam à Sancto Vincentio nominauerant. ipſorum verò incolarum, nulli pagi, nulla oppida vrbeſue. diſperſis

B (vti ſupra dictum eſt) mapalibus habitabant, ſedem pabuli ratione mutantes Nomadum in morem: ijdemque ab externis alieni commercijs, & infandis epulis adſueti, paucos aduenas & imperitos regionum, haud ſine cauſa terrebant. Soſa comiteſque ad villam quam vocant Veterem deſcẽſione facta, inſtructo agmine, Chriſtianæ religionis inſignia præferentes, puro & aperto loco præcelſa Crucis trophæa gratulabundi conſtituunt. Ibi menſis fermè vnius fuit mora, dum varijs artibus conciliantur animi barbarorum, & idoneus in vicino ſitus exquiritur nouæ vrbi condendæ, cui deinde Saluatoris nomen inditum eſt. Nec vani fuêre conatus. & pax cum accolis inita, & ſpatium ædificationi deſignatum duobus circiter paſſuum millibus à Veterevilla. inde Luſitanæ multitudini (aliquot exceptis, quibus priorem ſedem mutare non placuit) in exſtructionem areæ diuiduntur. Patres, facta optione, locum domicilio delegêre, vbi MARIAE Virginis adiutricis templum hodie cernitur. id templum ab ijſdem conditum eſt ingenti labore: ſiquidem populo domibus priuatim excitandis, & cingenda raptim vrbe, dies noctesq; occupato, aquari lignariq́ue ipſimet, ac proximis è montibus materiam ſuis humeris baiulare cogebantur. Ac-

C cedebat extrema propemodum egeſtas in ignoto incultoque ſolo; nulladum in eorum victum aut cultum ab Rege decreta pecunia. excalceati, ac ſeminudi, æſtu & ſole torridi, quotidianum obibant opus. nec rarò, planè omnibus defecti alimentis, cibaria oſtiatim emendicabant euentu vario, quippe cùm alij ſibi quoque anguſtam eſſe domi rem dicerẽt; alij commoti miſericordia, ex eo quod ſuppetebat liberaliter impertirent. eiuſmodi inopia conflictatis, ad extremum Prætor modicum quid, eleëmoſynæ nomine ad tolerandam ex parte vitam adſignat, quoad reliquis deinde neceſſitatibus ab Luſitano Rege pro cætera ipſius munificentia ac pietate ſub uentũ eſt. Inter eas tamen ærumnas, miſeriasque (ſi vltro ſuſcepta pro Chriſti nomine incommoda nominibus hiſce appellare fas eſt) adiuuandis quã tum liceret, Luſitanorum animis, exemplo, verbo, ſacramentis inſtabant. Sed non eo conſilio tantum traiecerant pelagi, vti Europæis inquilinis, Chriſti notitia dudũ imbutis, atq; ab infantia ad numerũ fideliũ adſcriptis, potiſſimũ operam darent. Indigenarũ illi ſalutẽ præcipua contemplatione ſpectabãt, in cæcis opinionũ tenebris, & in sũma veri numinis ignoratione verſantiũ. itaq;, ſimulac popularis è Luſitania Sacerdos aduenit, qui curionis parochive munere fũgi poſſet, cõceſſis illi ędibus tãto ſudore cõſtructis; extra oppidũ nouam in ſedẽ loco edito cõmigrarunt, quem montem Cal-

uarium ipſi dixêre,circumfuſis vndique barbarorum tugurijs; magno ſci- D
licet apertoque diſcrimine vitæ;ſed ſacra Deo & deuota iam capita, nihil
pro ſalute hominum periculi recuſabant.Atque hac maximè ratione Prę
tori ac cæteris, (quos tamen haud omnino relinquebant)ſatiſfactum à pa-
tribus.Alia longè erat cauſa Vincentianæ coloniæ,quos exſules fermè,in
vltimis finibus ab omni Chriſtiano paſtore diſiunctos, atque ob id ipſum
cœleſti carentes cibo,circumfrementibus barbaris,ipſa propemodum effe
rauerant loca. Ad hoſce igitur omni ſtudio recreandos refouendoſque
Nobrega ex ipſa-ſuorum paucitate duos in præſentia deſtinauit: Leonar-
dum Nonnium,& Didacum Iacobæum.ipſe cum reliquis ad Braſilios in-
didem cicurandos & erudiendos incubuit.erat omnino laborioſa prouin-
cia,& multis difficultatibus implicata.obſtabat inſcitia linguæ, quamquã
haud ita copioſæ nec variæ,tamen ab omni Europæo ſermone planè ab-
horrentis.obſtabant ingenia moreſque incolarum: quod ſuper quotidia-
nas cædes,ac finitima bella,& inexpiabile vlciſcendi certamen, dapeſque
diras; in crapulam quoque ac Venerem proiecti, magis indies obtunderẽt
aciem mentis;& flagitiorum cæno quicquid erat indolis bonæ, demerge- E
rent.Accedebat indomitum ac latè patens malum, & quo valentius nihil
aditum atque iter obſepſerit Euangelio;veterum Chriſtianorum,indigna
tali nomine ac profeſſione licentia, procacitaſque, cum anxia cupiditate
ſordibuſque coniuncta:vt eorum aduentus in barbarorum vicos,vitæque
conſuetudo,cùm grauiter cũctos offenderet,tum ingentem nomini Chri-
ſtiano inuidiam infamiamque conflaret.Nec leue afferebat incommodũ
ipſa mobilitas gentis,& crebra, vti dicebamus, mutatio loci; vt ſub ipſam
interdum meſſem,feſſis agricolis, & diuturnum laborem tædiumque ſpe
largi prouentus de more ſolantibus,adultæ iam ſegetes repente apparere
deſinerent.Poſtremò deploranda erat hic etiam, in tam vaſtis terrarum
ſpatijs tantula ac tam deſerta operarum manus. Sed nequaquam idcirco
fracti animis vel debilitati ſunt patres, haud ignari videlicet, quàm exiguo
numero Apoſtoli quantas olim res Deo duce atque adiutore geſſiſſent. &
Chriſtus idem,talium conſiliorum parens fautorque, recentibus his quo-
que famulis ipſo potiſſimum præſide fretis, ac nihilominus pro ſua parte
ſatagentibus, aderat.Igitur incommodo linguæ obuiam itum initio non-
nullorum ope ex ijs qui ante Soſæ aduentum ad villam Veterem agebant.
ij primùm adhibiti interpretes,vicẽ ſermonis vtcunque ſupplebant. Dein, F
quò facilius procederet tota res,ac minus ipſi aliunde penderent patres ad
Braſilicam linguam addiſcendam cuncti pariter animum adijciunt,acriq;
ſtudio ac pia æmulatione perfectum haud ita magno tẽporis interuallo,
vti eſſent ad confeſſiones audiendas,& habendas conciones idonei. Azpil
cuetæ præſertim in eo genere enituit laus; vt cognitis iam rebus quæ à Xa-
uerio apud Indos fierent, vulgo Luſitani affirmarent,peculiare ac propriũ
munus decuſque Nauarræ gentis ac nominis videri conuerſionem ethni-
corum.Hoc inſtructi adiumento patres,doctrinæ Chriſtianæ capita,certas
que precationes,vt aſſolet,Braſilicè vertunt.dehinc vicos,& tuguria paula
tim obire;modeſtia, comitate, beneficijs obligare ſibi homines omnium
ætatum:ac ſimul de rebus diuinis dicere per ſe ad populum incipiunt. Mi-
rificos inſolita prædicatio motus animorum effecit in rudi tenebriſque in
uoluta barbarie;fatiſque apparebat,cùm alia,tum præſertim quæ de om-
nipotentia & infinitate Dei differebantur,ingenti cum admiratione æquè
à viris ac mulieribus accipi.Noſtram etiam legendi ſcribendique conſue-
tudinem ac peritiam,ſine fine ſuſpicere videbantur;cupereque ſeſe in cul-
tu ac religione noſtris eſſe ſimillimos.verùm quominus id re ipſa perfice-
rent,inueterata morum peruerſitate ac feritate retardabantur.eò acrius

inſtare

A inſtare patres, vti eos humaniorem ad victum ritumque traducerent. Maximus fuit labor in cohibenda funeſti ac feralis cibi cõſuetudine, quo Braſilius nullum palato gratius edulium norat. atque ob idipſum grauia non ſemel adiêre diſcrimina. Inter cætera illud memoratur facinus inſigne. Captum in prelio ex hoſtibus quendã accolæ ad Caluarij mõtis radices attraxerant, ac diu paſtum coactumq; pingueſcere, in epulas ingenti cum exſultatione mactarant. ea re cognita, Chriſtum ſuppliciter inuocãt patres, hortatique inter ſe protinus aduolant; in tugurium irrepunt; protenſum cadauer in ganeam prẽparantibus interueniunt: palam ac fidenter afferunt manus. Ac virorum quidem, quies ac ſilentium fuit, iniecto pudore, quod cũ patribus nonnihil iam familiaritatis è vicinitate contraxerant. Non eadẽ fuit patientia fœminarũ. vetulæ adſtabant aliquot præcipua crudelitate, & hoſtis puniendi libidine. hæ ſibi nec opinato ereptam è faucibus prædã indignè ferentes, cũ clamoribus & quiritationibus concurſare, iuuentutẽ ad vlciſcendam adeò atrocem iniuriam excire. inde commoti nonnulli auferentibus aliquantulũ reſtitêre: ſed mox vel ipſa repugnante natura, vel etiam diuinitus territi cæptũ omittunt. ita, corpus ablatum patres in horto
B ſuo ſepeliunt, aliquot cenotaphijs ad fallendũ appoſitis, ſi fortè barbari noctu ad effodiendum atq; aſportandũ accederẽt. Nec vana fuit coniectura. Facta manu per tenebras in hortũ irrupêre Braſilij, pertentatiſq; ſepulcris, ac demũ inuento corpore (tanta ſagacitas fuit) iã extraxerant brachiũ, cùm excubantes in idipſum patres accurrunt, eademq; orationis animique conſtantia nefarios conatus infringunt: ac, ne ſæpius certandũ foret; ablata denuò mẽbra intra vrbẽ ipſam accuratè defodiũt. exaſperauit ea res vehemẽtius animos gentis, muliebribus præſertim incenſæ facibus; ac parũ abfuit, quin agmine facto repẽte vrbẽ inuaderẽt. Patres quidẽ, iuſſu Prętoris intra mœnia remigrare coacti tantiſper dum iræ miteſcerent; aliud ſibi hoſpitium condidêre, qua nunc collegij noui exſtruuntur ædes. Idẽ Prætor, quà erat pietate rerumque vſu, iacta in eos crimina & voces vulgi repreſſit. Ipſorum culpa & rerum gerendarum auiditate miſceri cuncta, pacem turbari, ferociſſimę nationis arma irritari conquerebantur. At ille negabat euentum belli extimeſcendum, quod eorum cauſa conflatum foret. Deum quippe vel meliori affuturum cauſæ, vel ſedatis tumultibus, è turbido aè
C triſti, ſerenum repente nitidumque diem haud dubiè redditurum. Vera cecinit. mitigati prẽter ſpem animi barbarorum; & magno omnium gaudio redintegrata pax eſt. lentius inde cautiuſque patres cum Braſilijs agere: nõ tam quod ſuo ipſi parcerent capiti, quàm ne ſermonem aut offenſionẽ popularibus darent: monendo, precando, fœditatem rei demonſtrando, non paucos à nefaria laniena ac popina tandem auulsêre. ab alijs impetratum, vti ad eos, qui capti ſaginarentur, ſaltem ſibi pateret alloquium. horum ergo, quando ſeruare corpora non dabatur, animis certè omni ſtudio conſulebant: Chriſtiana edoctos myſteria, atq; ad ſalutarem peccatorum deteſtationem adductos, priuſquam raperentur ad necem, ſacro luſtrabãt latice; dabantq; operam, vti ex hoſtium ludibrijs ac teterrima ſeruitute, ad cœleſtia regna protinus euolarent: ſed ne hac quidem ratione miſeris diu proſpicere licuit. Mali dæmonis artificio ſibi perſuaſerãt aiebantque barbari, intinctis eo baptiſmate carnibus multũ de priſtina ſaporis gratia deperire. ac proinde immutata volũtate, ab illo religionis munere noſtros arcebãt. Itaq; attẽta cõſultatione demũ eò decurſum à patribus, vti neci deſtinatos, ſupremo die ad patibulũ vſq; proſequerẽtur, atq; interea madenti ſudario ſuper aliq; corporis partẽ furtim expreſſo, adhibita formula ſacramenti, iã iamq; morituros diſſimulãter abluerẽt. id aliquoties tentatũ, ex animi ſententia ceſſit. Per idem ferè tempus Luſitanus quidã incolarũ caſis oberrãs,

incer-

incertum vnde orto iurgio,rixaue,perimitur.Accendit ea res maiorem in D
modum animos Europæorum.nulla ſurgentis etiam tum vrbis habita ratione, vindicandam fremunt cædem,conſulendum ipſo initio incolumitati aduenarum;neque impunitate ac ſocordia diutius alendam gentis audaciam.hæc minitabundi & coram Prætore, & inter ſe iactare. nec dubiè ad arma itum foret; ni rem Chriſtianam fouens Deus, barbarorum animos ad æquitatē repente flexiſſet.amicitiæ ac vicinitatis iura,ſanguini prętulêre.deditus piaculum iræ noxius,&, inaudito apud eas nationes genere pœnæ,in os bombardæ propalam inſertus , applicato ad ſpiraculum igne diſcerpitur. ea res per agros nuntiata, magnum Braſilijs terrorem incuſſit;ſimul etiam,vnius Luſitani caſus,cæteros in præſentia nonnihil ab inconſulto ac temerario diſcurſu cohibuit. inde patribus paulo expeditior Euangelij prædicatio cæpit eſſe.magnoq́; ac fidenti animo ſeſe multitudini ſubinde immiſcentes, denſam ignorantię nebulam,veritatis luce diſpellere,opinionum portenta ac monſtra fugare ; magorum ac veneficorum (quibus deriſui ſimul & quæſtui captæ mēdacijs & errore ſunt mentes) prę-
ſtigias atque fallacias aperire ac tollere nitebantur. In ijs præcipua aſtutia
veterator,ſummam ſibi auctoritatem vbique pepererat; tamquā pro Aeſ- E
culapio venditabat ſeſe;ad ęgrotos omnes illicò aduocabatur. Hūc Nobrega data opera aggreſſus,rogat;qua tandē vi res tantas efficiat;illumne conſulat Deum,qui totam hanc rerum vniuerſitatem verbo condiderit, regiamq́ue ac domicilium habet in cęlo;an tartarei cacodęmonis conſuetudine vtatur & opera.impudentiſſimè arrogantiſſimeq́ue reſpondit, ſe quoque Deum eſſe,& Deo prognatum;certum etiam hominem coram produxit,à quo grauiter laborante morbum ipſe depuliſſet . illum præterea regnatorem cęli Deum,ſibi eſſe amiciſſimum;ac ſępe inter nubes,tonitrua, ac fulmina oſtendere ſeſe:& alia eiuſmodi multa,ſuperbiæ vanitatiſq́ue pleniſſima.Hanc Nobrega tantam audaciam impietatemq́; non ferens, aduocata concione inſtitit ſingula hominis dicta firmiſſimis argumentis maxima vocis contentione refellere; conuictumq́ue tandem ac fractum,ad ſententiam ſimul moreſq́ue mutandos adduxit; amicè comiterq́ue pollicitus,ſe pro illo apud verum Deum fore deprecatorem. ac paulo poſt, cùm ſe ipſe initiandum ſpontè obtuliſſet,in catechumenorū adſcriptus eſt numerum.is numerus pro multitudine reliqua oppidò exiguus erat:ęgreq́ue F
admodum neceſſaria Chriſtianæ ſapientiæ pręcepta & dogmata capiebāt.
poſt diuturnam inſtitutionem,qui maximè idonei ad baptiſmum euasêre, vitali fonte luſtrati,cumq́ue vnica vxore, cæteris dimiſſis, ritè coniuncti ſunt.ex ijs vnus,lætitia geſtiens adijt patres: nutu geſtuq́ue ſignificans & affirmās,proxima nocte ſe ſe apud ſuperos fuiſſe,incredibili gaudio & ſuauitate perfuſum.Cætera plebs à patrijs epulis,& ebrietate,& ſaltationibus impudicis,& multiplici coniugio abſtrahi ac diuelli non poterant. neque in ijs colendis vllo pacto reſpondebat operæ fructus. quocirca ſocij, nequaquam vltra ſerere ſuper ſpinas,ſed puram aggredi tellurem è vetere præcepto conſtituunt.Infantes primū quamplurimos in tutum recipere (ſi cui fortè ante vſum rationis obeunda ſit dies) & ſalutari ſummi Paſtoris nota inſignire feſtinant.patres dein matreſq́ue familias,precibus,promiſſis,blādimentis adducunt,vti puerilem ætatem ac ſobolem, ſibi in diſciplinam dent.hoſce poſtmodum ipſos, cibo & crepundijs paulatim illectos,omni arte manſuefaciunt.nec pœnitendus fuit labor . ſiquidem & tradita facilè accipiebant,& retenta fideliter,grandioribus natu, quotidianæ conſuetudinis & linguæ beneficio per otium inculcabant; & ſuo ipſi exemplo ſenſim cæteros à nefarijs atque impuris moribus auertebant. Parentes interea (vt eſt etiam improbis ipſa per ſe virtus amabilis) filiorū obſequio,ſobrietate,cul-

A tate, cultu, doctrina lætari, eosq; vltro ad proficiendum accẽderẽ. ac tantus erat Christianę institutionis amor, vt pijs catechismi carminibus, ac beatis vocibus IESV & MARIAE, littora, campi, luci perstreperent. Neq; ita multis interiectis diebus, Brasilij centũ maturi baptismo exstitêre. is baptismus quanto maximo licuit apparatu pompaq; celebratus est peracto Paschate, qui præcipuè dies, vetere Ecclesiæ instituto, sacris eiusmodi sunt destinati. cæteros catechumenos ad septingentos, du amplius erudirentur, in aliud tempus, quãquam ingemiscentes & impatientes morę, differri placuit. Sub eiusmodi rerum initia, subitò factum, vti neophyti pæne omnes in morbum alui, oculorumue, ac varios abscessus inciderent. hæc magi videlicet ad baptisma inuidiosè referre. lauatione illa tentari valetudinẽ; doctrina ac prædicatione, pestem ac perniciem populis importari calumniabãtur. Sed ipsorum mẽdacia & improbitatẽ, Dei beneficio reddita mox Brasilijs firmitas, apertè redarguit. ea recepta, institêre cum alijs, monitu patrum, oratoria sacrasue ædes publicè exstruere, quò ad cõciones & catechismum vndique conuenirent. duæ duobus locis magno Christianæ rei bono exci-

B tatæ. Agitatum etiam à patribus (idq; dein tempore procedẽte perfectum est) vti quod de Theseo iactat Græcia, sparsos per tuguria indigenas, in pagos & oppida cogerent; agris colendis adsuefacerent; eorumque cœtus legibus ac magistratibus temperarent. Circa idem ferè tempus, quo Prætor in Brasiliam est missus, Conganis quoque Aethiopibus ab Rege Lusitano pari diligentia & caritate subuentum est. Alphonsus iam ante decesserat Rex, cuius de singulari virtute ac pietate initio demonstrauimus. Successor eius, Iacobus nomine, quamquã Christianis initiatus sacris, tamen ab illius viri vestigijs atque itineribus longè deflexerat. Hunc imitati populares, ad patria vitia leui momento ruebant. nec multum erat in Europæis vel institoribus, vel etiã sacrorum administris, auxilij. quippe tantũ aberant à miseris Aethiopibus verbo aut exemplo iuuandis, vt ipsi potius constringendi vinculis, maloq; ad officiũ cogendi viderentur. His rebus cognitis Ioannes Tertius, è Conimbrigensi collegio quatuor viros in vineam illam, cæteris eandẽ sortem ardenter optantibus, impetrauit: Christophorum Riberum, Iacobum Diazium, Didacum Soueralium, queis Georgius Vasæus præerat. ij ab Olisipone ad celebrẽ Sancti Thomę insulam nauiga-

C runt, ex qua facilis ad littora Congi traiectus est. in ea insula febribus alijsque morbis acerbè vexati, necdum recuperata valetudine Pindam emporium Cõgani Regni transmittunt. Eorũ aduẽtu audito Rex à leucis quinquaginta è proceribus duos obuiam misit. ab ijs in regiam ligneis equis de more perducti. rudis artificij tale commẽtum est. Cantherio seu tigno dorsi crassitudinis, pedum octo longitudinis, bubulum corium ad sellæ amplitudinem intendunt. huic ephippio diuaricatis cruribus viator insidet, baiuli succollant duo, & vbi longius iter est, succedunt alij. huiusmodi caballis languidos adhuc patres in interiora prouectos, comiter accepit, in Ioannis videlicet gratiã, Rex, vnà cum liberis & ciuitate ad Crucem extra mœnia positam honoris causa progressus. Tum illis adsignatur hospitium, cuiusmodi Aethiopũ ędificia sunt, culmo paleisq; contectum. Ibi Soueralius publicè ludũ aperuit. sexcẽtos admodũ pueros labore maximo & litteris, & Christianis pręceptionibus imbuebat. Cæteri ad emendãdam populi ac procerũ vitam omni ope connixi primũ, dein ad prædicandum ethnicis Euangelium operã contulêre, nec sine fructu: quippe intra quintum mẽsem Riberus mille septingentos Aethiopas probè institutos, ad Christum adiũxit: Diazius quadringentos: Vasęus trecentos. idemque Vasæus cum fido vno duntaxat interprete, viatico prorsus nullo in proximos pagos egressus, duo millia & septingentos baptismo expiauit: ac

præ-

præter templa olim in vrbe Alphonſi beneficio condita, tria in finibus ex- D
citauit dicauitque; Saluatori vnum, MARIAE Adiutrici alterum, tertium
Diuo Ioanni Baptiſtæ. ingraueſcente dein morbo, domum redire coactus:
ac reliqui item aduerſa conflictati valetudine (ſiue id è grauitate cœli, ſiue
ex inſolentia deterioris cibi contingeret) à ſpiritalibus miniſterijs ad ne-
ceſſariam corporum curationem haud ſine magno ipſorum dolore tra-
ducti. Acceſſit ad prædicationem interrumpendam, Regis quoque alienus
à ſtudio religionis animus, cùm rei Chriſtianæ, quæ ipſius auctoritate ac
munificētia in primis egeret, ſegniter admodum ac malignè pro ſua parte
conſuleret: atque inter cætera peſſimi exempli delicta, ab improborum cō
ſuetudine, & à multiplici pellicatu auelli non poſſet. Haud paulo felicior,
eadem tempeſtate, fidei proceſſus erat in India. & Capralius Prætor, tuen-
dis ornandiſque neophytis ethnicos ad Chriſtum inuitabat. Conſilio, au-
ctoritate, ope, Dei ſeruis & Euangelij præconibus aderat. Præter hæc attol-
lentem ſeſe denuo Zamorinum, exercitu maturè coacto repreſſit. Coule-
tum, Tiracolum, Pananem Calecutanæ ditionis, vi cepit, facibusque ſubie
ctis incendit; agros vaſtauit; palmeta ſuccidit; magnum numerum æquè
maioris ac minoris formæ nauium flammis abſumpſit. ad extremum, ora E
Malabaricæ proceres, Calecutani ſocios ac fœderatos, Cocino minitātes,
intra Ciembem inſulam deprehenſos obſedit: redactiſque iam in arctum
rebus, nuntius de Alphonſi Noroniæ ſucceſſoris aduentu in caſtra perfer-
tur. E Luſitania profectus, Ceilanum attigerat. ad eius rei famam dilapſi mi
lites, Noroniæ viſendi cupiditate. & Capralius ipſe ad prouinciam illi tra-
dendam, vix anno Præturæ circumacto, diſceſſit; inde ſoluta præter opini-
onem obſidio. Interim ex vlterioribus Indis valdè iniquos infeſtoſq; Euā-
gelio ſeſe præbebant reguli Molucenſes. ij cùm denuo in Luſitanorum cō-
ſpiraſſent cædem, patefactis inſidijs oppreſſi, vires omnes atque conſilia ad
neophytos ab Chriſti cultu abſterrendos, Caciziorum inſtinctu verterunt.
neque ita difficile fuit, exacerbatos Europæorum iniurijs, flagitijs atq; pec-
catis offenſos, necdum in veræ fidei ac ſolidæ virtutis amore fundatos, par-
tim ſuadendo, partim inſectando vexandoque conuellere. Ergo, cùm alij,
tum verò qui Mauricas inſulas incolebant, quorum ingens in oppido To-
lo erat numerus, Xauerij patrumque auctoritatis atq; inſtitutionis obliti,
rupto baptiſmi ſacramento, propalam ab Eccleſia Chriſtoque deſciſcunt: F
ædem ſacram euertunt: Cruces & ſanctorū ſigna ſuccidunt: Luſitano Re-
ge contempto; Geilolij tyranni imperio ac ditioni ſeſe ſubijciunt. Neque
impunè tanta illis impietas ceſſit: primùm ager, totius regionis antea fera-
ciſſimus, mutata ſubitò natura, ſqualidus atque effœtus euaſit: conditæ in
horrea fruges, dira tabe prorſus exeſæ: dulces aquæ, ſalſugine atque ama-
rore contracto, noxiæ redditæ: fame dein ac peſtilentia multi omnium æ-
tatum ordinumque mortales abſumpti. ac reliqui nihilominus in obſtina-
tione perſiſtere. fatiſque comperto, ſibi nouum à Luſitanis imminere bel-
lum, contra omni arte parare ſeſe; aditus alios muris, alios vallo foſſaque
& operibus obiectis obſtruere; milites ac tormenta clam ab Geilolio ſub-
miſſa locis idoneis collocare. Inde cùm ſe aduerſus omnem externā vim
ſat ſuperque tutos putarent, ac deterrimus quiſque ferociſſimè loquere-
tur; Luſitani parua, vt ſolent, manu, magnæ rei molem aggreſſi, cum auxi-
liaribus manipulis aliquot ſuperueniunt: miſſiſque è claſſe internuntijs,
blando ac benigno ſermone deſertores ad ſanitatem reuocare conantur.
ſe non armis aut multitudine fretos, aut ſanguinis auidos acceſſiſſe; verùm
ſalutis ipſorū ſtudio adductos, & omnipotentis Dei præſidio atq; ope ſub-
nixos: quem illi ſi pergant ſpernere, neque eos admiſſi facinoris pœniten-
tia capiat; maiore in dies mercede ſenſuros, quàm graui piaculo datam
Chriſto

A Christo fidem,& initam cum Lusitano Rege amicitiam, ac diuina pariter & humana fœdera violarint. Aduersus ea cùm inflato ac pertinaci animo respondissent barbari;sat iam ab ignoto & externo mercatore insultatum indigenis;non vltra ferendã impotentis dominatus acerbitatem;sibi quoque auxilia,machinasq;, ac bellica tormenta suppetere;deniq; se Christianos nullo pacto futuros; cõtinuò in amentes efferatosq; euidentior quàm vmquã aliâs,vindicta cœlestis apparuit.circa meridiem obscuratus repente sol.densas hinc tenebras cùm pauidi ac tremebundi palparent; ecce tibi rursus, vicini montis è vertice, cum horrendo mugitu crebrisq; tonitribus,qualia maioribus tormentis edũtur, sordidũ ac tetrum erumpit incendium;tantaq; cineris pumicumque, & ambustorum igne lapidum vis, vti propugnacula & muri coronas æquaret.accessit terrarũ motus ingens, quo arbores auulsæ radicitus & inuersæ,tecta omnia dirutà præter vnum templo nuper euerso contiguum.quin, proxima quoq; palus, oppleta saxis & improuisa congerie, latè restagnans, multos mortales vnà cũ brutis animãtibus obruit. neq; horas paucas, vt ante, sed ipsos tres dies noctesque
B tartarei camini ardor ac sæuitia tenuit. Post triduũ stetêre flãmæ, & caligo discussa:facilicq; ac plano iam aditu Lusitani procul è nauibus omnia contemplati,descẽdunt.ac defensoribus aut exitio sublatis, aut metu dilapsis, iterũ nullo certamine cuncta peruadũt. Arma dein illata Geilolio.is duodeuiginti iam annos cuiusdam insulæ, septem à Ternate leucas, arce sese tenebat,partim situ manuq;, partim etiam æneis munita ballistis,quas ille Christianis,interposita hospitij fide captis, ac subinde mactatis ademerat. ea Lusitani arce tertiũ intra mẽsem Bernardini Sosæ cõsilio ac virtute potiti sunt.ipse tyrãnus,cùm viuus in potestatẽ venisset, memor flagitiorum ac scelerũ,sibimet mortẽ veneno cõsciuit. in eius locũ filius ab Sosa cæterisq; suffectus.His cognitis rebus confestim illuc ab Ternate Ioannes Beira trãsmisit.territos incolas palatosq;, suaui oratione ac familiari vultu contraxit: monitosq; per eam defectionẽ quanto quámq; nefario sese obstrinxissent crimine; docuit nihilominus, modò facti pœniteret, nõ esse cur de venia desperarẽt:quippe nullũ excogitari posse delictũ, diuinæ bonitati atque clementiæ par.Multiplici malo emollita iam & subacta erat gentis duritia.hoc altius amãtissimi patris monita penetrarunt. ergo vbi sat magno
C acriq; dolore cõpunctos,& priora cõsilia cũ gemitu detestantes,ac sibimet ipsis iratos animaduertit; bono ac fidẽti animo iubet esse: tũ solemni ritu per sacram confessionem expiatos, Ecclesiæ sacrosanctę, Christoq; salutis humanæ parenti restituit.Inde noua rerũ omniũ facies.pariter hominibus recta mens,laticibus dulcor,telluri fœcunditas redijt:luctus, mœror, atq; formido,in gratiarũ actiones, hymnos,lætitiamq; cõuersa: deniq; inaudito miraculo,noxij quoq; mures,qui fata per id tempus in perniciem gentis eroserãt; aquę lustralis adspergine protinus ethnicorũ in arua cõpulsi,tanto quidẽ eorum damno, vti vulgo cũ Christianis iniuriam expostularent: mox etiã tantis ac tam varijs permoti prodigijs, gregatim ad Beirã baptismi gratia cõfluerent.ijs,quod pater solus cũctis ministrare nõ posset,socios à Ternate accersijt primũ:dein, cùm nec ij quidẽ sufficerent,magistratũũ rogatu in Indiam ad subsidia petenda profectus est. Interea Gaspar intra insulæ Armuziæ fines exacto fermè triennio, Goam superiorũ accitu reuertit, Iaponios inde Sinasque, si per eosdem superiores liceret, tum etiam Scythas, vt ex ea parte immenso circuitu Romam ipsam adiret, vasto & cœlestibus flammis ardẽti agitans animo. Verùm in digressu ab Armuzianis, haudquaquam ei leue negotium fuit. Non enim precibus duntaxat,lacrymisue, vti mos est, ne se desereret,summi pariter infimiq; tendebãt;amica parabatur ei vis;positęq; locis opportunis insidię.quas ille frustratus,celeri

lembo ad Luſitanam peruenit claſſem, capta & direpta Catifa Canarinos D
ad portus eo ipſo tempore nauigantem. ibi magno militum ac naualis tur
bæ gaudio in vnam è roſtratis acceptus, ad Bazainũ applicuit. A Bazaino,
Antonij Laurerij Franciſcani inuitatu, ad ſalutãdos in vicino Chriſtianos
excurrit, ab eodem Antonio per Euangelium genitos. Multa, in eo tractu,
priſcæ artis & magnificentiæ monumenta viſuntur. in ijs Canarini fanum
quod appellant, vnà cum ædibus priuatorum multis, itemque vijs & angi-
portibus, nec non ciſternis ad centum, è ſolido ac viuo lapide ferramentis
exciſum. aliud item ex vna petra fanum elephantis vocatur, multis inſigne
ſimulacris, ac duobus præcipuè coloſſis ingentibus, terna queis capita, toti
dem pedes manusq;. eiuſdem operis templum aliud incertò titulo, Anto-
nius ritè expiatum, Chriſto dicauerat. in templum id Gaſpar obuio Chri-
ſtianorum agmine, præcinentibus tubis, effuſa cum lætitia exceptus, rem
diuinam peregit, grauiq; & efficaci oratione animatis ad fidẽ officiumque
neophytis, Tanaham inde, Ciaulumque, poſtremò Goã cunctis optatiſſi-
mus appulit. At Xauerius, ex Iapone Indiã, ex India retro Sinarum littora
petiturus, primùm Chriſtianos in digreſſu confirmat. Coſmum Turrianũ,
& Ioannem Fernandum, Amangutiano præficit gregi, ipſe in Bungũ, quò E
Luſitanorum appulſam audierat nauem, rectà contendit. Rex erat Bungi
tum adoleſcens, & cœcis errorum tenebris inuolutus. attamen cognito
quanta Xauerij eſſet virtus, quanta etiam apud Luſitanos auctoritas, (quo-
rum ille, vt plerique eius tractus dynaſtæ, commercium ac ſocietatem ex-
petebat) aduenienti patri ſeſe valde humanum & honorificum præbuit:
abeunti, comitem è ſuis familiaribus cum epiſtola & donis ad Indiæ Præ-
torem dedit. idem, cæteris è Societate, qui in Iaponem poſtea miſſi ſunt, eã-
dem humanitatem ac beneuolentiam præſtitit; proprium in ſuo regno do
micilium adſignauit; aditum ad Regum finitimorum familiaritatem gra-
tiamque litteris ac nuntijs munijt: quin etiam, in maximo rerum ſuarum
diſcrimine, inter grauiſſimas bellorum ac ſeditionum procellas, eorum ſa
luti & incolumitati præcipua fide curaque conſuluit; ac duodetrigeſimo
demum poſt Xauerij profectionem anno, Chriſtiana ſacra ſuſcipiens, quæ
ad id vſque tempus metu ſeuerioris diſciplinæ fuerat auerſatus, de tanti pa
tris nomine Franciſcum appellari ſe voluit. nouiſſimè verò, ad Gregoriũ
xiij. Pont. Max. legatos è regia ſtirpe, venerationis & obſequij nomine deſti
nauit: qui Oliſiponem ipſius ferme triennij ſpatio, per quàm ancipiti nau- F
gatione deuecti, & à Philippo Catholico Rege in primis munificè comi-
terque tractati, bonam Hiſpaniæ & Italiæ partem, vt inaudito poſt omniũ
ſeculorum memoriam, ita gratiſſimo cunctis principibus populiſque ſpe-
ctaculi genere peragrarunt. Cæterùm Xauerius, præter Bungẽſem, de quo
dicebamus, Regis internuntium, ex ipſo etiam fideliũ numero viros duos
egregiè cordatos aſſumpſit, Matthæum, & Bernardum, ad vrbem vſque
Romam Iaponicæ indolis exempli cauſa mittendos. quorum alterũ Goæ
mors abſtulit, alter, quò intenderat, curſu feliciore peruenit, & ab Ignatio
in Societatem acceptus, quò in vulgus obſcurior, eò per otium attentior,
exquiſitas Eccleſiæ Romanę cæremonias, religioneſque, & ſacrorum ap-
paratum eſt contemplatus; celeberrima ſanctæ vrbis templa inſigni cum
animi fructu, ac pietatis incremento non ſemel obijt; patriam deinde re-
petens, multa Iaponijs narraturus; in Luſitania letali correptus morbo,
Conimbrigæ ſupremum vitæ actum haud ſine plauſu peregit. Hiſce ergo
comitibus à Bungo Xauerius Nouembri menſe anni quinquageſimi pri-
mi, paucis diebus peruenit ad Sinarũ inſulam Sanctianũ, quò commeabãt
per ea tempora Luſitani, leucas ab vrbe Cantone triginta. ibi inter alios
opportunè reditũ ad Indos parantem Didacũ Pereriã offendit, nauarchũ

expe-

A experientem, & induſtrium, & Sinarum vtcunque littoribus adſuetum. Cum hoc ſua pater de introitu aggrediendo conſilia contulit. Aptius nihil vtrique viſum, quàm ab Luſitano Rege ad Regem Sinarum, amicitiæ, & ſocietatis ineundę cum litteris ac donis orator. quam rē infeliciter olim quorundam culpa tentatam, mitigatis ipſa die Sinarum animis, modo temeritas abeſſet ac fraus, multo iam nunc melius ceſſuram, haud inani cōiectura ſperabant. in huius porro noui legati comitatu poſſe Chriſti nuntios in ipſa mediterranea diſſimulanter induci, qui vel aliquam linguæ conſuetudinē, vel interpretes certè nacti fidos, magno deinde animo, diuina ſubnixi ope ſementem Euangelij facerent. Cùm ea maximè ratio probaretur; legationem ſibi (ni Prætor abnuat) Pereria ipſe depoſcit: cætera, nempè Xauerius. Hac mente profectos ab Sanctiano, atrox procella è regione Cincei portus inuaſit, auulſamque repente ſcapham, & in ea duos è nautico miniſterio Mahometanos, ex omnium oculis abſtulit. Furebat ventus: aquarum inſani montes vndique minabantur exitiū: nautæ maioribus demiſſis antennis, modicō tantùm velo tempeſtatis vim ſubterfugere nite-

B bantur: memoriam ſcàphæ, propior metus ac terror cunctis excuſſerat. Xauerio tantùm ea inſidebat cura. neque id, euadendi conſilio ſi naufragium incideret; ſed miſerum illud animarum par ab ſempiterno interitu vindicandi, nimirum diuinitus concepta ſpe, ſi reciperentur, Chriſtianos aliquā do futuros. Hoc ille ſtudio accenſus, quamquam alieno tum tempore, intentos gubernaculo nauclerum ac præfectum aggreditur. diu renitentem vtrunque monitis, obteſtatione, auctoritate peruincit, vti dolones demitti protinus imperēt. ægrè id exſequuti proretæ, mox, cū ne ſic quidē è ſummo ſpeculantibus appareret ſcapha; pelago ſęuiēte vela rurſus expediunt. Tū, inuicto caritatis ardore ad proram aduolat pater: iniectis antennæ manibus, haud intermiſſa ad Deum prece, paululum adhuc morę per ſummam contentionem extorquet: puerum iubet, diſpiciendi cauſa, denuò rudētes aſcendere. Cùm hæc maximè fierent, ecce ſubitò aduentans præter omniū opinionem ſcapha conſpicitur. Protinus clamore ſublato contracti dolones: atque ad eam exſpectandam, curſumque facilius inhibēdum, obliqua oneraria contra maris impetum ſiſtitur. appropinquanti dein eminus in-

C ijci funem Xauerius vetat, affirmans ad ipſum nauis latus rectà acceſſuram eſſe per ſe: neq; aliter factum. per medios fluctus facili admota remigio, tā diu ſtetit, dum tenacius religaretur ad puppim. lenitū interea pelagus. Mahometani è tanto periculo ſoſpites, inſtante Xauerio cæteriſq;, ad Chriſtū extemplò cōuerſi. cūcta prorſus vti prædixerat, euenēre. ſcilicet magnitudine rei primò defixi omnium animi: noua dein perfuſi lætitia, diuinam clementiam gratulantes agnoſcunt: ac proſpero demum curſu Malacam deferuntur incolumes. ibi ſolita celebritate pater acceptus, non diu ſubſtitit. inſpectis tantùm & confirmatis in opere ſocijs, ex ea vrbe Cocinum, Cocino Goam deuenit Februario menſe, anno ſeculi huius quinquageſimo ſecundo, quatuor non totis menſibus è Iapone illuc vſq; conſumptis. eius aduentus, quò diutius ac longius abfuerat, eò maiorem vniuerſæ ciuitati lætitiam attulit. ipſe, à deſcenſu, primùm omnium, publica noſocomia, & ſacra cœnobia religioſorum inuiſit; dein ad collegium diuertit. Ibi Gaſparē ac ſocios perquàm ſuauiter amplexatus, reliquum vnū eſſe cognoſcit, qui dudum in lecto decumberet. is è diuturno ac letali morbo deſperatus à cęteris, nunquam tamen ſpem abiecerat ipſe, modò Xauerius ante ſupremū adeſſet diem. neque mendax fuit fiducia. vti valetudinarium ingreſſus pater, iacentem grato ſermone ac ſalutatione, vti ſolebat, impertijt; impoſitiſque capiti manibus, conſueta in eam rem ex Euangelio effatus eſt verba; illicò leuationem ſenſit ægrotus, mox etiam vires omnino recepit.

Obnitente dein amicorum turba, nihilominus in maturandam profectio- D
nem intentus, Episcopo Prætoriq́ue suas & Pereriæ cogitationes aperuit.
laudabiles vtrique visæ. & Prætor haud grauatè principem legationis Pere
riam declarauit, eidemq́ue conciliandæ fidei litteras ad Regem Sinarum,
nomine Lusitani Regis attribuit. Cæteris ornamentis donisq́; regalibus Pe
reria suomet sumptu magnificè legationem instruxit. Xauerius interea, In
dicæ prouinciæ res, ne quid per ipsius absentiam caperent detrimenti, ac-
curatè ordinabat. Ante omnia Gasparem, Paulo Camerte pijs alijs mune-
ribus occupato, quamquam inuitum, & comitandi per asperrima quæque
patris cupiditate flagrantem, Goano collegio cæterisq́; præposuit. Ad Ba-
zaini culturam Melchiorem Nonnium; ad Tanahæ, Cōsaluum Rhoteri-
gium; ad Cocini, Franciscum Henricum; in Piscarium littus Aloysiū Men-
dium (qui deinde propter Christum ibidem à Barbaris iugulatus est) ad San
cti Thomæ coloniam, Ioannem Lupium abire iussit. in Lusitaniam verò,
atque inde Romam ad demonstrandum Ioanni primùm Regi, tum Igna-
tio Indicæ prouinciæ statum, & petenda ab vtroque supplementa, Andreā
Fernandum cum Bernardo Iaponio, vti paulo ante diximus, destinauit. In
Iaponensem denique vineam, Cosmo Turriano, & Ioanni Fernando sub- E
sidiarios designauit Balthasarem Gagum, Petrum Alcaceuam, Eduardum
Syluium. hosce Malacam vsque secum ducebat. Hisce alijsq́ue rebus, tum
è domestica disciplina, tum è publica vtilitate compositis; inter pias dedu-
centium lacrymas faustasq́; preces, & certantia vota discessit xv. Kal. Maij,
tertio circiter mense quàm è Iapone redierat. Periculosa in primis ea quo-
que nauigatio fuit. secundo prouectos flatu, adeò subita ac fœda tempestas
inuasit, vti neque nautarum conatus arteſue, neque vasorum onerumq́ue
iactura, superandis fluctibus, & naui regendæ sufficerent. Inde, cùm exsan-
gues metu, humescentibus virorum etiam alioqui fortium oculis, relictas
alij coniuges liberosq́ue, alij tetrum & informe genus leti miserarētur; in-
genti animo pater in medium prodiens, pauorem atque formidinem sin-
gulis demere; excitare iacentes; certo vultu ac sermone haud dubiam Dei
benignitate salutem omnibus polliceri. Castellum dein onerariæ scandit
intrepidus. reliquiariam thecam è collo sibi detrahit: lineaq́; suspensam,
vnius triniq́ue Dei nominibus fideliter inuocatis, mari mergit; ac rursus
ad cœlestium pacem exposcendam, sub tabulata succedit. Haud ita in lon-
gum extenderat preces: cùm è dira procella, turbidoq́; ac fulminante cœ- F
lo, optata lux primùm, mox plena tranquillitas redijt. Hinc recreati Lusita
ni cum se defunctos iam periculis crederent, apertè monuit Dei seruus,
haud leuius adhuc superesse discrimen. neque falsa prædixit. in breuia syr-
tesq́ue paulo post illata carina, cùm aliquandiu ipsa inarasset vada; ve-
ctoribus pariter ac nautis nouo horrore intrementibus, eodem deprecа-
tore in altum euasit. Malacam deinde peruentum. ex ea vrbe pater Baltha-
sarem Gagum eiusq́ue consortes in Iaponem sine cunctatione transmisit.
ipse cum Pereria sese ad reliquum itineris conficiendum parabat. Bono
iā loco videbatur esse res. quippe non modico nauigationis emensо iā spa-
tio: & oratore cæterisq́; ad suas cuiusq; partes ritè obeundas accensis: cū re-
pente, vnde minimè oportuerat, graui tum Christianæ rei damno, tum bo
norum dolore discussa tota legatio est. Præfectus eo tempore Malacā obti
nebat, haud satis æquo in Pereriæ dignitatem animo, ac proinde coloniæ
infrequentiam causatus, acceptasq́ue clades, & imminens ab Aceno bellū;
nauē legati, legatum ve ipsum, è portu excedere vetuit. Neq;, obfirmatā il-
lius mentem, aut amicorū hortamenta, aut Pererię obtestationes, aut Prę-
toris decretum ac litteræ, aut Xauerij expostulatio, causæq́ue bonitas, &
Pontificia ipsa cum cœlestibus diris minisq́; diplomata, flectere valuerūt.

deni-

A denique,quantam in eo negotio diligentiam & alacritatem,vel certa cum impensa periculoque præstiterat designatus orator, tam se alter hic, nobilissimæ legationi actionique infestum aduersarium præbuit. Neque verò, in hac etiam vitâ,(ne quis indormire Deum rebus humanis putet)debita meritis vtriusque stipendia defuêre: siquidem Præfectum exsecrantibus quacunque incedebat viris fœminisque, elephantiaca primùm inuasit lues:deinde,haud vno crimine,sed peculatus præsertim ac rapinarum accersitus,magistratu deiectus,catenis onustus,in Lusitaniam Regis iussu transuectus est.ibi cognita causa,damnatus ,redactis in fiscū bonis; ad hæc, morbo in dies ingraueſcente,quod reliquum vitæ fuit,per summam, & animi ęgritudinem,& corporis fœditatem,egens,infamis, ab omnibus contemptus exegit.Contra,Pereria,egregij studij conatusq; non modò pręclarum ex optimi cuiusque commendatione, atque adeo ex ipsa conscientia fructum, sed etiam splendida & opima postmodum à munificētissimo Rege præmia retulit.Xauerius autem, quamquam tanto præsidio ac spe subitò destitutus;haud tamen idcirco despondit animum. neq; consilium saluberrimæ expeditionis abiecit. Solatus Pereriam, atque ad obliuiscen-
B dam iniuriam,& condonandas Christo inimicitias adhortatus,itinere cępto perrexit ipse cum vno è Societate Alexio Ferreria, externisque pueris duobus,quorum alter alienigena Sinensem linguam penitus ignorabat; alter,cui nomen Antonius à Sancta fide,genere Sina,in Goano diui Pauli seminario à primis educatus annis,pertenuem retinebat patriæ linguæ notitiam.Hoc tantulo comitatu Sanctianū reuectus pater,ante omnia in littore temporariam ædiculam ex obuia materia raptim exstruxit.ibi rem diuinam quotidiè facere,& Lusitanos negotiatores omni officio adiuuare, vti solebat,instituit. simul,è Sinis,qui ad eam insulam commercij causa vētitabant,peritum interpretem sibi parauit,qui tamen postea iniecto iudicij pœnarumque metu,fefellit fidem. ab alijs,de gentis quotidiè moribus, legibus,institutis,diligenter quærebat, nec non de ratione insinuandi se in eas vrbes,hominumque colloquia.quam illi rationem, cùm sine euidenti capitis discrimine propter seueriſſima interposita edicta iniri negarēt posse; tamen Xauerius, ex ijs quæ de Sinarum indole ingenioque subinde audiebat,acriore in dies accendebatur studio,tam docilē,tam politam alioqui nationem è gentili caligine ac tenebris eruendi:ac modo Euangelium
C afferre miseris quo quomodo liceret; omnes cruciatus ac mortē cum eorum salute non solùm æquo,sed etiam libenti paciscebatur animo. Huic patris voluntati studijsque maximè Lusitani obsistebant,tum ipsius caritate,quem diligebant omnes ac reuerebantur vnicè; tum verò nimia quadā solicitudine,& anxia cura fortunarum suarum;graui scilicet pauore concepto,ne vetitos intra fines publica nulla fide subitò deprehensus Europęus aduena sacerdosque,non ipse tantùm acerbissimas illicò daret pœnas, verùm etiam denuò in Lusitanum omne nomen,regiorum satellitum furorem atque iras accenderet. atque ob idipsum crudelitatis eorum cùm vętera documenta promebant,tum etiam recens in Lusitanos aliquot edita,qui tempestate in littus eiecti;comprehensi confestim ab incolis,teterrimo etiamtum carcere tenerentur.quod si naufragis & eiectitijs euenisset; quid tandem illi futurum,qui se se,prudens volensque, nullis cuiusquam opibus vel commendatione fultus,intra illorum præsidia & septa non dubitasset includere?Deinde,vt maximè cuncta experiri libitum foret,quam tandem facultatem habitura esset res?calcaturumne cum comitibus equora?an, centum fere millia passuum(quantum interesset spatij)trabe vel tabula traiecturos?nam portitoris quidem, & nauicularij nullam omnino

fore copiã. Luſitanos, omni appulſu continentis arceri. Sinis, capitale eſſe, D quemquam externum iniuſſu Præfectorum inferre. quod ſi quis adductus pretio, ſuam in id operam quamuis occultè detuliſſet; verendum tamen, ne pernumerata mercede, receptum cum inermi ſocio puerisque peregrinum, vel in deſerta quapiam inſula per ſcelus exponeret; vel breuiore faciendi noris compendio, ne quid indicij emanare poſſet, in altum è naui proijceret. Cùm hæc ad terrorem à Luſitanis haud abſurdè proponerentur; nunquam tamen Xauerius de ſentẽtia potuit demoueri: tantùm, quod ad ipſorum incolumitatẽ ac mercimonia pertineret, omnem illis dempſit timorem; perſanctè pollicitus, non ante ſe quò tendebat iturũ, quã confectis ipſi negotijs ab Sanctiano ſoluiſſent. cæterùm à trãſmiſſione in id tẽpus præparanda non deſtitit, aliquãdiu nullo ſucceſſu, quippe Sinę inſtitores, ad quos erat neceſſariò confugiendũ, appellati ea de re, vulgo negabant. ad extremum tamen pecunia euictus eſt vnus. huic cum Xauerio in hæc pacta cõuenit. Sina lembum, occultandæ rei gratia excluſo omni alio remige, nauta, vectore, ſuis duntaxat filijs famuliſque ad iter in diem certam inſtrueret. trãſuectum in ſuburbia Cantonis patrem, ad tres quatuorve dies clam haberet apud ſe; tum intempeſta nocte cum ſarcinula & libris ad portam E vrbis nemine cõſcio deſtitueret; vnde perductus (quod extemplò videlicet erat futurum) ad tribunalia, quicquid liberet ibi de religione, alijſve de rebus, periculo ſuo palam explicaret. Xauerius viciſſim, cuius opera tranſuectus fuiſſet prorſus haberet occultum: eidemque nauli nomine daret piperis quod ducentorum paulo amplius aureorũ efficeret ſummam. id piper Xauerio Luſitani, quãdo eũ ab incepto reuocare nequiuerant, in idipſum pro amicitia fuerãt elargiti. ea pactione tranſacta pater interea omnis tormenti patiẽtiam aſſiduè meditari: martyrij palmã cum animarum ſalute coniunctã dies noctesq; ſibi proponere: condictum profectioni tẽpus per ſummam cupiditatẽ exſpectare. Inter hæc abeuntibus paulatim Luſitanis, aduerſa valetudine laborantem Ferreriam, ne ſibi in tam ancipiti re impedimento foret, in Indiam tempeſtiuè remiſerat. mox ipſe quoque in febrẽ incidit: qua dies aliquot acerbè vexatus, cùm onerariæ in ſalo iactationem ægrè admodum ferret; in caſam inde ſeſe recepit apertam, ventoq; ac frigori peruiam, ex ijs quas ad extremam littoris oram, Luſitani ab Sinis ædificatione prohibiti, è palcis ac ramalibus momẽtò excitare, atq; in diſceſſu diſturbare conſueuerant. Ibi quinto ab diſceſſu die, dum Sinam ex compo F ſito portitorem exſpectat, nauarchis iam Luſitanis prçter vnum cunctis ex eo loco profectis; cùm ad refocillandas vires nihil omninò ſuppeteret, in ſumma rerũ omnium egeſtate, germanus Chriſti in morte pariter & in vita diſcipulus, accenſa diuino amore iacula è pſalmis fermè petita ſubinde in cœlum emittens, IESVMQ. ac MARIAM ſuauiter inuocans, è corpore ex quo iampridem eminebat, exceſſit IV. Nonas Decembris, anno Chriſti nati (nam de ipſius quidem ætate nil traditur) ſupra ſeſquimilleſimũ quinquageſimo ſecundo: Indicæ verò ſuæ peregrinationis, vndecimo. Ea de re ſerius moniti Luſitani mœrentes accurrunt: mirantur habitum quieſcenti quàm mortuo propiorem: compoſitos artus; decoram faciem; ipſa denique pietatem adhuc ſpirantia lineamenta. dein rati id quod erat, indignum ac nefas, tanti ſacerdotis corpus, tamque de Luſitano vel in primis genere benemeriti, nullo exſequiarum honore, deſertis in locis & barbaro ſolo relinquere; cum ipſis veſtimentis in arcam incluſum, viua operiunt calce; quò celerius exeſis acrimonia carnibus, nuda ſecũ oſſa deportẽt: ipſam dein arcam deſerto & ſqualido quodam in eius inſulæ colle defodiunt. poſt dies aliquot confectis negotijs ad ſepulcrum vniuerſi cõue

niunt;

A niunt; corpus diligenter inſpiciunt attrectantque non modò integrum, ſo lidumq́;, & aſpectu iucundum inueniũt, ſed etiam, quo magis obſtupuêre, ſuauiter admodum fragrans. læti ſuam de viri ſanctitate opinionem comprobari diuinitus, in eadem viuę calcis arca reconditum, venerabundi omnes in nauem imponunt. Inde Malacam deuectum, prodeuntibus obuiam cum ſolemni pompa oppidanis, excipitur, & ſua impenſa funus procurante Didaco Pereria, qui nondum abierat, in ædem Beatę Virginis, vbi collegium eſt hodie Societatis, defertur. iam tertius à morte agebatur menſis. arcam ſacerdotes & amici rurſus aperiunt: nihilominus incorruptum extrahunt mirabundi, ac Luſitanico more (haud dubio Dei nutu, quò liquidius poſtea de admirabili integritate conſtaret) terræ ipſi mandant nullo capſæ tabulæue munimine, puluino duntaxat ceruici ſubiecto, & obtecta ſudario facie. quinq; ipſos menſes cũ in eo tumulo iacuiſſet, è ſocijs quidã miſſus ad Xaueriũ inueſtigandum ab Goa ſuperuenit (quẽ nos deinde Romæ hæc eadem ab alijs ante perſcripta memorantẽ audiuimus) is auiditate ac ſtudio explorandi cernendique oculis quæ ferebat fama, ſarcophagum detegit. mirum dictu: puluinũ ac ſudarium purpureo cruore tinctum offendit, dum funeris adminiſtri terram ſuperingerunt inculcantque inter ſepe
B liendum expreſſo. cæterum corpus totum planè illæſum, & eadem quæ ferebatur odoris ſuauitate: quin etiam (quod ſuper omne miraculum fuit) veſtimenta ipſa, crepidaſque, & extimum linteum, adeò recenti ſpecie, vt illo ipſo Melchior Nonnius in Iapone deinde, quemadmodum Diui Pauli eremitæ palmea quondam tunica Diuus Antonius, ita ad celeberrimas quaſque gratulationes & cæremonias vti conſueuerit. clara profectò ac teſtata ſancti patris virginitate ac ſanctimonia (quamquam alijs quoque argumẽtis ante iam nota) quando neque calcis viuæ cauſtica vis, neq; telluris humor ac ſitus, defuncti carnes aut amictum vlla ex parte labefactare valuerunt. Quo indignius viſum omnibus, vltra in defoſſo haberi corpus, tanto tamque honorifico Dei munere cuſtoditum. In ijs Didacus Pereria, memor amicitiæ ac meritorum, elegantiore materia formaque arcam aliam damaſceno ſerico ſubſuendam, aureo textili deſuper obtegẽdam curauit. in eam tranſlatum corpus idoneo loco ad vſque tempus Indicæ nauigationis eſt habitum. quo ipſo tempore Indiam repetens Coſmi Turriani miſſu Petrus Alcaceua, Malacam ex Iapone delatus, impoſitum in onera-
C riam ſacrum theſaurum vnà cum altero de quo dicebam ſocio aſportat, præſens vtique nauigantibus ac ſalutare præſidiũ; ſi quidẽ nauim, diffracto gubernaculo, vadis impactã aliquoties, præſenti illius ope, cuius vehebant exuuias, haud dubiè ſeruatam fuiſſe cùm alij, tum nauarchus ipſe teſtatus eſt: idemq́; actuario Goã celeri curſu pręueniens; rem totã patribus nuntiauit. ex ijs quatuor cũ totidẽ à catecheſi pueris, biremi regia, tardius nauiganti onerariæ ad Baticalã occurrunt, arcã denuò referant ſextodecimo iam ab obitu menſe; æquè incorruptum corpus ac veſtimenta, gaudio ſimul ac ſtupore attoniti deprehendunt. Arca iterum clauſa in biremem eo quẽ dixi ornatu deponitur. nautæ ſublatis vndequaq; vexillis tormẽta feſto cum reboatu diſplodunt. eo die ſub veſperam à Baticala ad Goã biremis redijt. arca noctem vnam in ædicula Deiparæ Virginis cuſtoditur, paſſibus ab vrbe mille quingentis. poſtridiè manè confeſtim Prętor ac proceres, Canonicorum ac Miſericordiæ ſodalitia, ingens præterea oppidanorum vis, & Diui Pauli collegium omne, corpori extra portas obuiam prodit. reliqua multitudo ad ſpectaculum effuſa, parietes, feneſtras, plateas, ita compleuerat, vt in reditu ſummoueri vix poſſet. cum cereis candidati nonagin ta pręibant pueri, ſequebãtur clerus, & magiſtratus, ac nobiliũ ordines: qua

cunque pium incedebat agmen, multa erant paſſim odoramenta diſpoſi- D
ta.feretri latus vtrunque thuribula ex argento affabre facta cingebant: Di-
ui Pauli templum quo inferebatur,cùm per eos ipſos dies hebdomadæ ſa-
croſanctæ agerentur ſolemnia, nihilominus albo periſtromate conueſti-
tum:cuncta ſobriam ad hilaritatem lætitiamq́ compoſita. Hoc maxi-
mè modo corpus acceptum, & ſtatim in Diui Pauli ſacello, tectum vti e-
rat,magna cum veneratione repoſitum eſt.ibi, quominus tertiùm aperto
iam loculo palam oſtenderetur, efflagitantibus pariter ſummis infimiſq́;
negari non potuit: veruntamen ad introſpiciendum obiecti cancelli; ne
applicuiſſe roſaria,impreſſiſſe oſcula virgineis carnibus,ſemel iterumq́ue
palpaſſe non ſatis habentes;inſuper(quod apparebat futurum)in fruſta,&
præſegmina,cæterasq́ue reliquias inuolarent.in eo ſacello tres amplius di
es ac noctes habitum ſummo ac perpetuo omnium ætatum,nationum,or
dinumq́; concurſu.neque interea ab vno quopiã è ſuperiore loco pater eſt
laudatus,vt aſſolet.pro laudatore populus fuit.alij quippe reconditam vi-
ri doctrinam,& ſapientiam,ac dicendi vim copiamq́ue:alij prudentiam,v-
ſumq́; rerũ,& longinquas peregrinationes ac plurimas; alij comitatem ac
manſuetudinem,& ſine faſtu vel arrogantia grauitatem, ſine indignitate E
ſummiſſionem,ſine fuco pudorem atq; modeſtiam; alij caſtimoniam in-
ſignem;& voluntariam paupertatem;& longa ieiunia vigiliaſq́ue;alij ſub-
leuatas egentium anguſtias;orborum educationem ac diſciplinam;vidua-
rum ac virginum pudicitiam egregiè cuſtoditam; curatos per ſummam
patientiam ac ſedulitatẽ ægrotos; diremptas plurimorum inimicitias;alij
veriſſimas prædictiones atque miracula; (multò videlicet plura quàm quæ
nos aliò properãtes attigimus) ac partim Chriſtianorũ greges à pdito vitæ
genere ad meliorẽ frugem,partim ethnicorũ ab Satanę ſeruitute ad Chri-
ſti fidem obſequiumq́ue traductos; horumq́; tutelæ,cõmodis,ornamentis
omni ratione conſultum;alij denique magnitudinẽ animi in rebus arduis
capeſſendis,conſtantiam in promouendis,&,quod ſuper omnia mirandũ,
adeò ſalubri tẽperamento miſtam actione contẽplationem; vt cũ vtranq;
coleret propemodum ex æquo, neutra tamen officeret alteri: hæc, inquã,
& alia pro ſuo quiſque ſenſu lacrymantes in cœlum efferre. Interea ex-
acto fermè quatriduo,cùm ſatis iam in aperto fuiſſe videretur,ab ſocijs ar-
ca iuxta maximam aram loco certo reponitur,& clauſtro munitur. Huic
tantæ gratulationi Gaſpar adeſſe non potuit,ad æterna, vti ſperandum eſt, F
gaudia paucos ante menſes euectus . Is Indicæ prouinciæ adminiſtratione
ſuſcepta,publicè priuatimq́ue multa prę̃clarè inſtituit,quorum hodieq́ue
vſus cum vberrimo perſeuerat animarum fructu. dumq́; in domeſticã pa-
riter diſciplinam,& communem Eccleſiarum vtilitatem intentus, affecto
iam corpuſculo acerbius grauiuſq́ue quàm ferre poſſet imperitat;inter cõ
cionandi ardorem & contentionem defectus repente viribus, intra pulpi-
tum concidit.collecto dein ſpiritu domum regreſſus,acriq́ue correptus fe
bri,mox inter ſodalium caros amplexus animam efflauit x v. Kalend.No-
uembris,anno ſeculi huiuſce quinquageſimo tertio. elatus eſt magno ciui
tatis luctu,quam ſibi ſuiſq́ue vniuerſam excellenti caritate officijſq́ue de-
uinxerat.Sub hæc,ab Iaponijs dynaſtis litteræ ad Prætorem allatæ. fœdus
& amicitiam vltro petebant:ac ſiue id ex animo,ſiue gratiæ cauſa, nuntios
Euangelij,& ſapientiæ Chriſtianæ magiſtros.ea re permotus,vti æquum e-
rat,ſucceſſor Gaſparis Melchior Nonnius Luſitanus, commendata vica-
rijs cĩteriore prouincia,cum ſocijs aliquot Iaponem petere intendit. Ingẽs
dudum in ijs locis erat perturbatio rerum omnium. Amangutij Regem
inter ac populares atrox ac periculoſum exſtiterat bellum, nec niſi Regis
& filio-

A & filiorum interitu reſtincta ſeditio.in Bungi quoque Regē, aliquot princi pum coniuratio eruperat.ij,commiſſo demum prælio victi cæſíque.otij de inde nonnihil ab armis fuit. patres ad prædicationem & cōſueta munia redière.ac Deus item ſignis atque miraculis adiuuabat.ægroti debileſque, lu ſtrali vt plurimū aqua ſanati : ex inſeſſis diuturna poſſeſſione corporibus, Dei verbo fugata dæmonia . hæc & alia minimè deerant Euangelij firmamenta: ſed nondum idcirco notabilis fiebat ad rectam fidem acceſſio. Pauperes fermè,& inferiorū ordinum homines, colla ſalutari ſubdebant iugo.contumax etiamtum,& faſtidioſa, veruntamen manus olim datura nobilitas,à Chriſtiana humilitate,ac manſuetudine, egentiumque ac vulgi conſortio valde abhorrebat.

HISTORIARVM INDICARVM

B

LIBER SEXTVSDECIMVS.

INTER hoſce tam varios dubioſq; rei Chriſtianæ ſucceſſus,repentinum & graue apud Ceilanios quoq; bellum exarſit.Columbano Regi,qui Cottam pariter inſignem obtinebat vrbem, tres erant ſororis filij,ad quos, de more gentis, hereditas pertinebat.ij,expetitum ab inſita dominandi libidine regnum,ſenecta auunculi detineri ægrè ferentes, facta coniuratione Regem interimunt.inde ita inter ſe opes & imperium partiuntur,vti natu maximus,nomine Parea Pandar,ius populis è regali ſolio diceret; minimus,cui Madunio nomen(medio paucos intra dies extincto) militaribus copijs cū ſtipendio ac poteſtate præeſſet.Ac primo quidem concordibus inter ſe animis agere viſi:mox (vt eſt omnis dominationis malè fida ſocietas)capitales inter vtrumq; diſſenſiones exortę. Queri Madunius,non pro dignitate meritiſque tractari ſe, quippe qui præcipuo periculo & audacia nefariā C vim ac ſceleratas manus auunculo, cæteris hortantibus,attuliſſet; magiſq; ſeſe in dies à Pareę conſuetudine rationibuſque alienum oſtendere.at ille, nouis quotidie ſeſe caputq; ſuum præſidijs aduerſus fraternas inſidias impietatemq; munire. inter cætera, cū Luſitano Rege per ſupplices litteras egit obtinuitq;,vti nepotem ex filia,contra cōſuetudinem , excluſo Madunio, in regni ſucceſſionem iuſque adoptaret.Eò acriore incēſus ira Madunius,exercitu coacto apertum fratri bellum inferre, Cottanos euaſtare fines,ad oppidum caſtra mouere non dubitat. Rex item, ne contra latronē ac perduellem,aggere mœnibuſq; potius,quàm armis ac virtute ſeſe tutari videretur;malè auſpicato eductis extra oppidum copijs,idoneo conſidet loco.erat in eius caſtris auxiliaria Luſitanorum cohors.ex ijs gregarius quidam(temere,an à Madunio corruptus,incertū)plumbeo miſſili, ſine metu ſuis obuerſantem Regem interficit.Tum proceres in vrbem extemplò ſeſe recipiunt;nepotemque Pareæ,regijs communi conſenſu decoratū inſignibus,in auita collocant ſede.mox,diffiſi adoleſcentis ætati,ac popularium animis,inſtante præſertim ac minitante Madunio, nouū ab Noronia Prætore ſubſidiū petunt.Ille ſine mora inſtruit claſſem:impoſitiſq; Luſitanorū millibus admodū tribus,ipſemet eam expeditionē obire cōſtituit. p̄tēdebatur bello, vetus cum Colūbano fœdus, & pia pueri pænè circūuenti defen-

defenſio.ſed arcana ſuberat profectionis illecebra, quod à quibusdam pro D
certo accepiſſet Prætor,auri argentiq́ue theſaurum in vrbe Columbo re-
pertum,quo ſi potitus foret;& Luſitanũ crebra erogatione exinanitum ę-
rariũ opportunè ſuppleri,& ſe ſuoſq́ue facili negotio ditari poſſe confide-
ret.Hac mente conſilioq́; profectus,incolumi claſſe Columbum defertur,
leucas ab vrbe Goa ducentas.deſcenſione facta, primùm omnium in the-
ſauri perſcrutationẽ toto pectore incubuit: & exacerbatis peracri quæſtio-
ne oppidanis,adeò vt non pauci ad hoſtem ſubinde tranſirent; ingenti la-
bore miſeriaq́; tandem eruit quod aureorum centum milliũ ſummam ex
pleret,quantum in claſſis belliq́; apparatum inſumpſerat.Inter hæc Madu
nius contractis vndique copijs intra Ceitauacam vrbem, à Columbo no-
uem introrſus leucas,intenta cura ſeſe munire pergebat . Promotis eò ſig-
nis Prętor haud magna mole vrbem expugnat:direptamq́ue,ferro & flam
mis excindit: de Madunij exitu nihil traditur . inde, firmato pupilli regno,
quã inuenta pecunia lætior clariorq́;,Goam ſoſpes reuertit.Ab Goa,reno-
uato impetu,Ciembẽ inſulam petit, receptaculũ latronum Malabariũ,in
Cocinenſis Regis dãna perniciemq́; imminentiũ.hanc fruſtra nuper à Ca-
prali circumſeſſam,ipſe haud incruenta victoria tandẽ cepit;Malabaribus E
partim cæſis,partim in ſeruitutem abductis.Circa idem tempus,auidè cupi
enti Solimano Turcarum tyranno, occupandæ Armuziæ viciniq́; tractus
oblata denuò ſpes, Mahometanis inquilinis odio Luſitanorum per clande
ſtinos identidem nuntios litteraſq́; ſolicitantibus.ea ſi obtinuiſſet loca,per
breui in Cambaiam & Indiam tranſitu, Luſitanos queſtuoſiſſimi commer
cij fructibus,& iniuſta longinqui maris poſſeſſione,facillimè depulſurum.
Eiuſmodi ſtimulis incitatus Turca,cupidus præſertim delẽdæ ignominiæ
ad Dium priore bello ſuſceptæ; Peribecum vnum è Præfectis, qui ad Me-
cam agebat,claſſem ab Suezio properè iubet accerſere; & Adeni clauſtra
quàm occultiſſimè præteruectum, Arabiæ Felicis quicquid Luſitanorum
cuſtodia teneretur,necnon Armuzianos fines,repentino aduentu(ſi res pa
tiatur)inuadere;cum eo tamen,vti ad colligendam clementiæ famam,in-
colarum animos benigna oratione ac promiſſis alliceret prius,quàm incẽ
dijs,cædibus,populatione vexaret.Ille,triremibus quinque & viginti, one-
rarijs duabus extemplò deductis ornatiſq́ue,celeritate vſus & ſecunda na-
uigatione,Maſcatum applicuit.Luſitani ſexaginta, duce Ioãne Oliſiponẽ-
ſi eam arcem obtinebant.ij, vel ſubito claſſis appulſu perterriti,vel à com- F
meatibus imparati;Peribeco ſaluis corporibus & libertate deditionem fa-
ciunt:eiuſq́ue mox deditionis luêre piaculum;à barbaro contra pactionis
fidem,& Solimani mandata malè mulctati,& in cuſtodiam & vincla con-
iecti.Eius rei fama pauidis illicò nuntijs Armuziam allata, cùm in maius,
vt fit,cuncta certatim augerent;ita occæcauit animos omnium ; vti amen-
tes repentino terrore Mahometani pariter & Chriſtiani diffugerint. Rex
cum proceribus in tuta iã ſeſe receperat loca.ciues & inquilini, partim ar-
reptis quæ cariſſima habebant, partim etiam præ formidine ac feſtinatio-
ne relictis;auios alij montes,alij proximas inſulas petunt.duo tum ad Ar-
muziã è Societate IESV agebant patres:eorum alter,ad nauandam in ex-
tremo diſcrimine Luſitanis operam, ſeſe cum ijs in arcẽ incluſit; alter,neo
phytos,ne mortis metu à Chriſto deficerent,corrogatis in alimenta pecu-
nijs,ad Mogaſtanem continentis oppidum ingenti labore traiecit;eumq́ue
ibi gregem ad vſque trãſitum illius tempeſtatis cum fide curaq́; tutatus eſt.
At Peribecus obuio nemine prouectus, vacuã hominibus, gaza refertã vr-
bem,ad Turumbacũ ab arce procul ingreditur: aduerſus Luſitanorũ erup-
tiones militẽ idoneo loco diſponit:dein cęteris diripiendi oppidi ſignum
dat.Pauca tum erant emporia Armuziano diuitijs comparãda:vſq; adeò

multi

A multi omnium fermè nationum inſtitores, varias illuc primæ notæ mercès opeſq; congeſſerant. Ergo tantum pretioſæ veſtis, gemmarum, & vniónum, auriq; & argẽti exhauſtum; quãtum alioquin expedita ad iter faciendum aliquot nauigia capere potuerũt. expoſita dein ad arcem oppugnandam & aptè locata muralia tormenta. queis Peribecus præcipuè infeſtum ſibi vnum è propugnaculis tanta pilarũ vi ſine intermiſſione quaſſauit, vti ſolutis iuncturis bona pars muri prociderit. adeoq; certis ictibus pares globi in aduerſa tormentorum ora contorti, vt noſtris amplius ex eo loco iaculandi facultatem eriperent; neq; inter verberationem omninò quiſquã oſtendere ſeſe pro pinnis auderet. Ea edita ſtrage haud tamen ad ſubeundum, conſerendaſq; manus Turcæ animus fuit; ſiue ad aſportandam feſtinaret prædã, ſeu præſidij magnitudine territus, quod Luſitanos bellatores amplius octingentos omnibus rebus ad ſuſtinendam vel oppugnationem vel obſidionẽ inſtructos, arce contineri non dubiè comperiſſet. Oſtentata igitur in ſpeciem, dein omiſſa pugna, Queixomem inſulam, quò multos ex vrbe confugiſſe audierat, protinus petijt: oppreſſiſq; ac variè cruciatis, quicquid ſecũ aſportauerãt fortunarũ extorſit. inde grauem ſpolijs claſſem ad
B Bazorã vrbem, quæ in intimo eſt Perſico ſinu Turcicæ ditionis, applicuit. ibi recognitæ manubiæ, & è moleſta iactatione refectus miles. At Goam vt primùm circunſideri ab Turcis Armuzianos allatum eſt; Prætor, quanta maxima potuit claſſe exercituq; coacto, Dium ſine mora proceſſit. inde, ne præſidijs Indiam nudaret; cum parte copiarum Antonium Noroniam iubet Armuziam pergere. Profectus, deſertam direptamq; vrbem; itemq; ſolutã dudum arcis obſidionẽ inuenit. intento dein reuocandis habitatoribus, triremes duas è freto in altũ egredi nuntiatur. Peribecus, Mecam ante hyemẽ rediturus, pretioſiſſimis vtramq; rebus onuſtam, nocte per ſummum ſilentiũ à Bazora ſoluerat, reliquis deinceps pari ſilentio ſequuturis. Ad harum conſpectum Antonius cõfeſtim anchoralibus præciſis, abeuntem latronem inſequitur. at ille, antecapto iam ſpatio, per ſummam & remigum contentionem, & nautarum induſtriam, vix tamen atq; ægrè inſtantium ab tergo Luſitanorũ effugit manus. Inde mœrens tam paruo ſibi momento elapſum hoſtẽ Antonius Armuziã reuertit; aditaq; Regis iuſſu arcis præfectura, claſſem, vti mandauerat Prætor, Didaco Noroniæ tradidit. Eius ope ac præſentia dum fauces freti, vicinamq; oram attentè percur
C ſat; profugi maris accolæ in patrias reuocati ſedes; incluſiq; intra ſinũ hoſtes, capto haud ſemel impetu cùm ex anguſtijs erũpere conati eſſent, onerarijs duabus amiſſis præclarè cohibiti, quoad vrgẽte demum hyeme Turca Bazoram, Noronia Goam in hyberna conceſſit. neque ijs dum exactis, Prętor, cui puniendæ Turcarum audaciæ cura viuebat in pectore, Fernandum filium cum magno nauium ac militum numero ad eaſdem obſidendas fauces maturè tranſmiſit. is celeri curſu in Arabiæ cõſpectum delatus; ſpeculatorijs nauigijs quoquouerſum dimiſſis, cognoſcit partẽ triremiũ, cæteris ex interuallo ſequentibus, curſum ad fauces intendere. continuò claſſiarios ad demendũ nomini Luſitano dedecus, atq; ad vlciſcendas fratrum ac ſociorum iniurias cohortatus; ad Roſalgatum promõtorium dirigi proras iubet. inde oram legẽs, circa Maſcatum obuias triremes habuit octo: eæ, vitandi congreſſus cauſa cùm littus propemodum ſingulæ abraderent, Fernãdus è celſarum numero tres roſtratas, caſtellorum inſtar, vltrò in arenam inflatis velis inferre non dubitat. inde tranſitu alueis ac miſſilibus intercluſo, habiliores ad curſum dromones & expedita nauigia quæ remis agerentur, egregio milite inſtructa, in hoſtes immittit. ij, deſperatis iam rebus, cùm iactura triremium ſeſe in terram parantes ejicere; oppreſſi celeritate noſtrarum nauium trucidantur: ac nullo pæne certamine

triremes

triremes abductæ,cęteris Turcis è longinquo ſpectantibus,qui ſuorum ca- D
ſu perterriti, ac Mecam ne ſi liceret quidem tanta accepta clade redire nō
auſi, longiore ambitu in Cambaiæ fines ad Cindiſcanem regulum perfu-
gêre.is,in fidem acceptos ac ſupplices,repetente dein Luſitano,ita ſeruauit;
vt in eius gratiam triremes ad vnam omnes membratim diſſolutas, ad na-
uigandum prorſus inutiles fecerit. Eam ſatisfactionem Prætor Luſitanus
accepit.Fernandum interim, haud leui parta victoria, quominus ſyncero
gaudio frueretur, cura de illiſis in breuia roſtratis angebat: ne infixæ peni-
tus euelli non poſſent.verùm poſtquam pleniore accedente ęſtu paulatim
alleuari cæptæ;iamque ſalo prorſus liberæ atque agiles innabant; tum ve-
rò plauſus & clamor militum ac nautarum exortus:velisque in Orientem
datis, Goam incolumes ingenti omnium gaudio peruenerunt. At Peribe-
co, cum duabus quas dixi triremibus proſpera nauigatione Mecam reue-
cto, malè partis opibus diutius frui non licuit.Solimani iuſſu,cùm rei geſſæ
ſeriem poſtea didiciſſet; exſecrandæ rapacitatis atq; perfidiæ pœnas capite
abſciſſo perſoluit.Per idem ferè tempus,periclitāti Parauanæ Eccleſiæ pri-
uato conſilio ac virtute ſubuentum. Indici maris oram, præſertim quæ ad
Cori promōtorium vergit,diſtractis tum in diuerſa Luſitanis viribus, Ma- E
labares Turcis immiſti, latrocinijs & incurſionibus infeſtam nomini Chri
ſtiano reddiderant; nauibus ad viginti, anni vix ſpatio interceptis. ijdem
oppidum Punicale, oppugnantibus ab terra Mahometanis, admota ipſi
claſſe vi ceperant,Henrico Henricio è Societate IESV, necnon præfecto
præſidij Luſitani cum vxore ac liberis & quinquaginta militibus in cuſto-
diam datis: quodque multò erat deteſtabilius, Parauanos alioſque neo-
phytos ad quinquaginta milia varijs artibus ab Chriſto abducere nitebān-
tur. Eius rei Cocinum multiplex iam fama peruenerat: itemque per litte-
ras Parauæ Chriſtiani tam duris in rebus opem ab ea ciuitate precibus in-
ſimis implorabant.ac demum,inſtanti minaciter hoſti,vt Chriſtiana deſe-
rerent ſacra, conſenſu reſponderant, niſi intra quintum diem ſubſidium
à Luſitanis veniſſet;tum ſe de religione deliberaturos. Interim Cocini co-
gnito ſociorum extremo diſcrimine; ingens inceſſerat dolor,quod ærario
exhauſto,& abſente magna parte iuuentutis ac nauium,publicè Parauis o-
pitulandi nulla eſſet facultas. Inde cùm vulgò mœſti perplexique, caſum
vicinæ Eccleſiæ miſerantes, hærerent, Aegidius Fernandus Caruallius in
communi cauſa præcipuam Chriſtianis operam nauare conſtituit,eximia F
pietate pariter ac fortitudine vir;quā nuper in obſidione Malacenſi nobili
tauerat. Is contracta vndiq; pecunia, & omni pæne domeſtico inſtrumen-
to in idipſum oppignerato; quamuis tum è crure altero laboraret; bire-
mes quatuor, manciuam vnam (actuarij genus id eſt) confeſtim omnibus
ad bellum rebus ornauit. multis deinde cum lacrymis per ſacram confeſ-
ſionem expiatus,cœleſtique refectus cibo,in hoſtes duxit intrepidus:eoſq;
ad Calecarem vicum aſſecutus;vno IESV nomine fidenter inuocato,re-
nouatis quæ iam conſenuiſſe videbantur militiæ Luſitanæ miraculis, ro-
ſtratas minores duodecim, leniunculos, quos vocant cialatones, amplius
quadraginta, momento fudit fugauitque: in terram dein egreſſus, Maho-
metanorum ædificijs ignem iniecit: Henricumque grauia & acerba multa
perpeſſum,cùm reliqua Luſitanorum manu è vinclis eripuit.Sub idipſum
ferè tempus quo aduerſum Chriſti fideles Malabarica graſſabatur impie-
tas,(ex quo facilè diuini cōſilij ac deſtinationis appareat altitudo) ex eadē
natione glorioſum euangelio teſtimonium perhibebāt Malabares adole-
ſcentuli ſex circiter & triginta, ab nono ætatis anno ad ſeptimum vſq; de-
cimum.hoſce,Luſitana qua vehebātur naui,circa Arabiam à Turcis exce-
pta,cùm à Chriſto ad Mahometē traducere ſumma ope barbari conarentur;

A tur;poſtquam alternis blanditiæ minæque nil proderant ;ad verbera cruciatuſque deſcendunt. Adduntur ad cæteram immanitatem ſtillæ adipis igne liquati.ea tormenta multaſque præterea iniurias, puerorum virtus fideſque vicit egregiè.Turcæ obſtupefacti cõſtantia,ab ijs vltrà vexandis tandem abſtitêre.At Caruallius,præter inſignẽ apud Indos gloriam,ab Luſitanis quoq;,& ab ipſo in primis Noronia debitũ tantæ virtuti, & caritati præconium tulit:dumq; digna talibus factis exquiruntur præmia;interim è regio fiſco quicquid in eã expeditionẽ inſumpſerat, benignè repẽſum.Eodẽ Noronia Prætore,cùm alia, tũ duo præſertim horrenda fuêre naufragia. Emmanuel Soſa,cognomẽto Sepulueda,qui Dienſi(vti memoratũ eſt)præfuerat olim arci,vir opulentus ac ſplendidus, ducta in matrimonium Eleonora Garziæ Salæ tũ Prætoris filia,tactus deſiderio patriæ; preſſam diuitijs roſtratã excelſam Cocini conſcẽdit.ſequebatur vxor,ac parui liberi;& Pãtaleon Sala,& nobiles aliquot;& præter nautas,famulorum etiã ac mancipiorũ turba :in vniuerſum capita fermè ſexcẽta.Ianuarij menſis initiũ,Luſitaniam ex illa petentibus ora,ſtatum ſoluendi tẽpus. ventorum id vices,
B ac dudũ explorata nauigandi ratio poſtulat.Soſa cum cæteris, quod impeditior ad Coulanũ coemptiõ fuerat; non niſi Februario menſe profectus; circiter Idus Aprilis Cafrariũ littus aperuit. Inde leni ſtatu prouectis, circa Bonæ ſpei promontoriũ vehemens ab occaſu obſtitit ventus,idq; cum fulgetris,& cœli fragore,tetraq; ac minaci nubium vi. Tum inhorreſcens mare paulatim attolli,maioreſq;in ſingula momẽta ciere fluctus.Cũ in aduerſum obnitendi,remigio deſtitutis,nulla eſſet ratio;pauliſper addubitatum à nautis,vtrũ demiſſis antennis,in ſalo tranſitum tempeſtatis exſpectarent. verùm Oceano magis magiſq; ſęuiente perterriti;ſimul propter anni tempus abiecta ſuperandi promontorij ſpe;retrò in Indiam pari conſenſu vela dare conſtituunt.Sed ne id quidem è voto ſucceſſit,adeo violenti ac repentini flatus ab Oriente, diuerſiſque coorti plagis , quaſſatæ iam nauis in perniciem conſpirauerant.Horũ impetu vela primùm diſciſſa:malus deinde,mox gubernaculum,fruſtra fluctus euitante magiſtro,diffringitur.præterea coſtis immodica iactatione conuulſis,multo plus accipiebatur vndę, quàm vt exhauriri aut egeri ſumma turbæ naualis cõtentione & induſtria poſſet. Neq;,præcipitata leuandæ naui bona onerum pars,auertebat exitium. per hunc modum ſpoliati armamentis; obuerſante perpetua mortis
C imagine,dies aliquot in alto iactati, poſtremò vrgentibus à meridie ventis,certum ad naufragium ad terrã appelluntur. neque erat in malis potius quicquam, ni viuentes videntesque hauriri profundo,vel in cęca vada ſyrteſq;adigi mallent.ad teli ergo miſſum iactæ ab vtraque parte anchorę,dũ ſcaphis,quæ vna ſupererat ſalus,in continẽtem euaderent. Soſa ante alios cum vxore filijſque, & primarijs aliquot , raptim elata pecunia gemmiſque, tranſuecti haud ſine ingenti periculo:vſque adeò immanes toto littore moles aquarum illiſu reciproco frangebantur.neque idem effugium cæteræ multitudini patuit;ſcaphis,poſt vnum alterumve traiectum,in dorſuoſa breuia impactis & comminutis. Eodem fere temporis articulo anchorarius funis in Auſtrum obuerſus, quamquam valido nexu & craſſitudine,rumpitur .Tum qui remanſerãt,diuulſa nauis latera, & vaſto dehiſcentem hiatu alueum conſpicati,erumpentia eximo dolia, ſarcinas, capſaſve corripiunt;ſeque,incertam ad ſpem, qua cuique proximum eſt, in mare demittunt. Miſerando hinc ſpectaculo , immiſtos fluitanti gazæ mortales,& naualia inſtrumenta paſſim agi ferrique cerneres. Periêre ab ipſo ſtatim deiectu, Luſitani circiter quadraginta ; ex alijs nationibus , ad ſeptuaginta:reliqui haud ſemel operti fluctibus, ac turgido ſpumantique æſtu in diuerſa raptati,ad hæc,ſcriniorum incuſſu liuidi,aut clauorũ ſqua-

marumque ictu cruenti(tantus amor est lucis) tandem semianimes in sic- D
co vestigia posuêre. Vixdum euaserant;cùm in conspectu omnium, vacua
hominibus carina subsidit;& arenis illata, duas primũ, dein quatuor in par
tes, ad extremum in minutissima frusta dissilijt. hæc maximè clades ad vl-
timam pæne rerum desperationem Lusitanos adduxit. quippe, consilium
fuerat, è reliquijs naufragij subitarium dromonem intẽtis vestibus ad cur-
sum aptare;atque vbi licuisset, cum delectis retrò Sofalam aut Mosambi-
cum opis petendæ causa transmittere. Eam quoque sibi facultatem erep-
tam videbant, cùm è discerpto nauigio laceroque, vix vlla fragmenta cu-
biti mensuram excederent. Paulatim dein, quæque supernatauerant, quæ-
que obruta fuerant, pæne cuncta cum cadaueribus in littus eiecta: ipsę quo
que demum anchoræ, hastæque, & minora tormenta, quamquam hæc
quidem prorsus in vtilia; sulphureo omni corrupto puluere, neq; vllo cõ-
ficiendi apparatu. Inter hæc autumnus abierat: &, quod ab æquatore in me
ridiem gradus vnum & triginta distat regio; refouendæ turbæ, frigore, ine-
dia, vulneribusque torpenti, Sosa complures excitarat ignes. tum ex ali-
quot oryzæ semicorruptæ modijs, ac salsamẽtis, quæ tempestatis iniuriæ su E
perfuerant, cibaria in singulos parcè diuisa: quod squalida circum arena,
ac nullum esset cum incolis, fera & inhospita natione, commercium. dul-
ces tantùm in proximo scaturigines emicabant. atque ob id, connexis in
orbem scrinijs, aduolutoq; saxorum pondere, vti securas exigerent noctes,
loco munimenta circundata;& quatuor in partes, vt assolet, vigiliæ distri-
butæ, quas intempesta nocte haud semel circuibat Sosa; neque vllum, in
tali calamitate, boni & ciuis & præfecti omittebat officium. Tredecim
fermè dies curationi corporum dati. mox de summa rei deliberatum, quid
agerent, quò se conferrent. nemini dubium fuit, quin oram tenẽtes, ad flu-
men contenderent, cui Laurentius Marchesius olim ab Sancto Spiritu no
men indiderat: eodemque Lusitani ab Sofala & Mosambico mercimonij
causa commeabant. id flumen à statiuis in Orientem aberat leucas cẽtum
& octoginta. Ab hoc decreto, Sosa, quamquam præcipua in clade, tamen
cęteros ipse vultu ac sermone confirmat: ne asperis in rebus desponderent
animos. qui se pelago committant; ijs famem, sitim, iacturas, ærumnas, om
nia incommoda esse debere proposita. quæ si contingant, non ita mox ca-
dendum, quasi ea nunquam euentura existimarint. ad hæc, pro suis quisq;
delictis æterna supplicia meriti; breuia ac tẽporaria non inuiti persoluant. F
Simul, eo infortunio, non quid perdiderint cogitandum; sed quod euase-
rint. amisisse multa: sed perire vnà cum ijs quæ amiserant, potuisse. monuit
insuper, vt inter efferas destituti gentes, nullum deinceps nisi in coniunctio
ne & concordia præsidium collocarent. nemo seorsum; oẽs in commune
consulerent. nihil neque dispersis, & vagis tutum, neque conglobatis & cõ
sentientibus noxiũ fore. postremò precatus est cunctos; in ratione itineris,
Eleonoræ & filiorum vel ætati vel sexui parcerent; seque validi & robusti
ad infirmorũ vires attemperare ne grauarẽtur. Ad ea succlamatum, duce-
ret quò vellet, & quo modo. se ab eius auctoritate arbitrioq; nõ receſſuros.
Per hunc modum corporibus & animis vtcunque firmatis; hoc maximè
ordine capessunt iter. Præcedebat Sosa cum vxore virilis animi fœmina, li
berisque propter ætatem securis, & Andrea Vasæo nauis magistro (is præ-
celsum Crucis vexillum ferebat) & Lusitanis alijs octoginta, seruis præte-
rea centum. hi puerulos tergo per vices; Eleonoram informi pilento ge-
stabant. sequebantur cum ancillis & imbelli turba nautici. agmen infau-
stum Pantaleon & reliqui cum mancipijs Lusitani cogebant. Modicis inde
itineribus, per infesta Cafrũ incursionibus, & noxijs animantibus loca pro
gressos: inuię rupes, excedentia in nubes iuga, despectu horrẽdo conualles,

cœnosæ

A cœnoſæ voragines, inflata imbribus hybernis flumina excipiunt. ijs dum ſuperandis, humilia procul vada, clementeſque montium aſcenſus ac deſcenſus inquirunt; littoralis ſpatij triginta non amplius leucas, crebro ipſi ambitu flexuque, cœcis ad hæc erroribus, in centum prorſus extendunt. Menſis inter hæc voluitur. ſimul, extrema quoque inopia, conſumptis iam omnibus alimentis, conflictari cæpti. Suſtinebant famem primò conchylia, piſtreſque cetorum artus; & alia maris eiectamenta. dein, vbi à littore abſceſſerant, ſylueſtria poma baccæue: tum tenerrima frondium; poſtremò beſtiarum cadauera & oſſa quælibet igne toſta; pelleſq; mollitæ. Nec leuius torquebat ſitis: cùm oppidò pauci, nec niſi magna præſentis pecuniæ mercede, aquādi cauſa de via decederent, inſidiantium ex occulto latronum impetus, atque leonum etiam ac tigrium ignota cubilia metuentes. enormia inde aquæ pretia: vti octo interdum aureis hemina conſtaret. Inter quæ ſubinde aliqui laſſitudine, inedia, ſiccitate confecti, deploratis viribus, Aethiopi diro, belluiſque, & alitibus præda reſtabāt, ſuprema ad ſuos mandata dantes antecedentibus: quorum in animis, vt fit, diuturni terrores & proprium cuiuſque malum, omnem pæne miſerationem ac ſenſum
B alienæ calamitatis exſtinxerant. Soſam tamen, cari aliquot relicti, ſupra modum angebant. vxoris verò quotidiani labores miſeriæque propemodum emouerant mente: quamuis illa quidem ſeſe marito infatigabilem corpore pariter animoque præſtaret comitem; ac baiulorum deſtituta miniſterio, dudum ſuis ipſa pedibus ambularet addens cæteris animos; & in partem oneris, teneræ proli ſubleuandæ ſuccedens. Quarto menſe ad amnem Sancti Spiritus peruentum ab inſcijs. cauſa latendi fuit, quod auditæ conceptæque animo magnitudini haudquaquam reſpondebat flumen (quippe tribus alueis ea regione decurrens, in exitu iungitur) & idonei ad percontandum explorandumq; interpretes deerant: ſiquidem Aethiopicis ex alia longè regione mancipijs quæ habebant in comitatu; nondum erat cum ijs populis tanta ſocietas linguæ, vti per illos poſſent, quę vellent, probè cognoſcere. Percōmodè cecidit, quod regulus ea tenebat loca, miti admodum præter aliorum conſuetudinem ingenio vir, beneq, in Luſitanos animatus, quòd illi placidum & æquum paulo ante cōmercium cum ipſo Laurentio Marcheſio, & Antonio Calderia fuiſſet. Is, per amāter acceptum Soſam & reliquos, apud ſe, dum aliquis ab Sofala inſtitor appareret,
C omni arte retinere conatus eſt, partim ab inſita humanitate, partim etiam proprij cōmodi gratia, quòd finitimis implicitus bellis, tempeſtiuo firmoque ſibi auxilio diuinitus oblatam hanc putaret manum. ac proinde, poſt multa benigni vultus inuitamenta, deniq; geſtu, nutibus, & incerta vocum ſignificatione denuntiat, haud procul abeſſe inde potentiorem ſe Regem, impium, & rapinæ adſuetū: ſi pergant; præcipitis cōſilij pœnas daturos. Nec preces nec monita profuēre. quò liberalius habebatur Soſa, eò magis fraudē ſuſpicatus, porrò abire cōtendit, nauiculiſq; ab eodē regulo impetratis fluuium traijcit. Quinto die ad mediū amnis brachium proceſsêre, leucas iam à naufragio trecentos emenſi; è quingētis comitibus ad centum & viginti varijs cladibus redacti non amplius. id quoq; brachium, cōductis pretio lintribus, imminentiū ignari tranſmittunt. maiore dein vſu linguæ, per interpretes haud dubiè cognitū, id eſſe flumen quod tanto iam diu labore quæſiſſent: & eiuſdem habitus albos homines illuc nauibus itare cōſueſſe. non longè à mari is locus aberat. falſi ex eo latices: neq; vllam dulcis aquę venam circum apparere cōſtabat. ad hæc, ſolum planè incultum ac ſterile. cùm ibi Luſitani, malis victi, ſub noctem neceſſariò conſediſſent; poſtridie aduentātes Aethiopas fermè ducentos adſpiciūt. ac primò adeſſe prælium rati, arma quæ malè iam ſuſtinebant, expediunt: reliquias virium ad repel-

lendos fugandosque latrones intendunt. dein, postquam pacatus appro- D
pinquabat Aethiops; ac, quinam, & vnde profugi, blãdè quærebat; sumpta
fiducia, infortunij summam, & exhaustos labores, per interpretem expo-
nunt. cibaria tantùm, neq; ea gratuita iure gentiũ petunt: ferramenta genti
expetita conciliando commercio proferunt. Haud spernenda crescendi
occasio barbaris visa. tantũ de re ex tuto aggredienda soliciti, ac toti è frau-
de mendacioque conflati, respondent, nihil esse commeatus in promptu:
haud ita distare oppidum: eò si accesserint, hospitaliter ac benignè cunctos
ab Rege tractatum iri. Suadebat requiem vltima lassitudo, & inuentus ag-
nitusque tandem exoptati fluuij terminus: væsana insuper fames vrgebat
ac sitis. age sanè. ducibus ijsdem ad oppidum tendunt. iamque successuros,
per viatorẽ ingressũ prohibet Rex. densę arbores in vicino adsignatæ, qua-
rum vmbra sese vtcunque reficerent. sex ibi dierũ fuit mora: clauos fermè
reuulsos è naufragij tabulis, cum carnibus nutrituq; alio permutabant: si-
tim leuabat in proximo fons. contracta inde cũ incolis nonnulla consue-
tudine, pernicioſam in spem hospitij Sosa paulatim inductus, mercatoris
cuiuspiam aduentum ab Sofala, si liceat, ibidẽ operiri constituit. idipsum
Aethiopes cùm valdè hortarẽtur; ex ijs missi ad Regem, qui Sosæ interim, E
& coniugi, cæteriq; pro instituta societate paulo cõmodius diuersorium
peterent. Ille, populariũ haud absimilis, omnibusq; artibus ad fallendum
instructus, iubet Sosæ renuniari; se suosque optimo esse in aduenas & cala-
mitosos animo: sed quominus eos adhuc intra oppidũ admiserit, duabus
maximè causis retardatum. altera, quod magna tum annonę penuria, vno
omnes loco sustentari non possent: altera, quod ferro succinctos, & vario
genere telorum, incolæ seminudi, ac fudibus tantùm assueti, maiorem in
modum extimescerent. Si animum inducant Lusitani, ad pacatæ mansio-
nis fidem, arma interim apud se custodienda sine dolo deponere; se domi
suæ prefectum primoresq; benignè habiturum: reliquos, circumfusis oppi
do vicis fida in hospitia diuisurum. Dura omnino postulata visa concilio.
sed recusantibus, extrema necessitas & egestas instabat. ergo nemine prẽter
vnam Eleonoram dissuadente palam; Sosa qui amicè monenti atq; inuti-
tanti regulo priori abrogauerat fidem; repudiatis Eleonoræ precibus mo-
nitisque, se ac sua demũ omnia insidioso huic præpostera credulitate per-
mittit. cohors reliqua ducis auctoritatem sequi nõ dubitat. tradita extem-
plò arma præmittuntur ad Regem: Sosa cum vxore, liberisque, & fidelibus F
alijs fermè viginti subsequitur. cęteros quinos vel senos regij prefecti varia
in loca diducunt. necdum ad inhospitales peruenerant casas, cùm destitu-
tos ac diremptos ab ope mutua; non peculio tantùm, si quid abditum gere
bant, sed vestimentis etiam quamquam attritis ac laceris exuũt; eaq; nocte
malignè admodum pastos, manè fustibus conuitijsque per summam per-
fidiam & immanitatem tectis ac vicis exturbant. Rex, gemmis, auroque, &
argento, & quod pretiosi reliquum Sosæ & familiaribus fuerat, auidissimè
rapto, corporibus tantùm ac vestimentis abstinuit; domoq; cunctos item
exegit, insuper increpans, clementia adductum se nõ pro meritis tractasse
vagos piratas, & cõmunes humani generis inimicos. Tum demum sensêre
Sosa comitesque, quàm stultè sese inermes ignotæ ac barbaræ fidei credi-
dissent. Neque hic finis miseriarum fuit. nanque dum inopes consilij, solu-
tis ordinibus, nullo rectore, nullo signifero, passim incerto errant gradu;
noua repẽtè Aethiopum manus, præacutis armata fudibus, in Sosæ manı-
pulum inuadit: ipsumque & cæteros vtriusque sexus nullo discrimine ve-
stibus nudat, obnoxios, & contra ne hiscere quidem audentes. adeo ablatis
armis ceciderãt animi. Eleonora tantũ, generis memor, ac pudoris ad vlti-
mum retinẽs; obniti acriter, pugnis quin etiã colaphisq; barbaros vltrò ad

necem

A necem irritare: quoad mariti denique hortatu, & deficientibus iam planè viribus, abstitit. nec mora: detractæ direptęq; vestes; metu ac pudore confusis qui ex infelici comitatu restabant, atque ab tanta rerum indignitate auertentibus oculos. tum verò, castæ matronæ tristior omni morte lux visa: defodit arenis è vestigio sese: quæ supereminent, soluto raptim fusoque obtegit crine. mox ad Andream paucosque superstites, voce suprema: Vos
" quidem, inquit, duci vestro fidem egregiam præstitistis, optimi viri. nil vl-
" tra opus est. ite, vobisque ipsi tandem aliquando consulite. ac, si quem pa-
" trijs olim finibus reddi contingat; renuntiate quo loci mea me maritum-
" que delicta perduxerint. Mœstum inde silentium immobilis tenuit. cara tantùm intuenti pignora, iuges riui lacrymarum denso cum gemitu profluebant. Sosæ item, altus mœror ac dolor vocem incluserat. cumque defixo in terram obtutu, aliquandiu attonito ac stupenti similis adstitisset; paterna demum existimulante cura, proximam in syluam quærendo qualicunque nutrimento secedit. inde regressus, Eleonoram triduano ieiunio fletuque pæne consumptam, è filiolis alterum prorsus extinctum offendit, eumq; suis ipse manibus terræ mandauit. Postridie eodem pabulandi fun-
B ctus officio, coniugem vnà cum filio exanimem reperit, & lamentabili circum vociferatione complorantes ancillas. Hisce confestim summotis, in dextram iacentis manum aliquandiu reclinato capite incubuit: dein, ijsdem adiuuantibus ancillis, cadauer vtrumque sepelijt, nihil vnquam effatus. postremò se se iterum abdit in syluas. ibi laniatum à feris putant. nunquam deinde comparuit. Hunc exitum, inter paucas miseranda Sosæ peregrinatio terra mariq; sortita; cùm seculi huiusce tertius & quinquagesimus ageretur annus. reliqui ad centum, fœdo agmine, rerum omniũ inopes, diu errabundi, varijs casibus ad sex & viginti redacto numero, cùm pro captiuis haberentur, denique ab nauicularo Lusitano, qui eboris mercandi causa regionem eam à Mosambico petierat; sestertijs in capita quaternis redempti. in ijs Pantaleon fuit: qui ante hoc biennium, exacta iam ætate, verùm præualens viribus, Olisipone subito neruorum stupore apoplecticus obijt. Cæterùm tanta Sosæ calamitas longè lateque vulgata misericordiam hominum ciuit: cupiditatem & audaciam non imminuit. Anno quippe insequenti, nauarchi alij quinque Lusitaniam versus Cocino solu-
C ere. Fernandus Aluarus Capralis cunctis præerat. ex ijs nauibus, vna tantùm Olisiponem post varia discrimina tenuit. aliarum incerti euentus, Prætoria excepta, cui à Sancto Benedicto erat nomen. Hæc quantum patebat constipatis ad summum oneribus, vix vt nautico ministerio spatia superessent; in medio cursu aduersis ventis & fluctibus labefacta; cùm deploratam duceret sententiam, ipsa item circa Bonæ spei promontorium ad littus quod appellant Natale, vi tempestatis allisa dirumpitur. inter enatãdum periere ad ducentos. cæteri fermè debilitati ac semianimes, deserto in littore corpora prostrauere. Mesquita Perestrellius, qui cladi superfuit, ac totam accuratè descripsit; varios insolitosq; addit terrores. ingruente procella, cacodæmonum choreas in sublimi visas. ab infortunio dum se miseri ad viam parant, silẽtio noctis nautica errantium ibidem animarum exaudita celeumata. cæterùm hi naufragi ijsdem fermè quibus priores itineribus casibusq;, illuuie obsiti, macie enecti, cùm à trecentis amplius, ad tres circiter & viginti redijsset summa, redempti pariter à Lusitanis negotiatoribus; miseriarum & patientiæ documentum, ad Sofalam atq; ad Mosambicum ægerrimè peruenere. Sub idem tempus, Alphonso Noroniæ, cùm circiter quadriennium prouinciam administrasset; successor aduenit Petrus Mascarenias idem, qui Xauerium olim ex vrbe Roma in Lusitaniã adduxerat. Is, qua erat in Deũ pietate, bonis maiorem in modũ approbanti-

bus,ante omnia ad euellẽdos ethnicos ritus ac ſuperſtitiones, quarum ad- D
huc erant in vrbe Goa multæ reliquiæ ſtudium & cogitationes intendit.ſi-
mul neophytorum libertati, commodis, immunitatibus, è Regis decreto
cum fide curaque conſuluit. Idem, ſolicitãtibus iterum ab Idalcanis odio
Mahometanis proceribus, ac præſertim Inele Maluco, Mealem, qui Goæ
dudum in libera cuſtodia tenebatur, cum equitum peditumque præſidio
in finibus Decanij regni, Pondæ conſtituit.Goam dein regreſſus; vixdũ an-
no vertente Præturæ;morbo deceſſit. Huic è regio chirographo ritè ſuffe-
ctus è prima nobilitate Franciſcus Barretus. hoc Prætore, Mealem à Pon-
da Inel Malucus cum duobus equitum millibus in Decaniæ terræ interi-
ora perduxit. *Ab rerum nouarum cupidis, quique ſæuo tyranni ſeruitio
premebantur,ad mitem ingenio virum, ac iuſtum regni hæredem concur
ſus illicò fieri cæptus. neque ſe Idalcan aduerſus ea ſegniter comparabat.
inter cætera,diffiſus populariũ voluntati, magnas firmasque copias è Nar-
ſingano regno haud leui mercede conduxerat, ac poſtremò ſignis colla-
tis, haud dubiè victor euaſit. Meales ad Nizamalucum è fuga ſe contu-
lit. Goam inde repetijt,ibi reliquam exegit ætatem.Prætor interea firman-
do imperio intentus, Ciaulanam arcem, vicino ſubiectam & obnoxiam E
colli,in eum ipſum collẽ transferre ſtatuerat. coacta ergo in id claſſe,cum
fabris alioque apparatu Ciaulum petit. Nõ latuit ea res Nizamalucum. is,
ne geminum pro vno iugũ acciperet, armato milite prior locum inſedit.
neque Prætori tentanda res viſa per vim.diſſimulato conſilio,& renouata
cum Nizamaluco amicitia; ad luſtrãdam Borealem plagam de more per-
rexit:nullaque memorabili geſta re;Goam ante hyemales motus reuertit.
Sub hæc Idalcan victis perduellibus ferox; in Canarinum limitem præfe-
ctos cũ exercitu miſit. ij excelſis tumulis caſtra poſuêre, præterfluebat am-
nis incerto gurgite, præcipitibus vtrinque ripis.ex hiſce munimentis Ma-
hometani crebra excurſione terreſtres ab Goa commeatus arcebant. Ad-
uerſus eos Prætor ex inſula peditũ tribus ferè millibus, & paucis equitum
turmis in continentem traductis, cis flumen è regione hoſtium in ipſa val-
le conſedit. Mahometani interim è ſuperiore loco incendiarias bolides,
& varij generis tela torquere.Prætor, conſerendæ cominus pugnæ auidus,
quòd ponti materia deeſſet; tranſitum ex omni parte circumſpicere. poſt-
quam dubias voragines,& cuncta vndique prærupta cernebat; admotis a-
criter equo calcaribus,vti erat cataphractus,qua in arctum coibat flumen, F
immani ſaltu tranſmiſit: ac tanta fuit incitatio, vti diruptis ephippijs pro-
pemodum ex equo delaberetur. idem auſi ducis exemplo quidã, protinus
in terram effuſi,& ruentibus ſuper eos equis obtriti.cæteræ copiæ,ſimulat-
que trans amnem conſpectus eſt Prætor,qualicunque demum reperto va-
do,per æqua per iniqua traijciunt: ardenteſque animis,in hoſtem aduerſo
cliuo ſuccedunt.Non tulêre impetum Indi.vixdum inito certamine,queis
nullum in fuga dedecus, terga vertêre. neque per aſpera & cõfragoſa eua-
dentibus Prætor diutius inſtitit. Miſſi dein vltrò citroque legati; & ex vtri-
uſque gentis commodo redintegrata pax eſt. Nec minori felicitate per id
fere tempus in Braſilia quoque compoſiti bellorum tumultus: cùm orto
Luſitanos inter & Saluatoris accolas iurgio, ab Ioanne Rege Braſilij defe-
ciſſent. Sequuta dein quies. perque eam tranquillitatem liberior excurſus
Euangelio patuit. Thomæ Soſæ Prætori iam ante ſucceſſerat Eduardus A-
coſta:& peropportunè cum eo inſignes aduenerant è Societate IESV viri
Ludouicus Grana, Blaſius Laurentius, Gregorius Serranus, Ioannes Con-
ſaluus genere Luſitani, Antonius Blaſcus Caſtellanus, & qui prouinciam
hodie regit, Ioſephus Anchieta Cantaber. Hiſce adiutoribus inſtitutæ ali-
quot locis Eccleſiæ, atque in pago præſertim, cui Piratininga nomen:

vagi-

A vagiq́ue Brasilij, quò commodius erudiri possent, paulatim in vicos aut oppida contributi. atque hic etiam miraculis nonnunquam Deus prędicationi adstruebat fidem. inter cætera illud insigne referunt. Bello inter Piratiningæ incolas & finitimas gentes exorto; cùm in aciem exissent Piratiningani; nec opinata multitudine hostilium copiarũ exterriti fluctuabãt. Erat in exercitu virilis animi fœmina, paulo ante sacro lustrata baptismate. Hæc, perculsos metu conspicata viros, magno animo hortatur, vti signo Crucis, Christiano more se muniant, ac prælium sine dubitatione cõmittant. Factum vti monuerat; ac dempto pauore tantus repente ardor atq; fiducia cunctis iniecta; vti alacres ac celsi pugnam inierint; magnaq; edita strage, hostẽ in fugam auerterint intacti omnes, duobus tantùm exceptis, qui salutaria piæ mulieris præcepta contẽpserant. sagittis ambo cõfixi: alter postmodum occubuit. Sub hæc, ad auri venas inuestigandas Lusitani milites cum fabris in mediterranea Prætoris iussu profecti. eorum animis Azpilcueta pastor adiunctus. ij per multos errores, varijs, vt assolet, conflictati miserijs & ærumnis, deniq; ad Saluatoris vrbẽ redière nullo tantæ operæ pretio. At Azpilcueta è summis laboribus ac lassitudine morbũ contraxit, quo sensim absumptus, magnum Brasilijs pariter ac Lusitanis desi-
B derium sui reliquit. Interea exciti fama rerum quæ à patribus gerebãtur Carigij & Ibiragiari populi Americæ interioris, dociles miteq́; natura, Christianæ religionis præstantiã adamauerant, Castellanis præsertim hortantibus, qui ad Paragaium amnem (is ex Argenteo defluit) sedes habebãt. Nec dubitauêre Carigij amplius ducenti, aliquot Hispanis admistis, audiendi Euangelij ac baptismi petendi causa, Brasiliam versus à sexcentis passuũ millibus iter periculosum ignotumq́; capessere. horum piæ voluntati breuiore compendio satisfactum. siquidẽ à Tupinaquinis diræ immanitatis gente intercepti ac trucidati, labes criminum suo protinus cruore expiarunt, tãta beatitudinis æternæ concepta fiducia, vt inter ipsam necẽ percussores in hæc affarentur verba: Vos quidem arbitratu vestro, carnifices, fluxa hæc
» & olida membra concidite. animas certè non prohibebitis, quominus ad
» suum hodie conditorem ascendant. Per hunc modum mactati plerique;
» alijs vincla indita; vnus è Castellanis duntaxat elapsus, cùm ad Sancti
Vincentij coloniam peruenisset, cuncta patribus ex ordine retulit. Missus
C extemplò ad Tubinaquinos haud sine aperto vitæ discrimine Petrus Correa, linguæ Brasilicæ (vt supra diximus) bene peritus; trucis ac sanguinariæ gentis ferociam blando sermone permulsit, ac duos qui supererant, exemptos è custodia Castellanos in Brasiliam perduxit incolumes. Cæterùm ipse Carigiorum indole magnopere delectatus, illam sibi prouinciam à Nobrega depoposcit. additus illi comes è Societate Ioannes Sosa Lusitanus, eximia sobrietate ac patientia vir: præfinito spatio temporis, intra quod spatium redirent. Haud otiosa vel irrita fuit legatio. Ingenti labore totum illud iter emensi, verbo & exemplo magnos in Carigia terra motus animorum fecêre; non plebe tantùm, sed primoribus quoque à patria vanitate magis in dies ad studium Christianæ veritatis accensis. Ab eo munere dum ad socios euocandos Brasiliam repetunt anno seculi huius quinquagesimo quarto, sub ipsum natalem Domini diem, quem Nobrega peregrinationis terminum dixerat; præclara vtrique tanti sudoris atq; operis præmia diuinitus persoluta. Vetus quidam erat Castellanorũ interpres, quem paulo ante Correa captum à Brasilijs, & in epulas de more saginatum, ex eorum faucibus eripuerat. magna huic erat cum Carigijs cõsuetudo, & auctoritas, varijs artibus & mira calliditate quæsita. Ab eius impuro cõuictu quod Correa, tollẽdę publicæ offensionis causa, concubinã auulserat; ira percitus ille, & immemor acceptę salutis; insimulare

Corream& Soſam apud Carigios inſtitit,& in ſummum odium adducere, D
quaſi cum hoſte vicino in eorum perniciem conſpiraſſent. Inde ſuſpectos vulgò & inuiſos, ethnici aliquot in itinere adorti, Braſilios primùm duos qui cum ijs ambulabant, dein Soſam nixum illicò genibus, & in preces effuſum, ſagittis eminus impetētes interimunt. poſtremò in Corream ipſum arcus intendunt. is, aliquot iam acceptis vulneribus, cùm eos placido nihilominus vultu ac ſermone lenire conaretur; contra illi pro verbis ſpicula redderēt; flexis item ipſe genibus, baculo abiecto, manus oculosque tollit in cœlum, peccatisque hoſtium ingemiſcens, inter ſupremam deprecationem denſatis ictibus exſpirauit. Sunt qui factum eiuſmodi in dedecus & infamiam trahant gentis vniuerſæ argumento probabili. ſed mihi certis auctoribus compertum, clementi alioquin, vt ſupra diximus, ingenio viros, impij veteratoris dolo, & proditionis falſo metu compulſos ad facinus. Certè, cùm hæc ſcriberemus, de inſtituendo inter eos publico liberalium artium gymnaſio à patribus agebatur. & vineam hanc, vt in primis fructuoſam, Correa Soſaque præcipua ſibi cura colendam ſumpſerant. quorum ille ante Societatis aduentum, Braſilici nominis terra marique acerrimus inſectator, poſtquam à patribus doctus eſt quanto id piaculo fie- E
ret: nouis beneficijs veteres iniurias obliterare, totumque ſeſe Braſiliorum ſaluti è patrum diſciplina dicare conſtituit: præclarè ſecum actum iri putans, ſi in ea gente ad Chriſtum adducēda vitam ſibi ponere contigiſſet: ac proinde fideliter ac vigilanter admodum verſatus in opere; quinto initæ Societatis anno voti compos effectus eſt. alter, ab olla & culina, quo in miniſterio ſocijs aliquandiu deſeruierat, ad glorioſam pariter ipſe coronam aſcitus, nouum patribus fratribusque ſolidæ virtutis ac ſummiſſionis certamen iniecit. Cùm hæc in Braſilia fierent, Ioannes Rex dignam ipſius virtute ac pietate ſuſceperat actionē; Abaſſini Regis ac regni ad catholicam fidem, atque ad auctoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tandem aliquando adiungēdi. nam etſi ab Dauide legatus, de quo ſupra commemoratum eſt, Clementi VII. venerationem obſequiumque detulerat; tamen, in tanto locorum ac temporum interuallo, ad ingenium deinde redierat Abaſſina gens, quippe cuius in animis hærebant Dioſcori & Eutichetis penitus infixa mendacia; & ab adulterino Alexandriæ præſule nihilominus iuris diuini reſponſa, rituſque ſacrorum, & publicæ ac priuatæ cæremoniæ petebantur. quapropter vna ſupereſſe videbatur ſalutis ratio, ſi ab Romano F
ipſo Pontifice legitimus & rectè ſentiens Patriarcha ad eos paſcendos regendosque populos mitteretur, & cum eo, ſpectata morum innocentia & ſanitate doctrinæ theologi, qui concionibus, colloquijs, & frequenti diſputatione, deceptis è mētibus letalium opinionum atque ſuperſtitionum fibras euellerent. Cuius rei perficiendæ hoc maiorem in ſpem venerat Ioannes, quod Claudius Rex, cui Gamma pridem ſuppetias tulerat, optimè ſeſe in Latinos Francoſue (vt appellant ipſi) animatum, & reconciliationis cupidum oſtendiſſet. Rebus igitur cum Iulio iij. mox cum Paulo IV. diu multumque agitatis, ad conſilium adhibito in primis Ignatio Loiola; tandem in id munus delecti è Societate IESV tredecim viri, ſanctimoniæ nō minus quàm eruditionis laude præſtantes: ijque varijs è nationibus. acceſsêre ex eadem Societate probi aliquot vitæ quotidianæ adiutores. Neque vlli, tam arduam in expeditionem, tamque laborioſum iter atque longinquum, alacritas defuit. tantùm ab honorum vocabulis & inſignibus cuncti & ſuo ipſi iudicio, & Societatis inſtituto, valde abhorrebāt. ac proinde nominatim appellati ea de re quidam, præcisè negauerant. Eò dignior quæ extolleretur, tanta humilitas viſa. ac ne tergiuerſationi vltra eſſet locus; ab ſummo Pontifice pro imperio coactus ad Patriarchatum euehitur Ioannes

A annes Nonnius Barretus Lusitanus, qui nuper in Africa redimendis iuuan
diſque captiuis insignem operam summa cum prudentię & caritatis laude
nauauerat: alterius Nonnij germanus frater, qui tum Indicã Ignatij nomi-
ne Societatem regebat. Huic, Episcopali dignitate coadiutores, vt appel-
lant, ijdemq; si quid ei grauius accidisset, successores pro potestate insuper
adiũcti duo, Melchior Carnerius item Lusitanus, & Andreas Ouiedus Ca-
stellanus, qui Collegio Societatis Neapolitano tum præerat, mirus & cor-
poris domitor, & gloriæ humanæ contemptor. illum antistitis Niceni,
hunc, Hierapolitani titulo decorauit Pontifex. Neque in quopiam eorum
hærere potuit cupiditatis aut ambitionis vlla suspicio: cùm & inuitos tan-
ta onera subijsse constaret; & per hosce dignitatis gradus, non ad opes, aut
vitæ commoda, sed, vti declarauit euentus, ad vltimam egestatem, & eo-
rum nas, & quotidiana capitis pericula tenderent. Magnam verò exspectationẽ
delectus ille conciuit. & cùm de successu rerum variè, vt fit, pro suo quisq;
sensu loquerentur homines; tamen huic tantæ ac tam nouæ actioni vulgo
fauebant. Ignatius verò in eandem, non solùm opi diuinæ implorandę as-
siduis per se perque socios votis & supplicationibus excubabat; sed etiam,
B fessa iam ætate viribusque, suum ipse nomen operamque (modò fulgor ac
species honoris abesset) summo Pontifici sponte detulerat. cumq; eius æta-
ti, & valetudini, maximis præterea occupationib⁹ parceretur; accurata me
ditatione ad Claudium Regem scripsit litteras hoc exẽplo: Domine mi in
" Domino nostro IESV Christo: Gratia tuæ Celsitudini, & salus, & affluẽtia
" donorum spiritualium, à Domino nostro IESV Christo. Sereniſſimus Por
" tugaliæ Rex, pro ea solicitudine ac zelo, quem illi Deus creator noster ac
" dominus dedit gloriæ sancti sui nominis, & salutis animarum, quæ vnige-
" niti eius filij pretioso sanguine & vita redemptæ sunt; non semel ostendit
" mihi per litteras, pergratum sibi fore, si è religiosis nostræ minimę Societa-
" tis, quam vocant IESV, duodecim viros designarem, è quibus ille Patriar-
" cham vnum, duos coadiutores pariter & successores eligeret. ijsdemque à
" Summo Christi Domini nostri Vicario suppliciter peteret auctoritatem
" & ius, quò iure ad suas quisque partes ritè obeundas ipsi cum sacerdoti-
" bus alijs in tuæ Celsitudinis regna transmitti possent. Ego, pro eximijs in-
" ter cæteros Christianos principes, eiusdem Sereniſſimi Regis Portugaliæ
" meritis erga Societatem nostram vniuersam, nostraque vicissim omni-
C um in illum obseruantia & pietate, feci quod iusserat: consultoque sequu-
" tus numerum qui Christi Domini nostri, Apostolorumque eius colle-
" gium referret; præter ipsum Patriarcham, sacerdotes duodecim supple-
" mẽti ac velut seminarij causa, è corpore nostro cũctos excerpsi: qui ad sub-
" leuandas iuuandasque animas, tuæ Celsitudinis imperio ac ditioni subiec-
" tas, sese vitamque suam in omnem laborem atque discrimen offerrent.
" Atque hoc libentius parui, quod præcipua quadam alacritate sentio me
" socioſque meos omnes ferri ad obsequium & cultũ Celsitudinis tuæ, haud
" immeritò, quippe quæ inter tot circunfusas vndique nationes infidelium
" & hostium nominis Christiani, vestigijs maiorum suorum insistens, ad cõ-
" seruandam ac promouendam Christi Domini ac Dei nostri religionem
" & gloriam diligenter incumbit. Quam ipsam ob causam optandum fue-
" rat, vti ad hæc tam recta tuæ Celsitudinis studia conatusque, subsidium
" accederet spiritualium patrum, quibus & legitima potestas ab hoc Sanctæ
" Sedis Apostolicæ fastigio deriuata; & fidei Christianæ pura & syncera do-
" ctrina suppeteret. quæ nimirum duæ sunt claues illæ regni cœlorum, quas
" Christus Dominus noster Sancto Petro, & omnibus qui deinceps in eius e-
" rant solio sessuri, promisit prius, dein ipsa re tradidit. Promisit tantummo-
" do, cùm ad eum dixit (vt legimus apud Diuum Matthæum Euangelistam)

Ego

Ego dico tibi quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam D
meam;& tibi dabo claues regni cœlorum;& quicquid ligaueris ſuper ter-„
ram,erit ligatum & in cœlis:& quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ „
& in cœlis. Tradidit,ac promiſſa patrauit;cũ poſt reſurrectionem,antequã „
in cœlum aſcenderet,ſciſcitatus ex eo ter(quemadmodum affirmat Diuus „
Ioannes Euangeliſta)Simon Bariona diligis me plus his?ſubiunxit in ſingu „
la reſponſa:Paſce oues meas:committens illi non partem aliquam ouium „
ſuarum,ſed totum prorſus gregem, vniuerſa cum plenitudine poteſtatis, „
ad alendos vitali Chriſtianæ religionis pabulo cunctos vbique fideles, eoſ „
demque ad cœleſtia ſempiternæ beatitudinis paſcua perducendi. Ac cæte „
ris quidem Apoſtolis,auctoritatẽ Chriſtus Dominus noſter impertijt de „
legatam,ac veluti extra ordinem:at Sancto Petro eiuſq; ſucceſſoribus,or „
dinariam dedit ac plenam;vti ab hoc ſummo Paſtore, tamquam à fonte, „
reliqui animarum paſtores peterent, eidemque acceptum ferrent, quic „
quid omnino iuris ad ſuum quiſque munus ac regimen obtinerent: quod „
olim adumbraſſe per Eſaiam videtur Dominus, cùm de Eliachim loquẽs „
Pontifice Maximo;Et dabo,inquit,clauem domus Dauid ſuper humerum „
eius;& aperiet,& nõ erit qui claudat;& claudet,& non erit qui aperiat.quo E
videlicet typo figuratus eſt Petrus,eiuſque ſucceſſores,quibus datam inte „
gram poteſtatem declarant claues,conſuetum vtique ſymbolum & inſig „
ne pleni atq; abſoluti dominij. Quæ cùm ita ſint;Celſitudo tua gratias de „
bet ingentes Domino Deo noſtro, quod ipſa regnante potiſſimum,digna „
tus fuerit iſtis nationibus mittere veros animarum paſtores, qui à Summo „
pendeant Paſtore ac Vicario quem reliquit in terris IESVS Chriſtus Do „
minus noſter;& quantamcunque habent poteſtatem, quæ ſanè perampla „
eſt,hanc ab eodem illo Vicario totam acceperint. Nec ſine cauſa, patria „
uoque tuę Celſitudinis diſplicebat ſumi ab vrbe Alexandria Patriarcham. „
quippe,ſicuti diuulſum à corpore membrum, neque motum, neque ſen „
ſum,neque omnino vitam à corpore accipit ſuo;ita Aegyptius Patriarcha, „
ſiue ille Alexandriæ,ſeu Memphi degat,cùm ſchiſmaticus ſit ac diſiunctus „
ab hac ſacroſancta Sede Apoſtolica, & ab Eccleſiæ totius capite Pontifice „
ſummo;videlicet vitam gratiæ,& paſtoralem auctoritatem, nec ſibi reci „
pit ipſe,nec alteri cuipiam valet legitimam impertire. Eccleſia namque Ca „
tholica,vna tantùm eſt in orbe terrarum:neque fieri poteſt vt alia Roma „
no Pontifici,alia pareat Alexandrino. Vti ſponſus eius Chriſtus vnus eſt, F
ſic ſponſa illius vnica, de qua Salomon ait in Canticis ex perſona Chriſti „
Domini noſtri; Vna eſt columba mea:& Oſeas propheta: Congregabun „
tur filij Iſrael,& filij Iuda pariter,& ponent ſibi caput vnum. & in eandem „
ſententiam multo deinde poſt Sanctus Ioannes,Fiet,inquit,vnum ouile,& „
vnus paſtor. Vna erat,quemadmodum in Geneſi legimus,arca Noe; extra „
quam nulla omnino ſalus. vnum tabernaculum quod fabricatus eſt Moy „
ſes. vnum Hieroſolymæ templum à Salomone conditum, quo in templo „
ſacrificare & adorare oportebat. vna,cuius ſtaretur iudicio,Synagoga. Hęc „
nimirum omnia Eccleſiam denotabant,quæ vna eſt item;extra quam ni „
hil boni. etenim qui cum eius corpore coniunctus non fuerit, nempe nul „
lum à Chriſto capite recipiet influxum gratiæ viuificantis animam,ac præ „
parantis ad felicitatem æternam. Huiuſce vnitatis declarãdę cauſa,contra „
quoſdam hęreticos in Symbolo canitur:Credo vnam Sanctam Catholicã „
& Apoſtolicam Eccleſiam:damnatusq; à ſacris Conciliis error eſt,priuatas „
Eccleſias,ceu Alexandrinam,Cõſtantinopolitanam,aut ſimiles dari, quæ „
communi omnium capiti ſubiunctæ non ſint Pontifici Romano, ex quo „
perpetua ſerie ab Sancto vſque Petro(qui Chriſti Domini iuſſu,vti à Diuo „
Marcello martyre traditum eſt;Romanam elegit ſedem,eamq; ſuo cruo „

re ſan-

A re ſanciuit) perducti Romani Pontifices; Vicarij Chriſti citra controuer-
„ ſiam à tot ac tanta ſanctitate doctoribus Latinis, Græcis, omniumq; natio-
„ num habiti; ab ſanctis Anachoretis, Epiſcopis, & alijs confeſſoribus adora-
„ ti; tot ſignis atque miraculis, tot denique martyrum qui in hac fide & vnio-
„ ne Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vitam profudêre, teſtimonio cõprobati ſunt.
„ Meritò igitur, conſentienti Epiſcoporum omnium voce qui ad Chalcedo
„ nenſem conuenerant Synodum, Papæ Leoni pariter acclamatũ; Sanctiſſi-
„ mus, Apoſtolicus, Vniuerſalis. Et in Conſtantienſi damnata eſt hæreſis ne-
„ gantium ſuper omnes & ſingulas omnium terrarum Eccleſias, Primatum
„ Romani Pontificis eminere. Ad quas tam diſertas firmaſq; patrum ſanctio
„ nes atque decreta, Concilij quoq; Florentini, quod ſub Eugenio IV. præter
„ alias nationes, à Græcis etiam, Armenijs, & Iacobitis tanto ſtudio celebra-
„ tum eſt; in hæc verba acceſſit auctoritas: Definimus, Sanctam Apoſtolicam
„ Sedem, & Pontificem Romanum, in vniuerſum orbem tenere primatum,
„ ac ſucceſſorem eſſe Petri, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ
„ caput, & omnium Chriſtianorum patrem & doctorem exiſtere: & ipſi in
„ Beato Petro, paſcendi, regendi, gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Do-
B mino IESV Chriſto poteſtatem plenam eſſe traditam. Iure igitur Sere-
„ niſſimus Rex Dauid, tuæ Celſitudinis genitor, miſſo ad obſequium Roma
„ no Pontifici deferendum legato, ſanctam hanc Sedem omnium matrẽ ac
„ principem agnouit. cumq; alia multa & præclara ipſius pariter & tuæ Cel-
„ ſitudinis acta numerentur; tum duo hæc eiuſmodi ſunt, vt eorum præſtan-
„ tiam nulla vnquam obſcuratura videatur obliuio: ac proinde ab omnibus
„ qui ſub iſto viuunt imperio, iramortales auctori bonorum omnium Deo
„ debentur gratiæ pro tam ſingulari in eos beneficio, veſtra duorum opera,
„ induſtria, virtute collato: cùm alter omnium primus ſe in illius poteſtate
„ qui Chriſti vices gerit in terris, perpetuò fore profeſſus ſit; alter itẽ primus
„ dictum ab eodem Chriſti Vicario Patriarcham, verum ac legitimum Sa-
„ croſanctæ Sedis huiuſce filium in ſua regna perduxerit. Etenim ſi in mag-
„ ni cuiuſdam beneficij loco habendum eſt, vt profectò eſt, inſitos eſſe corpo
„ ri myſtico Eccleſiæ Catholicæ quod à Spiritu Sancto viuificatur ac regitur,
„ quam, teſte Euãgeliſta, idem Spiritus docet omnem veritatem; ſi eximium
„ eſt munus, lucem ſanæ doctrinæ intueri, & Eccleſiæ fundamentis inſiſtere,
C quam Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens, domum Dei, colum-
„ nam & firmamentum veritatis appellat; cui ſe promiſit in æternum affore
„ Chriſtus Dominus, inquiens, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſum-
„ mationem ſeculi, vt legimus apud Matthæum Euangeliſtam; eſt ſanè cur
„ ſine fine gratulentur iſtę nationes Deo Domino & conditori noſtro, cuius
„ prouidentia, per tuam parentiſque tui Celſitudinem tanto illos bono dig
„ nata eſt. præſertim cùm iure ſperandum ſit, ex hac ipſa conciliatione con-
„ ſenſuque, fore, Chriſto Domino moderante, vt cum ſpiritualibus tempo-
„ raria quoque incrementa, non ſine amplificatione imperij tui, & hoſtium
„ abiectione proueniant. Sacerdotes qui mittuntur iſthuc, omnes quidem,
„ ſed præcipuè Patriarcha, coadiutoreſque, & ſucceſſores eius duo, ſpe-
„ ctata admodum virtute ſunt, & noſtra in Societate probati per omnia: ac
„ propter illuſtrem caritatem, & exquiſitam rectamque doctrinam ad hoc
„ tanti momenti opus adſciti. neq; verò illis animus in idipſum aut alacritas
„ deeſt, haud leui cõcepta fiducia, labores ſuos, ad Chriſti Domini gloriam,
„ tuæ Celſitudinis rem, animarum auxilium, pari cum operę pretio collocã-
„ di. Humanæ quippe ſalutis amor, illos, & Chriſti Domini aliqua ſaltẽ ex
„ parte imitandi exſtimulat ſtudium; qui cruciatus ac necem ſubijt volens
„ ac libens, vti mortales ab æterna calamitate redimeret: aitque per Euange
„ liſtam: Ego ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus
ſuis.

ſuis.hoc exemplo incitati Patriarcha & cæteri parati veniunt, non verbo D
duntaxat, conſilioq;, & ſpiritualibus adiumentis; ſed ipſa morte, ſi res fe- "
rat, periclitantibus animis opitulari.tua Celſitudo quo interiorẽ illos ad "
conſuetudinem ac familiaritatem admiſerit; eò maiorem, vt ſpero, capiet "
in Domino voluptatem.Iam verò, quod pertinet ad fidem ac pondus eo- "
rum quæ ab ipſis vel publicè vel priuatim exponentur, non ignorat Celſi- "
tudo tua, omnium (quatenus ritè legati ſunt) ſed Patriarchæ præcipuè di- "
ctis, Apoſtolicæ fidei pondus & auctoritatem ineſſe: ac perinde illis & Ec- "
cleſiæ credi oportere; cuius ab ipſis interpretanda ſunt verba & ſententiæ. "
Et quoniam Chriſti fideles cunctos Eccleſiæ firmiter aſſentiri, eiuſq; de- "
cretis obtemperare, & ſi quid exiſtat ambiguum aut obſcurum, eandem "
conſulere neceſſe eſt; non dubito quin tua excellens pietas probitaſque "
publico edicto curatura ſit in ſuis regnis, vti omnes omniũ ordinum ho- "
mines tum Patriarchę ipſius, tum eorum quos ille ſibi ſubſtituet; dicta, præ- "
cepta, reſponſa citra vllam dubitationem ſequantur. Conſtat ex Deutero- "
nomio, de controuerſijs omnibus ac nodis ad Synagogã Eccleſiæ prænun "
tiam referri ſolitum: hinc illa quoq; Chriſti Domini verba: ſuper cathe- "
dram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi.idipſum in prouerbijs docet ſapi- "
entia Salomonis, cùm ait: Ne dimittas præcepta matris tuæ (ea eſt Eccleſia) E
& alibi: Ne tranſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui.ij ſunt eiuſ- "
dem antiſtites. Deniq; tantã Eccleſię ſuę tribui ac deferri vult Chriſtus Do- "
minus; vt per Sanctũ Euangeliſtam Lucam apertè denũtiet: Qui vos audit, "
me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. & per Sãctum Matthæũ: Si Eccleſiam "
non audierit: ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Ex quo apparet, ne aures "
quidem præbendas ijs, qui alienum quippiam à ſenſu & interpretatione "
catholicæ Eccleſiæ attulerint; Sancto quoq; Paulo in epiſtola ad Galatas "
idipſum præmonente, cùm ait: Si aliud vobis angelus de cœlo euangeliza- "
uerit, præter id quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. ad ſummam, "
hoc idem Sancti doctores, Cõciliorum Canones, fidelium omnium con- "
ſenſus & conſuetudo planè demonſtrant. Ac viciſſim Patriarchæ ac ſocijs "
pariter omnibus certum eſt fixumque, tuam Celſitudinem aſſiduo cultu, "
ſubmiſſione, atque etiam quoad fas piumque ferat, indulgentia proſequi. "
Nos verò quotquot in hiſce terris è minima noſtra Societate retinemur, "
tua Celſitudo ad omne obſequiũ in Domino paratiſſimos habeat. Noſtris "
quidẽ certè precibus & ſacrificijs, vt iam inſtituimus, Deo ſupplicare per- F
gemus, vti Regiam Celſitudinem tuam, regnumque iſtud ampliſſimum in "
Sancto Chriſti famulatu conſeruet: detque illi ita tranſire per bona tem- "
poralia, vt non amittat æterna. Idem ipſe Deus ac Dominus noſter, om- "
nibus nobis ad ſanctiſſimam ipſius voluntatem & clarè cernendam, & ri- "
tè exſequendam, perpetuum lumen ac vires pro ſua infinita bonitate ſup- "
peditet. Romæ vij. Kalen. Martias M. D. L V. Hæ litteræ, quas ad Claudi- "
um, vt dixi, perferret, Ioanni Patriarchæ deſignato, cum Pontificijs diplo-
matibus, & ſacro pallio de more tranſmiſſæ. Legationem totam Ioannes
Rex pro ſua conſuetudine perquàm liberaliter inſtruebat. oratorem in-
ſuper declarauerat è ſuis familiaribus primarium virum Fernandum So-
ſam, qui Patriarcham honoris cauſa in Abaſſiam vſque deduceret. Ac-
cedebant regalis opulentiæ dona, intextæ auro argentoque veſtes, & ſa-
crorum inſtrumenta magnifica. Dum hæc parantur; maturè ab Goa Re-
gis iuſſu profectus ad Claudium Iacobus Diazius, qui aduentum Patriar-
chæ & comitum nuntiaret: eiſque aditum in ea loca muniret. Vnà miſſus
à Prætore Conſaluus Rhoterigius (de quo ſupra memorauimus) egre-
giè pius & eruditus è collegio Societatis Goano ſacerdos. huic man-
datum (nondum explorato ad liquidum ſenſu Abaſſini Regis) vti rem

totam

A totam probè cognoſceret; conceptoſque ab eo bonæ mentis igniculos, interim accuratè foueret, excitaretque. Simul, ſuperſtitibus è Chriſtophori Gammæ clade Luſitanis, quorum plerique in ijs terris matrimonio ſeſe illigauerant, ſpiritalem opem ac ſolatium afferret. Sapienter id prouiſum ac prætentatum, exitus docuit. Biremibus duabus, vnius menſis nauigatione, ad Arquicum Abaſſinæ ditionis expoſiti ambo, in regia ſtatiua (quæ ſubinde principi mutare mos eſt) terreſtri aliquot dierum itinere peruenerunt. Biduo poſt admiſſi ad colloquium: & Luſitani Regis epiſtola publicè recitatur, in qua erat: Quod ſeſe Claudius, aui ac parentis exemplo, rectæ in Deum fidei, & Catholicæ communionis cupidum oſtendiſſet; gratiſſimum id omnibus Chriſti cultoribus, ac ſibi præſertim accidiſſe. atque ob id ſe miſſurum anno proximo certum è ſua familia virum, & cum eo perſpecta morum innocentia, & doctrinæ ſynceritate patres, qui optimis eius ſtudijs toto pectore deſeruirēt. Sub hæc & alia in eam ſentētiam, è Luſitanis adſtantibus Abaſſinæ linguæ peritis cognita, Rex veluti oppreſſus, obducto vultu, ſermone confuſo, perplexa quædam & incerta reſpondit. ingenij mobilitate, vel improborum ſuaſu immutatum haud dubiè cerneres. Modeſtè poſt hæc interrogatus, quid ita ſuper ea re
B litteras ad Ioannem vltrò dediſſet; reiecta in librarium aut interpretem culpa, ſe quidem fraterna in Luſitanum Regem volūtate eſſe ac fore ſubiunxit; cæterùm nihil ſibi minus in mentem veniſſe, quàm vt iccirco à maiorum inſtitutis, ac tot ſeculorum ſpatio corroborata religione deficeret. Attamen Rhoterigius, ope fretus diuina, captatiſque temporibus, Claudium omni ratione ad ſanitatē reuocare conatus; miram in eo & primoribus regni, Conciliorum, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ac diuini & humani iuris inſcitiam deprehendit. Neque tamen aſtus aberat. callidè vel in primis ipſe Rex agere; occupationes modò ſimulare; modò longis, & alienis, & non inuenientibus exitum ſermonibus de induſtria tempus extrahere. in anguſto comprehenſus, palam eludere; pleraq; inficiari; interdum etiam infimi ſacerdotis qua ſortem, qua confidentiam acerbè perſtringere. At Rhoterigius, cùm & malignos aditus, & iniquiorem in dies coram diſputandi cōditionem animaduertiſſet; librum ſubſeciuis interim operis ab ſe confectum, & Chaldaicè vtcunque redditum, obtulit Regi. quo libro, cōfutatis Abaſſinæ gentis erroribus, Eccleſiæ Romanæ ſummum inter om-
C nes Eccleſias culmen ac poteſtatem apertè monſtrabat. Aduerſus hunc librum dum Claudius petita è varijs cœnobiorum bibliothecis volumina dies noctesque perluſtrat, neque tamen extricat quicquam; Latini ſacerdotis nomen, & inſignis in eo cuiuſdam ſapientiæ famam toto pene regno vulgauit imprudens. ac ni cautè ſuppreſſus liber fuiſſet, magnos procul dubio concurſus ad Eccleſiæ Romanæ gremium apparebat futuros. auxit rumorem Abuna (ſic enim Aegyptios Antiſtites vocant) nuper in eas regiones Alexandria miſſus. hunc Rex certaminis cauſa cum Rhoterigio committere cupijt, atque etiam vt ſcriptis Rhoterigij reſponderet hortatus eſt. At ille, rugoſa fronte, ſupercilijs adductis, nullum, ait, ſibi cum hæreticis commercium ſermonis eſſe: neque ſe illuc altercandi cum peregrinis, ſed cleri ordinandi gratia deſtinatum. quin religionem vltrò incuſſit Regi, quod impia ſcripta legere eſſet auſus: idque ne in poſterum faceret, minaciter vetuit. Inter eiuſmodi fruſtrationes ac moras ſextus effluxerat menſis. cumque iam tempus reuerſionis inſtaret, Rhoterigius, per Sacramenta expiatis, & confirmatis in officio Luſitanorum animis, ab Rege veniam abeundi cum Diazio petit; ac ſimul obſecrāt, miſſis ambagibus promat, quid ſuper aduentu Patriarchæ & comitum referri imperet Goam. ille, quòd ad patrum aduentum attineret, Mazuę præſtò fore dixit è ſuis, qui

deſcendentes exciperet,atque ad ſe cum fide curaque perduceret, vbi co- D
ram eos audiſſet; tum ſe, quid facto opus eſſet, deliberaturum. Simul,
auri decem vncias Rhoterigio in viaticum erogari iubet.ille,accepta vo-
luntate,pecunias reijcit.Goam dein repetentes, circa Zeilanam oram ſu-
bita coorta procella euerſo nauigio prope demerſit. ſaluti fuit, ſuppliciter
inuocatum Beatæ Virginis auxilium. eius præſenti ope, deſperatis iam re-
bus, nullo nautarum miniſterio ſuam in ſedem carina redijt.ita fluctus
exhauſti. votiua dein caſus effigies Goæ in eiuſdem Dei Matris templo
ſuſpenſa. Per eoſdem fere dies quibus in Aethiopiam Rhoterigius erat
profectus; è Luſitania præmiſſi, dum grauiora Patriarchæ negotia
morantur,ex eius comitatu decem; ac varias, vt fit,in naues impoſiti, Mo-
ſambicum incolumes deuenêre. A Moſambico dum vaſtum præcidunt
Oceanum, abducta ab cæterorum conſpectu oneraria vna, in ſyrtim per
tenebras noctis impingitur. neque tumidum erat mare, & paruo interual-
lo, breuia,ignotam ad inſulam exigui admodum ambitus pertinebāt. Eò
tutius,dirupto alueo nautę vectoreſque, trecenta circiter capita in terram
effuſi.verùm ſqualidus, & ab omni humano cultu deſertus erat locus.& è
commeatu nautico modicum quid vini, & cibaria eaque fermè vitiata ſu- E
pererant:vt ni properè ſubueniretur, vltima neceſſitas ac dira fames inſta-
ret.extemplò nauarchus opis petendæ gratia ſcapham cũ eximijs viris tri-
ginta conſcendit,& leucarum quingentarum, vt nautæ ſupputant, ſpati-
um emenſus,haud ſine miraculo Goã applicuit.mox, è naufragij reliquijs
raptim cõcinnato nauigio,quinquaginta fermè alij ſubſequuti.remansêre
ad ducentos.in ijs è patrũ numero tres.Conſaluus, Paſchalius, & Alphon-
ſus Lupius.hi ab antecedentibus liberaliter inuitati; præcipuã conditionẽ
in communi diſcrimine recuſarunt:afflictamq; turbam & inopẽ,ſuis quo-
que officijs ac præſentia deſtitui, quo erant caritatis ardore,paſſi non ſunt.
Eorum periculo cognito Prætor Barretus confeſtim cum duabus celoci-
bus eundem nauarchum,& nauclerij ordinis præfectũ, quem gubernato-
rem maximũ appellant;ad naufragos quærẽdos ac deportãdos abire iuſſit.
irritus fuit labor. & ingenti,vt diximus,interuallo diſtabant;& inſula quò
minor, eò ad inueſtigandum obſcurior.Ergo non ante inuenti, quàm in-
edia ad vnum omnes abſumpti ſunt.Eius rei nuntius Goam allatus,mœro
re ciuitatem impleuit.Socij tres æterno virtutis & caritatis præconio cele-
brati, quod oblato ad ſalutem exitu,ſuis tamẽ ipſi capitibus aliena ſolatia F
prætuliſſent. Anno inſequenti,Ioannes Patriarcha,Andreas Epiſcopus,&
Ioannes Meſquita,oratore Soſa inter nauigandũ extincto, Goã deuchun-
tur incolumes.Ibi cognito Claudium,contra opinionem & famam, in ve-
terum erroribus & impia ſeceſſione perſtare;digna conſultatione res viſa.
Adhibiti præter lectiſſimos è Societate patres,Eccleſiæ quoque Goanæ vi-
ri primarij.Ac Patriarcha quidem,quamquam aſperis ac periculoſis in re-
bus,tamen ſeſe in omnem aleam Chriſti cauſa paratũ oſtendere. cæteris
nequaquam è Sedis Apoſtolicæ dignitate viſum,eo loco faſtigioque perſo
nam,tot tantiſq; Pontificis Romani decretis ac iudicijs inclytam; ſeiunctę
è Catholico cœtu genti præbere ad ludibrium & contumeliã os. Verùm,
ne prædamnata & abiecta repente per metum vel ignauiam tantæ exſpe-
ctationis apparatuſq; legatio,&,ſi quid ſanari experiendo poſſet, omiſſum
vlla ex parte videretur;Andream Epiſcopũ duobus tribusve cum ſocijs A-
baſſiam adire,quæq; Rhoterigius incaſſum egerat,pari fide, maiore aucto-
ritate rurſum aggredi placuit:& prout ſeſe res darent, per litteras Patriar-
chæ Ioanni ſuadere vel diſſuadere prouinciam. Ille, tam præclaram
de Chriſto bene merendi & exercendæ patientiæ occaſionem arripuit li-
bens.Cũ Emmanuele Fernãdo ſacerdote,& paucis præterea comitibus in

Abaſſiam

A Abaſſiam profectus; nihilo quàm Rhoterigius faciliorem aut æquiorem expertus eſt Regem. Maior dein illis oblata omnis virtutis explicandæ materies. Paucis namque poſt eorum aduentum diebus, Claudio à perduellibus acie victo ac peremptо ſucceſſit Adamas frater, olim deſertor fidei Chriſtianæ, vir immanis ac ferus, & Apoſtolicæ Sedis hoſtis acerrimus. is, vinctum Andream, in caſtra bellumque raptauit; comites, probris & contumelijs; Abaſſinos quotquot catholicæ veritati fauere viſi ſunt, vario genere pœnarum affecit. atque ipſe demum à Turcis, quorum arma rebelles in regnum aſciuerant, ingenti clade fuſus fugatuſque eſt. & ab ijſdem, Andreas ac ſocij primò capti crudeliterque direpti, poſtmodum igne in hoſpitium iniecto viui pænè combuſti; denique tanta premi rerum omnium inopia cæpti ſunt: vti ad vitam tolerandam, ne à puſillo, quem ſupra dixi, Catholicorum abſcederent grege, bobus & aratro quæſitis, terram ſuis ipſi manibus colerent. Atque inter haſce difficultates & incommoda quotidiana, caritatis & obedientiæ gloria clarus Andreas, diuexato miris modis & fatigato corpuſculo tandem exceſſit. Per hunc modum de aggregandis ad Catholicorum numerum Abaſſinis eluſæ bonorum ſpes. At Patriarcha Ioannes, Albuquercio Goano Epiſcopo vita functo, cùm ad illius Ec-
B cleſiæ gubernacula vocaretur; nũquam, vt eam reciperet procurationem adduci potuit. Suum ipſe quin potius apicem, quoad liceret, ad Societatis normam & inſtituta ſubmittens; perpetuam abſtinentiæ, religionis, induſtriæ laudem ad vltimum vſq; ſpiritum æquali tenore perduxit. Melchior, Nicenus Epiſcopus, pari moderatione cùm ſe pænè in ordinem redegiſſet; in Thomæos Chriſtianos è conſuetudine Societatis excurrens, Neſtorianum pſeudoepiſcopum, inficientem praua doctrina populorum animos, egregiè confutauit ac fregit; alijsque deinceps viro forti dignis actionibus cùm iniquorũ ſimultates & odia ſubijſſet; directa in eius caput ſagitta, pileoque decuſſo, propemodum interfectus; in Sinas deniq; iuſſu Romani Pontificis abijt. ibi ad Amacanum hodie Luſitanorum emporium, ætatis iam exactæ reliquias, propagandæ fidei, & Chriſtianorum animis ritè curandis inſumit. cæteri Patriarchæ ſocij varias ad functiones de more deſtinati, vitam in ſuo quiſque munere poſuẽre. inſignem inter eos perhibent Antonium Quadrium Luſitanum, qui vniuerſæ dein prouinciæ quatuordecim annos magna cum ſanctitatis & prudentiæ laude præfuit. Verùm circa irri-
C tæ expeditionis initia; neque leuioris momenti aliam, neque meliore ſucceſſu tentauit Bomferrus è familia Franciſcana ſacerdos, natione Gallus, minimè vulgari vel doctrina, vel ſanctimonia vir. Is, rei Chriſtianæ ſtudio incenſus cùm in Indiam peruenisſet, audita Peguſiani regni amplitudine, vitijſque & ſuperſtitionibus incolarum, eam ſibi præcipuè gentem omni ope ſubleuandam, ac fidei rudimentis imbuẽdam ſuſcepit. Igitur Goa profectus ad Diui Thomæ coloniam, ex qua frequẽs in littora Peguſiana traiectus eſt; cùm eius coloniæ Vicario, & Alphonſo Cypriano, & cæteris Luſitanis amicitiam inijt. ijſdemque adiutoribus in onerariam admiſſus, difficili admodum ac periculoſa nauigatione ad emporium cui nomen Coſmi, deuehitur. Prorſus ignotæ paulo ante Correæ aduentum, de quo ſupra diximus, noſtris hominibus eæ gentes fuerant. ipſius dein Correæ & comitum relatu, multa de illarum diuitijs moribuſque comperta. Bomferri poſtea litteris de origine Peguſiorum præter fabuloſas quaſdam opiniones acceptum, ſtirpem eos ab Iudæis exſulibus ducere, qui ab Salomone damnati ad Offiranas aurifodinas, ea loca primi tenuerint. Fertiliſſimus verò ager, & exſpatiantibus latè campis, alendo pecori bonus, & affluens omni varietate rerum eſt. quippe, alueo nauigabili, & flexuoſo diſcurſu piſcoſi

amnes intermeant. è quibus vnus è Ciamaio lacu centum & quinquagin- D
ta leucarum decurrit ſpatio; atque ad inſtar Nili ſtatis incrementis in tri-
ginta circiter leucas exundans, præpingui ac feraci limo rigat arua felicia.
Accedunt ad opulentiam, crebra introrſum æſtuaria, facili cõmercio gen
tium exterarum, ac mira quidlibet importandi exportãdiq; copia & facul-
tate. Cæterùm ignara Dei, & in omnem libidinem ſceluſq; proiecta gens
eſt, ac miſerandis opinionum erroribus inuoluta: è quibus nonnulla hoc
etiam loco attigiſſe operæ pretium fuerit: vt ex ea comparatione, Chriſtia-
ni, cùm ſua clarius agnoſcant bona; tum ad eadem alijs impertienda ve-
hementius inardeſcant. Iam primùm, qui apud eam barbariem ſapientes
habentur; infinitos perpetua ſerie ac ſucceſſione mundos ab omni æterni-
tate conſtituunt. innumerabiles item Deos: quorum aliquot in ſingulis
mundis variante numero deinceps exiſtant. qui nunc voluitur, hunc De-
os quinque habiturum affirmant, quorum quatuor iam abierint. poſtre-
mum hunc ante bis mille & nonaginta nouem annos aiunt è vita migraſ-
ſe; nunc ſine Deo ſunt. poſt multorum annorum curricula venturum aliũ
exſpectant: eo quoque demortuo mundum hunc ingenti conflagratu-
rum incendio; vti mox reparetur, ſuccedatq́ue moles noua, ſuos item De- E
os ac proprios habitura. in Deorum autem cœtum homines referuntur,
ea tamen lege, ſi prius in aquatiles, terreſtreſq́;, & aerias omnium generum
animantes varia tranſmutatione migrauerint. Qui ex hac vita decedunt,
ijs triplicem fingunt ſedem; Naxac, is tormentorum eſt locus; & Scuum, de-
licijs ac paradiſo Mahometano perſimilem: & Nibam, quæ vox, omnis eſ-
ſentiæ priuationem, & vltimum corporis & animi interitum notat. duo-
bus in prioribus animæ tandiu detinentur, atque inde repetitis naſcendi vi
cibus in mundum toties redeunt; quoad in Nibam admitti, hoc eſt prorſus
ad nihilum redigi deniq; mereantur. Hęc & id genus alia Peguſiani dogma
tis elementa ſunt; exſtantq́ue multa de hoc genere toto conſcripta volu-
mina. Ex ijs principijs, & eiuſmodi vanitate, quàm prauus numinum
cultus, quàm abſurdæ cæremoniæ, quæ portenta opinionum, quæ vitio-
rum ſequantur monſtra, non expers doctrinæ, vel rerum imperitus faci-
lè quiuis exiſtimauerit. Accedit ad cumulum malorum, quod haſce te-
nebras circunſepſit dæmon, vt ſolet, ſumma difficultate luminis inferen-
di. ſiquidem ipſius artificio planè perſuaſum ac penitus infixum habent
Peguſij, cuiuſlibet alterius, quamquam ex ipſo demiſſæ cœlo doctrinæ vel F
ſectæ, decretis aut placitis, aures, nedum aſſenſum, abſque inexpiabili ſce-
lere præberi non poſſe. Bomferrus, in Coſmi de quo dicebamus empo-
rio, tribus fermè annis, inter hæc exploranda myſteria, linguamq́ue edi-
cendam, ingenti labore miſeriaq́ue conſumptis (ita tamen vt adiuuandis
per id ipſum tempus Europæis mercatoribus operam daret) ſermones de-
mum de Chriſtiana religione ſerere pedetentim aggreditur. Vnius æter-
ni triniq́ue Dei prouidentiam; vniuerſitatis huiuſce molitionem ex nihi-
lo; primi hominis crimen in poſteros omnes letali contagione transfu-
ſum; neceſſitatem ſatisfactionis infinitæ, quam pręter Deum præſtare cùm
poſſet nemo; Deus ipſe, redimendi generis humani gratia factus homo,
volens prudenſq́ue pro ſua immenſa bonitate ſubierit; ad hunc humanæ
ſalutis auctorem, quotquot ſeſe per fidem, & imitationẽ, & caritatem ad-
iunxerint; hiſce omnibus inenarrabilia quædam & ſempiterna eſſe in cœ-
lo præmia conſtituta: qui ſecus; hiſce in tartaro item exquiſitiſſima in om-
nem æternitatem parata ſupplicia: ad vtram quiſque pertineat claſſem, ex
tremo voluentium ſeculorum die, cùm animæ vita functæ, rurſum corpo-
ra induerint, Deum ipſum iudicem in celeberrimo ſuperum inferumque
conuen-

A conuentu lata ſententia planum eſſe facturum. Hæc igitur, & alia rectæ fidei capita, cùm per occaſionem exponere, Dei famulus, multiſque partim exemplis, partim rationibus affirmare tentaſſet; mirum quàm obduratos obfirmatoſque contra omnem veritatem animos incolarum offenderit. alij, vt fabulas ac deliramenta ridere; alij, vt peſtes & piacula prorſus abominanda reſpuere. neque multum ab vltimo exitio aberat ignotus præco, ſi nouam ab omni memoria diſciplinam ac religionem porro inculcare inſtitiſſet. Ergo non ſine cauſa veritus, ne ſuper diſcrimen capitis, & quotidianas ærumnas, oleum quoque & operam perderet; amicorum ſuaſu, re infecta, retrò vnde venerat in Indiam reuertit. Per eoſdem ferè dies atrox Cocini facinus editum. in capſa, quæ piorum collationibus in maximo vrbis templo proſtabat, nefariæ ſchedulæ à cuſtodibus repertæ, cum horrendis in Chriſtum ſalutis humanæ parentem maledictis ac iurgijs. Lacerabatur ſimul è Societate Conſaluus Sylueria, qui ad Manomotapam Aethiopiæ deinde Chriſti cauſa peremptus eſt, actum in eadem vrbe conciones habebat, vir nobilis genere, ſed virtute & eruditione multo nobilior. Huius tam ſacrilegæ, tamque infandæ audaciæ crimen haud obſcuro indicio
B hæſit in falſis è circunciſione fratribus, qua ex fæce aliqui ex Europa ſubinde, pretio à limenarchis aut nauium magiſtris furtim admiſſi, mercatorum habitu in Indiam peruehuntur. ibi cum Aegyptijs ferme Iudæis (quorum in ijs locis numerus ingens) aliarumque nationum, & ſectarum hominibus, in Chriſtiani deinde nominis damna perniciemque conſpirant. Ex eo, de inducenda in illas regiones ſacra Inquiſitione agi cæptum ab Rege: quæ hodie per idoneos probatoſque iuris diuini conſultos iudicia Goæ magno rei Chriſtianæ bono exercentur. Interea Melchior Nonnius, ab Goa per varios ancipiteſq; admodum caſus ad Sinarum littora primùm, inde, redemptis è cuſtodia Luſitanis, quorum ante meminimus, in Iaponios biennij amplius nauigatione perfertur, comiteq; & benignè exceptus ab Rege Bungi, Coſmum Turrianum nec opinato ibidem offendit, qui ab euerſa exciſaque iterum per inteſtinas ciuium diſcordias rabiemque Amangutio vrbe, ſeſe in ea loca receperat. Cedrinas ædes eleganti opere, itemque aream templo condendo, necnon annuæ pecuniæ modicum quid patribus adſignauerat Rex: eius areæ pars cœmeterio è Chriſtia-
C na conſuetudine dedicata: pars altera in vſum valetudinarij publici item diuiſa bifariam: vti elephãtiaci, quorum eſt in ijs terris magna multitudo, ſeorſum ab cæteris ægrotis haberi, curarique poſſent. Id opus, quò magis nouum inſolitumque, eò maiore approbatione celebratum ab incolis; multique inde, ſed vt antea plebeij fermè ad Chriſtum accedebant. At Melchior, haud ignarus, ad excitandos ad virtutem, pietatemque populorum animos, quantum ſit in principis exemplo momenti; Regem ipſum varijs rationibus ad verum Dei cultum conabatur adducere: ſucceſſu tum quidem minimè læto: quod neque dum tumultus planè quieuerant; & Rex è Ienxuana hæreſi, quæ negat ſpiritum eſſe vllum, aut omnino quicquam præter ea quæ ſenſu percipimus; à voluptatibus, quibus dudum adſueuerat, ad Chriſtianæ diſciplinæ ſeueritatem traduci ſe nullo pacto ſinebat. Egit cum eo Melchior, vti cum aliquot ſaltem Bonzijs præcipua ſapientiæ fama, coram ipſo regnique proceribus diſputationem ac certamen haberi de religione permitteret: ne id quidem impetratum. Inde cùm exiguam in præſentia cerneret proficiẽdi ſpem; Coſmo cum ſocijs ibidem relicto, ad ſuum ipſe prouinciale munus reuertit in Indiã. Sextus & quinquageſimus tum ſeculi huius agebatur annus. eo ipſo tempore Ignatius Loiola Romæ, non tam ætate confectus, quàm ieiunijs, vigiliiſque, & A. 1556.

que, & super omnia desiderio Christi, decesserat. Huic, cùm alijs in prouin- D
cijs, (ipsas enim duodecim ab se Dei munere constitutas reliquit) tum in
India præsertim, solemni ritu, & exquisitis cæremonijs parentatum est.
tametsi minimè deerant qui tam illustri sanctitate viri patrociniũ implo-
randum potius, quàm fundendas pro eo preces haud absurdè affirmarẽt.
Certè ab illius excessũ (vti optimum patrem in cœlo suorum cæptis ades-
se conijceres) per omnes fundatæ ab eo Societatis ordines, recens quæ-
dam ad pios labores alacritas, nouus mentium ardor, vigorq; diffusus: &
Indicus ager, culturæ & sationibus vberiore quàm antea prouentu respon
dit. annis quippe proximis quatuor, Goæ duntaxat, præter incertam
summam eorum qui à Franciscanis & Dominicanis abluti sunt, baptiza-
ti ab Societate IESV mille primùm & octoginta; mox mille nongenti
sexdecim; dein tria millia ducenti sexaginta: demum incremento nota-
bili duodecim millia septingenti quadraginta duo. In ijs regia virgo fuit,
adulta iam ætate, Mealis filia, ob generis claritatem Regi Mahometano
cuidam in matrimonium destinata. hæc, tempestiuis nobilium fœmina-
rum adhortationibus, itemque psalmis, & catechesi, & supplicationibus
quæ per vrbem haberi consuecuerant, studio Christianæ religionis incen- E
sa, dum Prætor Barretus tota de re Mealem docet, ac furentem ira placa-
re contendit; matris ancillarumque pertinaces & impias eluctata manus,
ad paratum in platea vehiculum, adiuuante Prætore, sese proripuit. inde
cum honestissimo comitatu ad spectatæ virtutis ac pudicitiæ matronam
perlata. Didaci Pereriæ coniugem, adhibito scriba publico testibusque,
Christianam sponte se fieri velle professa, post aliquot dies in Diui Pauli
templo ab ipso Aethiopiæ Patriarcha vitalibus aquis abluitur, & sacro
MARIAE nomine decoratur, tanta ciuitatis vniuersæ lætitia tantoque
concursu; vt Prætor ipse, quâ erat pietate, virga ad submouendam turbam
arrepta, lictoris munere fungeretur. eidem virgini cũ à primoribus Lusi-
tanis priuatim, tũ à Prætore data publicè munera; & annui reditus aureo-
rũ circiter octingentorũ è fisco regio in alimenta decreti. Iam ex ipsis quo-
que Regibus Molucarum, is qui Bactianũ obtinebat insulam, quamquam
acriter obnitẽte socero Ternatensi, tamen constanti animo se se ad Chri-
stum applicuit; abolitaq; Mahometana superstitione, ac fanis euersis, defi-
xas haud vno loco prealtas Cruces adorari à popularibus iussit. Ac Soloris
quoque Rex (quæ salubris admodum ora, gradus octo cũ quadrãtibus tri- F
bus ab Aequatore in meridiem sita, leucas distat à Malaca trecentas) cum
familia, regnique proceribus ab Lusitano quodam institore baptismum
accepit. patres deinde à Malaca per litteras inuitatos cùm propter pauci-
tatem non impetrasset, fratris filium Regem designatum, cui Laurentio
nomen apprime bona iuuenem indole, Malacam ipse transmisit: nimi-
rum vt ibi per otium expolitus, ad suos dein erudiendos reuerteretur in
patriam. Hæc Solorani. Ac multæ insuper eius plagæ nationes cùm Euan-
gelij nomen pertenui accepissent fama, miram in cupiditatem Christia-
næ religionis exarserant. Quibus vt Ioannes Rex propter multitudinem
atque distantiam cunctis opitulari non posset; Indicos quidem certè neo-
phytos nouis decretis ornare, beneficijs atque muneribus augere perge-
bat. is audita Petri Mascareniæ morte, cùm præclarè intelligeret ad am-
plificationem rei Christianæ plurimum interesse, cuiusmodi moribus in-
genioque Prætor Indiam regeret; circumspectis omnibus Lusitani primo-
ribus regni, præfectum cubiculi Constantinum Brigantiæ Ducis fratrem,
in id ipsum delegerat munus: qui prouinciam illam adeò sanctè ac pru-
denter postmodum obtinuit, vti deinceps ituris eò magistratibus, officij

exem-

A exemplum ac norma vnus ipſe proponi conſueuerit. Iam in id quoque Ioannes acriter animum & cogitationes intẽderat, vti Franciſco Xauerio pro ſanctitate viri, & immortalibus in Eccleſiam Chriſti promeritis, cœleſtes more maiorum honores à Pontifice Romano decernerentur. Atque idcirco per litteras Indiæ Prætori mandarat, vti quæcunq; per Xauerium Deus miracula perpetraſſet, verè atque accuratè indagata colligeret: cuius nos inquiſitionis autographum exemplar cum teſtimonijs publicis priuatisque apud Conimbrigenſe Collegium nuper inſpeximus. Hæc meditantem ac molientem, neque ſera, neque inexſpectata Ioannem abſtulit mors, cùm ætatis annum, viribus dudum affectis, ageret quintum & quinquageſimum: vir planè magnus, & venerabilis, ac præter cæteras laudes æterno præconio celebrandus, quòd imperij moderatione, cultuque bonarum artium, & ſtudio religionis amplificandæ, formam ſpeciemque benefici, & mitis, ac verè Chriſtiani Regis expreſſerit.

f. 357.

Hiſtoriarum Indicarum Finis.

SELECTARVM EPISTOLARVM EX INDIA LIBRI QVATVOR,

IOANNE PETRO MAFFEIO INTERPRETE.

IOANNES PETRVS MAFFEIVS

E SOCIETATE IESV,

Christiano Lectori S.

QVÆ de Catholicæ religionis progressu litteræ fermè quotannis ex India perferũtur; eas (quod facilè animaduerti) optimus quisq; auidissimè lectitare consueuit. Nec sanè immeritò. Quid enim ad honestam vitæ oblectationem accommodatius, quàm corpore domi sedentem, cogitatione ac mente peregrinari; transmeare Caucasum, Oceanumque; nouas identidem formas rerum, & (vt inquit ille) mores hominum multorum cernere, & vrbes? Quid porro, vel ad animi fructum vberius, vel ad virtutis æmulationem efficacius, quàm Euangelij face dispulsis errorum atq; opinionum tenebris, veritatis lucem longè lateq; fusam intueri; & in diuerso, vel aduerso potius terrarum orbe veluti renascentis Ecclesiæ sancita miraculis, testata martyrijs, distincta personis, notata locis temporibusq; primordia recognoscere? Quæ mecum ego cùm reputarem; & superioribus annis feci libenter, vti non exiguam earum litterarum partem in Latinum è Lusitanico sermone conuerterem; & nunc easdẽ sub Indicarum Historiarum opus intentiore delectu pressas ac repurgatas, & nonnullis insuper auctas epistolis, denuò in publicum edendas existimaui. Sanè recentiores supersunt aliæ, quas mihi si per occupationes ac valetudinem licitum fuerit, latinas facere pro mea tenuitate propositum est. Tu interim (amice Lector) fruere præsentibus; ac nostros qualescunque conatus pijs apud omnipotentem DEVM precibus adiuuabis. Vale.

SELE

SELECTARVM EPISTOLARVM EX INDIA

LIBER PRIMVS.

FRANCISCI XAVERII E Societate Iesu ad Socios in Europam.

QVAM lætos atque vberes animarum fructus Indica ferat vinea; & non in Regijs modò præsidijs, verùm etiam in reliquis oppidis barbarorum, sanctissima Christi fides quàm feliciter crescat, fusius ad vos scripsi mense Ianuario superiore. Ego Iaponem versus ex India sum profectus Aprili mense, duobus è Societate nostra comitibus, altero sacerdote cui Cosmo nomen est, altero laico: itemq; Iaponijs neophytis tribus, quos mihi sanè videtur Dominus præcipua quadam benignitate clementiaque fouisse. namque vt in Diui Pauli Collegio Goæ, cœlesti lauacro expiati sunt, tanta eos diuina bonitas voluptate gaudioque perfudit, tantamq; ad suæ in ipsos beneficentiæ cognitionem adduxit, vt præ lætitia spiritali, piaque dulcedine lacrymas non tenerent. in virtutibus verò mirabile dictu est quantũ profecerint: planè, vt eæ nobis iucundam atque vtilem sermonis materiam præbeant. Ad hæc, & legere, & scribere didicerunt, ac distributis in horas precationibus diligenter vacant. Interrogati à me quonam sentirent se genere considerationis potissimum affici; passionis Domini recordatione, dixerunt: itaque huic vni maximè commentationi dant operam. Articulos fidei, Redemptionis generis humani causas, & cætera Christiana mysteria per otium cognouerunt. Percontanti mihi sępenumerò quosnã religionis Christianæ ritus, quæue instituta sibi maximè crederent profutura; duo illa semper, scilicet Confessionem & Communionem sine controuersia responderunt. addentes insuper, sua quidem sententia neminem omninò fore participem rationis, quin auditis Christianæ disciplinę decretis assentiatur ac pareat. Vnius verò ex ijs, cui Pauli nomen, sanctæ fidei cognomen impositum est, illam quoque vocem audiui; cùm ingemiscens in hæc verba prorumperet: O miseri Iaponij; qui ea ipsa quæ Deus ad vestrum est fabricatus obsequium, adoratis vt numen. cui ego, quid ita? inquam. tum ille, quòd Solem, ait, venerantur ac Lunam; quæ res, ijs qui nouêre Dominum IESVM Christum, famulantur ac seruiunt. quid enim agunt, inquit, aliud: nisi diei tenebras ac noctis illuminant, vt ea claritate mortales ad magni Dei, & filij eius IESV CHRISTI cultum & gloriam in terris vtantur?

Verùm vt ad institutam itineris nostri narrationẽ reuertar, Malacam venimus pridie Calend. Iunias, anno MDXLIX. ibi Lusitanorum accepimus ex Iapone litteras, in quibus erat scriptum, principem quendam eius terræ virum velle fieri Christianum: itaque legari ab eo ad Prætorem Indiæ, qui aliquot è Societate nostra Christianæ religionis interpretes postularet. afferebatur etiam, quodam Iaponis in oppido, mercatores Lusitanos in hospitium iussu reguli diuertisse dæmonum incursibus vehemẽter infestum, atque ob id habitatoribus destitutum: cùm ignaris quid esset Lusitanis ve-

ſtes detraherentur, famulus etiam nocturno ſpectro perterritus exclamaſſet; excitatos eo ſtrepitu, arripuiſſe arma: deinde famulum Crucibus vndique circundediſſe hoſpitium: incolas verò & regulum mercatoribus aperuiſſe, domum eam ab dæmone inhabitari: & ſimul quæſiſſe quonam ad eum fugandum remedio vterentur: reſpondiſſe Luſitanos, nullum aduerſus dæmones Cruce firmius inueniri præſidium: itaque ex eo die Cruces domibus eius oppidi ferè ſingulis collocatas. Nuntiabatur ad hæc, peramplum patere euangelizantibus in Iapone campum; quòd ea gens moribus mâſueta ſit, ingenio docilis, & acuta: quocirca magnam in ſpem veni, ſi per noſtra peccata non ſteterit quò minus cæptis faueat Deus, ingentem animarum vim ad Eccleſię gremium acceſſuram. His ego rebus cognitis, tametſi ea mihi admodum læta videbantur, tamen aliquandiu ſubſtiti, mecum adhuc de profectione deliberans: ſed cùm certa conſtarent mihi iam diuinæ voluntatis indicia, videremque, me, ſi ab incepto deſiſterem, ipſiſmet Iaponijs ethnicis multò deteſtabiliorem futurum, (quamquam perennis ille humani generis aduerſarius meum hoc iter ſumma ope nititur impedire) fidenti animo pergere, & primo ſtatim aduentu Regem ipſum Iaponis adire conſtitui, eique mandata quæ habemus à Domino, exponere. Et quamuis apud Regiam Academia dicatur eſſe percelebris; tamen haud dubiam nobis, ſi ad certamen ventum ſit, Deo fauente, victoriam pollicemur. nec nos litteratorum veremur ſophiſmata; nec barbarorum minas, vel dæmonum inſidias pertimeſcimus. quid enim nobis aut ab eorum ſcientia qui IESVM neſciunt, poteſt eſſe periculi; aut ab eorum vi, quibus nihil in nos, niſi quantum Deus ipſe permiſerit, licet? præſertim cùm nulla re alia, niſi diuinæ gloriæ ſtudio & ſalutis animarum adducti negotium hoc ſuſceperimus; & Iob à diabolo ſacræ litteræ non niſi concedente Domino lædi potuiſſe teſtentur. Illa verò nos vna aſſiduè cura ſolicitat, ne grauius ipſi pro humana fragilitate peccemus; neue Dei auxilio, quod laborantibus ille ſemper benignè ſuppeditat, abutamur. quòd tamen ne accidat, cùm ſacroſanctæ matris Eccleſiæ (cuius imperij fines, animabus ad creatoris agnitionem trahendis propagare ſatagimus) tum nominatim Societatis IESV meritis impetratum iri ſperamus.

Sanè quàm periculoſum iter hoc Iaponicum eſt, partim ob frequentia latrocinia, partim etiam ob tempeſtates, quæ paſsim hoc mari ita ſæuæ excitantur, vt præclarè agi cum ijs qui nauigant exiſtimetur, ſi tribus è nauibus duæ curſum incolumes teneant. Quocirca venit mihi ſæpe in mentem vereri, ne, qui è noſtra Societate ſapientiores videntur, ſi cui eorum in hæc loca mitti contigerit, temerarium eſſe negotium, Deumque tentari quodammodo, tam apertis adeundis periculis, putent: qua tamen eos ſuſpicione poſtmodum libero, quòd ſpero, Societatis noſtræ doctrinis ac litteris inhabitantem Domini ſpiritum præſidere. Illud quidem occurrit mihi ſæpenumerò, quòd aliquando patrem noſtrum Ignatium audiui dicentem: omnibus ijs, qui in Societate noſtra verſantur, ſummo ſtudio conatuque elaborandum eſſe, vt inanes ab ſe timores, & cætera cuncta depellant, quæ homini, quò minus totam in vno Deo ſpem collocet, impedimento eſſe conſueuere. Porrò, quemadmodum intereſt inter eos, quorum ita ſpes eſt in Deo repoſita, vt rebus tamen affluant neceſſarijs, & eos qui ob id ipſum vt Chriſtum imitarentur, & ſoli Deo confiderent, omnibus ſeſe vitæ præſidijs exuerunt; ſic proculdubio multum refert, vtrum quis, cùm vnicum habere ſe profiteatur in Dei bonitate perfugium, tum in tuto & quaſi in vmbra ſe exerceat: an, alia re propoſita ſibi nulla præter Dei honorem gloriamque, ſeſe caputq; ſuum volens vidensq; in diſcrimen offerat pæne quotidie: cuiuſmodi ſi quis exiſtat; nę illum ego propediem ſeculi tædio, migrandique ad Dominum deſiderio affectum iri crediderim: quandoquidem hęc hominum quę dicitur vita, mors perpetua potius, ac triſte quoddam à cœleſtibus regnis exſilium eſt.

Vos interea valete fratres, dominumque precamini, vt noſtram diſiunctionem pro infinita ſua miſericordia coniungere dignetur in cœlo: nam in terris quidem ecquando poſt hac viſuri inter nos ſimus, incertum eſt. Malaca. x. Calend. Iulias. M.DXLIX.

EX

EX EIVSDEM PARÆNETICA ad Gaſparum Berzæum, cùm is Armuziam peteret.

IN Armuziana iſta prouincia, primum, & antiquiſsimum tibi ſit Dei obſequium, & animi tui cultus. Ex hiſce fontibus cætera ad proximorum vtilitatem largè manabunt. ac proinde curabis, vt ſemel biſue quotidie te ipſe ad calculos voces: atque integer iudex cognitionem exerceas tum communem omnium illius diei cogitationum, & actionum tuarum; tum verò propriam earum, in quibus aliqua per id tempus præcipuo ſtudio vel præcauenda, vel corrigenda, vel ad perfectum expolienda ſuſceperis. In primis verò, Chriſtianę humilitati intenta cura ſtudeas velim: eaque potiſsimum obeas miniſteria prõptus ac libens, quæ cæteri velut abiecta & minimè ſpecioſa faſtidiũt. in eo genere catechiſmus eſt. quas tu partes ne alteri delegaueris. circa meridiem ſingulis diebus compita vrbis cum ſocio circuibis ipſe, plebem in templum elata ciens voce. ibi Luſitanorum filios, pueroſque, & libertos, necnon ſexus vtriuſque mancipia, ſalutaribus inſtitutis atque præceptis erudies: teque publicè præeunte, promiſcuum vulgus Chriſtianas precationes, & pia dogmata reſonabũt. Atque id ipſum eò maioris apud te momenti debebit eſſe, quòd eius laboris patientia non modò imperitos idiotasque ad notitiam Dei atque ad virtutem informat; ſed etiam reliquorum animos cum tacito quodam plauſu atque approbatione conciliat. Delatus Armuziam, Proepiſcopum adibis officij cauſa: eique ad genua protinus accides, & manum exoſculabere. ex eiuſdem auctoritate conciones habebis; in confeſsiones audiendas incumbes; & cæteris Chriſtiani paſtoris fungere muneribus. Simul, operã dabis, vt ab eo gratiam & beneuolentiã ineas, quò per te, ſi fieri poſsit, pijs animi ſaltẽ ritè purgandi meditationibus imbuatur. Reliquos item ſacerdotes omni ſummiſſione & officio demerebere: curabiſq; vt ex ijs quamplurimos ad eaſdem meditationes Deo adiuuante perducas. Præfectus item præſidij, qualis qualis ille ſit, enitere quantum poteris, vt amicus ac propitius tibi ſit: neq; res vlla erit tanti, vti dicto factoue illum exaſperes: vbi hominem tibi arctè deuinxeris; tum ſi & malè audierit, & monendo reddi meliorẽ putaris poſſe; & occaſio commoda inciderit; quàm amiciſsimè ac demiſsiſſimè, & ore placido eidem expones, quinam de illius actis & vita ſermones hominũ ſint: ſuadebiſque, vti famæ pariter & officio conſulat. Multi erũt, qui de illo ad te querimonias deferant; tuamq; apud eum prophanis in rebus implorent opem. hiſce tu occupationum tuarum & magnitudinẽ excuſabis, & genus. addes, vereri te, ne parũ ea legatione proficias. qui numen & conſcientiam ſpernat, hunc tua quoq; monita nihili eſſe facturum. Cum Sodalitio Miſericordię, fac vt quàm optimè tibi conueniat: ſodaleſq; ipſos, quoad eius fieri poterit, manſuetudine ac beneuolentia comprehẽdas: ac totum opus, quibuſcunq; licuerit rebus, pro virili parte promoueas. Aegrotos in publico noſocomio; & vinctos in carcere identidem viſes; hortaberisq; ad cœleſtes iras per ſacram confeſsionem auertendas, quandoquidẽ ij, propter admiſſa piacula fermè plectuntur, & ſunt qui Sacramentum Pœnitentiæ nunquam obierint. Adhæc, vbi res poſtulauerit, ages cum præſidibus vtriuſq; loci, vti maturè cognoſcantur ſingulorum cauſæ; ac ſimul, vt egentibus miſeriſq; ad tolerandam vitam neceſſaria præbeantur. Iam, inter nauigandum, & poſteaquam exſcenderis; omni ope contendes, vti per idoneos certoſq; homines, Armuziani populi mores ac vitia domi foriſque; genera pactionum & quæſtuum; necnon in forenſi re corruptelæ, factiones, calumniæ, & alia id genus, quibus opprimitur veritas; tibi quàm notiſsima ſint: quò ad ea poſtmodum curationes ac medicinam ſcienter accõmodes. Hoc tibi ad rem ex animi ſententia gerendam longè vtilius fuerit, quàm librorũ attenta peruolutatio, minimè tamen alioqui omittenda. Mihi quidem, in omnes partes plurimum ſemper illam notitiam profuiſſe perſpexi. In capeſſenda autem Chriſtiana re, delectuq; negotiorum habendo; illud vitabis in primis; ne, quorum fructus ad vnum vel ad paucos pertinet, anteponas ijs, quæ plures, vel etiam vniuerſos

attingunt: ſed quò latius quidque, eò potius & antiquius tibi ſit. Quos in Societatis noſtræ diſciplinam admiſeris; eorum profectum caue ne acrioribus tentamentis explores, quàm quæ pati, vt ægroti natura, ſic tyronis imbecillitas poſſit. Sed ſemper infra potius, quàm ſupra vires probatio ſit. alioquin exacerbantur multi, fenſimque deſperant; ac domitis ad extremum frænis, in auia & dirupta præcipites abeunt. Atque hoc toto in genere, prorſus vitanda cenſeo experimenta, quæ vel inani & abſurda nouitate, vel etiam procaci quadã & cynica libertate, aut riſum, ſpectantibus, aut ſtomachum mouent. Tu verò ſectabere quę & in vulgus accepta ſunt, & cum ratione pariter ac pietate conſentiunt. cuiuſmodi ſunt quæ poſui modò; carcerẽ & valetudinaria frequenter inuiſere; vinctis & decumbentibus, in vtroque homine patiẽter ac ſedulò miniſtrare; itemque, ad paupertatis voluntariæ documentũ, panes & nummulos emendicare palam; & alia id genus. Porrò, ad regendos, & in virtute promouẽdos alumnos, illa res vna vel maximè proderit, comitate quadam eos & paternæ beneuolentiæ ſignificatione perlicere ad arcana pectoris ſui planè tibi nudanda; ſic prorſus, vti omnia cogitationum initia, quibus vel à deprauata natura, vel à malo dæmone ſolicitantur, extemplò ad te deferre non dubitent. Hæc deferendi & communicandi fiducia & conſuetudo, mirum, in omnes partes quantopere conducat. ſiquidem occultæ hoſtium fraudes, & improbæ petitiones, in mediũ protractæ, vel ipſa luce protinus euaneſcunt; vel, ſi vrgere perſtiterint, varijs remedijs opprimuntur. quibus in remedijs expertæ virtutis illud eſt; vbi quempiam inani gloria, corporum illecebris, aliaue parum honeſta cupiditate irritari cognoueris, huic præſcribere ſpatium aduerſus ea vitia meditãdi: tum, quæ excogitauerit, iubere vt ea populo per occaſionem adhortationis impertiat. Hinc duplex percipietur fructus; tenacioris memoriæ, quòd ferè quæ commenti ſumus, promendo & cõmemorando, altius noſtris animis infiguntur: ſalutaris verecũdiæ; quòd nos ea non exſequi pudeat, quæ ipſi alijs facienda præcepimus. In Sacramento Pœnitentiæ, cum negotiatoribus præſertim amplis & opulentis, ſunt quæ ante criminum cognitionem, in ipſa cognitione, & poſt cognitionẽ obſerues. Ante cognitionem; curabis, vti reus idem & actor (niſi id myſteriũ frequenter obire conſueuerit) biduum aut triduum ſumat ad anteactæ vitæ reputãda peccata, & ſimul memoriæ cauſſa in ſchedulam ex ordine referenda: vt ne imparatus, & ſine aliquo morſu doloris pudoriſque, ad accuſationem accedat. In ipſa verò cognitione, ſi turpitudine flagitiorum, aut magnitudine ſcelerum, quod ſæpe fit, abſterreri hominem ſenſeris quominus ipſe ſe prodat; hilari facie, blandoque ſermone, quinetiam, ſi opus fuerit, varijs te quoque morbis animi olim implicitũ fuiſſe teſtando, vti ſingula probè fateatur, adduces. & cùm alia diligenter inueſtiganda & elicienda ſunt; tum verò accuratiſsimè, quæ ad nefaria lucra, & res dolo malo partas aut retentas pertinent. etenim, ſi quem fœnore contaminatum, aut peculatu, vel iniquis pactionibus, in vniuerſum interroges, num aliena poſſideat; vt eſt procliuis ad ſui tutelam, & ſibimet libenter ignoſcit hominum natura; facilè inficiabitur: ſin genus vitæ artiſue quã factitet, ſi vſuras, & contrahendi, mercandi, vendendi formulas nominatim exquiras, & (ſi regius fortè præfectus curatorue ille ſit) ſi de interuerſa interceptaue pecunia, de monopolijs per vim nefasq; inſtitutis, deq; alijs quę magiſtratus contra voluntatem Regis, & ius commune plerunq; ſibi pro poteſtate & imperio vindicant, ſingillatim percunctere; multorũ haud dubiè delictorum confeſsionem exprimes, quę reus alioqui, vel per malitiam, vel per inſcitiam ſilẽtio forſitan inuoluiſſet. A confeſsione, ſi noxius tibi dura & perfricta viſus erit fronte; comperendinabis videlicet, eiq; certos interea locos ad commentandũ aſſignabis, quorum conſideratione, tamquam repetitis ictibus, è ſilice pectoris ſui, pios gemitus, & aliquas amoris diuini ſcintillas excutiat. Quòd ſi fraudati quid fortè reſtituendum, vel condonandæ iniuriæ, vel ſcorta relinquẽda, vel eiuſmodi quippiam expiandum ſit; planè videbis, vti ante latam ſententiam expietur, neu te largis cuiuſquã pollicitationibus induci permittas: nam qui piaculis eiuſmodi obſtricti tenentur, ab ſacerdote appellati, magis in promittendo interim faciles, quàm in præſtando poſtmodum fideles exiſtunt. Vbi ſine fallacia ab reo ſatisfactum eſſe didiceris, tum demum, æternis vinculis abſolutum, temporario aliquo ſupplicio ritè iniuncto, dimittes. Si qua pecuniæ ſumma, ſeu propterea quòd iuſti domini copia nulla ſit, ſeu etiã pietatis ac beneficentię ſtudio erit in pauperes conferenda; nequaquam ego tibi ſim auctor, vt illius pecuniæ te ſequeſtrum ac diribitorẽ exhibeas. ſed eam tu (niſi ſi tibi ſecus interdum in re

præ-

præsenti videbitur)ad Misericordiæ sodales extemplò reijcies: atque id multis grauibusq; de causis.primùm,quòd tibi non æquè ac sodalibus nota est mendicorũ & egentium turba:quorum,alij sæpè morbum, alij probitatẽ & sanctimoniam,alij etiam inopiam ipsam egregiè simulant.Ad hęc,si percrebuerit,humanis necessitatibus & egestati paratum in tua facilitate subsidiũ esse; tanti vndiq; petentium concursus ad te fient, vti ad Apostolicas functiones, quæ tibi primæ esse debent, otij nihil supersit. Non est porrò æquum, te qui ad Euangelium prædicandum veneris, relicto verbo Dei, ministrare mensis.Postremò,si pecunias ipse tractare assueueris,metuẽdum est, ne famę tuæ atque existimationi aliqua labes ab iniquis, & omnia peiorem in partem interpretãtibus,adspergatur.Quæ cũcta incommoda effugeris,si hasce Christianæ caritatis,& officij partes,eidem Sodalitio delegaueris.Quotidiani vsus præcepta,ad æternam salutem præcipuè necessaria, in B.Virginis, & in Misericordiæ templo palam in tabella proponeS.Ad ea perlegenda,exscribenda,&,quod caput est,obseruanda,cùm cæteros inuitabis;tum verò pœnæ loco,si res postulet,adiges in tempus certum,quorum ipse confessionem exceperis:vt inde perpetuam,si fieri possit,eius disciplinæ consuetudinẽ spontè retineant.Singulis verò noctibus, voce ad commiserationem accommodata, vicatim populo commendabis opportuna deprecatione adiuuandas animas, quæq; in hac vita peccato letali tenentur; quæque in altera purgatorio igne torquentur. statis per hebdomadam diebus operam conferes ad simultates ciuium dirimẽdas, restinguenda odia,forenses denique controuersias componendas, quippe quarum impensæ magno ciuium damno sæpe sortem exsuperant. Ergo ijs omni ope obuiam ibis:atque ipsos etiam quorum interdum culpa lites aluntur,scribas ac leguleios,tibi aliquo pacto deuincire, & salutari quopiam remedio sanare conaberis. In concionibus autem, quò magis commune bonum id est,eò maiorem,vti dicebamus,industriam,,& assiduitatem,& operam collocari, neq; illas ad vulgi oblectationem plausumque, sed ad morum emendationem, & vnius Dei gloriam omninò referri par est. Animorum quippe agitur salus:adhibenda vulneribus remedia;non,prurientes aures curiosis questionibus,& manì sermone scalpendæ. ac proinde accersita, fucata, dubia, obscura, controuersa, ne in medium adduxeris.virtutis amorem,vitiorum odium excitare contẽdes: & ex ijs quæ pro vniuerso mortalium genere Christus Dominus acerbissima pertulit,locum subinde aliquem inducendo;ad malè actæ vitæ detestationem, ad lacrymas, ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta populum vehementer impelles. Inter dicendũ autem,vide ne quem eorum præsertim qui cum imperio ac potestate sunt,apertè perstringas.Exulcerare plagas hoc quidem est, non curare.& qui longius in eo genere prouehuntur, efficiunt nihil,nisi vt magno labore,fructu nullo,gratias perdant,odia colligant.Priuatæ obiurgationes in priuato adhibendæ sunt,& quidem plurima humanitate conspersæ.opulentis verò ac potentibus viris,quòd fermè delicatum & fastidiosum est genus, inter ipsam admonitionẽ subinde etiam te ad pedes abijcies;vel,si res tulerit,caros dabis amplexus: planè vt perspiciant non tristitia te vlla, vel seueritate, vel negotiorum appetentia,sed eximia quadam beneuolẽtia & caritate,ad officium reprehensionis adduci.Iam verò,de familiari cõuictu,& quotidiana cum hominibus cõsuetudine,haud leuis est animaduersio; multasque & magnas ea res habet cautiones:quarum prima illa est:Ita vtendum amicis,quasi non tu quidem illis, sed illi tibi olim infensi infestiq; futuri sint.Id si præsumpseris animo; longè attentius omnia circumspicies, teque ipse in officio continebis,neque in securitatem effusus, admittes quod aliquando tibi exprobrari, aut obijci possit. In vniuersum tamẽ, te cunctis mitem,iucundũ,affabilem præbeas velim; vt ea comitate illecti (nam alioqui anceps & periculosa curatio est, quod item supra monuimus)omnes tibi pectorum suorũ latebras, ac recessus aperiant. Alter locus cautionis est,operam des vti studiosos recti,verosque discipulos,à fictis prauisq; dignoscas;& conuenientem vtrisq; facias medicinam.Non enim deerunt plurimis obsiti vlceribus,qui,vel metu ne illa detegas,vel etiam captandæ ad cæteros commendationis causa,vltrò sese tuam in amicitiã ac familiaritatem insinuare non dubitent.ij, si te inter cætera ad prandiũ aut cœnam inuitent;i sanè; ac tu vicissim illos ad Sacramentum Confessionis inuita:curaque,vti prorsus intelligant, fixũ esse tibi certumque, eos omni ratione ad Christianam seueritatem,ac disciplinam,à laxiore vita delicijsq; traducere.sic fiet, vti vel in posterum te frustra interpellare desistant;vel(quòd optãdum est magis) ad meliorem frugem, te duce ac magistro, tandem aliquando perueniant.

A donis muneribusque (friuola quædam excipio; quæ si recuses, largitor vtique Lusitanus contemni se putat) omnino abstinebis, vulgati prouerbij memor; Captum esse, qui ceperit. Ioannes tibi Rex omnia ad victum, cultumque necessaria detulit. eius vtere benignitate, atque idipsum modicè, vel etiam intra modum; vt votiuæ paupertatis religiosa professio constet. Si multis è partibus ad te cibaria cocta seu cruda mittentur; ea tu ad carcerem, vel ad valetudinarium publicè deportanda curabis. atque hoc pacto, in tractandis hominum ingenijs tua tibi ratio longè solutior & expeditior fuerit. Quos ad vitia proiectos, & in peccãdi libidine perperam obstinatos offenderis; gehennę quidem illos, & futuri terrore iudicij maximè commoueri oportebat: sed quoniam hæc nimium abesse longè, stulti homines putant, multi etiam propter fidei imbecillitatẽ, sintne omninò vlla, turpiter ambigunt; at tu, morbos, ærumnas, calamitates, exsilia, vincula, cædes, orbitates, naufragia, bonorũ proscriptiones direptionesque, & alia malorum genera sexcenta percurres, quibus in hac etiam vita impios ac prauitenaces homines afficit Deus: eaque denuntiatione perditos & insanos ab amentia reuocare conaberis. Si cum irato & flagrante cupiditate vindictæ, res tibi fuerit; blanda primùm oratione, quasi aliud agens, mulcebis hominem: dein, capto circuitu, sensim ad causam accedes, vt quam ille queratur iniuriam eleues verbis, & multo minorem opinione fuisse demõstres: aut etiam diuino permissu relatam, quod iniuriosum ille quoque se quondam in alios fortasse præbuerit. ad hæc & alia id genus dicta, si te auersabitur, cedes tempori scilicet: si dederit sese, premes paulatim acrius, & identidem instabis, quoad sedata perturbatione reliquam abs te medicinam libenter accipiat. eadem fermè obseruatione, ad leniendum dolorem, mœroremque, & cæteras animorum ægritudines, vti licebit. Atque hæc cum ijs qui Christiani censentur. Conuertendis autem ad Christum Iudæis, ethnicisque, suum item spatium ac laborem imperties: quam ad rem, ne longior sim, non pauca ex ijs quæ supra posuimus transferri commodè poterunt. Verùm de his hactenus. redeo ad prima. Tu fac in aliorum curationem ita, mi Gaspar, incumbas, vt interea tuæ ipsius perfectioni ac saluti quàm diligentissimè consulas. Vale.

EIVSDEM AD SOCIOS Goam.

IAPONEM Deo adspirãte attigimus Augusto mense, die Assumptioni Mariæ Virginis sacro, cùm festo ipso Diui Ioannis Baptistę die natali, Malaca sub vesperam soluissemus. Nauiculario vsi sumus ethnico, mercatore Sina, qui suam in id operam præfecto Malacæ detulerat. ac primò sanè feliciter nauigauimus: sed mox (vt sunt barbarorũ ingenia ad leuitatem atque ad inconstantiam prona) profectionis mutare consilium nauicularius cæpit, & in occurrentibus passim insulis tempus frustra conterere. Nobis autem in eo itinere cùm alia multa, tum illa duo præcipuè molestissima contigerunt: alterum, quòd oblata diuinitus tempestate nautæ per nequitiam abuterentur; qua elapsa, ad oram Sinarum appellere, ibique totam hyemem, cursum exspectantes ponere cogebamur: alterum, quòd in eadem naui simulacrum vehebatur dæmonis; cui nautæ, quanquam inuitis nobis & inspectantibus, patrio ritu sacrificabant, ab eodem etiam per sortes de ipsa nauigatione petebant responsa; quæ (vt aiebant, credebantq; barbari) modò læta, modò tristia reddebantur. Centum à Malaca leucas, Sinas versus prouecti, quandam ad insulam stetimus: ibique aduersus maris illius sæuitiam naualibus instrumentis, aliaq; materia comparata, post multas cæremonias & sacrificia quæsitum est ab idolo, prosperam deinceps fortunam essemus habituri, necne. cùm valdè prosperam responsisset, proinde ne moraremur diutius; sustulimus anchoras, velaque gratulabundi fecimus omnes: illi, simulacro quod in puppi locatum candelarum luminibus, odoramentisque ex incenso ligno quodam Aquilano venerabantur: nos conditore cæli terræq; Deo, & eius filio Domino IESV CHRISTO confisi, cuius cultum religionemq; amplificandi studio in ea loca deferebamur. Cùm iam essemus in cursu, placuit nautis ab dæmone percontari, vtrum nauis qua vehebamur, Mala-

Malacam esset ex Iapone reditura. cùm in Iaponem quidem peruenturam omnino, sortilegi retulissent, verùm ex Iapone Malacam minimè reuersuram; tum verò institutę nauigationis pœnitere barbaros cæpit, satiusque ijs videri apud Sinas hyemare, & Iaponicam profectionem in alterum annum differre. Noster autem quis animus, quis tum esset dolor, cogitare vobiscũ potestis ipsi, cùm de tota itineris nostri ratione consuleretur dæmon. Mox in oram terræ quam Cocincinam vocant, delati; duo, vno eodemque die (qui fuit Diuæ Mariæ Magdalenæ sacer) vespere, sanè quàm aduersa pertulimus. Etenim exasperato vehementius mari, ingentesque voluente iam fluctus, cùm iactis anchoris agitaremur in salo, apertum in ostium sentinæ vnus è comitibus nostris Emmanuel Sina fortè prætériens decidit. mortuum credidimus: nam & altè ceciderat; & à capite pæne ad vmbilicum obrutus aliquantisper in aqua iacuerat. verumtamen extractus magno cum labore exanimis grauiterque caput sauciatus, adhibita curatione, paucis diebus, Deo fauente conualuit. Nondum huius planè curatum erat vulnus: ecce tibi eodem fermè casu, eademque nauis iactatione, filia nauarchi in mare delabitur, & in omnium oculis frustra conantium opitulari, submergitur. Cuius interitum tanti sunt eiulatus ac lacrymæ consequutæ: tanto præterea, quotquot in naui eramus, vitæ in discrimine versabamur; vt admodum digna miseratione res esset. Barbari ad propitiandum per sacrificia dæmonem versi, nulla capta quiete, diem noctemque totam mactãdis idolo auibus, ferculisque apponendis operam dederunt, per sortes etiam quæsiêre causam infortunij. Responsum est: si is qui prius in sentinam ceciderat Emmanuel fato functus fuisset; puellam in mare nõ fuisse lapsuram. Cernitis ipsi profectò, quãtum nobis eo respõso dæmon ab suis ministris crearit periculum: & nobis quid futurum fuerit, nisi furentis rabiem Dominus compressisset. sed me tamen in primis graues illæ in Deum iniuriæ, & barbarorum sacra illa sacrilega permouebant. itaque fusus in preces, Deum rogaui sæpiùs, vt priusquam fluctibus operiremur, homines ab se ad ipsius imaginem ac similitudinem conditos, tam falsis opinionum erroribus impijsque superstitionibus liberaret. tetrum quippe spectaculum, & indignum est facinus, Dei vice ab hominibus ad vnius Dei laudem factis, adorari perpetuum ipsius humani generis inimicum. Cuius de minis atq; terroribus, quibus ille mortales, nactus occasionem, aggreditur, quòd multa mihi eo die nocteque Dei beneficio contigit experiri, quamquam ea sanè cognitu vtilia sunt, tamen breuitatis caussa cætera prætermittam; vnum illud summatim attingam: huiusmodi ipsius petitiones eludi nulla ratione facilius, quàm animi magnitudine quadam ac securitate pręstanda, non illa quidem, quæ proprijs viribus, sed quæ vnius Dei tutela præsidioque nitatur. venisse tempus vlciscendi sui, crebrò mihi ponebat ob oculos. sed magis tali in re ac tempore nobis timẽdum est, ne fixã in Deo fiduciam, quæ debet esse firmissima, remittamus, quàm ne ab hoste (qui nihil valet nisi Domino permittente) vincamur. Porrò, quid nobis in extremo spiritu futurum est, fratres, cùm debilitatis corporis animique viribus grauiori quàm vnquam antea tentatione vexabimur; nisi per otium prius spem totam in Deo reponere, atque ad eum tempestiuè confugere didicerimus?

Ad nauigationem reuertor. lenita paulùm tempestate, vela ventis mœrentes dedimus, pauciscque diebus in portum Sinarum quem Cantonium vocant, peruenimus. Ac nautis quidem non dubium fuit, quin hyemandum esset ibidem; quamuis nos partim rogando, partim etiam eam iniuriam cum Lusitanis, & cum præfecto Malacæ expostulaturos minando, frustra eos reuocare à proposito niteremur. Sed nescio quomodo factum est, vt stationis mutandæ petendiq; portus Cincei (qui in eadem est ora) subitò consilium caperent. Eò cùm iam appropinquaremus; nauarchus à quibusdam prætern auigantibus repentè fit certior, Cinceum portum à piratis compluribus obsideri. Præsens omninò periculum imminebat: eratq; ventus Cantonem reuertenti, aduersus: Iaponem petenti, secundus. quocirca subita re perculsi nautæ, volentes, nolentes, cursum in Iaponem dirigere, & nos quò polliciti fuerant (& quidem reliquis portubus insulæ excluſi) rectà Cangoximam, quæ Pauli nostri patria est, inuito dæmone perducere sunt coacti. ibi, cùm à Pauli cognatis, tum à reliquis oppidanis amicissimè excepti, dies ipsos quadraginta in addiscendis Iaponicæ linguæ elementis haud exiguo cum labore posuimus. iamque Decalogi præcepta, Deo fauente promulgare sumus aggressi, quæ Paulus noster, & cætera Christianæ fidei capita patrium in sermonem accuratè conuertit: ac nos quamprimum typis mandare decreuimus, quò

Christi

Christi notitia facilius latiusque fundatur Idem cognatos amicosque homo impiger dies ac noctes ad salutem hortari ac docere non destitit: breuique vxorem, & filiam, multos præterea vtriusque sexus in ouile Domini compulit. Nec sanè (quod cernimus adhuc) eorum consilium improbatur in vulgus: & quia plerique norunt litteras, per facilè Christianis precationibus assuescunt. Die qui fuit Archangelo Michaeli sacer, cum Rege Saxumano collocuti sumus: qui nos perhonorificè acceptos, vt Christianæ legis volumina diligenter adseruaremus admonuit. paucis deinde post diebus edixit licere omnibus qui sub eius imperio sunt, fieri Christianos. Hæc nobis initia sese dant: læta vtique, veruntamen admodum incerto successu. Magna quippe multitudo eorum est, qui nefaria huius terræ sacra procurant Cum ipsorum placitis atque commẽtis, quòd Christiana tantoperè pugnat veritas; valdè suspicamur fore, vt licet in præsentia nobis fauere videantur, tamen cùm res paulatim progredi cæperit, nostram in perniciem tum sæuiant ipsi, tum verò populum concitent, alioqui per se minimè nobis infestum. Fixum autem ac certum est nobis, sicuti ab omni prorsus contumelia & iurgijs abstinere, ita ab gentibus ad cognitionem conditoris liberatorisque nostri IESV CHRISTI vocandis, nulla ratione desistere. Quod si euenerit, vt in caussa tam honesta, tamque pio ac salutari negotio vitam ponamus; næ nos id in magni beneficij loco accipiemus à Domino, cuius præceptis, animarum salutem, corporis nostri iactura mercari iubemur. Vtinam modò nos mentis candorem & simplicitatem, quæ Sancti Spiritus gratissima sedes est, cum fide præstemus. quam tamen ad rem multum nos loci opportunitas adiuuabit. Etenim remotis adeo in regionibus, inter impios dæmonum cultores ab amicorum conspectu longissimè positi, omnique pæne mortalium ope ac solatio destituti; nimirum nostrimet paulatim obliuiscimur: nosque in Deum totos necessariò effundimus. quod secus, vbi Christiana viget religio, fieri consueuit. parentum quippe vel patriæ caritas, affinitates, necessitudines, amicitiæ, ad omnes corporis animique vsus parata subsidia, Deum inter & homines interponunt ferè sese: atque inde sensim ipsius Dei subrepit obliuio. quocirca eximiam in nos, hoc etiam nomine, Dei benignitatem experimur: qui cùm, hac suscipienda peregrinatione, aliquod præstare nos illi putaremus obsequium; ipsi nos potius singulari eiusdem beneficio affectos, multisque vinculis solutos agnoscimus, quæ spem in Deo nostram & cogitationem cœlestis patriæ distinebant Ad hæc illud quoque non leue commodum accedit, quòd delicijs ijs, quæ alibi carnis stimulos irritare, mentisque & corporis vires solent infringere; hic caremus omninò. Etenim Iaponij nullum altile mactant vel comedũt, pisce vescuntur interdum, oryza & tritico nõ abundant: herbis ac pomis vt plurimum victitant. & quidem ita prospera valetudine ad multam vsque senectutem vtuntur, vt facilè appareat, quàm paucis sit eadem, quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta.

Vos item, carissimi fratres, (quoniam tanta vobis prouincia patefit) vigilate animis; vestramque industriam ac pietatem in theatro cœlesti probare contendite. id assequemini, si Christianam humilitatem, & sensibus intimis colueritis, & moribus expressertis ac vita: quod ad existimationem auctoritatemque attinet, totum id Domino permittentes, qui vobis eam ipse per se conciliabit profectò. quòd si facere omiserit: vestra caussa videlicet, ne, quæ Dei sunt vobismet arrogetis, omiserit. Illud verò vos ego etiam atque etiam obtestor, vt veram inter vos pacem atque concordiam omni ratione retineatis: summaque ope nitamini, vt ne qua in vobis semina dissensionis existant: præclaros illos vestros conatus ac studia patiendi pro Christo, conferatis interim ad omnem discordiæ spiritum debellandum, memores affirmasse Christum, ea re suos cognitum iri, si se diligerent inuicem. Gratiam suam Dominus Deus noster ac voluntatem animis nostris insinuet, quò ex ea quàm maximè cuncta faciamus. Cangoxima. Nonis Nouembr. MDXLIX.

PAVLI

PAVLI IAPONII AD SOCIEtatem Ieſu in Indiam.

QVOD mihi maximè fuit optatum, vt in Iaponem redire, matrem meam, & vxorem, ac filiam, cognatos præterea ac familiares meos ab impio dæmonum cultu ac Chriſti religionem traducere mihi liceret; id iam Dei Domini noſtri clementia ſingulari ſum conſequutus. Nunc autem alia me coquit cura, vt ij, quemadmodum ad Chriſtum conuerſi ſunt, ſic in fide quam ei dederunt, firmi ſtabilesq; perſiſtant. quod ego cùm à Domino precor identidem; tum vos, per Chriſtum, vt in precibus veſtris ac ſacrificijs mei meorumque memores ſitis, obteſtor: quandoquidem ad ſalutem (niſi principijs conſentiant exitus) cæpiſſe nil prodeſt. Iaponij me ſanè quàm libenter audiunt de IESV Chriſto verba facientem. itaque multos, fauente Deo, Chriſtianos fore confido. Nos hic omnes corpore (vtinam æquè ſpiritu) bene valemus. & quamquam à vobis locorum interuallo diſiuncti ſumus; tamen & animis in præſentia coniuncti videmur; & erimus aliquando corporibus: videlicet cùm ad extremum iudicium excitabimur vtinam cum Domino regnaturi. Cangoxima. Nonis Nouembris. MDXLIX.

IOANNIS FERNANDI AD Franciſcum Xauerium.

POST tuum ex hac vrbe diſceſſum, inflati animis domum ad nos conuenere Iaponij, vt varijs nos interrogationibus fatigarent: videlicet rati, qui ipſorum argumenta refelleret, abſente te, fore neminem. Sed Coſmus Turrianus, Deo fauente, ſpiritus eorum repreſsit: etenim interprete me ad ſingulas quæſtiones ita reſpondit, vt ſatisfaceret: quas ego Iaponicè quoniam ipſius mandato litteris conſignaui, deeſſe nolui quò minus ex ijs aliquas ad te perſcriberem.

Quæſitum eſt, ex qua materia Deus animum condidiſſet. nam corpus quidem è quattuor conſtare elementis non ignorabant. Reſpondimus ad hoc; quemadmodum Deo, vt elementa, Solem, ac Lunam, & reliquum mundi fabricaretur ornatum, non opus fuit priore materia: ſed vt exiſterent, ipſo nutu verboque fecit; ſic animos etiam ab eo creari ſola ipſius voluntate, materia nulla. Tum illi percontari: qui color animi, quænam eſſet ſpecies. Nullam reſpondimus, etenim hoc proprium eſſe elementorum & corporum. Cùm inde efficerent, quoniam corpus non haberet, nihil eſſe animum; Coſmus vt eos verbis ipſorum conuinceret, interrogauit num eſſet aer in mundo: cùm annuiſſent, quæſiuit denuo, eſſetne coloratus aer: negarunt. Tum ille: ſi aer, cùm res corporea ſit, nullo eſt colore; quanto minus, inquit) animus, cùm careat corpore? Hoc audito, ceſſere.

Quæſiere alij, dæmones quidnam eſſent. cùm reſponderetur eſſe multitudinem Angelorum duce Lucifero, qui elati ſuperbia, quòd Deo ſeſe æquiparare voluerant, cœleſti gloria ſunt diuinoque aſpectu priuati; cur, aiunt, homines tentat diabolus, eſtque eis adeo vehementer infeſtus? quòd eos, inquit Coſmus, ad beatitudinem illam, quam ipſe amiſit, conditos nouit: propterea eis inuidet, laboratque vt in fraudem inducantur

Interrogauere nonnulli, cur, ſi erant cuncta quæ Deus fecerat bona, Luciferum ſpiritum malum & contumacem creaſſet? Ad ea, Luciferum, inquit, quique ſunt eius ſectam ſequuti, condidit Deus & clara intelligentia præditos ad bonum dignoſcendum ac malum, & libera voluntate ad vtrumlibet eligendum: vt eos, ſi bonum exoptaſſent, gloria, ſin malum, inferni cruciatus exciperent. qua facultate quòd Lucifer ac reliqui dæmones abuſi, pro Deo adorari cõcupiuerunt; idcirco pœnas dedere, & ſua

ipſorum

ipſorum culpa mali ac ſuperbi euasere: quod ſecus bonis contigit Angelis, qui ſemet ſubdentes Deo, meruere gloriam ſempiternam. Percontabantur alij, quid eſſet Deus, vbi eſſet, num aſpici poſſet: alij, cur Deus cùm ſit adeo clemens, aditum gloriæ tantis difficultatibus circunſepſerit. denique tantus erat à matutino tempore vſque ad veſperam hæc & alia ſciſcitantium numerus, domus vt oppleretur. ſed Coſmus (vt dixi) fecit omnibus ſatis. Bonzij nos, quòd eorum ſcelera coarguimus, maledictis inſectari non deſinunt. Confinxere quidam ex ijs, diabolum è ſimulacro pronuntiaſſe, nos ipſius eſſe diſcipulos: eundem noſtra de cauſſa è cœlo, multis inſpectantibus, regiam fulmine perculiſſe: quidam etiã humanæ carnis voracitatem, nobis exprobrant. Ad hæc, illa quoque incommoda vel Dei potius beneficia accepimus. Commotum eſt in oppido bellum, quod regis obitu deinde ſedatum eſt, adeò exitioſum & graue; vt vrbs octo dierum ſpatio cõflagraret incendijs, & ſanguine redundaret; quippe ſublatis legibus, impune victrix vbique graſſabatur improbitas: paſſim homicidia: paſſim rapinæ. atq; eo ſanè toto tempore nos ad cædem inquirebamur aſſiduè, partim ab ijs, qui nos oderant, partim ab ijs, qui noſtras qualeſcunque ſarcinulas adamauerant: itaq; magno in diſcrimine vitæ ſæpe verſati ſumus: verùm ex omnibus periculis eripuit nos clementiſſima Domini mater, quæ clientes adeò præcipua cura tuetur ſuos. Cùm enim ſtatus rerum eſſet huiuſmodi; Coſmus Antonium miſit ad Naetondoni vxorem, vt ab ea conſilium peteret: illa iuſſit nobis renuntiari, confeſtim veniremus ad ſe. porro inter eundum complures in cateruas armatorum incidimus: ij inter ſe per eorum ordines tranſeuntibus nobis, quin, aiunt, è medio tollimus hoſce de Cengecu (ſic enim Europæos appellant) quandoquidem ipſorum culpa, lignea vel lapidea ſimulacra neque alijs, neque ſibi ſalutem dare poſſe negantium, Dij indignati, excitata diſcordia, tantam huic populo cladem intulêre? hæc autem dicebant illi, propterea quòd eo bello cœnobia multa cum ſimulacris ignis abſumpſerat: imminuta magnopere idolorum & præſtigiatorum auctoritate, vel ob id ipſum, quòd Regi in primis, vt noſti, ſuperſtitioſo, nihil eam ſuperſtitionem profuiſſe conſtiterat. Ex eo diſcrimine elapſi, Naetondoni domum peruenimus, cuius vxor dato puero qui proſequeretur, nos ad Bonziorum cœnobium, quos ea ſuis alebat ſumptibus, amandauit: illi verò grauiter nobis offenſi, reſpuere: dæmonas dicere, nec locum excipiendo tam improbo hominum generi ſibi ſupereſſe. Cur nos Deus, qui habitat in cœlo, cuius legem exponeremus, ex ijs periculis non in cœlum eriperet? Tamen ad extremum ſiue Dominæ metu, ſiue famuli precibus adducti, phani particulam nobis ad hoſpitium aſſignârunt. ibi toto biduo commoratos mulier nos domum ſuam rurſus accerſit, & in poſticis ædium partibus ambulatiunculam quandam nobis ad diuerſandum attribuit. hic nos quot periculis, quot laboribus perfuncti fuerimus, ne longior ſim, in præſentia ſileo. Sanctis ſacrificijs, & precationibus tuis non admodum commendamus, & patrum fratrumque cariſſimorum: quos ego ad hanc gentem ſalutaribus erudiendam præceptis, & veram in agnitionem Dei conditoriſque ſui trahendam, propediem venturos eſſe confido. Amangutio, 13. Calend. Nouembris. MDLI.

EDVARDI SYLVII AD SOcietatem Ieſu Goam.

AMANGVTIANAS res primùm, deinde verò Bungenſes ad Diuinæ maieſtatis gloriam hac epiſtola perſequar. Poſtquam à nobis Petrus Alcaceua diſceſſit in Indiam (diſceſſit autem Octobri menſe, anno Domini MDLII.) Amangutium veni cum Coſmo Turriano. ibi ex familia Regia multi inſignes ac nobiles, & cum eorum ſingulis alij xv. fermè, vel xx, Chriſtiani ſunt facti. ad eum numerum acceſsere Meacenſes Bonzij duo, quorum alter, earum legum in primis peritus, multa percontatus à Coſmo, totam illi ſuam viciſſim de mundi opifice, deque hominis anima ſententiam patefecerat, cuius erat ſumma, nullum eſſe planè verum omnium conditorem. Verumtamen ipſemet conditor ſuam illi gratiam impertiri dignatus eſt, vt quanto verſaretur in errore, & quàm eſſent vera, quæ à Coſmo dicebantur, liquidò cerne-

cerneret.itaque Dominum Deum noſtrum ex animo colere ſtatim decreuit. id quò meli us faceret,omnibus rebus quibus ad eam diem vtebatur, abiectis,exiguum ſibi tectum, aliqua ex parte à nobis adiutus,cum ſocio ſuo Barnaba exſtruxit. ibi morantur ambo,& victum ſibimet ſuis manibus operantes quærunt:nihil è domo noſtra, nihil aliunde gratis accipiunt: vnam acquirendæ virtutis rationem ſciſcitantur à nobis,in qua, ceu nouellæ plantæ, adeo feliciter creſcunt, vt mei me ſanè ex eorum comparatione pœniteat. Eodem tempore Iaponius alius quidam ad Deum conuerſus eſt, magna humanitate vir, acutoque iudicio,annos natu plus quinquaginta:& quamuis, antequàm conſtituit Chriſtiana ſacra ſuſcipere,diaboli tentationibus adeò vexatus eſt,vt in morbum inciderit; poſtea tamen quàm Deo ſeſe commiſit,manna abſconditum affatim hauſit, & nunc de priſtina ſua impietate deque excellentia diuinæ legis loqui non deſinit.Is nouo nomine Paulus appellatur:& quòd magna prudentia & ingenio præditus eſt,& nihil vnquam adorauit in vita(nam Iaponiorum ſuperſtitionem inane ſemper neſcio quid iudicauit) ſuo exemplo multos ad religionem impulit Chriſti:cui ille haud ſanè fictè dat operam, ſiue transferendis in patriam linguam ſcriptis quibuſdam, (qua in re valet plurimum,& ſtylus eius valdè probatur) ſiue alijs mortalibus omni ratione ad veritatis viam trahendis: præſertim verò confirmandis ac retinendis in fide neophytis,quos antea tam vehementer inſectabatur. Vxor eius,& filij ſunt iam Chriſtiani,cum ipſius fratre non minus ingenioſo,& ornato, alijs præterea ipſius affinibus, & amicis.

Septuageſimum vel octogeſimum alius circiter annum agens, vir nobilis, ac dynaſta, ſuperſtitionem ſuam cum Chriſtiana religione commutauit:idolorum ante id tempus cultor egregius, quippe cui,ſimulacris humi de more ſtatuendis venerandi cauſſa,præaſſiduitate laboris occalluerant manus.nunc verò tanta ei lux veritatis oborta eſt,vt de laboribus ab ſe fruſtra ſuſceptis,deque ſua cœcitate verba facere nunquam deſiſtat.is idolorum loco templum ædificare decreuit,quo Chriſtiani ad ſermones inter ſe de cultu diuino ſerendos augendæ pietatis cauſſa conueniant:& vniuerſis qui ſub imperio ſuo ſunt,omni conatu perſuadere conſtituit,vt ad Baptiſmum accedant: quo luſtratus eſt eius quoque filius annos natus triginta, qui domum noſtram Chriſtianæ doctrinæ & ſacrorum cauſſa ventitat. Tria paſſuum millia diſtat ab vrbe Amangutio vicus quidam.ibi ad quinquaginta,vel ſexaginta neophytos ruſticos operarios omnes, tantũ rerum diuinarum ſtudium ceperat, vt litterarum prorſus ignari,litteratos homines populares ſuos argumentando conuincerent. Quin etiam eius loci Bonzius ipſe, cùm illos ſæpe ſermone atque altercatione laceſſeret,turpiter ab ijſdem ſuperatus ac victus, exiſtimationi ſuæ denique migrando conſuluit.eius diſceſſu neophyti valde leuati ſunt.Ijdem pariter vniuerſi certum in locum ſæpe ſe conferunt,vbi de cultu diuino diſſeritur, admonentque inuicem ſeſe,& ad fidem,ac religionem hortantur. Verùm de ſtatu rei Amangutianæ plura cognoſcetis ex epiſtola Coſmi Turriani, quam miſit in Bungum;ex qua ego hæc quę ſequuntur excerpſi.Ex hiſce pauperibus multi facti iam ſunt,fiuntque ſemper aliqui Chriſtiani.

„ ijdem precationes tenent, caſque ad ianuam fere quotidie recitant: tum ſingulis caxa
„ (quod monetæ genus eſt) in eleemoſynam datur: quare illi admodum læti, & Domino
„ gratias agentes domum ſe ſe recipiunt.ijdem, Dominicis diebus, cùm in ordinem diſcu-
„ buêre; qui Chriſtiani ad ſacrificium veniunt, aliquid ijs præbent eleemoſynæ cauſſa:ita-
„ que & illi beneficio gaudent,& Chriſtiani rei totius diſpoſitione arque ordine delectan-
„ tur,& omnes in vniuerſum Domino gratias agunt; cuius ſibi munere , anteactæ ipſo-
„ rum vitæ fœditas patuit.Paulus & Barnabas Meacenſes Bonzij duo mirabiliter in fide
„ proficiunt. Faxit Dominus, vt ad finem vſque perſeuerent. Die qui fuit DD.Coſmo &
„ Damiano ſacer, veſpere mortuus eſt Ambroſius Eunadus Faiſumius, Regis œconomus.
„ eius funeri mecum interfuêre plus ducenti ſexus vtriuſque neophyti. ſignum Crucifixi
„ vnus è neophytis præferebat; & quoniam demortui domus à noſtra plurimum aberat,
„ pompa mediam per vrbem neceſſariò ducta eſt. Efferebatur autem corpus admodum ex-
„ celſo feretro, tantaque funalium multitudine, vt ipſam diei lucem repræſentarent;ac
„ terræ quanto licuit apparatu cæremonijsque mandatum eſt. Commouit ea res aliquan-
„ tum ad impias ſectas deſerendas cognatos ipſius, & maiorem ciuitatis partem:quas qui-
„ dem ſectas planè relinquerent, ſi diuinæ legis interpretum hic foret copia. Vxor autem
„ eius continuò pauperibus fecit benignè: nam & ipſo quatriduo præbuit ipſis epulum,& è
„ domeſtica ſuppellectili multa diſtribuit:in ijs etiam veſtem ſericam, ex qua conficietur

pecunia ad ædificandam illis domum in area, quam idcirco nobis neophytus quidam attribuit. Hoc eius rectè factum, cæteraque neophytorum erga inopes beneficia, quibus bis terue cibaria singulis mensibus largiuntur, compensęt Dominus: quem vos rogate fratres mihi carissimi, vt hæc ab illis fiant, nullam ob aliam caussam; nisi vt eidem placeant: & simul in officio me sua benignitate confirmet.

Domus ea, cuius meminit Cosmus, perfecta iam est. Absolutum est opus, v. Calend. Iulij, & diebus aliquot ibidem sacrificatum, sermonesque de ipsius fundatione sunt habiti. Hactenus de rebus Amangutianis. Nunc ad Bungenses venio. Anno MDLIII. nostri lapidationibus ibi malè accepti sunt, cõfictis in eos criminibus, quòd carne vescerẽtur humana. sed Rex, caussa cognita, rem totam breui compressit, dispositis custodiæ caussa circa domum nostram interdiu noctuque vigilijs. atq; ea sanè præclara fuit neophytorum probatio: quippe nos quò maioribus cinctos videbant angustijs, eò maiorem ipsi firmitudinem animi constantiamque præseferebant. Eo tempore multæ ad neophytos conciones, multæ contra Bonzios disputationes habitæ sunt: qui victi, cùm quid agerent non haberent, insigni mendacio populũ onerarunt, nulla re scilicet Christianam à Iaponica religione differre. Res erat sanè periculosa. itaque nostri diuinæ gloriæ zelo inflammati, nil aliud per eos dies docere populũ institerunt, nisi hæ duæ religiones quantopere inter sese differrent: legem quippe Iaponicam fabulis atque mendacijs: Christianam verò planè certissimis niti principijs. Atque ob id ipsum Balthasar Gagus librum Iaponico sermone conscripsit, ac dedit Regi, quem Rex coram se, suisq; consiliarijs recitatum, ac vehementer probatum, suo signo obsignauit, atque ad Balthasarem remisit, iubens ei renuntiari, se libri eius exemplum descriptum habere apud se: proinde exemplar obsignatum vt erat, ostenderet magistratibus, vt eos perspecta Christiana veritate & doctrina, beneuolos & amicos haberet. Ex eo tempore adhuc in pace fuimus. Bonzij in Dominum credidêre complures. in ijs quidam legisperitus ex eorũ ordine, qui commentationibus vacant, noster antea vehemens aduersarius. huic ita deinde clarum veritatis lumen affulsit, vt in exquirendo Christiani hominis officio nunquam defatigetur. Tanta verò tranquillitate fruitur animi, atque ita Dei beneficia ipsius hærent infixa memoriæ; vt pro ijs à quibus Christiana mysteria didicit, & à quibus huc missus est, denique pro cunctis Euangelij prȩconibus preces ad Dominum assiduè fundat. Anselmus est quidam Dominus vici non longè ab vrbe positi. is, vt vxorem ad cultum Dei traduceret; anno superiore venit ad nos, & Balthasarem domum suam adduxit; qui fœminam, & domesticos omnes, alioscque complures necessaria ad religionẽ rudimenta edocuit, & conuertit ad Dominum. Horum exemplo tãtus in reliquis eius vici incolis motus animorum est factus, vt omnes fere Christiana iam sacra susceperint. Vicus est alius, decem leucas ab vrbe: illuc item anno superiore lucri caussa se contulit neophytus operarius quidam, Antonius nomine: ibiq; reperit hominẽ, qui ab dæmone septem iam diebus ita præfocabatur, vt nihil neque esculentum, neque poculentum per fauces posset demittere. Hunc miseratus Antonius, & simul recordatus latronis eius, cui culpam suppliciter agnoscenti Dominus noster IESVS CHRISTVS ignouerat, aquam in vas infundit, expiatque manu sua per signum Crucis. deinde hortatur ægrotum, vt peccatorum suorum agat pœnitentiam, & credat in eum, à quo & conditus fuerit, & salutem possit accipere. Annuit ægrotus, & continuò porrectum sibi poculum aquæ totum penitus hausit, appositumque oryzæ paulum, sine labore comedit. Quæ res ægrotum ita permouit, vt cùm primùm per corporis vires liceret, ad nos conferre sese Christianæ religionis suscipiendæ caussa decerneret: itaque fecit: omnem superstitionem abiecit, Christianos ritus ac precationes edidicit, pauciscque post diebus est mortuus. Alium etiam conuertit ibidem Antonius, claro admodum genere natum. Lucas nouo iam nomine dicitur. Is cùm Baptismi caussa ad nos venisset, postea quam ablutus est, Balthasarem domum suam cum Ioanne Fernando, Antonioq; perduxit. ibi dies aliquot instituendis baptizandisque ita multis vacarunt, vt ex vna tantùm Lucæ familia, sexaginta capita (in his vxorem Lucæ, duosq; filios virili ętate) cœlesti lauacro purgauerint. Quorum tanta constantia, tantum animi robur apparuit; vt suo exemplo alijs ad fidem trahendis numerum deinde trecentorum impleuerint. Annus circiter agitur, cùm quidam oculorum acie sanè debili baptizatus est. is Dei benignitate factum est, vt vnà cum animi lumine oculorum quoq; lumen reciperet: etenim cõtinuò clarè

clarè cæpit videre: cuius rei fama cùm latius manasset; Iaponiorum ad nos concursus hinc inde statim est factus, partim cœcorum, partim vario morborum genere, vt lepra, febri, alijsque huiusmodi laborantium, in quibus Dominus pro sua sapientia, cœlestis numinis vim sæpe declarat. Quod vt facilius cognoscatis, nonnulla referam, quæ in hoc genere contigerunt. In popularibus neophyti illius, quem ex oculorum debilitate repente conualuisse docuimus; iam inde ab ipso abauo quidam hæreditario veluti iure, & quasi per manus acceperat, vt à dæmone torqueretur. atque is impetrandæ salutis caussa, in victimas & impia sacrificia patrimonium pæne consumpserat. Verùm dæmones idolis inhabitãtes, quò maiores sibi honores haberi cernebãt, eò vexabant hominem grauius; nec illius tantummodo cruciatu contenti, arreptum ipsius quoq; filiũ annos natum triginta adeò malè accepere, vt multos dies nihil omni no gustaret, nec iam patrem, vel affines agnosceret. Balthasar vbi id resciuit, contulit eò sese, cumque filium in ipsis tormentis offendisset, iussit eum Diui Michaelis nomen pronuntiare. paruit ille, & in ipsa pronuntiationis clausula tam vehemẽter intremuit, tanta cum gesticulatione, motuque membrorum, vt qui astabãt, rei miraculo perhorresterent. Verùm diuinæ placitum est bonitati, vt simulatque super eum Balthasar sacra illa effatus est verba: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; à nequissimo spiritu liberatus; continuò & cibum & vsum mentis rationisque receperit. Deinde verò vnà cum patre Christiana rudimenta edoctus, & vterque sacro fonte lustratus est; ac filius quidem, Michaelis: pater autẽ, Pauli nomen assumpsit. Paucis post diebus, eiusdem Pauli filia, soror Michaelis, ad templũ nostrum accessit, quæ itẽ triginta iam annis malè à dæmone habebatur. Ea cùm velle se Christianam esse dixisset, vehementi pariter ipsa timore corripitur. Tum Balthasar ad exorcismos confugit, cæpitque mulieri suadere, vt nomen IESV, nec non D. Michaelis pronuntiaret. illa verò discruciata grauissimè, ore compresso, voce veluti in cantum soluta, respondit, si, Xacæ & Amidæ, qui legem dedere Iaponijs, idola repudiarentur, neminem adorandum esse præterea: neque verò se cuiuspiam vi, ab eorum cultu posse abduci. Postridie (qui dies fuit Beatissimæ VIRGINI sacer) templo Christianis referto, cùm mulier quoque adesset; Balthasar sacro peracto, ad exorcismum redijt. Hic dæmon versum eiulare, iniuriam conqueri, fœminamque torquere. Cùm in eo statu res esset, Christiani qui aderant, in preces dedere se, nec ita multo spiritus ille nequam erupit, mulier autem valde leuata est, atque integra prorsus mente, potum petijt, porrectamque sibi aquam lustralem seu benedictam, ebibit. Tum iussa dicere IESVS, MARIA, tam suauiter pronuntiauit, vt vox Angeli videretur. Ex eo tempore nunquam deinceps à dæmone vexata est, iamque Christiana sacra suscepit. Qui ægroti huc deuenere, ex ijs ad trecentos iam Christiani cernuntur. quorum sermones inter se de beneficijs à Domino post Baptismum acceptis, operæpretium est audire, dum hic patientiam in morbo ferẽdo, ille recuperata prope valetudinem prædicat. solent autem huiusmodi ægroti, decẽ alios, quinde cim ve singuli ad Christianam religionem secum adducere, quorum corpora non alio medicamento curantur à nobis, nisi aqua benedicta, cuius virtus in hoc regno multis experimentis, præsertim verò in oculorum curatione, quibus Iaponij vulgo laborant, est comprobata: vt eius petendæ caussa à leucis decem vel duodecim vndique concurratur ad nos.

Hoc anno, qui post Christum natum est MDLV. in hac æde sacra Funaiensi, à Cineralibus ad Paschalia vsque solennia, conciones quotidie cum sacrificijs habitæ sunt, tanta neophytorum frequentia, vt eos domus nostra non caperet, tantoque animi ardore, nonnulli vt è pagis pridie domum nostram venirent, quò postridie manè ad tẽpus concioni adessent; nonnulli autem ad templum duabus antelucem horis accederent. quibus rebus homines ita vehementer inflammabantur, vt quotidie fermè deni, duodeni, vel etiam viceni post catechismum fierent Christiani. Itaque baptizati sunt eo toto Quadragesimæ tempore, quadringenti. A Paschalibus ferijs vsque ad Pentecosten eodem feruore ac studio continuatæ sunt quotidiè conciones, neophytorum rogatu, qui propitiandi Domini caussa mysterium Confessionis sanè quàm diligenter frequentant; quorum vitæ morumq; immutationẽ post Baptismum, noti affinesq; eorum valde mirantur, quippe, vt quisque maxima pro Christi nomine ignominia afficitur, ita se beatissimum putat. Quidã etiam, cũ initio conuersionis, nonnullo pudore territus latitaret; ita se nunc palam penitùs in caussam Christianam tanta sua cum de-

lectatione demisit, vt verbo Dei potius quàm cibo sustentari aliq́ue videatur. Cæremonia quoq; nostra funebris magna cũ admiratione probatur ab ethnicis: vt funus quod primũ duximus, hominũ plus tria millia spectandi causſa celebrauerint. cùm autẽ pauperibus æquè ac diuitibus honorem à nobis vident haberi; tum verò legi Domini Dei nostri simile nihil fatentur esse. atque lex ea sanè latè vagatur in hoc regno Bungensi: nam præter vrbanum neophytorum gregem; Iacali quinquaginta, vel sexaginta, Siquidi totidem, Quinctani (pagorum hæc nomina sunt) plus ducenti visuntur. Neophytus quidam est, quem cæteri ob eius virtutem parentis loco venerantur & colunt; qui sæpe ad sacrificia & conciones huc ventitat. Is ea circuit loca, & cunctos ad officium adhortatur. Superioribus diebus Balthasar Gagus cum Ioanne Ferdinãdo Firandum profectus est ad Lusitanorum, qui ibi erant, confessiones audiendas. Rex autẽ ante quàm discederet, venit ad nos, iusslitq́; Balthasarem de commeatu sine cura esse: daturum se qui eum prosequeretur, & omnia ad iter necessaria compararet, idemq́ue, si Balthasar vellet, præstaret in reditu: præfectis etiam, quacunque transeundum esset, iumenta & cętera quæ opus forent, se imperaturum. Eum nunc in singulos dies exspecto. mecum hic de neophytis remansere senex quidam, Antonius nomine, quinquaginta vel sexaginta natus annos: & alij prętera quattuor vel quinque homines impigri ad necessaria negotia obeunda.

Scriptis iam litteris, ex Ida pago non longè ab vrbe posito mulier quædam cum marito ad hoc templum Baptismi causſa se contulit. Sed vterq;, quod Balthasar aberat, domum suam re infecta, consilioq́ue pæne mutato reuertebantur. Id vbi cognouit Antonius is quem modò nominaui, me appellauit, vt preces ab omnibus, qui aderant, ad Dominum pro vtroque eorum habendas curarẽ. itaq; dum orationem Dominicam elata voce multi pronuntiamus, conspecta mulier est adeò vehementer intremere, vt illã ipsi tres homines regere & continere nõ possent: dentibus verò tã acriter infrendebat, vt viderentur effringi. interea constrictis ipsius manuum digitis, mulierem signo Crucis, & aqua benedicta lustrabat Antonius: nobis ex altera parte in oratione Dominica & Angelica salutatione perseuerãtibus. Post hæc mulier aliquantulum consopita, simulatq; expergefacta est, iussa dicere, IESVS, MARIA, primùm veluti indignabunda pronuntiauit. tum ei manus arctius iterum vinciũtur, precationi simul omnes insistimus: nec ita multo post fœmina dolere manibus, & lamentari, & rogare vt sese quàm citissimè soluerent. Deinde, pia admodum voce proferens, IESVS, MARIA, verum Creatorem suum adorare se dixit, grauemq́ue sese peccatricem agnoscere. Eadẽm mihi postea affirmauit, se toto septennio cordis ingentem sensisse grauedinem, sed iam ea leuatam, & exhilaratam esse. Postridie manè cum marito discessit: redituri ad Baptismum cũ primùm Balthasar Firando reuerterit. Mihi sanè magnam tota res attulit voluptatem, & ex eo die planè alia mulier atque antea, visa est. multa prętera in hac regione geruntur à Domino: qui nos pro sua bonitate idoneos vineæ suæ cultores dignetur efficere. è Bungo 12. Cal. Octob. MDLV.

TAQVÆ REGIS FIRANDI AD Melchiorem Nonnium.

DATER Mag. Franciscus cùm meum in hoc regnum venisset, Christianos fecit magna animi mei voluptate nonnullos, quos equidem commendatos habeo, & ab omni iniuria tueor. Bis deinde ad nos venit etiam Pater ille qui Funaij versatur, baptizauitq́ue cùm ex affinibus meis aliquot; tum ex reliqua nobilitate permultos: quem ego virum aliquoties audiui, eiusq́ue doctrinam, quæ mihi penitus hæret in medullis, ita probaui, vt CHRISTVM sequi planè decreuerim. Quocirca te in meo Regno videre magnopere cupio: semel quippe mentitus, non mentiar iterum. Tu si ad nos te contuleris; & rem Deo gratissimam feceris, & à me quàm honorificentissimè liberalissimeq́ue tractaberis. Firando.

Taqua Nombo Firandi Rex.

COSMI

COSMI TVRRIANI AD SOCIE-tatem Ieſu in Luſitaniam.

EX quo tempore à Franciſco Xauerio, qui poſtea migrauit è vita, Amangutij ſum relictus; res per humani generis aduerſarium minimè tranquillæ fuerunt: qui cùm intelligeret quantum Euangelij promulgatione proficeretur, omni ratione eam impedire conatus eſt: bellum enim Regem inter ac populares eius ita pernicioſum excitauit, vt vigeſimo poſt meum aduentum die, Rege ipſo cum filijs interfecto, alium, qui Regis Bungi erat frater, in magna tamen principum diſſenſione, ſuffecerint. Nec tamen à nobis interea ceſſatum eſt: nam ad annum M D LVI. (quod ſpatium fuit annorum circiter ſex) aſſiduis concionibus, cæteriſq; ex inſtituto noſtro miniſterijs obeundis, Chriſtianorũ duo millia fecimus: quo tempore nonnulli è proceribus, coniunctis viribus contra nouum Regem, ſectatoreſque ipſius, vrbi Amangutio ſæuum adeò incendium intulerunt, vt cùm amplius decem millibus familiarum incoleretur, vnius horæ ſpatio vniuerſam flamma peruaſerit. Nec ſanè domus noſtra, templumque ab eo incendio fuit immune. Poſt hæc affertur nuntius, aduentare hoſtes; quo audito Chriſtiani conueniunt, communique ſententia ſtatuũt, non eſſe mihi in ijs tumultibus commorandum: denique vigeſimo poſt incendium die, cùm iam hoſtium exercitus ab vrbe non plus tribus millibus paſſuum abeſſet, vehementer à me eflagitant, orantque vt inde diſcedam. quorum ego precibus eo animo ceſſi, vt poſt eas turbas, ac ſeditiones redirem. Cõſilio profectionis meæ cognito, reliqui Chriſtiani ad me concurrunt, nullam ea nocte partẽ capiunt quietis, cùm alij peccata cõfiterentur, meumque diſceſſum lugerent; alij mecum vnà decedere decreuiſſent. quos ego vt potui, vel bis ſolatus, diſceſſi, multis me nihilominus ad nouẽ millia paſſuum proſequentibus ſummo cum dolore ac gemitu. mortuum parentem in conſpectu eos habere dixiſſes. Nimirum præſagire iam tum videbantur calamitates, quæ poſtea contigere: quippe deinde, & vrbs funditus euerſa eſt, & ſumma annonæ inopia, aliaque id genus multa incommoda cõſecuta. In itinere cùm diuellerentur à me, ecce tibi denuò lacrymæ virorum, mulierum, puerorum; quæ me ſanè magno mœrore, triſtitiaque affecerunt: atq; ita illi ad ſuos regreſſi ſunt, ego Funaium iter intẽdi, qua in vrbe verſabatur Balthaſar Gagus cum duobus fere millibus Chriſtianorum, quos ibi fecerat, eratque magna apud Regem in gratia, ad quem Prætor Indiæ certum hominem Regis Luſitaniæ nomine cum pretioſis muneribus miſit, egitque gratias quòd nos adeò humanè liberaliterque tractaret. Hoc ille officio permotus, ædes nobis optimas ex materia cedrina eſt elargitus: è quibus templum exſtruximus cum reliquis ad incolendum neceſſarijs ædificijs, operam ſuam in id nauantibus admodum impigrè Chriſtianis. Decreuit etiam nobis aureorum quinquagenum vectigal. Inde cùm æſtus belli iam deferbuiſſe videretur, ethnici multi ad verbum Dei confluebant, ac fere ſemper ad Dominum conuertebantur aliquot, decem interdum, interdum quindecim, pluresque aut pauciores, prout mentes eorum Spiritus ſancti claritas illuſtrauerat. Amangutio etiam Rex, regnique proceres, miſsis per Chriſtianos epiſtolis, nos ad ſe inuitarunt. qua de re cùm Regem ipſum Bungi amicitiæ cauſſa conſuluiſſem, reſpondit adhuc maturum non eſſe: ſimulac foret, ſe moniturum. ſuſpicati ſumus occultam aliquam coniurationem ipſo conſcio aduerſus Amangutij Regem eſſe conflatam: nec ſanè temere, nam ex principibus quidam potens, Amangutium ex incendio fermè iam inſtauratum aggreſſus, diruit, magna ciuium parte vel ſpoliata, vel in ſeruitutem abducta, Regis etiam fratre cum omnibus ijs, qui partes eius ſequebãtur, occiſo. Ea re cognita, Bungi Rex magnas copias ad Amangutium occupandum miſit, quo euentu, adhuc incertum eſt.

Anno M D LV. octauo Idus Septemb. Rex apud nos ſanè quàm iucundè cœnauit: à cœna de Deo verba fecimus. ipſe per quendam ex amicis iuſſit nobis renuntiari velle ſe certos pecuniæ fructus aſſignare alendis ijs, qui in ſua ditione Dei legem docerent. Reſpondimus, nobis hoc non eſſe ita neceſſarium, ſed in pauperum ſubſidium ho-

ſpitalem domum à nobis ædificatam eſſe, quæ huiuſmodi ope admodum indigeret, orare nos Regem, vt beneficium illud in eam domum conferret; quod fecit, & ſimul iuſſit nobis attribui aream in vrbe imperij ſui admodum ampla ac celebri Facata nomine, ab vrbe regia quinque dierum itinere, vbi iam Balthaſar Gagus aliquot fecerat Chriſtianos. Eò nunc Balthaſar idem eſt rediturus, vt ibi diutius commoretur, atq; commodius Euangelium prædicet. Chriſtus Dominus noſter, eas vires nobis eaſq; virtutes impertiat, quæ ad aſſiduos huius prouinciæ labores atque pericula ſunt neceſſariæ. Valete vj. Idus Septembris. MDLVII.

GASPARIS VILELÆ AD Societatem Ieſu.

ANno MDLV. cùm in hæc loca Melchior comiteſq; peruenißemus, nihil ad vos ſcripſi, propterea quòd rediturus mox in Indiam Melchiore, ſatis fusè de moribus hiſce, ac regionibus ex ipſo vos cognituros putabam. Nunc ea perſequar, quæ poſt eius diſceſſum præſente me contigerunt, quò in omnibus immenſa Dei bonitas magis eluceat.

Vbi terram hanc attigi, iuſſus ſum Funaij habitare cum Coſmo Turriano, partim vt ingraueſcentem iam illius ætatem, in tantis ac tam multis laboribus aliquo auxilio ſubleuarem; partim etiam, vt ex eius conſuetudine ediſcerem, qua ratione horum Chriſtianorum ingenia colenda tractandaque ſint. Balthaſar autem Gagus, qui ibi erat, Firandum eſt miſſus, vbi portus eſt in primis celebris, & Chriſtiani nonnulli: Regulus præterea vrbis eius valde nos diligit, fecitque nobis poteſtatem areæ coëmendæ, qua in area Virginis Matris ædem ſacrã excitauimus ad pios Chriſtianorum vſus, cũ Iaponiorum incolarum, tum Luſitanorum, qui eò commeant. Gagus ad Regulo humanè exceptus eſt cum alio fratre noſtro, itemq; alio Iaponio Chriſtiano in rebus diuinis admodum erudito, quos ſecum adduxerat. Hos deinde cognouimus in neophytis inſtituendis magna cum laude verſari. poſt Gagi diſceſſum, aream coemimus patentiorem, donauitq; Rex nobis peramanter quaſdam ædes in proximo, quæ ſtatim nobis vſui fuere. ex ijs quippe templũ exſtruximus, addidimuſq; tecta nõnulla nobis ad incolendũ neceſſaria. Opus ad culmen perductũ eſt die ſanctis omnibus ſacro, anno MDLVI. Melchior primum in eo ſacrũ fecit ſolenne. Interĕ hæc tempus aduenerat, quo Melchiori in Indiã redeundũ erat. quẽ à nobis dimiſimus, nulla ſpe in hac quidẽ vita nos reuiſendi. Inde Chriſtianę rei ex inſtituto dedimus operã nõ ſine aliqua difficultate propter occultas conſpirationes aduerſus Regẽ in vrbe cõflatas à reliquijs coniuratorũ, quos menſe ante noſtrum aduentũ capitali ſupplicio affecerat, ac deinde ad cæteros minori ſuo cũ periculo puniendos in inſulam quandã, quæ arcis inſtar eſt, ſeſe receperat. Hiſce tumultibus & recentes Chriſtiani vehementer, & nos etiã aliquantũ perturbabamur animis, ꝙ ex Regis interitu (ſi fortè id cõtigiſſet) aut mors nobis imminere ſine dubio videretur, aut certè multa ac grauia incõmoda, q̃ magno nobis impedimento forent quominus rẽ ex animi ſententia gereremus: verũtamen nõnullis à Rege conceſsis, pax inter eum & ciues compoſita eſt, & qualecunque otium conſecutum.

Inſtituti aũt noſtri in Iaponijs adiuuandis eiuſmodi ratio eſt. Primũ, quoniam plurimis tantæ ſunt tenebræ, vt animã ſimul cum corpore interire, nullumq; Dei iudiciũ de rebus in vita bene vel malè geſtis futurũ exiſtiment; duos menſes quotãnis, Nouembrẽ ac Decembrem, vſque ad octauum diem ante Natales Domini ferias, ponimus in quotidianis, de morte, iudicio, pœnis inferni, deq; cęleſti beatitudine cõcionibus; ad quas vniuerſi fere conueniunt Chriſtiani. Die verò mortuorũ omnium cõmemorationi dicato, in eandẽ rem maiori etiã ſtudio ac cæremonia incũbimus. Toto aũt eo tempore, cenotaphium habemus atratũ: ſuper id, reſponſum vnum verbis conceptis quotidie pronuntiamus, & ſacra rituum illorũ myſteria populo exponimus. Quo quidẽ anni tempore tanta vis frigoris eſt, vt præter aſſiduũ gelu matutinũ, multa etiã è cœlo decidat nix. Sed Dominus pro ſua clementia, neceſſaria nobis remedia ſuppeditare non deſinit.

In feſta Natalia, dimiſſis per finitimas villas nuntijs, Chriſtianorũ conuẽtum indiximus; quorũ, à viginti quattuor, ac triginta millibus paſſuũ, tanta multitudo confluxit,

vt eos

vt eos templa duo cõiuncta, ędesq; nostrę priuatę non caperent. Media nocte sacrũ solenne ritè peregimus cũ hymnis quibusdã pijs, de laudibus Nataliũ Domini, & nõnullas è sacris litteris historias exposuimus, quib⁹ rebus Christiani admodũ delectati, & in sacrosancta fide firmati sunt. Post eorũ dierũ celebritatẽ cũ æquum esse non videretur, vt intra domesticos parietes inclusi, animas IESV CHRISTI sanguine redẽptas in desertis regionibus perire pateremur; missus sum cum Ioanne Fernando ad vicum, quẽ Cutamen appellãt, vbi aliquot Christiani visuntur, quò & gẽtilibus viam veritatis ostenderem, & Christianis solatium aliquod atque vtilitatem afferrẽ. Et quoniam iter illud pedibus iniquo anni tempore sine vllo commeatu faciebamus; nec frigoris nec famis incommodum defuit. Peruenimus ad montem, vbi nos quidã ethnicus excepit hospitio, & paululum oryzæ dedit in cibũ: & quia lucebat adhuc, ab eo petijmus, vt viam nobis ad vicum quendam finitimum monstrare ne grauaretur: quo cùm peruenissemus, ad vetulam Christianam probi viri vxorem item Christiani, diuertimus. cuius nobis in ministrando studiũ, & alacritas, cum veteris illius, ac nascentis Ecclesiæ laudibus procul dubio comparanda, omnem prẽteriti laboris molestiam, ac defatigationem absterſit. Cœnam pro ipsius angustijs parauimus ex herba iname quam appellant, atq; nasturtijs, cùm anus ad nos calefaciendos ignem paucis quas habebat paleis excitasset. Eadem monita à nobis, vt aliquos ad Euangelium conuocaret, quamquam nox erat, frigusque permagnum, tamen tantam in ea re diligentiam adhibuit, vt multos barbaros adduceret, ad quos cùm apud senem quendam de salutis ipsorum ratione verba fecissemus, decem ex ijs permoti diuinitus Euãgelio credidẽre: quos simulatq; opportunum est visum, magna nostra lætitia baptizauimus. Accessit ad hos etiam senex annos natus septuaginta, cuius domi sermo de Deo (quem diximus) habitus fuerat. Is cùm annos circiter octo graui admodũ valetudine laboraret, ita vt mẽbris pæne solutis, interloquendum vehementissimè tremeret, multis in vita homicidijs perpetratis, dæmonis cultor, cuius speciem se se identidem offerentem adorabat vt Deum; biduo post Baptismum Dei beneficio sanus, ac liber ab omni tremore surrexit, & omnibus inspectantibus, diabolicas syngraphas aliaque id genus igne combussit.

Ex eo loco profecti, antequam Cutamen peruenimus, nos in itinere nox oppressit. in magnis tenebris, frigore, gelu, incerti qua iter esset, aut quem percontaremur, Deum precati nos in viam dedimus, & in cuiusdam ethnici hospitium incidimus, qui nos ad Christianum honoratum hominem habitantem in ea solitudine misit, quem antequam inuenimus, iterum errauimus, sed ea ipsa noctis hora nobis obtulit Dominus, qui nos ad optatas illius Christiani ædes aliquando perduceret. Is nos simulac vidit, statim nobis prouolutus ad pedes, nunquã se tanto in honore fuisse dicebat. ea nocte in consolandis animandisque Christianis eius domesticis ibi posita, postridie manè profecti, Cutamen venimus, acceptiq; hilariter sumus à Christianis, qui cognito nostro aduentu obuiã nobis processerant. Hic, dierũ aliquot moram fecimus, quò & Christianos confirmaremus, & paganos ad Christũ adduceremus, quorum decem cõuersi, alij miserabili quodam errore liberati sunt: cùm enim sese de more dominis sacramento fidelitatis obstringerent, idque ante idolum stantes, sanguinemque mittentes è brachio, descriptis ex eo litteris quibusdam, quæ legi non possent, & ad extremum syngrapha concremata hero se fidem seruaturos esse iureiurando promitterent; omni studio fecimus, & effecimus, vt si ab ea cõsuetudine prorsus nollent absistere, saltem per Deum conditorem cœli terræque iurarent, quod nobis omnes se facturos esse polliciti sunt, potiusque mortem oppetituros, quàm ad pristinam iurisiurandi formulam redituros. Ea res Dominis eorum pergrata fuit, ipsorumq; fidem, nunc multo quã antea pluris æstimant. Circumspectis huius prouinciæ miserijs & inopia, Cosmo visum est, è re communi futurum, si in vrbe Funaio valetudinarium institueretur. Itaque consilio cum Rege communicato, peramplam domum exstruximus, bifariamq; diuisimus, vt altera pars elephantiacos (quorum magnus in his locis est numerus) altera leuioribus morbis ægrotantes exciperet. Cõfluxere ilicò elephantiaci complures, quorum curationi præfecimus vnũ è fratribus nostris chirurgię, peritum, qui cõtemptis vt Christum pauperem sequeretur, delicijs diuitijsque quas possidebat, in Societatem nostram adscriptus est. Et quoniam vrbe tota montibusque finitimis multi præterea inopes, ægrotique versantur: constitutus est Iaponius Christianus annos natus quatuor & viginti, spectatæ virtutis adolescens, qui castitatis voto alijsque nõnullis Deo

ſeſe dicauit, vt is egentibus, viduiſq́ue diuideret eleemoſynas, quas Chriſtiani conijciunt in arcam ob eam ipſam rem publicè poſitam. Augetur autem quotidie huiuſmodi pauperum, atque ægrotantium multitudo, in hoſpitali quam diximus domo, magno cum rei Chriſtianæ adiumento, & barbarorũ pudore, cùm videant populares ſuos ægrotos omnes gratis à nobis curari, neceſſarijs medicamentis adhibitis.

Ineunte Quadrageſima, inſtituti ſunt ſermones de ſacra Confeſſione, quam Iaponij tanto cum labore, lacrymiſq́ue peragebant, vt noſtrum nobis teporem tacitè exprobrare quodammodo viderentur.

Per idem tempus multa ac magna capitis pericula adiuimus; cùm enim Rex arceſſe contineret, quæ abeſt ab vrbe vigintiquinque millia paſſuum, cumq́ue magna latronum vis, ſublatis iudicijs, vrbe tota volitaret, quorum animi in cædem noſtram à Bonzijs ſolicitabantur; hyeme toto, necẽ in ſingula momenta exſpectantes, pauco vino in vſum ſacrificiorum, alijſq́ue rebus nonnullis vt potuimus abſconditis, cùm vel in cibo capiendo mors nobis ob oculos verſaretur, vigilijs inter nos diſtributis (quod nunc etiam facimus) vitam noſtram, magno ſanè labore incommodoq́ue tutati ſumus. Quo tempore iuſſit Rex nobis renuntiari, ſe nihil opis in tali re nobis afferre poſſe: proinde noſtræ ſaluti conſuleremus, moleſtum ſibi fore ſi quid nobis incommodi accidiſſet. Ac reliqua ſanè vrbe item vigiliæ agebantur, ſed omnis noſtra ſpes, atque fiducia ex vnius Domini clementia ac bonitate pendebat. Inter hos metus hyeme exacta, nullo tamen Quadrageſimæ die non habitus eſt ſermo de rebus Diuinis, aliquot ſeſe quotidie diuerberantibus, cũ ſexta quaq; feria noctu de paſſione Domini verba fierent, flagriſq́; in corpus ſuum omnes domeſtici noſtri vnà cum Iaponijs centum fermè, ſæuirent, qui ad audiendum Euangelium ventitabant. Semihora dicendo abſumebatur: inde Chriſti Crucifixi proponebatur vexillum: poſtremò extinctis luminibus veniebatur ad verbera, nec ante cædendi modus fiebat, quàm pſalmus quinquageſimus ad finem vſque pronuntiatus eſſet, idq́ue ea pietatis ſignificatione, vt cuiuſuis animus ad religionem, & lacrymas commoueri poſſet. Inter hæc rurſus Amangutiũ inuitamur: ſed quia in Bungo conſtabat operæ fructus; & ſimul, ne Ioannis Fernandi auxilio priuaremur (nam ei proficiſcendum fuerat) Amangutianis reſcripſimus, Paſchalibus feſtis nos eò venturos. Sacroſancta hebdomada, quanta maxima potuit cæremonia religioneq́ue peracta eſt. Primùm Dominico die Palmarum, ſolenni ſacrificio facto, ramiſq́; demore diſtributis, prodijmus ſupplicantes, Crucemq́ue præferentes permagnam; emenſaq́ue area ſpatioſa è regione ianuæ, foribus in reditu occluſis, Coſmus, qui extra templum cum ſigno Crucis populoq́ue remanſerat, clamare cæpit, Attollite portas: cui reſpondebat è templo chorus, vt aſſolet. cùm tertiò denique admiſſus eſſet, & ad aram maximam ordo comitantium, non ſine ſumma omnium lætitia peruenisſet; ſacrum miſſæ continuò cæptum eſt. Paſſione Domini decantanda, ingens animorum motus, & eorum, qui recitabant, & eorum qui audiebant eſt factus: tantumq́ue dolorem delictorum atrociſſima innocentiſſimi Domini mortis narratio omnibus attulit, ſimulq́ue intimum ſolatium ita magnum, vt ſatis appareret, omnia hæc à Spiritu Sancto proficiſci. atq; ita ſacrum peractum, & ritus illi ſanctiſſimi quid ſibi vellent, populo expoſitum eſt. ad hæc templi parietes pullo periſtromate conueſtiti, & ſepulcrum excitatum eſt ad ſacratiſſimum Chriſti corpus condendum, ac perſoluenda iuſta ſolennia, adiuuantibus quinque Luſitanis, qui in hac vrbe hyemauerant, ſeq́ue ad nos Confeſſionis cauſſa receperant. Quartæ feriæ tenebras quas appellant, alternantibus choris canticum Zachariæ, cum ſymphonia; deinde pſalmus idem quinquageſimus magno cum ſenſu, lacrymiſq́ue Chriſtianorum; gentilium verò admiratione, & approbatione concluſit. Poſtridiè, ad ſacram Euchariſtiam admiſſi Luſitani & Iaponij aliquot, qui quidem ad tantum myſterium idonei videbantur: & quia tum primũ cœleſte illud conuiuium inibant, ſumma animi dulcedine ac voluptate perfuſi ſunt. His ritè peractis, corpus Chriſti condidimus, templum circumeuntes accenſis luminibus. In ſepulcri præſidio Luſitani duo, cum totidem pueris, armati maculis ferreis, galeiſq́ue, ſunt collocati: quæ res cùm tempus illud referrent, quo Chriſtus liberator noſter in terris verſatus eſt; Chriſtianos mirum in modum commouebat, magnoq́ue malè actæ vitæ dolore afficiebat vniuerſos. Sextæ feriæ exſequias maior populi frequentia celebrauit. decãtata paſſione Domini, & corpore Chriſti recluſo non ſine motu & comploratione omnium, mirabilis erat ſacris peractis dolor ac mœſtitia Chriſtiano-

ſianorum domum redeuntium. ijdem Sabbato ſancto ſacris adfuerunt. Ara in medio templo exſtructa, ſacello etiam maximo aulæis pictaque tabella exornato, in qua Chriſti reſurgentis effigies cernebatur, multis præterea candelis ardentibus, pullum prætendebatur ſiparium, id, ſimulatque chorus, Kyrie eleiſon, nouies cecinit, ſubitò demiſſum, aram ipſam, & Coſmum ſtantem aperuit, qui è choro clam ſe ſubduxerat, ſeque ornatu ſacrificantis induerat. Vbi verò Angelicus hymnus intonuit, confeſtim æra campana vi ſumma pulſantur. quæ res tanta ac tam repentina lætitia Chriſtianos affecit, vt mente pene emoti viderentur, ſiue id ex præterito mœrore, ſiue ex rei nunquam ante id tempus viſæ nouitate contingeret. ſanè ij nobis dicebant ſe iam nunc in hac vita fructum cœleſtis beatitudinis præguſtare. Atque his rebus in Chriſtiana fide non mediocriter confirmati ſunt. Paſchali die quæ conſequuta eſt, corpus Domini circumtulimus ſub vmbella, cereis & candelis accenſis. Symphoniaci, cęterique miniſtri ſertis amœniſsimis redimiti iucundè pſallebant. Nec tempeſtiuus tormentorum aliquot fragor, nec magna populi vis celebritati defuit. itaque concurſus multitudinis nullum eo die locum ſacro ſermoni reliquit.

Dum hęc geruntur, affertur Amangutio nuntius, dynaſtam quendam nomine Morindonum copijs adductis, Regeq; Amangutij & principibus interfectis, vrbem totam flamma ferroque vaſtaſſe. Ac nobis vtique ſi eò veniſſemus, fuerat moriendum: ſed videlicet nos Dominus dignatus hoc honore non eſt; quem habet ijs tantummodo, quos præcipuè diligit. vrbis excidium ingens fames excepit, quę cùm è barbaris multos, tum è Chriſtianis nonnullos abſumpſit; vniuerſum verò ciuitatis ſtatum ac ſobolem in multos annos omnino perturbauit, ac perdidit. Atque hi ſanè bellorum tumultus, quod adhuc experti ſumus, Chriſtianę fidei propagationem magnopere diſtinent; ſed nihilo minus eo ipſo tempore in Bungi regno multi Chriſtiani fieri cæpti ſunt, præſertim ex inopi plebe. nam diuites ferè mundo ſeruiunt, & obtrectatorum voculas pertimeſcunt. Firando etiam à Balthaſare Gago litteras accepimus, in parua quadam inſula, triginta vel quadraginta homines Baptiſmum petere, Chriſtianos eius regionis in IESV CHRISTI cultu proficere, phanumque exſtruxiſſe, quamquã pro multitudine populi exiguum. Quod verò ad nos ipſos attinet, nunquã occaſiones deſunt, quibus probemur & exerceamur. Etenim Bonzij fictis criminibus falſiſque teſtibus nos apud populum in inuidiam conantur adducere, quòd ſcilicet humana carne veſcamur: atque ad faciendam mendacijs fidem veſte, manantes ſanguine in ædium noſtrarum fores occultè conijciunt. idque non ſemel hoc anno fecerunt, qui eſt à Virginis partu MDLVII. quocirca toto pene Iapone percrebuit, nos dæmonas eſſe, nec verbis noſtris habendam fidem. quod etiam ſcriptis in ianua noſtra propoſitis palam edicunt. A pueris etiam interdum lapidibus petimur. Complures præterea nos fœdè & contumelioſè compellant, tametſi contra honeſti viri permulti reuerentur, & colunt.

Huiuſmodi periculis (vt dicebam) tentamur à Domino, & præclarè docemur, quàm parum ſine illius ope valeamus ipſi. Idem tamen hæc Iaponiorum peccata diſſimulans, clementiæ ſuę non obliuiſcitur, ad alliciendos ad ſe animos nonnulla ſupra naturam interdum efficiens. Quendam multis iam annis pene paralyticum Baptiſmo luſtratum intra paucos dies ſanitate donauit. Mulierem aſsiduo ſingultu etiam dum loqueretur & cibum caperet, iam diu laborantem per Baptiſmum eo vitio liberauit. Aliam energumenam, vt primùm Chriſtiana facta eſt, dæmon reliquit. E montanis quidam cùm febri conflictaretur, ad templum noſtrum deſcendit, certus inde non ante diſcedere quàm ſanitatem reciperet, poſtridieque conualuit. Iam in ipſo valetudinario, quod diximus, vulnera, veteresque decem atque etiam viginti annorum abſceſſus quarto decimo interdum die ſanantur. Atque hæc omnia neceſſaria ſanè ſunt ad huius gentis tenebras diſpellendas, detegendoſque diaboli dolos, atque pręſtigias. ſimulat quis ex compoſito ſe mortuum eſſe, hunc venefici extractum è ſepulcro ſe ad vitam reuocaſſe mentiuntur. Interdum etiam adiuuante dæmone ægrotos aliquos curant. Quidam cùm multos iam dies nuſquam appareret, veneficorum opera repente comparuit. Defunctus cùm efferretur neſcio quis, vbi ad feretrum detegendum ſepeliendi cauſſa ventum eſt, nullum cadaueris ne indicium quidem inueniunt. Hiſce alijſque id genus artibus miſeros Iaponios diabolus decipit: quorum ad cætera ſcelera, quæ multa ſunt, illa etiam accedit immanitas, vt filios infantes crudeliter enecent, vel quòd vnum aut alterum ſobolis cauſſa ſatis eſſe, vel quòd in rei familiaris anguſtijs eorum felicitati hoc

pacto

pacto ſe conſulere arbitrentur. Perſuaſum habent etiam alicubi: quæ mulieres ventrem ferant, eæ fœminam ſi pepererint, ad inferna damnari: qua re permotæ fœtum in vtero medicamentis interimunt. Iam verò vetantur Iaponij de vitæ exitu cogitare, ne videlicet mortis metu à flagitijs deterreantur. quocirca mortem repentinam exoptant, beatumque putant cui ita obire contigerit. Sunt etiam qui dæmonem colant, eoque familiariſimè vtantur, quos Iamambuxas hoc eſt milites conuallium appellant, ij ad famam ſanctimoniæ colligendam, ſeſe grauiter puniunt, ſtant, vigilant, cibo parciſſimo vtuntur; altero denique, vel tertio menſe, vbi ſatis factũ eſſe diabolus pronuntiauerit; nõ nullis amentiæ ſocijs vnà ſecum adhibitis emendicata à popularibus ſtipe, mare petũt, nauiculamque cõſcendunt, cuius ſentinam ita perforant, vt accepta paulatim aqua mergatur. Ad hæc, diabolus magnopere ſatagit quò brutorum animantium ſpecie vulgo adoretur. atque vt boues colant, hominem occupat; percontantibus nomen, reſpondet ſe regem eſſe boum: rogatus vt abeat, negat ſe ex homine diſceſſurum, niſi templum ſibi exædificaturos eſſe recipiant. Si pollicentur, abſcedit. ſi promiſſa non fecerint, rurſus reuertitur, oppreſſumque hominem varijs cruciatibus torquet, quouſque phanum ædificent, in quo varias belluarum figuras pro numine venerantur, capitali etiam alicubi propoſita pœna, ſi quis bouem occiderit. Interdum etiam venatores, ſi quam feram interemerint, ſuis veneficijs in morbum inducit. Itaque eius rei metu feras pro dæmone ſuppliciter colunt. Quæ omnia facit ille nimirum ob eam cauſſam, vt mortales vero Dei cultu deſerto mutent gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis, hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Iaponiorum doctrina ſeu ſuperſtitio multiplex eſt. alij neſcio quem iam mortuum colunt nomine Amidam, alij quendam, quem Xacam nominant. eſt etiam hæreſis eorum, qui lingua patria Fotoqui vocitantur, in opinionum ſuarum prauitate vſque adeo pertinaces, vt aures Euangelio prorſus occludant. negant enim fidem habendam niſi ſcriptis ijs, quæ apud ſe habent: & pro miraculo eſt, ſi quis eorum Chriſtiana ſacra ſuſcipiat. Denique Soli etiam, ac Lunæ deorum honores habentur, nec non ipſi dæmoni, cui templa erigunt, atque in ipſis templis effigiem eius multo quàm nos fœdiorem ac deformiorẽ depingunt. Multi ſunt etiam cœtus cœnobitarum vtriuſque ſexus, albo veſtium colore, rufo, nigroque diſtincti, vita moribusque turpiſſimi.

Societatis noſtræ in his partibus tria domicilia ſunt. Amangutij vnum, vbi multi erant Chriſtiani: verùm ædes eæ vnà cum vrbe ipſa inceníæ, & ſolum à barbaris templo Idolorum poſtea dicatum eſt: tametſi nunc audimus nonnullos qui ſuperfuerunt Chriſtianos, idipſum iudicio repetijſſe, eiuſque poſſeſſionem noſtro nomine recepiſſe. Alterum eſt domicilium Firandi. Tertium, idemque omnium maximum eſt hoc Bungen ſe, quod in primis ſtabile Deo propitio futurum videtur, tum propter Regis (quamuis nondũ Chriſtiani) eximiam erga nos beneuolentiam, & alijs rebus & in conſilio dando probatam nobis, & cognitam; tum etiam propter exiſtimationem à nobis apud præfectos regios magiſtratusque collectam. Accedit quod Rex Euangelij promulgationem in ſuo regno ſibi gratam eſſe demonſtrat. Ad quem ſi Rex Luſitaniæ Ioannes patronus ac parens Societatis noſtræ legatum quempiam mitteret, multum ea res (vt arbitror) ad eius conuerſionem valeret. Vos etiam atque etiam Dominum obſecrate cariſſimi fratres, vt Regem hunc excitet: nam vtique ex eius conuerſione huius regni totius inſularumque conuerſio pendet; quippe cùm ſit Iaponis Regum hodie in primis potens.

Septembri menſe Firandum, cùm ibi Balthaſar Gagus eſſet, duæ Luſitanorum naues appulſæ. Itaque à Coſmo ad eius ſubſidium in Confeſsionibus audiendis, alijsque laboribus, quos noua prouincia ſecum affert, eò ſum miſſus. Meo aduentu Gagus, & Luſitani, & ipſe regulus oppidi valde gauiſi ſunt. Et quoniam Chriſtianorum veterum vita moresque apud hos populos in vtranque partem plurimum ad exemplum valent; primum omnium ſuadere Luſitanis inſtitimus, diligenter cauerent, ne quem neophytorum exemplo ſuo offenderent. Multos Confeſsione purgatos ſacra Euchariſtia refecimus. omnibus verò dominicis feſtisque diebus ad Luſitanos à nobis, ad prouinciales à Laponio Chriſtiano comite noſtro magnæ virtutis homine, & ſalutis ſuorum cupidiſſimo conciones habebantur: ſemel etiam cum ſymphonia ſacrificauimus, & ſolenni ſupplicatione. præibant ſclopetarij quadraginta cum diſploſione feſtiua: hos tibiæ ſequebantur: deinde Luſitani duo cum funalibus, & crucifer vnus dalmatica indutus. tum è fratribus duo Litanias concinebant: poſtremum locum tenebat ornatu corporis pretioſo Balthaſar

thasar Gagus sacerdos. Vbi in conspectum nauium ventum est, in quibus erant vexilla sublata varijs Crucibus coloribusque fulgentia, prætereuntes nos maioribus tormentis honoris caussa consalutarunt. Frequens tum ibi fortè mercatus erat, quò ex omnibus fere partibus negotiatores conuenerant. Itaque spectaculum magna Christianorum lætitia, magno barbarorum conuentu atque approbatione celebratum est. Cùm ad Crucem peruenissemus, quam non longè ab ædibus nostris locauimus; habita de laudibus Crucis oratione, ad templum eodem ordine redijmus. Faxit Dominus vt per hos sanctos ritus qui cernuntur, Creatorem suum agnoscant homines, qui corporis oculis cerni non potest. Interim nuntiatur lætus rerum Bungensium progressus, simulque Pauli obitus natione Iaponij quem ægrum Funaij reliqueram, virum magnis virtutibus præditum. Hunc ferũt, agentem animam, intermortuis vocibus nihil tamen æquè clarè pronuntiasse ac IESVS, MARIA: cuius mortem homines pariter vitamque admirati sunt. Is triennium iam in vinea Domini laborauerat fidelis operarius comesque noster magno animi ardore, spiritu, curaque salutis humanæ. Itaq; multum eius morte damni fecimus. ægrè enim in tanta hominum nequitia similem Paulo reperias. Balthasar Gagus Cosmi iussu ex eo loco Facatam profectus est, vt possessionem adiret areæ quam Rex nobis ad ædes ædificandas attribuit. Inde Bungi Regem inuiset, vt is totam rem auctoritate sua confirmet. speramus autem id valde è re publica futurum. est enim ea vrbs cæteris aliquanto pacatior, quod mercatores opulenti, qui ibi commorantur, diuitijs metuentes suis, imminentis belli periculà largis muneribus, & congiarijs redimũt. Hic locus quartum iam quintumúe annum abundat annona. exspectamus vicissim vaccas Pharaonis strigosas, quas vtinam Deus arceat. effodit enim pectus, infantium multitudo à parentibus tali tempore pereuntium: quibus si nunc in ipsa vilitate non parcunt, quid in caritate putandum est? Magna enim (mihi credite) fratres carissimi sterilitatis incõmoda ac difficultates in his regionib⁹ sunt, prorsus vt ipsi diuites herbis tolerent vitã. Idcirco nos Iosephi prudentiam imitati, in annum insequentem aliquid semper custodientes, Christianorum inopię, ac necessitati consulimus: tametsi inter Iosephi horrea nostraque permultum interest, quippe apud nos nõ nisi nasturtiorum folia, lactucæque sole tostæ adseruantur. Res frumentaria in his locis est perexigua: nam triticum vbi maturum est, imbrium vi tempestatumque deperditur. Oryzam fere demetunt, eamque non ita multam, vt vniuersę vrbi sufficiat: nec ea pauperes, nisi si quando gratulationis caussa, vescuntur: quos tamen omnes Domini benignitas alit, ac sustinet.

Scriptis his litteris, cognatus quidam Reguli Firandensis armis Regi Bungensium illatis acie victus est: quem quoniam Firandensis Reguli ope adiutum Rex Bungi cognouit, vastitatem eius regno inferre constituit. propterea Funaio scripsit ad me Cosmus rumorem esse, Bungensem exercitum infestis signis in hæc loca venturum: proinde si opus esset, rebus nostris maturè prospicerem. Ex hoc denique intellexi quid esset, cur antea me Rex Bungi vt Octobri mense hinc discederem, per litteras monuisset. Huius belli metu perterriti afflictique Christiani quidam ad me noctu venerunt, professique sunt, si ego Firandi remanerem, se ad oppetendam mecum vnà mortem in templum nostrum esse venturos: sin minus, intra priuatos parietes vitę finem exspectaturos: quos ego salutaribus præceptis instructos, ijs verbis quæ tempori ac rei conuenire videbantur, bono esse animo iussi. Huius insulæ Firandi circuitus nouem passuum millia colligit, & aliquot habet vicos, quorum maximus est hic vbi sum in præsentia familiarum omnino ducentarum. In reliquis sunt Christiani nonnulli, quos, nisi bellum impediat, singulis hebdomadis inuisere statui.

Hæc habui, mihi carissimi fratres, quæ de hoc anno MDLVII scriberem. vos oro per IESVM CHRISTVM, vt precibus vestris mihi veræ summissionis, perfectæque obedientiæ virtutem ab eo impetretis, qui mea caussa ad ignominiosam vsque Crucis mortem esse obediens voluit. Ex insula Firando quarto decimo Calen. Nouemb. MDLVII.

MEL-

MELCHIORIS NONNII AD SOcietatem Iesu in Lusitaniam.



NNO post Christum natum M D L v. ad vos dedi litteras ex ora Sinarum, vbi hyemare coactus fueram, cùm Iaponem tenere non potuissem. Multa in eo itinere & magna vitæ pericula adiuimus, cùm aut in vada incideremus, aut naues inter se concurrerent. In eo autem portu Sinarum ad mensem Iunium vsque substiteramus, quod anni tempus Iaponicæ nauigationi vulgo putatur idoneum. Sed cùm repente decretum esset insequentem quoque hyemem ibi traducere; cõtinuò Lusitanos qui simul aderant circiter trecentos institimus consuetis officijs adiuuare. Casa itaque & templo è paleis raptim exstructo, quotidie Christiana doctrina tradebatur: omnib⁹ verò dominicis festisq; diebus sacrum missæ & verba de rebus diuinis non sine magno fructu fiebant. Quo quidem tempore dici non potest, fratres carissimi, quantum voluptatis animo ceperim, cùm viderem in Sinarum regione, inter tot seculorum idololatras, diuina sacrificia peragi, & Euangelium promulgari: & præsertim hebdomadæ sacrosanctæ Paschatisque solênia multis eorum qui aderant lacrymis lętitiaque celebrari. Illud etiam percommodè factũ est, vt Lusitani aliquot redimerentur, ab incolis iam diu in vinculis habiti, & capite sine culpa damnati. Tenebantur autem adeo tetra immanique custodia, vt nisi hisce oculis ego ipse vidissem, nunquam fieri posse putassem, vt quisquam eo vitæ genere spiritum duceret.

Quadragesima exacta, Cantonem Sinarum vrbem (quæ Olisiponi magnitudine pæne par est) tristes nuntij perferuntur, quibus omnes valde perterriti sumus: in Sãcij prouincia, tantam repente aquæ vim scaturigine crebra è terræ visceribus erupisse, vt omnem circa regionem ad passuum centum octoginta millia inundauerit, vrbes septem villasque complures obruerit, omnibus incolis vel ipsa inũdatione demersis, vel si inundationem effugissent, demisso cœlitus igne consumptis. Quod ita pro certo est habitum, vt Chaurel, qui magistratum Cantone summa cum potestate gerebat, quod patrem atque familiam ea calamitate amisisset, administratione deposita (id enim in patris luctu solenne est) ad obrutam Sancij regionem magno cum squalore discesserit. Hæc autem de Sinis tantũmodò cognita sunt; nam Lusitanis alijsue omnino aduenis mediterranea penetrare non licet. Inde, anno proximo, Iunio mense Iaponem versus nauigare perreximus, & duas inter insulas certum naufragij vitæque discrimen Dei beneficio euasimus. cuius clementia, & in eiusmodi periculis cura salutis nostræ, nostram in ipso fiduciam non mediocriter auget, magnamque spem affert fore, vt Bungi Rex ad Christum adiungatur, præsertim cùm eius rei, Rex ipse, scriptis ad Prætorem Indiæ litteris, significationes dederit non obscuras.

Cùm ad Bungi oram appropinquaremus, ad oppidum quoddam appulimus, cuius oppidi principes, sumptis armis ab Rege defecerant. ibi ex incolis qui ad nauem accesserant, audimus vrbem totam euersam esse, aufugisse Regem, putare se nostros etiam Socios qui ibi commorarentur, occisos. Ea res quamuis falsò nuntiata, omnes quotquot eramus in naui, magnopere conturbauit, ac perculit. Sed illuc nihilo minus vento aduerso contendimus, & Socios omnes incolumes D E I beneficio offendimus. Quos ego nobis ad littus obuiam prodeuntes quanto meo gaudio viderim, verbis exsequi fratres carissimi nequeo, prorsus vt à morte reuocati mihi viderentur. Neque verò in eo congressu Cosmus ille Turrianus temperare lacrymis poterat, bonus vtique senex, & vir planè egregius. Annos aliquot Amangutij vixerat, in ea vrbe relictus à Francisco Xauerio. ibi rem Christianã administrauit egregiè, multis magnisq; laboribus, ac difficultatibus fortiter superatis. Etenim vel intra priuatos ipsos parietes à Bonzijs lapidibus sputisque appetitus, illusus, & contumeliosè tractatus est, cùm sine magno periculo domo pedem efferre non posset, idque ob eam maximè causam, quod post Francisci Xauerij ex eo regno discessum, Rege ipso Amangutij ex insidijs interfecto, assiduo pæne bello ac seditionibus, cum vniuersæ fere nobilitatis ac magistratuum cæde regnum illud exarserat:

cuius rei

A cuius rei culpam Bonzij (quorum est magna apud plebem auctoritas) cùm in Christiana sacra susceptа, neglectasque Deorum religiones conferrent; tantam in inuidiam Cosmum adduxerant, vt & mundus illi crucifixus, & ille mundo vicissim iure optimo dici posset. Sed eum in hisce incommodis & ærumnis præclara nimirum conscientia sustentabat: quippe qui ad Christi Domini nostri gloriam retulisset omnia, & Amangutianam Ecclesiam interim conseruari atque augeri intelligeret. Denique mihi narrabat, nunquam se in vita, lætitiæ ac voluptatis tantum cepisse, quantum per id tempus Amangutij percepisset. planè vt existimem illum è lacrymarum mira suauitate & copia, magna ex parte oculorum aciem perdidisse. Vt in Bũgum veni, dedi operam vt Regem ipsum inuiserem, multisque eum rationibus ad CHRISTVM traducere sum conatus: sed frustra, partim quòd hostium metu in locum munitum sese præsidij caussa recepisset, partim etiam quòd sibi intelligeret Christiana lege mores esse mutandos. Accedebat illa quoque suspicio, fore vt populares sui Christianum regem ferre nollent. Sed illud maximè retardabat hominem, quòd dæmoni deditus est in ea Bonziorum secta, quæ animum ait vnà cum corpore interire, spiritum esse nullum, & nihil omnino præter ea quæ sensu percipimus. Sunt autem Bonzij cum regni proceribus affinitate coniuncti, nobis verò, quod plebi eorum scelera fraudesque detegimus, iniquissimi, tantisque mendacijs populum onerant, nihil vt Euange-
B lio in his terris maiori impedimento esse videatur. Quod idem Francisco quoque Xauerio (quamuis id nos celaret) vsu venisse nunc demum cognoui. Quot ille in ijs locis incommoda superauit; cùm pedibus iter assiduè faceret, cùm per vias, ædesque Bonziorum, ac principum concionaretur, vulgaribusque cibarijs, quæ insipidissima sunt, victitaret! In magnis verò frigoribus, instar famuli à pedibus, Iaponios equites citato gressu persequebatur, talari veste nunquam deposita, & quidem sarcinula onustus, vt eo comitatu insidias latronum effugeret. Idem in castigandis Iaponiorum flagitijs & superstitionibus adeò fuit liber ac vehemens, vt trepidaret comes eius, qui mihi hæc deinde cuncta narrauit. Quoties ille puerorum insectantium vociferationes, iurgia, lapidationes constanti semper inuictoque animo pertulit! Mortem verò pro Christo vsque adeo optabat, vt eam vltrò pæne quærere videretur. Regis quidem Amangutij nefario flagitio liberè atque acriter accusando, non obscurum adijt vitæ discrimen. Iaponijs proceribus quibusdam eum parum honorificè compellãtibus, trementem interpretem, & mucronis ictum in singula momenta exspectantem, ijsdem cõpellationibus (tametsi citra contumeliam) respondere iubebat. idque non contumacia elatus, sed quòd illud sentiret ac diceret: nullam (vt tum res erant) suæ doctrinæ dictorumque in ijs locis auctoritatem futuram, nisi maiore apud eos esset in honore;
C quàm ipsimet Bonzij, quos illi sanè valde reuerentur. Quam eius animi magnitudinem vitæque contemptum Iaponij vsque adeò mirabantur, vti Xauerius etiamnum magnum apud multos nomen sanctitatis obtineat. Ego in grauissimam febrim incidi magno sanè vitæ periculo: ex qua tertio denique mense præter opinionem euasi: cumque res Iaponicæ turbulentæ exiguam spem profectus ostenderent, infirmo etiamtum corpore ad meum prouinciale munus in Indiam mihi renauigandum existimaui. Huc nos (qualem nec videre me in vita memini, nec verò existere vnquam posse putaui, sæuissima dierum quinque tempestate iactati, incolumes Deo miserante peruenimus: cuius bonitatem supplices exoramus, vt quos è tot periculis ereptos in hæc loca perduxit, eosdem obedientia duce ad cœlestia regna sedesque peruenire patiatur. Cocino iiij. Idus Ianu. MDLVIII.

GASPARIS VILELÆ AD Societatem Iesu Goam.



NNO superiore, fratres mihi carissimi, ad vos fusè perscripsi res cũ alijs huius prouincię locis, tum præsertim Firandi gestas, vbi annum sum commoratus, quo temporis spatio Christiani mille & trecenti facti, templaque tria Christo dedicata sunt, quæ Idolorum antea fuerant. quam rerum conuersionem aduersarius ægrè ferens, magnas in nos turbas per Bonziũ quendam excitauit, qui ex incremento rei Christianę acri odio in nos iam ante cõcepto, habita insuper nobiscum disputatione turpiter victus, adeò exarsit dolore ac rabie, vt in perniciem nostram ex illa die neruos omnes intenderit. Confestim praua Bonziorum dogmata atque mendacia vulgo prædicare aggressus est, idque eo euentu, vt cuius nomen Firandi ante id tempus obscurum atque ignotum fuisset, plurimos iam sectatores haberet; nec plebs modò, sed ipsi Bonzij ex eius ore penderent. Inter hæc ille populum in nos omni arte incitare; monere & hortari, vti nos, sicuti Franciscum Xauerium antea, exterminarent, atque ita Deorum ab se iram ac minas auerterent. quibus rebus effectum est, non solùm vt multi in nos falsum dicerent testimonium, sed etiam (quod Christianos pupugit vehementer) vt Crucem effringere non dubitarent in sacro cœmeterio positam: quam iniuriam & Regulus ipse, & aliquot alij Christi gloriæ cupidi quanquam vlcisci parati, iustis tamen de caussis patienter tulerunt. Dominus verò Deus noster nihil ijs alijsque multis eorum sceleribus commotus, sed recordatus miserationum suarum antiquarum, pro flammis atque fulminibus signa misit è cœlo adeorum tenebras fugandas perquàm clara & illustria: etenim in media aeris regione species Crucis apparuerunt, aliaque prodigia valde conspicua. verumenimuerò vsq; adeò densa caligine mentes eorum obductæ sunt, vt insolitam lucem intueri nequiuerint; sed potius in sua pertinacia obfirmatiores, neophytos à Christi cultu summa vi reuocare conati sint.

Meacum est vrbs totius Iaponis caput, frequentissima academia, litteratorumque conuentu percelebris: cui ciuitati quòd Euangelij lux nondum affulsit, Cosmo Turriano Rectori nostro visum est faciendum, vt aliquis nostrum ad explorandum ciuitatis statum, simulque tentandum quis ibi locus Euangelio sit, mitteretur. Eius rei gratia crebris supplicationibus ac sacrificijs ritè peractis, hęc mihi prouincia obtigit, quãuis ad tantum onus haudquaquam idoneo. Sed qui illud mihi imposuit Dominus; idẽ ferendo quoque suppeditabit vires. Equidem, quod ad me attinet, mortem, iniurias, incommõda, & frigora quæ in ijs regionibus maxima sunt, mihi propono. Iaponicæ linguæ tametsi consuetudinem aliquam nactus sum, tamen quò facilius atque commodius cum Iaponijs agere possim, interpretem è Societate nostra Iaponium mecum duco, iamque me ad iter accingo. Itaque ne longior sim, temporis angustiæ prohibent. Illud à vobis fratres carissimi enixè peto quæsoque, vt me in tali tantaque re omnis opis egentem, Domino quàm diligentissimè commendetis. Ex Iapone, Cal. Septemb. MDLIX.

IOAN.

IOANNIS FERNANDI AD Melchiorem Nonnium.

ACTA proximi ſuperioris biennij cognoſces ex litteris ijs, quæ publicè miſſæ ſunt. Nunc accipe quæ mihi in præſentia occurrunt. Bungenſium Chriſtianorum in ſuſcepta religione maior in dies firmitas atque conſtantia cernitur: quippe ſeſe pœnitentiæ, & Euchariſtię ſacramentis identidem muniunt: ſacris concionibus adſunt, ſubinde ſe verberibus puniunt, aliaq; pia munera diligenter obeunt: horarias preces quotidie recitant, cruciatibus Domini in horas ſingulas ita diſtributis, vt vniuerſam eius hiſtoriæ ſeriem ſingulis diebus ea ratione percurrant. Neque verò Facatæ, quanquam templo à militibus direpto & diſturbato, ceſſatum eſt. Nam præter fœminas puerosque, patres familiarum ſex baptizati ſunt, quorum opera illam Eccleſiam propediem reſtitutum iri confido. Atque vt intelligas, Iaponij Chriſtiani quantum in virtute profecerint; narrabo quid vni eorũ nobili genere nato contigerit. Is cùm eſſet Amangutij apud amicum opulentum, qui agros oryzæ feraces ei fruendos dederat, cumque videret ſe occupationibus diſtineri, quò minus Chriſto, quemadmodum optabat, totum ſe manciparet ac traderet; fundo vectigalibuſq; relictis, Facatam vnà cum vxore, liberis, ac ſeruis venit, vbi non modò ſe ipſum Deo verè atque ex animo dedidit; ſed filium quoq; indolis egregiæ nobis tradidit tenera adhuc ætate, Societatis noſtræ doctrina præceptiſque imbuendum. Idem, vt vni Deo vacaret, abiectis omnibus negotijs, totum Quadrageſimę tempus poſuit apud nos: quidquid à quotidiano ſacro & concione ſupererat otij, totum id, precando, contemplandis ſempiternis præmijs atque ſupplicijs, morteq;, & extremo iudicio inſumens: quibus rebus in Domini noſtri IESV Chriſti cognitione & amore creſcebat in dies. Accedebat ad eius conſtantiam virtutemque corroborandam, rerũ à martyribus piè fortiterque geſtarum aſſidua recordatio: è quibus, præcipuè diui Stephani delectabatur præclaro facinore, pro lapidatoribus ſuis in extremo ſpiritu Dominum deprecantis. Vbi hebdomadæ ſacræ dies venerũt, vitæ maculis per Confeſſionem diligenter elutis, ipſo Paſchatis die cum alijs quattuor aut quinque cæleſti pane ſeſe pauit ac munijt. Quinto autem ſextove poſt die, capta vrbe Facata, è principibus quidam qui ſeditione commota in Regem Bungi arma ceperat, is apud quem noſter Chriſtianus (vt diximus) Amangutij antea vixerat, ſe ab illo deſertum indignatus, eum à ſicarijs ad necẽ conquiri iubet: quos ille vbi ſe adorientes aſpexit, nõ modò arma non ſumpſit, cũ eſſet vir alioqui fortis ac ſtrenuus; ſed etiam quaſi manſuetus agnus in genua procubuit, tãdiu ad Dominũ Deum oratione conuerſa, quoad vſq; impio ferro confoſſus eidem animã reddidit. nec dubitamus quin pro interfectoribus fuderit preces. Etenim diui Stephani exemplũ intimis eius medullis inhæſerat. Filius apud nos, vxor aũt & filia apud ſanctã fœminã precationi ac pœnitentiæ deditæ, magnos in virtutibus habent proceſſus.

Alexander eſt quidam alius Chriſtianus. is cùm eſſet in famulatu potẽtis viri in agro Facatenſi, haberetque in eodem famulatu ſocrum & coniugẽ, quę vxori domini ſeruiebant; à Spiritu Sãcto permotus, ea familiaritate ſalarioq; relicto, Facatam, Baptiſmi petendi cauſſa conceſſit. quo impetrato, perceptis iam Chriſtianæ fidei rudimentis, tota de re dominum fecit per litteras certiorem, eumq; ita IESV fauente commouit, vt coniugem ſocrum ad ipſum & continuò dimiſerit, quæ item ad Eccleſiã aggregatæ ſunt. & coniux quidẽ, quindecim poſt diebus exceſſit è vita, IESVS, Maria piè pronuntiãs: quàm multis rationibus in cœlum aſcendiſſe confidimus: Alexander verò vxoris morte ſanctiſſimè obita adeò permotus eſt, vt omnem pecuniam abijcere, vitam cœlibem agere, & quoad ſpirauerit, Coſmo Turriano parere decreuerit. Pijs ſacrificijs tuis & reliquorum patrum fratrumque mihi cariſſimorum me valde commendo. è Bungo, iij. Nonas Octobris. MDLIX.

Libri primi Finis.

SELECTARVM EPISTOLARVM EX INDIA

LIBER SECVNDVS.

LAVRENTII IAPONIJ ad Socios.

ACCEPI vestras litteras, quæ mihi periucundæ fuerunt: & quoniam intelligo quanto vicissim desiderio teneamini aliquid de statu nostro cognoscendi; exponam paucis, quæ nobis in hac Meacensi prouincia contigerunt. Primùm igitur Didaci domum deuenimus in Sacomoto vico: qui vicus iacet ad montis Frenoiamæ radices, in quo cùm cœnobia litteratique permulti: tum verò insignis cuiusdam principis Bonziorum domicilium cernitur. ad eum montem cùm peruenissemus, misit me Gaspar cum litteris ad Bonzium nomine Daizembum, quibus ille perlectis, aduentuque nostri causa cognita; respondit, magistrum suum ex principibus eius ordinis vnum, qui è Bungo nos euocauerat, anno superiore extremum diem obijsse; & se tenui re familiari, auctoritate nulla relictum, præsidio nobis esse non posse. ad eum tamen postridie Gaspar, & ego reuertimus: & quoniam nos auidè ipse decemque eius discipuli Bonzij audire videbantur; apud eos verba fecimus: à quibus admoniti nullas religiones in ea loca iniussu Bonzij eius regionis maximi induci posse; dedimus operâ diligenter, vt eum conueniremus. Sed cùm res parum procederet; oppidi præfectũ postremò rogauimus, vt nos ad illum introducere ne grauaretur. tũ ille: Si disputãdi causa venistis (inquit) excludemini: sin ædium visendarũ, id spectaculũ vobis pecunia muneribusq; mercandum est. Gaspar, vt omnes aditus clausos Euangelio vidit; à Frenoiama profectus, Meacũ cõtendit. In ea vrbe quattuordecim dies in ędibus conductis morati ad docendum minimè accommodatis, in alias migrare coacti sumus loco celebriore positas. Huc Meacenses nonnulli iam ad audiendum Euangelium ventitabant. Post quintum aũt & vigesimum diẽ, Bonzio nos deducẽte, viro in primis ciuitatis honesto, Regem seu Imperatorem Gaspar adiuit. à quo ita amicè acceptus est, vt ex ipsomet eius poculo, honoris & amicitiæ causa biberet. tum verò frequentiore etiam vi bis parte nobis ad habitandum assignata, magna vis omnis generis hominum ad nos, vel audiendi, vel disputandi causa, confluxit: sed animis initio tam obduratis, vt verbo DEI audito partim blasphemarent, partim etiam irriderent nos, atque deluderent. per eos dies cùm honesta mulier Meacensis ad concionem venisset; vbi peroratum est, Baptismum petijt statim: sed rem distulit Gaspar, eò quòd mulierẽ nondum ad id Sacramentum idoneam repperit. Cungues præterea duo (magni honoris nomen id est) nostru ad nos audiendos ita se conferebant, vt nostram doctrinã valde probare viderentur: quidam verò è principibus oppidi Gamangoxini, qui Meaci habitat, cum decẽ alijs apud nos Christianus est factus. postea cùm Gaspar ad Mioxindonum, qui prȩcipuum Meaci obtinet dignitatis locum, auxilij petendi causa à primario quodã ciue deduceretur; tota vrbe percrebuit Mioxindoni iussu primarium illũ virum in vincula Gasparem cõiecisse. rursus, cùm vrbis præfectus per compita edixisset, ne quis Gasparem læderet; fictis rumoribus multi edictum esse mentiebantur, vt Gaspar oppido pelleretur.

huiusc-

A huiuſmodi multa prętereo, quæ ſingillatim enarrare nimis lõgum eſt. Sed iuuante Domino IESV CHRISTO confidimus, nos, vt adhuc fuimus, ita etiam in poſterum incolumes futuros magna cum Diuini nominis gloria, rabieque ac dolore diaboli, quando iam noſtri in hanc vrbem aduentus, ad Banduenſem vſque Bonziorum academiam fama penetrauit, ſexcentis paſſuum millibus Meaco diſtantem. interim Bonziorum minis, atque importunitate compulſus hoſpes is, ad quem diuerteramus, nos domo ſua dimiſit: itaque in aliam nos recepimus. Hic acrius etiam in nos aduerſarij ſæuire cæperunt, cùm nos alij ſimias, vulpes alij, alij denique à dæmonibus occupatos, anthropophagoſque appellarent: pueri etiam eorundem inſtinctu cùm cæteris iniurijs, contumelijſque, tum etiam lapidum, glebarum, & arenæ coniectu infeſtarent, atque laceſſerent. Quanquam his rebus, Domino adiuuante, minimè deterriti ſumus, quò minus Euangelium ad menſem Aprilem vſque nuntiaremus, cui Iaponij centum circiter fidem habuere, baptizatique ſunt. ſub id tempus Bonzij quinque nos conuenerunt ex ea ſecta quam Baracaque appellant, qui meditationibus quibuſdam vacant arbitratu ſuo confictis. ij cùm nonnulla de nobis quæſiſſent eiuſmodi, vt appareret eos à dæmone agi; Gaſparis reſponſis victi abiectique conciderunt. Duo præterea ex ea ſecta quæ Tendaui dicitur, cùm diu nobiſcum de religione atque acriter diſputaſſent;
B conceſſere ad extremum veram noſtram eſſe doctrinam, tametſi eorum nemo ſe ad Chriſtum adiunxit.

Alius in primis eruditus, cùm è ſermone Gaſparis cognouiſſet vnum eſſe opificem rerum omnium, animoſque hominum nunquam interire; idcirco negauit ſe Baptiſmum petere, quòd ex impuriſſimo flagitiorum cœno emergere, caſteque viuere ſe poſſe diffideret.

In Bonziorum ordine magnum eſt nomen eorum, quorum eruditionem duo quidam ex principibus ſuo chirographo comprobauerint. Ea veluti quædam canonizatio eſt: in ſella conſtitutos adorant, eorumque approbationem ſcripto teſtantur. ex eo tempore qui probati ſunt, certos locos cæteris ad meditandum proponunt. Hunc dignitatis gradum adeptus Bonzius quidam, nomine Quenxu, qui ipſos triginta annos in meditando conſumpſerat; in charta pratum, & in eo aridam arborem depingendam curauit. ad arboris autem radices carmina duo deſcripſit iudicum chirographo confirmata, quorum hæc erat ſententia:

Prioris, Cedo, quisnam te ſeuit arbor arida?
Ego, cuius principium nihil eſt, finis nihil.
C Poſterioris; Meum cor, quod neque eſſe, neque non eſſe habet,
Neque it, neque redit, nec retinetur vſpiam.

Is igitur Bonzius cùm ad Gaſparem veniſſet contumacia inflatus, quòd diceret iam ſibi perſpicuum eſſe, quidnam antequam naſceretur fuiſſet, quid tũc, quid deniq; poſt mortem eſſet futurus; ſeque non diſcendi cauſſa, ſed animi tantùm, ad nos acceſſiſſe; diuinitus ita repente immutatus eſt, vt verè nihil eſſe quidquid ſciebat, ſibique Chriſtianam doctrinam eſſe neceſſariam intellexerit. Baptizatus itaq; ſumma populi admiratione; vitæ exemplo, quam ducit ſanctiſſimam, alios aliquot partim conuertit ad Chriſtum, partim vehementer commouit. Coſmus autem amicus noſter qui ante ſexenniũ in Bungo baptizatus eſt, aduentu noſtro cognito nos ſtatim adiuit, parentibuſque ac patria relictis Dominum cœlebs colere, & Gaſpari obedire conſtituit. Bonzius erat quidam admodum ſenex, annos iam quadraginta in meditando verſatus. is Chriſtianam religionem ita auidè arripuit, vt id ætatis homo ad verbũ Dei audiendũ à ſex paſſuum millibus ventitet. Ad hæc, Bonzij circiter quindecim Chriſtũ ſecuti, partim legitimis iungi nuptijs, partim cœlibem vitam agere (quod in eo hominum genere maximè mirum eſt) decreuerunt. In vico Farima habitat Bonzius, qui piſcibus, carnibus, tritico, hordeo, denique oryza abſtinet, herbis tantùm victitans, arborumq; baccis ac pomis, quique æternę ſalutis adipiſcendæ cauſſa voto ſe obſtrinxit è libro quodam Xacę, quem Foquequiũ appellãt, ſe gratis plebem eruditurum. Narrauit aũt nobis, ſe ante decennium per nocturnam quietem ſibi viſum eſſe verſari cum ſacerdotibus, qui è Cenghequu, hoc eſt Europæ regione veniſſent, ſibiq; rectum ad ſalutem iter oſtenderent, experrectumque poſtridie, ſtatim audiſſe Amangutij eſſe presbyteros quoſdam è Cen-

ghequu,de vita futura publicè disputantes.Hic audito Euangelio gauisus est;sed quo- D
niam sine commeatu Meacum festinè venerat, dixit se Farimam rediturũ eo animo, vt
sublatis rebus necessarijs, votisq; neglectis,& sallaci illa vitæ asperitate depositа,Mea-
cum reuerteretur,& Christiana sacra susciperet.occultè etiã ad nos contulere sese au-
diendi Euangelij caussa viri insignes duo,quorum alter in meditãdo exercitatus,quo-
dam quasi Episcopi munere fungebatur:alter erat.Bonzius legum peritus, & conciona
tor,qui in eo congressu Gaspari apertè confessus est,in Iaponica philosophia simplex
nihil esse,vel solidum.Bonziorũ quoq; familia,quæ à Foxequu nomen duxit, vitam-
que seueriorem cæteris omnibus profitetur; audito Dei verbo,nostraque vitæ ratione
perspecta,quòd Gaspar gratis populum doceat,& cùm ipse omni fœminarum consue-
tudine abstineat,tum laicos vna tantùm vxore iubeat esse contentos; offendi cæperũt
in Bonzio quodam præfecto cœnobij,quem antea venerabantur vt Deum,quòd ami-
cas habeat in occulto,& laboris in docendo sui mercedem exigat:cumque carnium ac
piscium esu cæteris interdicat,ea ipse clam comedat;quocirca eum è cœnobio pellere,
aliumque pauperem ac bene moratum in eius locum sufficere decreuerunt. Tres præ-
terea ijsdem meditationibus clari,quintum iam diem conciones nostras assiduè cele-
brant,quos propediem baptizatum iri confidimus, eam rem ad exemplum magnope- E
re profuturam.Non longè ab ædibus nostris incendium excitatum est: cuius incendij
in nos vt veneficos,diaboliq; pręcones caussa cõferebatur:sed iam Bonziorũ furor ali-
qua ex parte deferbuisse videtur.quorum cùm ita multę,ac diuersæ numerentur sectę,
suam quisque profiteri nos dicunt;Xingouini,idipsum Denichi,quod illi prædicent:
Ienxuani Foben quoddam suum: Foquexani Mion (disciplinarum ea nomina sunt)
Iondaxuenses Amidam: Xintani denique Quoquium:sed vt speramus,non longè abe-
rit, quin omnes fateantur legem summi cœlorum terræque opificis nostro præco-
nio promulgari:quem pro sua infinita clementia facturum esse confidimus, vt ipsum
agnoscant,agnitoque omnem laudem,& gloriam tribuant.Vestras etiam atque etiam,
fratres mihi carissimi,& istius Ecclesiæ,quibus egeo maximè,deprecationes imploro.
Meaco iiij.Non.Iunias,M D L X.

CONSALVI FERNANDI AD quendam è Societate Iesu.

HISCE litteris nonnulla,frater mihi carissime, persequar, F
quæ,in Iapone dum essem,in vinea Domini gesta sunt.Ver
sabatur eo tempore Firandi Gaspar Vilela,cuius iussu Gu-
lielmus vias vrbis ære campano circumiẽs,pueros ad Chri-
stianam doctrinam Iaponicè discendam in templum coge-
bat:ex quibus vnus admodum paruulus nondum ad cœtũ
Christianorum adiunctus;Gasparem adijt Baptismũ mag-
nopere efflagitans.quem Gaspar,id ætatis puerũ,patre eth-
nico, cùm prius perdiscere iuberet capita Christianæ do-
ctrinæ,respondit ille,nequaquam se inde abiturum, quoad
Baptismo lustratus esset.denique domum ad suos regressus, ita cum parentibus egit,vt
patrem,matremque,fratres,ac sorores ad Baptismũ adduxerit. Ad aliud venio non mi
nus mirabile.Diuturno morbo vexatus ethnicus quidam ex optimatibus, cùm varias
curationes frustra tentasset, suadenti Christiano cuidam,vt ad valetudinem recuperã-
dam, Christiana religione suscepta,ad templum nostrum accederet,aquamque lustra-
lem ebiberet;paruit ægrotus: statimque in pristinam valetudinem est restitutus. alij
præterea morbi complures in his regionibus eadem aqua pelluntur.

Alius Christianus cùm è graui morbo iam prope animam ageret; me accersitum ro-
gauit,vt quoniam essem è Societate I E S V, pro se Dominum deprecarer: sanitatem se
continuò recepturum. psalmis septem pœnitentialibus recitatis, magnam ipsius fidem
Dominus reddita statim valetudine remunerari dignatus est.

Profectus ex eo loco Gaspar in insulam quandam ad promulgandum Euangelium,
incolas plus sexcentos triduo baptizauit, Christianæ fidei præceptis imbutos. quæ res
tanto diabolum affecit dolore,vt vnum è Bonzijs eò miserit,qui populo persuaderet,
falsa esse quæ Lusitanus concionator docuisset .qua re cognita Gaspar confestim eo-
dem le-

A dem legauit è noſtris, qui apertis rationibus aduerſarij mendacia redargueret. quæ res Chriſtianos non mediocriter recreauit.

Haud ita multo poſt, barbari tres è principibus ciuitatis, communi conſilio profecti ad excindendam Crucem in monte à Chriſtianis erectam, vixdum ſcelere perpetrato, inter ſe rixari cæperunt, ſibiq́ue inuicem idipſum facinus exprobrare: demum eò rixa peruenit, vt eo ipſo in loco, vbi Crux poſita fuerat, inter ſe ex prouocatione dimicauerint: quorum duo poſtridie manè mortui ibidem reperti ſunt: tertius verò nuſquã poſtea apparuit (ablatus à dæmonibus creditur) nec aliud quidpiam de illo auditum eſt, niſi quod biduo poſt adoleſcens quidam repente ab immundo ſpiritu occupatus palam dicebat: ſe nimirum eſſe qui Crucem præciderat, & propterea ſe in altera vita torqueri acerbiſſimè. quod vbi videre Iaponij, rei occultandæ gratia adoleſcentem abſcondere ſtatuerunt, atque ita ex oculis noſtris euanuit, vt nihil de ipſo deinde cognouerimus, incertumq́; ſit, eum ne interfecerint. qui partim hiſce de cauſis, partim quòd ſexcentos quos dixi neophytos viderent alios idola cremantes, alios in mare proijcientes; concurſu ad Regem facto poſtularunt, vt Gaſparem regni finibus pelleret. quibus Chriſtiani cùm ex altera parte reſiſterent, reſq́ue iam ad arma ſpectare videretur; Rex miſit qui Gaſpari nuntiaret, nequaquam ſibi placere eum in ſuo regno in-
B terimi: proinde ad Socios ſeſe reciperet. quocirca in Bungum vbi erat eo tempore Coſmus Turrianus, inde conceſſit non ſine magno quidem animi dolore: quippe qui in ſpem veniſſet, Regis ipſius ad Dominum traducendi. is enim ſæpius Gaſpari præſente me dixerat, ſe animo ac voluntate eſſe Chriſtianum, & pro Chriſtiano ſe gerere, quòd præclarè intelligeret patriæ ſuperſtitiones quantum à veritate diſtarent.

Valetudinarium & ſodalitium, quod Miſericordiæ vocant, à Coſmo inſtitutum in vrbe Funaio Regni Bungenſis, ethnici magna cum approbatione ſuſpiciũt: cùm enim inter ſe ex animo ac verè non ament; mirantur in primis, reperiri in toto orbe terrarũ, qui pauperes curet, ijſq́ue neceſſaria cuncta ſuppeditet.

Duo ſanè admirabilia mihi narrata ſunt, quæ in hoc oppido cõtigêre. ethnicus quidam è primoribus ciuitatis ancillam habebat Chriſtianam. atq;, vt ethnici fermè Chriſtianos auerſantur, conuerſus ad famulã, Cur, inquit, tu Chriſtiana es, cùm ego ſim ethnicus? niſi continuò ab iſta religione receſſeris, hiſce ego te manibus interficiã. Cui ſerua Dei, non eo conſilio ſe Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe reſpondit, vt ijs mox deſertis ad barbaros ritus rediret. tum herus eius perſeuerantia cognita, cum mortis minis interdixit, ne ex eo tempore ad Crucem adorandam ſeſe conferret. illa verò diuino fulta præſidio, nihil idcirco ab inſtituta Crucis latria deſiſtere, quoad eam herus obuiam in
C itinere factus, occidit.

Alterum illud eſt. Paucis ante diebus, quàm ego ad hũc Firandi portum venirem, Sinarum nauis Luſitanum quendam qui apud Sinas in vinculis fuerat, in eundem portũ aduexit. Sinæ aliquot ibidem commorantes cùm ad nauim acceſſiſſent, vt Luſitanum viderunt; quærere de nauarcho Sina populari ſuo cæperunt, quo conſilio Luſitanum in ea loca perducere auſus eſſet, cùm Rex Firandi ſacerdotem Luſitanum ex oppido pepuliſſet; niſi ſpoliari ſe ab Rege nauigio vellet, cõtinuò Luſitanum interficeret. Hæc dum agitãtur, diuinitus factum eſt, vt Chriſtianus Iaponius quidam interueniret. is vbi mœrentem Luſitanum aſpexit, ad eum confeſtim accedens, cauſſa mœſtitiæ cognita manu apprehenſum bono animo iubet eſſe: quantum per ſuas facultates liceat, nihil ei apud ſe defuturum. inde perducit domum, ibiq́ue hominem habuit quoad vſque nos eò peruenimus. Et ſanè Luſitanos Chriſtiani tanta beneuolentia proſequuntur, vt in eorum ædes æquè liber illis atque in ſuas ipſorum aditus ſit: ſed tum præcipuè præclarum amoris ſui documentum dedêre, cùm Iaponij facta in eos coniuratione arma ceperunt. quod vbi à Chriſtianis cognitum eſt, communi ſtatim cõſenſu ad eorum defenſionem ſe vel capitis periculo compararunt: cùm ex eis quidam extrema iam ætate, reliquorum domos circumcurſaret, hortaretuŕque omnes ad mortem pro Chriſtianis fortiter oppetendam: quare perterriti barbari, à ſuſcepto conſilio deſtiterunt. Obſecrate fratres cariſſimi Dominum, vt huius gentis animos ad ſuos errores ac miſerias recognoſcendas illuminet. Cal. Decem. MDLX.

LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOCIOS in Lusitaniam.

IN ijs litteris, quæ à vobis ad nos assiduè perferuntur, insignes amoris erga nos vestri, & caritatis cernuntur notæ. apparet etiam quanto studio teneamini ad nos subleuãdos in hæc loca veniendi. hanc plenam pietatis voluntatem, quoniam nos remunerari nõ possumus, Dominus ipse pro sua benignitate compenset: quanquam vt amori vestro nos etiam aliqua ex parte respondeamus (quoniam auetis scire quid à nobis in re Christiana geratur) anni huius præsertim acta ad vos perscribere statui.

Balthasar Gagus hoc anno ex Iapone profectus in Indiam, aduersa tempestate retentus, hyemauit in ora Sinarum: atq; id fuit causſæ, cur à nobis huiusce anni litteras non acceperitis. Post eius discessum nuntij Meaco allati sunt, Bonziorum in Gasparem Vilelam odium aliquantulum refrixisse. itaque rursus aures dare cæpisse Euãgelio, fieriq́ue aliquos Christianos, atque in ijs nobilissimos homines, & in rebus physicis ad modum intelligentes. Missæ sunt etiam aliquot à Meacensibus illis neophytis ad Bungenses Christianos epistolæ; quarum vna duodecim circiter paginarum magnam harum regionum Christianis attulit voluptatem, sępiusq́ue descripta, omnia Christianorũ loca percurrit, & simul recitabatur etiam ethnicis. Summa erat epistolæ, sectarum Iaponis omnium (quæ plus vndecim sunt) expositio simul & confutatio, cum religionis Christianæ confirmatione: nec verò pacatas vnquam res Iaponiorũ fore, quoad omnes fierent Christiani: atque idipsum multis apertisq́; rationibus probabatur. Mense Iunio ineunte, ex Gasparis ipsius litteris cognouimus illum iter cepisse ad vrbem Sacaium, quæ bidui distat Meaco; vbi spes magna messis vberrimæ ostendebatur, non modò quòd sit libera, & in primis ampla Iaponis totius; sed multo etiam magis, quòd eum quidam è principibus ciuitatis illuc per litteras inuitasset, ædesq́ue suas ipsi ad Euangelij promulgationem obtulisset. cuius tantum est eius rei desiderium, vt in Bungum etiam certum hominem cum mandatis miserit ad Cosmum Turrianũ. Recordabitur, vt speramus, pro sua bonitate Dominus harum gentium, easq́ue conuertet ad se: nos autem in suo confirmabit obsequio.

Quod ad Bungensem Ecclesiam attinet, quæ nunc quidem est Iaponis omnium maxima; admodum augetur in dies (cæptis adspirãte Domino) cùm virtus veteranorum, tum etiam tyronum numerus: quorum tanta est pietas, vix vt possim verbis assequi: nonnulla tamen attingam, vt ex ijs reliqua intelligatis. Primùm nulla nox præterit (vt mihi quidem videtur) quin verberationes in templo fiant, ac ferè semper omniũ quotquot ibidem eo tempore sunt. quibus in templo non licet, ij sese intra priuatos parietes cum vniuersa familia verberant. Quotidiè, quamuis ningat, Christianis refertum est templum: nec reseratur fere, quin multi reperiantur ad limina præstolantes. Festis autem anni celebrioribus, tanta vis hominum confluit, vt ad multitudinem capiendã vmbracula è frondibus raptim exstructa cum templo continuare necesse sit: atque alij quidem præcipuis anni festis, alij verò diebus Beatissimæ Virgini sacris, alij quintodecimo, alij etiam octauo quoque die Confessione maculas abluunt. Sed Bungẽsium studium ac pietas Quadragesimæ præsertim diebus elucet. res profectò visenda: quippe in singulos annos crescit huius Ecclesiæ religio ac probitas.

In pueris ijs, qui ad nos Christianæ doctrinæ gratia ventitant, aliqui ita parui cernũtur, vt nihil pænè præter catechismum eloqui possint: itaque idipsum quod tenent memoriter, oppido concinunt. Prope templum nostrum duodecim circiter Iaponij patresfamilias habitant, quorum filij pueriq́; singulis noctibus audito signo salutationis Angelicæ, ad Crucem conueniunt in ea vicinitate defixam; ibiq́; nixi genibus totam horam quotidie in Christiana doctrina decantanda consumunt: idq́ue parentum iussu, quorum tanta est pietas, vt infantibus Christiana rudimenta vnà cum lacte paulatim instillent, eosq́ue tenera adhuc ætate nostram in disciplinam domesticam traditos Domino consecrent. nec verò parentum pietatem non imitantur liberi, atque vnus præsertim natu maximus omnium, annum agens tertium decimum; cui super mensam cru-

A ſam cruciatus CHRISTI Iaponicè recitanti, fluunt interdum ex oculis lacrymæ, nulla vultus mutatione. alij verò eorundem cruciatuum recordatione commoti, pijs Chriſtum liberatorem verbis affantur, ita ſuauiter, vt cuiuſlibet ferreum quamuis pectus emolliant. Itaque horum quos domi educamus operam ad cõuerſionem harum gentium magno nobis vſui fore ſperamus: quippe cùm Iaponios auditores patria lingua magis quàm peregrina retineat. alios præterea quinque Iaponios apud nos habemus prouecta iam ætate viros admodum probos: tres videlicet Funaij, quartum Meaci cum Gaſpare Vilela: poſtremus comes eſt peregrinationis meæ, annum agens alterum & vigeſimum, tanta in dicendo ſuauitate ac lepore præditus, vt auditorum animos mirabiliter capiat: hæreſes verò Iaponicas, multaque de phyſicis ita callet, vt hoſce philoſophos omnes refutet, ac vincat. faxit Dominus, vt eorum animis ignem inijciat. Chriſtiani Facatenſes, ac præſertim vnus è principibus, Coſmum miſſis nuntijs per Deum obteſtati ſunt, vt eò aliquem è Societate mitteret: velle ſe optimum templum exſtruere, & ſuis alere ſumptibus quotquot è noſtris ibi commorarentur: quod iam fieri cæptum eſt. hiſce de cauſis, & ſimul, quod multi Chriſtianorum vici alicuius è nobis aduentum ſermonesque iam diu deſiderabant, decreuit Coſmus, vt initio Iunij anni MDLXI. ad eos pagos, & loca finitima inuiſenda diſcederem.

B Pridie quàm Facatam peruenì, aduentu meo cognito Chriſtiani obuiam mihi alij ad tria paſſuum millia, alij etiam longius magno cum gaudio proceſſerunt. ego complures dies in ea vrbe moratus, incolas circiter ſeptuaginta ſacro fonte luſtraui. in quibus erant Bonzij duo Iaponicarum legum ſanè periti, cùm alter etiam regius concionator fuiſſet. is ſeptem dies mecum diſputando, interrogando, quæ dicebam in commentarios referendo conſumpſerat, cùm immenſa Dei Domini noſtri lux ei tandem affulſit, & illius exemplo multorum præterea tenebras diſpulit.

In eadem vrbe Facata cùm alij complures, tum præcipuè duo morbo graui laborantes diuina ope ſanati: quorum vnus paterfamilias tanto capitis dolore torqueri ſolitus, vt violentas ſibimet manus inferre ſæpe tentarit, tertiodecimo die Dei benignitate conualuit. alter erat iunior lepra fœdiſsima coopertus. is, quòd de Chriſtianis honorificè pieque ſentiret, putaretque iuuante Domino ſibi per me ſanitatem reddi poſſe, in meum conſpectum adductus eſt: quem vt vidi, negaui me ei morbo poſſe facere medicinam: verùtamen ne planè mœſtus à me diſcederet ipſe, quique eum adduxerant; remedium quoddam illi præſcripſi facillimum, & poſt tertium diem ad me redire iuſsi: ita nitidus redijt, vt nulla vnquam ſcabie laboraſſe videretur. equidem obſtupui perſpecta hominum fide, perteque denuntiaui Chriſtianis, ne ſanitatem pharmaco, ſed Deo Domino fideique ſuæ acceptam referrent: quæ quidem etiam in animos eorum qui morbo liberati fuerant, redundauit. nam vterque Baptiſmo petito, & poſt catechiſmum impetrato, ad Eccleſiam aggregatus eſt. cumque iam diſceſſus mei tempus appeteret, quo æquiore animo id ferrent, ſpem illis maturi reditus præbui: quorum duo primores ita obfirmato animo itineris mei comites eſſe ſtatuerunt, vt eorum ſtudijs remittere, aut eos de ſententia demouere nulla ratione potuerim.

In exitu Iunij Facata diſceſsimus in inſulam Tacaxumam, ambitu paſſuum ſex millium, in ditione viri principis Firandenſis, Antonij nomine: vbi cùm eſſent quingenti circiter Chriſtiani, ethnici tantùm octo; ij quoque ad Deum noſtro aduentu conuerſi ſunt. Præeſt autem eorum inſtitutioni, excellenti virtute vir, qui è Bonzio Chriſti ſeruus effectus eſt. ædem habent, quæ idolorum antea fuerat, in primis ornatam: cuius vectigali, itemque eleemoſynis quas erogat inſtitutum ibi quoque Miſericordiæ ſodalitium non modò ipſe antiſtes alitur, ſed etiam inopes peregrini, qui illuc ſanè multi (quod vidi per eos dies) religionis cauſſa ventitant. eadem ſtipis per Miſericordiæ ſodales ritè fideliterque diſtribuendæ ratio, ſeruatur etiam in vicina inſula Iquicuchi, itemque in cæteris inſulis, in quibus Eccleſiæ ſunt. quò fit, vt ad iter in ijs regionibus faciendum ſarcinæ & impedimenta minimè ſint neceſſaria: quippe, quocunque peruenias, omnia tibi gratis, ac ſedulò comparantur; maritimo itinere naues, terreſtri comites & iumenta: quæ ſi recuſes, iniuriam videlicet ſibi fieri, ſeque in Chriſtianis officioſis numerari non putant.

Firando cùm ad hanc inuiſendam Eccleſiam aliquot Luſitani veniſſent, horum Chriſtianorum religione, precandi ſtudio, obedientia, amore non modò in ſacerdotes noſtros, ſed etiam in omnes eorum vicarios, tantopere delectati gauiſique ſunt; vt mihi affirmarent, Socios noſtros qui in cæteris orbis terræ partibus verſantur,

ſi vel

ſi vel particulam norint eorum, quę cum his Chriſtianis geruntur, omnes Iaponicam hanc D
prouinciam expetituros: quod equidem credo: nam vna profectò Chriſtianæ doctrinæ
decantatio multas vobis prę lętitia lacrymas exprimat. quid enim ſi videatis pueros cen-
tum, ac puellas, bis quotidie catechiſmi cauſſa conuenientes, qui paucis ante diebus dica-
ti diabolo fuerant, iam Chriſtianos templum ingredi, aqua luſtrali ſe aſpergere, demum
ad precationem ritè genua flectere? quid ſi duobus eorum voce præeuntibus, ſubſequen-
tes cæteros, doctrinæque præcepta concinentes audiatis? idque tanta cum modeſtia, ac ve-
recundia, vt oculos ſemper humi defixos habeant, ac duo illi præſertim, qui voce præeunt
(quos ego de induſtria non ſemel, & curiosè notaui) & quidem in maximis caloribus,
cùm facies eorum ſudore manarent, tanta fuêre conſtantia, vt manus, oculos, pedes nun
quam mihi mouere conſpecti ſint: raptos profunda aliqua contemplatione dixiſſes. nec
verò doctrina tantùm decantanda contenti ſunt. nam eius quoq; explicationẽ libentibus
nobis requirunt. Iam verò quanta cum animi veſtri voluptate intueamini Iaponios ho-
ſce Chriſtianos poſitis genibus, manibuſque ſublatis, Chriſtum è Cruce pendentem ado-
rantes, lacrymis ad ſolum vſque fluentibus, in tormentorum Domini cogitatione ita de-
merſos, vt pæne ecſtatici videãtur? atque hæc quidem in hiſce inſulis prope deſertis. quid
de ijs locis exiſtimandum eſt, in quibus (vt in Bungo) Sacramentorum eſt vſus frequens?
quæ cùm ita ſint; miſereat (quæſo) vos fratres cariſsimi harum Eccleſiarum, Deumque
cum gemitibus obſecrate, vt ſupplementum aliquod è Societate noſtra dignetur huc mit- E
tere. quod ſi fortè nimis diu diſtulerit, quàm vereor, ne qui venerint, paucos ſuperſtites è
nobis offendant: ſiquidem tres hac æſtate magnum vitæ diſcrimen adiuimus, quam tue-
tur Dominus, vt opinor, quoad alij nobis ad nouam hanc vineam tuendam colendam-
que ſuccedant.

Ex ea quam dixi inſula, in aliam traieci maiorem, quæ Iquicuqui vocatur. incolas ha-
bet circiter mille quingentos, in ijs Chriſtianos fermè octingentos. ij, quod iam ante de
meo aduentu cognouerant, obuiam mihi nauem cum primoribus aliquot Chriſtianis mi-
ſerunt: quam vt conſcendi, in ipſa nauigatione, tribus paſſuum millibus ante quàm ad in-
ſulam peruenimus, Crucem aſpexi edito loco poſitam, quam ſatis amplo interuallo cir-
cumiens murus, ſepeliendis Chriſtianis cœmeterium efficit. vbi deſcendimus, humaniſ-
simè excepti, continuò ad ſalutandam Crucem de more perreximus: inde templum eo-
rum inuiſimus, eleganter ornatum. atque illos in præſentia quidem ne inopem plebem
non ſine iactura ab inſtitutis operibus auocarem, dimiſi, concione in matutinum & veſ-
pertinũ tempus, puerorum verò catechiſmo in pomeridianum indicto. itaque tanti con-
curſus fieri cæpti ſunt, vt cùm multi excluderentur, aream, quæ ad veſtibulum templum
eſt, ſtoreis pro re nata contegere neceſſe fuerit. Templum eſt autem excelſo loco, lucoque
denſo, & ad aſpectum iucundo. in id aſcenditur gradibus, quibus in imis ſtagnum eſt F
aquæ, nudis pauperum pedibus abluendis, non ſuperſtitione, vel cæremonia, ſed ne tem-
pli cataſtromata calcata commaculent. Poſtridie quàm huc veni, cæteras quoque ſacras
ædes luſtraui pulcherrimè poſitas, quippe quæ ante id tempus idolorum fuiſſent, quibus
colendis optima loca diligenter exquirebantur: hoc autem tempore æditui Iaponij ſunt
illi ipſi qui nuper Bonzij, nunc Chriſtiani appellantur, antea dæmonem, nunc IESVM
Crucifixum ſupplices venerantur, & colunt. Et quoniam ex altero pago eiuſdem inſu-
læ ſanè frequenti, ad alterius pagi templum trium ferè miliarium interuallo Chriſtia-
ni magno ſuo incommodo venire cogebantur; templum ibi quoque exædificandum
curaui, quod paucis diebus multorum ſubſidio, magnaque omnium alacritate perfe-
ctum eſt, tabula picta, cæteroque ornatu ex vrbe Firando illuc aducto. Chriſtianorum
animis recreatis, cæleſtique fonte purgatis ijs, qui ad Baptiſmum videbantur idonei; ad
alium Chriſtianorum pagum, quem Xixi vocant, ire perrexi, vt eos per Euangelium ſo-
larer, & ſimul vt in æde noua, quæ tum ab ijs ad tectum perducebatur, ſacellum exſtruen-
dum curarem, Iquicuchenſibus Chriſtianis officiosè nobis in eam rem fabros lignarios
ſeptem, aliaque auxilia neceſſaria deferẽtibus. ibi igitur amantiſsimè excepti à Chriſtia-
nis; qui quaſi regem exſpectarent, ita ſedulò vias ante purgatas ornauerant, prima luce, &
veſpere de rebus diuinis diſputare inſtituimus, quò commodius cæteris horis diei ſacello
exædificando vacarent, quod ſumma eorum diligentia paucis diebus eſt abſolutum. Ca-
techiſmi deinde cura certo homini tradita, Iram traiecimus eo conſilio, vt Facatam pro-
pediem reuerteremur, quod eius peregrinationis ſpatium Coſmus nobis ad Auguſtum
exeuntem vſque præſcripſerat. Iræ, Cruce ſalutata, cum incolis egimus, vt ibi tem-
plum

A plum (nullum enim erat) communi consilio facerent. ad quod nobis Firandò sacræ imagines, cæteraque necessaria ornamenta transmissa sunt. nonnullis concionibus habitis, quibus in fide Christiani sunt confirmati, Baptismoque lustratis qui lustrandi superant, Casungam inde contendimus: vbi tanta nobis hominum multitudo sese obuiam effudit, vt festi alicuius diei solennis celebritas videretur. Cruce adorata, ad primarium quendam Christianum diuertimus, apud quem nonnullis concionibus habitis, magna omnium voluntate decretum est templum, in quo sacerdotes sacrificarent, si qui in ea loca venirent: quò item Firando necessarius sacrorum apparatus est missus. Interea dum hic agimus, mihi grauis homo narrauit Iquicuchi mulierem Christianam suadente diabolo, siue eius ministris, abortus faciendi gratia pharmacum sumpsisse eiusmodi, vt infantem ipsamq; parentem necauerit. Huius corpus Christiani, quippe quæ noxa capitali obstricta migrasset, in ipsorum cœmeterio in quo Crux est posita, sepeliri cùm vetuissent; illa post aliquot dies periculosè ægrotanti adolescenti cuidam Christiano per visum, Corpus (inquit) meum sacra sepultura prohibitum est illud quidem: sed ne idcirco me Christiani damnatam existiment: nam ante quàm è vita discederem, Dominus contritione mea lacrymisque placatus est. quibus rebus Christiani ex adolescente cognitis (namque is deinde conualuit) valde animati sunt.

B Ex eo loco rursus ad pagum Iquicuchi, atque inde, spe reditus Christianis relicta, Firandum discessi ad quędam sacrorum instrumenta accipienda, quæ nobis Lusitanorum nauis aduexerat.

Firandum vt venimus, nauarchum Lusitanum allocuti, ad Antonium diuertimus statim, qui cum vniuersa familia nos peramanter accepit, detinuitque ad multam noctem nonnulla de officij religione percontans: postridie nauarchum adiui, vt permagnam tabulam pictam in naui proponeret Christianis visendam, quos in proximum Dominicum diem (quod eorum commodo fieret) ad concionem simul & spectaculum, dimissis per agros nuntijs, euocauimus. interea nocturnis hortationibus cùm cæteri Christiani in fide animati sunt, tum ethnici circiter quinquaginta ad Baptismum adducti: in ijs, è proceribus quidam Antonio non inferior. Vt quoniam Firandi sacra ædes erat nulla, petijt nauarchus ab Rege, vt in area nostra excitare liceret ædiculam, in quam Lusitani qui versabantur ibi nonaginta, religionis caussa conuenirent; eadéque Firandenses Christiani deinceps vterentur. cui Rex se deliberaturum respondit. ea erat dissimulata negatio. itaque id vbi resciuimus, apud Christianum in area nostra habitantem priuatum sacellum exstruere, atque adornare constituimus. quod ille tanta animi alacritate studioq; recepit, vt ædium duarum quas possidebat alterius, vltrò
C mihi optionem daret, seque custodem fore profiteretur. igitur, Antonio præsertim operas & cætera necessaria benignè suppeditante, paratum oratorium est, & omnibus rebus instructum, in quo singulis noctibus Litaniæ & sacri sermones habebãtur. vbi Dominicus dies aduenit, è pagis insulisque finitimis ingens Christianorum multitudo cõfluxit tum ad verbum Dei audiendum, tum verò ad sacram visendam imaginem, posita, vt dicebamus, in naui, loco peristromatibus, vexillis, virentibusque arborũ ramis ornato. referta iam spectatoribus naui, cùm peroraßem; eos omnes nauarchus, quod lõge ab domibus suis abessent, liberali cibo, potuque refectos dimisit.

Iam dies obrepserat, quo die mihi in Bungum redeundum esset: quocirca sacra tabula ex oneraria in nauiculam translata, vt inde Facatam deueheretur; Christianos Iquicuchenses monui, me sabbato proximo (vt promissa facerem) ad eos ex itinere vẽturum, & inde postridie vespere profecturum: qua illi re audita, parata naui continuò ad me deducendum venerunt. sub noctem conscendi, comitibus pijs aliquot Lusitanis, qui me rogauerant, vt mecum se ad illas Ecclesias inuisendas venire permitterem. Descendentibus nobis ad littus obuiam prodiere Iaponico more cum facibus multis: eodemque comitatu ad templum venimus, vbi nos magna populi multitudo cum pueris exspectabat. Concione habita, & puerorum catechismo peracto, quòd iam intempesta nox erat, plebem dimisi, maneque postridie (Dominicus erat dies) post concionem incolas circiter tredecim Christiana doctrina iam institutos baptizauimus. Inde profecti, magna in itinere ac varia incommoda molestiasque pertulimus. Nam & inari, paruis lintribus, ijsque monoxylis, vastos interdum sinus præcidere sumus coacti, vixque imminentium piratarum manus effugimus, qui captos homines diu

multum-

multumque vexatos in seruitutem diuendunt; & terra, iumentis consultò relictis, lutu D lenta via atque teterrima cingulo tenus cœno demergebamur: quæ tamen sordes occurrentibus passim riuis eluebantur. Accessit ad hæc, assiduum pæne profluuium sanguinis, quo sanè grauiter acerbeque vexabar. Sed eas omnes difficultates, Christianorũ erga nos studium caritasque compensabat egregia: cùm & hospitij commorationisque nostræ mercedem constanter ac benignè respuerent: & abeuntes, viatico omnibusque rebus necessarijs liberaliter instructos vberrimo fletu prosequerentur: &, quod longè admirabilius est, impressa à nobis humi vestigia ipsa; obstupescentibus rei nouitate ac miraculo qui mecum aderant Lusitanis, oscularentur. Verùm, ne longior sim, modum epistolæ faciam, si vnum addidero, ex quo facilè iudicare possitis, quanta sit Iaponicę gentis ac nominis ad humanitatem religionemque propensio. Cùm fessus è via, morboque pæne confectus, in quodam ethnicorum oppido substitissem; tametsi nullum erat desiderium cibi, tamen ne planè deficerem, oryzam reformidans, putridaque piscium salsamenta (hæc enim incolarum cibaria sunt) misi qui oua coëmeret. is autem mihi mox oua cum ipsis nummulis retulit. Caussam quærenti, respondit, incolas oua, quod dies ille festus ipsorum esset, vendere noluisse: quòd ægroto quærerentur, dono dedisse. Denique in Bungum ægrè peruenimus: ibi quanquam à Cosmo, ac Socijs amantissimè acceptus, humanissimeque tractatus, vix tamen ad- E huc è diuturna ægrotatione conualui. Vos clementissimum IESVM obsecrate fratres, vt mihi ad se perfectè colendum vires animumque suppeditet. è Bungo. Calendis Octobris. MDLXI.

E SOCIETATIS IESV LITteris in Europam de obitu Consalui Sylueriæ Lusitani.

ONSALVI Syluerię nostri felicem obitum hac epistola persequemur. Is circa initium anni MDLX. cum Socijs duobus Goa discessit in regna quæ dicuntur Inhambanis & Manomotapæ, vt nationibus illis Euangelium nuntiaret, quod concionatorum inopia nunquam probè cognouerant. Vt primùm Inhambanem attigere, morbo corripiuntur ita graui, vti Consaluus natura valentissimus, oculorum acie vehementer hebetata fractisque viribus, pro- F pemodum extinctus sit. Vbi paulo melius habuere, ad vrbem regiam Tongen iter intendunt. ibi Regem vnà cum vxore, sorore, liberis, cognatis, regnique proceribus, populo denique pæne toto intra paucos dies magna omnium gratulatione atque lętitia sacro fonte lustrarunt. Rex Cõstantini, Regina Catharinæ, soror Elisabethæ nomen assumpsit. Inde Consaluus rei Christianę caussa relictis apud Regem Socijs, Manomotapam ire pergit. comitabantur amici Lusitani sex. oram vnica biremi legebant. Mosambico insula superata, vix ad Mafutæ fluminis ostium, leucas nonaginta processerant, cùm atrox coorta tempestas, Consalui deprecatione repente sedatur atque comprimitur. Inde exscensione facta, die qui fuit Diuo Hieronymo sacer, plicatilis ara in ipso littore ad sacrificium excitatur, ita vehementi Solis ardore, vt calceati Lusitani, terrę calorem ferre vix possent. Cõsaluo autem inter sacrificandum eruperunt ex toto capite pustulę: quas cùm ad curandas medicamenta nequaquam deessent, præclaro sui ipsius odio incensus ille cuncta repudiauit, seque naturæ dumtaxat sanandum permisit, ac tempori. Triduum ibi morati, tranquillo mari prouehuntur ad Colimanem fluuium. eò reflantibus iterum ventis ęgrè subuecti, ad Mingoaxanem Giloę regem veniunt amicum Lusitanorum: à quo benignè ac liberaliter accepti, facta etiam promulgandi Euangelij potestate, diutius tamen ibi non substitere, quod ad Manomotapæ Regem festinarent. quo vno ad Christũ adiuncto, finitimos reges lõgè viribus atq; auctoritate inferiores ad Christum deinde facilè perduci posse confiderent. Hinc ad amnem ingentẽ tendunt Cuamam, leucas à Sofala triginta, ex quo rursus in Lindem proximum sinum periculosa procella compulsi, tredecim ibi stetere dies. Ab Linde cùm ad Cuamam denuo peruentum esset, in ipso

A In ipso introitu fluminis re diuina peracta Consaluus à Lusitanis comitibus petijt primùm, vt quoniam fines Manomotapæ ingredi inciperent, totum legationis suæ negotium Domino suppliciter commendare ne grauarentur: deinde vt æqui bonique facerent, si reliqua tota nauigatione se, vt precibus vacaret, ab eorum conspectu atque consuetudine remouissent: in rebus præsertim grauioribus, consulto potissimum Deo exoratoque opus esse. tum iubet in certa nauigij parte velum sibi prætendi. in eo recessu octo ipsos dies ita delituit, vt semel tantùm quotidie tosti ciceris pugillo, & exiguæ haustu frigidæ sese reficeret, & quicquid à precatione supererat temporis, in euoluendo libro consumeret, qui scriptas sanctorum continebat vitas.

Octauo igitur die, cùm ad Senam (qui terminus nauigationis erat) venissent, vicum sanè frequentem; ibi descensum est, nuntiusque à Consaluo ad Regem de suo aduentu in intima regni missus. à quo dum responsum exspectat, interim Christianos aliquot inquilinos à peccatis per confessionem absolutos, à turpi concubinarum consuetudine ad sacras nuptias legitimasque traduxit, catechismum publicè docuit, & è Lusitanorum seruitijs ibidem capita fere quingenta baptismo lustrauit. Regem etiam Inhamioris, Regis Manomotapæ stipendiarium, tribus passuum millibus à vico Sena, cùm aliquoties adijsset, cohortationibus suis ita permouerat, vt se vnà cum vxore & liberis, libentissimè Christianum fore profiteretur. Sed Consaluus, partim quòd non haberet quem apud illum catechismi causa relinqueret, partim etiam ne Manomotapæ Regis offenderet animum, si prius stipendiario quàm ipsimet Christiana sacra impertissent, Inha-
B mioris Regem vt potuit consolatus, hortatusque vt ipse cum suis Dei bonitate fretus in suscepto consilio permaneret; totam rem in tempus aliud distulit. Iamque alter effluxerat mensis, cùm Antonius Caiadus Lusitanus, qui morabatur in vrbe Regia Manomotapa, legatus à Rege ad Consaluum aduenit Manopotapam perducendum. Consaluus sacrorum ornatu cum sacrato lapide & calice in sarcinam colligato; sublatoque in humeros, se in viam dedit. Cùm ad fluuios ventum erat, qui multi in ea regione sunt, si quidem vado superari possent, quamuis ad iugulum vsque pertingerent, transibat, manibus elata seu capite sarcina: sin minus, vasi ligneo impositum peramplo Consaluum, natantes ipsi propellentesque traijciebant Cafres, quo nomine gentes eæ appellantur. sub noctem natalem Domini ad Chetuchin pagum haud longè à Manomotapa ventum est, factumque ter sacrum summa Lusitanorum animi voluptate. Inde Natalium feriarum octaua, cùm vrbem Manomotapam introissent, misit cõfestim Rex qui Consaluum cum muneribus viseret, auri pondere ingenti, bobusq; permultis, & famulatu ad ministeria quotidiana: quippe qui de Lusitanis mercatoribus iam ante cognouerat, Consaluum non modò vitæ sanctitate virtuteque præstantem, sed etiam generis claritate ac nomine in primis esse conspicuum. Consaluus gratijs actis, muneribusque repudiatis, ex ipso legato Regem cogniturum esse respondit, quod genus auri, quasve diuitias quæsiturus in ea loca venisset. Obstupuit ea animi magnitudine Rex, venientemque ad se deinde Consaluum tanta gratulatione & significatione honoris excepit; quanta neminem
C vnquam antea. Nam & in ipsa penetralia, quò nulli est aditus, introduxit; & assidente matre, considere Consaluum etiam in tapete iussit, Antonioque Caiado è conclauis ianua interprete adhibito, Rex quatuor continuò sciscitatur, quot fœminas, quid auri, prædiorum, bouum denique vellet, quos incolæ non minoris quàm aurum ipsum æstimare dicuntur. Cùm nihil se præter ipsum Regem respondisset optare; conuersus ad interpretem inquit Rex: Profectò necesse est, qui nihil horum accipiat quæ à cæteris tantopere adamantur, longo interuallo à reliquis distare mortalibus. & nihilominus ad extremum multa benignè pollicitus, amantissimis verbis Consaluum ad hospitium remisit. Ibi dum ille manè rem facit diuinam, è principibus quidam prætereuntes cùm è foribus aspexissent in ara propositam perelegantem MARIAE VIRGINIS imaginem, quam in tabula depictam ex India Consaluus aduexerat, specie decepti ad Regem deferunt, Consaluum egregia forma puellam apud se habere, hortantur vt ab illo deposcat. Nec mora: mittit ille, qui Consaluo renuntiet, audisse se, illum vxorem secum adduxisse: vehementer cupere, vt eam sibi sistat. Tum Consaluus tabulam pretiosa veste inuolutam ad Regem affert. Cuius desiderium quò magis exacuat, præfatur illam esse effigiem matris Dei, cuius in ditione ac potestate sint omnes Reges, & Imperatores orbis terræ totius: ac tum denique tabulam aperit, Regis quoque matre præsente. Rex imaginem veneratus, Consaluum etiam atque etiam obsecrat, eam sibi largiatur; domi

habere ſe velle. Libenter verò Conſaluus annuit: quin etiam ipſemet in regio cubicu- D
lo collocat, ibidemque quaſi ſacellum quoddam precandi cauſſa periſtromatis pretioſis
exornat. Narrant qui inde venêre Luſitani, noctibus deinceps circiter quinque, Regi-
nam cœli ea ipſa ſpecie quam tabula oſtenderet, diuina circumfuſam luce, ſuauique
ſplendore fulgentem, auguſtiſsimo ſimul ac iucundiſsimo aſpectu, dormitanti Regi
aſtitiſſe. quod ille manè matri narrabat, rei nouitate vehementer attonitus, itemque
Luſitanis, qui ſtatim id Conſaluo renuntiabant. Poſtremò Rex Conſaluum ipſum ac-
cerſit, ait ſe mirum in modum angi, quod ſermonem Reginæ eius quæ ſecum ſingulis
noctibus loqueretur, non intelligeret. Cui Conſaluus cùm eam eſſe linguam diuinam
dixiſſet, quam nemo noſſet, niſi qui ſacroſanctis eius Reginæ filij legibus pareret, quip-
pe qui DEVS eſſet, generiſque totius humani redemptor; Rex in præſentia quidem, ſi
minus verbis, vultu certè ac ſignificatione ſe Chriſtianum velle fieri oſtendit: bidui
deinde ſpatio interiectio, per Antonium Caiadum Conſaluo apertè denuntiat, cer-
tum eſſe ſibi matrique Chriſtiana ſacra ſuſcipere: proinde ad ſe baptizandum quam-
primum veniret. Conſaluo tamen dies aliquot ſuperſedere ſatius viſum, dum Rex
Chriſtianæ fidei præceptis ac rudimentis imbuitur. quibus, cùm ſatis iam operam dediſſe
videretur, quinto circiter & vigeſimo poſt aduentum ſuum die Conſaluus Regem ſimul
& matrem non ſine ſolenni pompa & gratulatione baptizat. Regi, Sebaſtiani: matri,
Mariæ nomen eſt inditum. Eo ipſo die Rex Conſaluo, quoniam aurum reſpueret,
boues centum donauit: ille ad Antonium Caiadum miſit, vt in fruſta diſſecti diſtribue- E
rentur in pauperes. Quam eius liberalitatem ac beneficentiam populus ingenti cum ad-
murmuratione ſuſpexit. Regem imitati trecenti ferme è regni proceribus, Chriſto ſeſe
pariter addixêre. Hi nunquam à Conſalui latere diſcedebant. adferebantur etiam do-
na Conſaluo: lac, oua, butyrum, hœdi, aliaque id genus: quæ ille nec aliud genus car-
nis omnino guſtabat; cocto dumtaxat milio quodam exiguo, herbiſque, & ſylueſtri-
bus victitans pomis. Iamque ſpectata vitæ morumque ſanctimonia ſtudioque ſalutis
humanæ, tantam ſibi ſummorum infimorumque beneuolentiam conciliauerat, tantoſ-
que in omnium animis effecerat motus, vt in Chriſtianam religionem vniuerſa multi-
tudo videretur incumbere; cùm à Mahometanis quattuor potentibus & callidis viris,
& apud Regem gratioſis, Conſaluo parantur inſidiæ. Auctor conſpirationis Moſam-
bicanus Minguames nefariæ ſuperſtitionis antiſtes, ſiue, vt ipſi appellant, Cacicius. ij
Regi partim coram ipſi, partim per idoneum internuntium valde ſibi dolere demon-
ſtrant, quòd tantum in capitis regnique diſcrimen vltrò ſe ipſe demiſerit. Conſaluum,
cui tantum fidei & honoris habeat, miſſu Proregis Indiæ, terræque Sophalæ regulorum,
ad explorandum Regis ſtatum, ſolicitandoſque ad defectionem popularium animos
aduenisse, vt motibus excitatis ipſi deinde infeſto exercitu ſubſequuti, Regem oppri-
mant. Addunt inſuper fabuloſa portenta, Conſaluum magum eſſe teterrimum om-
nium, & ſagaciſsimum, varia veneficia ac medicamenta ſecum attuliſſe ad incolarum
animos occupandos, Regemque mactandum, quicunque caput ſuum aqua perfundi pa- F
terentur, conceptis præſertim verbis Langariorum (ſic enim Luſitanos vocant) à Con-
ſaluo pronunciatis, confeſtim volentes nolentes in eius poteſtatem venire: id ipſum ali-
bi contigiſſe, proinde videret etiam atque etiam Rex quò progrederetur, cui ſe ſuaque
crederet. Si Conſaluum abire permittat incolumem, fore vt ciues mutuis inter ſe cædi-
bus amentes atque lymphati miſerandum in modum graſſentur atque concurrant. Hiſce
alijſque mendacijs onerato Regi, adoleſcenti præſertim, ac matri, facilè perſuaſum eſt,
vt Conſaluum primo quoque tempore interficiendum curarent. Nec dum ea conſilia
eruperant, clandeſtinis agitata colloquijs; cùm ad Antonium Caiadum Conſaluus,
haud ignaro (inquit) mihi, nec imparato, mors inſtat ab Rege. Caiado autem ita in-
credibilis viſa res, vt ſubridens prorſus negaret. iamque dies aduenerat necis, vel vitæ
potius, qui dies natalis erat idem D. Suſannæ Virginis martyriſque: Conſaluus ab An-
tonio magnopere petit, vt Luſitanos duos treſue ad ſe confeſtim accerſat. Confeſsio-
nem (inquit) illorum tuamque ſimul excipere, & ſacra Euchariſtia hodierno die refi-
cere vos omnino conſtitui: nec enim poſtea potero. Hos ille dum abſentes euocat,
Conſaluus ad meridiem vſque præſtolatus, cùm non adeſſent, conſecratas conſumpſit
hoſtias duas: factiſque eodem die Chriſtianis circiter quinquaginta, veſtem ad corpo-
ris cultum, roſaria ad precandum diuiſit. Luſitanos verò ſub veſperam redeuntes, con-
feſsionis Sacramento, quoniam Euchariſtiæ non licebat, purgatos, mira vultus hilari-

tate

A tate animique tranquillitate animabat inſcios quid ille conditum haberet in animo. Ijſdem ſacrorum apparatum dat in ædes Antonij deferendum. ipſe linteatus cum effigie Chriſti ad Crucem affixi, domi remanſit, reuertentique rurſus Caiado, pectus hominis manu leniter apprehendens, Antoni Caiade (inquit) profectò paratior ad mortem obeundam ego ſum, quàm ipſimet inimici ad inferendam: Regi autem ac matri libenter ignoſco. Mahometanorum quippe artificijs ac dolis inducti ſunt. Hæc ille ſerena facie atque hilari cùm dixiſſet, Antonius ab eo digreſſus, tametſi vix fieri poſſe putabat, vt Rex tam nefario ſcelere ſeſe obſtringeret; tamen, quoniam ex recenti quodam ſermone, eius animum exulceratum, contra quàm exiſtimaſſet, offenderat; famulos duos ad Conſaluum cuſtodiendum ea nocte miſit, à quibus ea quæ ſequuntur, accepta ſunt: Conſaluum, cùm ſecus diuerſorium in area ad multam noctem, quaſi è corporis cuſtodia exire geſtienti mora nimis longa videretur, ita citatis greſsibus ambulaſſet, oculis ſemper intentis in cœlum, manibus modò ſublatis ad ſidera, modò Crucis in figuram extentis, ducens ex intimo corde ſuſpiria; ſuum denique tugurium ſubijſſe, fuſiſque precibus coram Chriſti ſigno, quod vnum ſolatium illi ſupererat; in arundineum ſtratum decubuiſſe, & in ſomnum incidiſſe iuſtorum: id enim ex inſidijs conſpicati ſatellites octo circiter, illicò irrumpunt: in ijs barbarus nobilis nomine Mocrumes, qui ſæpe cum Conſaluo conuiuium inierat, iacentis pectus opprimit inſidetque, arreptum inde pedibus & brachijs, humo tollunt alij quattuor: duo reliqui collo inijciunt funem, quo vtrinque adducto, Conſaluus expreſſam ex ore naribuſque magnam ſanguinis copiam effudit, & ſpi-
B ritum ſimul Domino reddidit. Tum verò CHRISTI ſimulacro ſacrilegis manibus comminuto, defuncti corpus reſte ligatum, attractumque interfectores in præterfluentem Monſengeſſem deijciunt, ne videlicet (quod Mahometani confinxerant) cadauer ipſum tam malefici hominis ſub dio relictum veneni ſui tabe cunctos inficeret. Hunc habuit exitum pia Conſalui legatio: quo ſublato, Rex eadem ſæuitia percitus Chriſtianos pariter quinquaginta, quos ille extremo die ſuo pepererat, magiſtri donis exutos iubet occidi. Id ſimulatque cognitum eſt, regni proceres, quos Encoſes vocant, rei atrocitate permoti conſenſu adeunt Regem; &, ſi hominibus (inquiunt) hiſce mors idcirco debetur, quòd aquam infundi capitibus ſuis à Conſaluo permiſerint; eadem & omnium noſtrum, & verò tua quoque cauſſa Rex eſt: omnibus vno eodemque leto occumbendum. Qua denuntiatione repreſſus Regis furor cùm aliquantulum reſediſſet, eum biduo poſt Luſitani quoque conueniunt, docent quàm graui ſcelere ſeſe obligauerit: terroresinſuper addunt, non Deum modò indignam innocentiſsimi viri necem debitis pœnis, ſed etiam homines ipſos nobiliſsimi, bello atque armis vlturos. Ad ea Rex diligenter excuſare ſeſe, culpam in ſuaſores impulſoresque reijcere, magnum perpetrati facinoris dolorem oſtendere, denique vt factis verba conſentiant, è quattuor conſiliarijs duos confeſtim interficit: nam reliqui duo, quorum alter fuit princeps nefarij conſilij Minguames, rem odorati, maturè diffugerant: qui tamen quòd ſumma diligentia conquirebantur, nequaquam euaſuri potentiſsimi Regis manus exiſtimabantur. Hiſce rebus
C perlatis in Indiam, Antonius Quadrius noſter, id ipſum vehementer optante Prorege, idoneam nauigandi tempeſtatem exſpectabat, vt Socios aliquot Manomotapam mitteret ad cæpta promouenda, quæ felicem omnino progreſſum habitura ſperabant, eius Eccleſiæ fundamentis tam innocenti caſtoque ſanguine poſitis.

Nobis interea, cariſsimi fratres, omni cultu & obſequio propitiandus eſt Dominus; ac præter cæteros ipſe quoque Sylueria ſuffragator adhibendus, vt pari ſpiritus ardore ſuccenſi, deuotas Chriſto animas, Dei gloriæ & ſalutis hominum cauſa tandem aliquando fundamus. Goæ.

GASPARIS VILELÆ AD SOCIOS. D

ANNO ſuperiore, Coſmi Turriani miſſu, è Bungo diſceſſurus Meacum, de mea profectione feci vos per litteras certiores. Nunc, quoniam id fore vobis gratum atque iucundum exiſtimo; ea perſequar, quæ mihi ex eo tempore contigerunt: vt cùm Deo Domino gratias agatis; tum fratrem hunc veſtrum à veſtra conſuetudine tanto locorum interuallo diſiunctum, ſupplicationibus veſtris adiuuandum intelligatis.

Anno igitur à Virginis partu MDLIX. comite Chriſtiano Iaponio, Laurentio nomine, probo iuuene, & linguæ huius rerumque peritiſsimo, nauigium ethnicorum conſcendimus: iter autem noſtrum (quòd facilè iudicari potuit) aduerſarius multis rationibus impedire conatus eſt. primùm enim ipſo nauigationis initio, tanta repente malacia ac tranquillitas exſtitit, vt nauis loco moueri non poſſet. Tum barbari vt muneribus pacem ventumque à Dijs obtinerent, ſtipem ſingillatim à vectoribus corrogare cæperunt. Vbi ad me ventum eſt, negaui me vnius Dei conditoris cœli terræque cultorem, in quo ſpes meas omnes haberem repoſitas, quidquam in ipſorum delubra collaturum. quo illi reſponſo adeo excanduerunt, vt eius incommodi cauſſam apud me reſidere, ac proinde me in mare proijciendum eſſe affirmarent. Hic nos ad Deum mente animoque conuerſi: cuius beneficio inflari vela manè poſtridie cæpta ſunt. Sed cùm aliquot paſſuum millia proceſsiſſemus, aduerſo vento rurſus retenti, quatriduum ſtare coacti ſumus. Tum verò barbari planè in nos cauſſam eius rei conferre, verbiſque & ſignificationibus conceptam iram oſtendere: quæ tamen Domino miſerante cohibita eſt. Denique ad portum quendam delati, ibiq; decem dies tempeſtate coacti ſubſiſtere, communi ſententia decreuerunt, nequaquam nos ſecum ex eo loco auehendos: & ipſo quoq; nauarcho in eam ſententiam adducto, nos deſcendere coegerunt: quem tamen, cùm aliam nauem nullam in eo portu offendiſſem, precibus placatum, inuitis omnibus perpuli, vt me vltra eum locum paſſuum ſex & triginta millia deferret. Et quoniam nauarcho vlterius progrediendum non erat; barbari circum naues quotquot in eo portu erant circumcurſare ſtatim incipiunt, & gubernatoribus apertè denuntiare, ſi proſperam optent nauigationem, nos omnino reijciant: ita cunctis abeuntibus, nos in littore ſumus relicti: ſed paulò poſt diuinitus alio confeſtim nauigio appulſo, tam feliciter nauigauimus, vt portum citius ijs qui ante nos ſoluerant (cùm etiam aliquot eorum in piratas incidiſſent) ſine vllo periculo tenuerimus. Tum denuo inſtare barbari, & nauicularijs perſuadere conati ſunt, ne porrò nos ad vrbem Sacaium veherent: ſed fruſtra. etenim incolumes eò peruenimus quarto Idus Sextileis: qui dies quoniam Diuo Laurentio erat ſacer, ipſum Chriſti martyrem, eius nationis patronum aſciuimus. eſt autem vrbs Sacaium perampla, plurimiſque ac pecunioſis mercatoribus frequentiſsima, ſuisque legibus ac moribus more Veneto gubernatur. Hic nos ex itinere aliquantulum recreati, ad montem contendimus Frenoiamam, ab vrbe Meaco paſſuum millibus decem & octo. mons autem eſt permagnus: habitatur à Bonzijs, & caput eſt regni, ad cuius radices iacet lacus plenus piſcium, paſſuum nonaginta millia in longitudinem, vnum & viginti in latitudinem colligens, quem multi confluentes efficiunt amnes. in eius littore locus eſt ad montem pertinens cœnobijs plus quingentis viſendus, multis alijs bellorum iniuria deletis, quæ quondam trium millium & trecentorum ſummam impleſſe dicuntur. Hæc autem cœnobia Bonzij variarum habent ſectarum, bipedum ſuperbiſsimi: ac cæteri quoque montis incolæ ad litteras natura propenſi videntur, in quibus (vt opinor) excellerent, ſi ſe ad Chriſtianam religionem adiungerent. ijs nos Euangelij lumen inferre conati, nihil profecimus, & nemo nobis aures, præter ſenem quendam Bonzium, dedit: cui, & ſimul diſcipulis eius aliquot, demonſtrauimus vnum eſſe Deum opificem rerum omnium, animoſque hominum eſſe immortales. tum ille mihi in aurem inſuſurrans, orationem meam, quamuis placitis Iaponiorum aduerſaretur, planè ſibi probari dixit, & præſertim quæ de animorum æternitate à me fuerant diſputata: ſed quominus Chriſti ſacra ſuſciperet, ſe Bonziorum metu, capitiſque periculo deterreri. vbi igitur fruſtra nos laborare intelleximus, inde profecti, paucis diebus

Meacum

A Meacum hyeme tum ineunte peruenimus : est autem vrbs perampla, tametsi maior olim fuisse traditur, cùm esset eius longitudo passuum vnius & viginti millium, nouemque latitudo. Hanc montes editissimi cingunt: quibus in imis ingentia vbique & opulenta cœnobia, atque ædificia antiqua cernuntur: quanquam seditionibus & incendijs vnà cum ipsa vrbe, magna ex parte diiecta & excisa; vt, quod nunc vrbis incolitur, priscæ magnificentiæ tenuis quædam velut imago esse perhibeatur. Regio est in primis frigida, partim ex copia niuium, partim ex arborum cæduarum inopia. Sterilis autem adeò, vt raphanis, rapis, malis insanis, & leguminibus vulgo vescantur. hæc autem ciuitas dicitur quondam religione ac litteris floruisse: cuius rei argumentum etiam illud afferunt, quòd ex eadem vrbe monteque omnes Iaponiorum sectæ manauerint, quarum principes ac magistri in his locis sibi in hoc vsque tempus sedes ac domicilia collocarunt. Meaci igitur, conducto hospitiolo, cùm nemo ferè ad nos ignotos adhuc, & obscuros audiendos accederet, mihi faciendum existimaui, vt primùm omnium Regem siue Imperatorem honoris caussa inuiserem, vt eo beneuolo, propitioque vteremur: deinde sumpta Cruce, in mediam viam ex ædibus prodiens Christum palam prædicare instituì. quas ad voces ingens continuò populi multitudo conuenit, alij rerum nouarum studio, alij etiam cauillandi atque irridendi. Quorum interrogationibus cùm ita Deo adiuuante responderetur à nobis, vt ipsorum rationes planè infirmari ac refutari constaret; aduentus nostri fama totam vrbem ita peruasit, vt omnium sermone celebraretur: partimque improbaretur nostra doctrina, partim etiam defensores aliquos inueniret. Bonzij quidem furen-

B tes circumcursare vicos, plebem in nos incitare, Euangelium probris maledictisque proscindere, falsis etiam testibus criminari, nos carnes humanas vorare, repertaque domi nostræ ossa cadauerum: alij denique nos hominum specie dæmonas dicere: hortari etiam vicinos, vt nos finibus pellerent: ædium verò domino exprobrare, quòd nos in suis tectis morari pateretur: qui ipsorum dictis impulsus, mihi renuntiari iussit, vt confestim migrarem: cumque incertus quò me reciperem, haud ita continuò paruissem; stricto gladio in me impetum fecit, quamuis intelligeret, si me occidisset, se vel patrijs legibus capite punitum iri; vel eius ignominiæ vitandæ caussa, mortem Iaponico more sibi vltrò esse oppetendam. Ac meus quidem quis tum esset animi sensus ac status, cùm impendentem mihi è barbari manibus ensem aspicerem, existimare potestis ipsi. Et sanè mihi affirmanti credite fratres, permultum interesse, vtrum quis mortem apud se tacitus meditetur & cogitet, an oblatam sibi propius intueatur ac cernat. Ego me (ad quem enim confugerem?) Domino totum commendaui ac tradidi; cùm vna me res eo tempore solaretur, quòd intereos terrores minasque, verbum Dei in hac vrbe, quæ omnium Iaponicarum superstitionum est parens, disseminari & crescere intelligerem. Eo periculo perfunctus, cùm iam aliquot Christianos feciissem, iniquorum furori concedere, & in alias ædes migrare constituì, quas nobis vini propola quidam exhibuit perincommodas. quippe quæ Ianuario mense in magna niuium copia, frigoribus maximis; & parietibus, & omni alio munimento carerent. Hic nos maiore etiam animo cæptis instiți-

C mus, Dei beneficio parati, vitam, si opus esset, in Christiana caussa profundere, iamque & è ciuibus plures, & è paganis permulti Christo nomina dare non dubitabant, quamuis ob idipsum vulgo despicerentur; & Bonzij, quamuis aliqua ex parte placati, nondum tamen calumnijs ac maledictis nos lacerare desisterent, quinimmo ne vspiam consistere nobis liceret, communi consilio emptores ab eius taberna qui domum nobis locauerat, auocare cæperunt: quo ille permotus incommodo, sæpius egit mecum, vt inde migrarem: sed tamen solitudinem nostram miseratus, quòd nullus præterea foret nobis in vrbe locus, tres menses de habitatione commodare decreuit. quo temporis spatio multa frigoris, laboris, valetudinis incommoda non solùm æquo, sed etiam libenti animo (Domino auxiliante) pertulimus. Iamque æstas appetebat, cùm Regem rursus adiuimus, vt nobis in vrbe tutò manendi faceret potestatem. ac, tametsi obtrectatores non defuêre, feliciter tamen diploma statim abstulimus, mortis proposita pœna, si quis nos aut iniuria affeciisset, aut quò minus suscepto munere fungeremur, impedire ausus esset. Ea re & iniquorum impetus retardati, & Christianorum numerus ita auctus est, vt necesse fuerit perampla domo ad eam rem coëmpta templum instruere, quò non Christiani solùm, sed etiam ethnici confluebant. quorum alij se ad Ecclesiam aggregabant, alij cùm verba nostra vehementer probarent, Baptismi tamen petitionem se differre dicebant, quoad latius res Christiana patesceret. Annum iam in opere versabamur, meliusque res ibat in

dies, cùm perpetuus ille hostis bonorum omnium, Bonzios, alioſque barbaros impu- D
lit, vt magna pecuniæ vi in commune collata magistratus corrumperent: qui muneribus deliniti inscio Rege nos summa cum ignominia exterminassent vtique, nisi cognita re ethnicus quidam primarius, vir bonus, & nostram causſam apud Regem agere solitus, nocte antequam domum nostram irrumperent inimici, me per nuntium monuisset, vt Bonziorum rabiem in præsentia declinarem, meque in arcem quandam suam ad sextum decimum lapidem ab vrbe, reciperem. Consilio à Christianis probato, magna eorum manu, ea ipsa nocte ad arcem vsque deductus, fere quatriduum latui. Sed cùm iam res postulare videretur, ne diutius, abessemus, Meacum occultè regressi, ad Christianum quendam diuertimus. quo tempore varius erat de nostro discessu populi rumor: cùm alij iniuria, alij iure optimo nos oppido pulsos dicerent. Christiani verò clam eò ventitantes, quibuscunque rebus poterant, consolari nos & iuuare conabantur: quorum opera quattuor mensium inducijs impetratis, vt interea de nostra mansione, vel profectione ageretur; in publicum magna omnium bonorum gratulatione prodiuimus, neque ita multò post sacra ædes nobis est restituta. Quæ dum geruntur; ad Regem delatum est, contra ipsius edictum quàm iniqui in nos Bonzij ac magistratus fuissent. qua re permotus, multo nobis in posterum diligentius cauit. aduersarij verò fracti ac debilitati non modò nos vltra vexare destiterunt, sed etiam facta iam nobis libera commorandi potestate, nonnulli fauere visi sunt. ita, quod consilium diabolus in nostram perniciem ceperat, idipsum vel maximè nobis diuinitus profuit. E

Restat vt nonnulla de superstitione, sacrisque huius gentis attingam, vt ipsorum cæcitate perspecta, eò magis enixè pro ipsis Dominum deprecemini. Primùm Augusto mense concelebrant ludos quos vocant Gibon (quæ vox hominem significat) quòd ij ludi homini sacri esse dicantur: quorum eiusmodi est ratio. Primùm in vrbis vicos, opificumque collegia, describunt pegmata excogitanda moliendaque. inde vbi festus dies aduenit, veluti ad supplicationem populus coit. Agmen currus quindecim, vel viginti præcedunt fericis pretiosisque tapetibus cooperti: in ijs pueri multi psallentes, vel tympana pulsant, vel tibijs concinunt. Singulos autem currus hominibus tricenis, aut quadragenis impulsos sua quemque artificum turba sectatur. Alia deinde sequuntur vehicula hominibus armatis instructa, fericis item, varijsque priscarum rerum monumentis ornata. Hoc ordine pompa delubrum præteruehitur, cuius delubri ea celebritas est: qua in re matutinum tempus omne consumitur. Sub vesperam inde binæ lecticæ prodeunt: altera illius quem colunt Dei, lecticarijs ita compositis, vt præsentis numinis pondere valde fatigari premique videantur; alteram esse aiunt amicæ cuiusdam ipsius. neque ita multò post, tertia lectica vxoris iustæ gestatur, cui simul ac maritus per nuntium significauerit se vnà cum pellice aduentare; lecticarij statim huc atque illuc lymphati discurrunt, itaque vxoris Zelotypiam insaniamque significant. Hic populus magna edit signa doloris, atque mœstitiæ: plorant multi, multique ad consolandum Deæ animum positis genibus eam supplices venerantur. denique lecticæ coniunctæ ad F
phanum redeunt: atque ita ludis finis imponitur.

Neque ille minus miserabilis error est. Eodem Augusto mense biduum tribuunt colendis Manibus mortuorum. sub imminentem noctem in ædium foribus lampadas multas accendunt vario genere picturæ, & ornatu: inde vrbem tota nocte perambulant, alij religionis, alij etiam spectandi causſa: magna etiam populi vis, cùm aduesperascit, ex vrbe, aduentantibus (vt ipsi videlicet opinantur) suorum Manibus obuiam prodit. Vbi quendam ad locum peruentum est, quo loco eos sibi occurrere arbitrantur; humanis primùm verbis excipiunt: Felix (inquiunt) faustusque sit vester aduentus. Iamdiu aspectus vestri fructu caruimus: considete parumper, ciboque vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, poma, & alios apponunt cibos: quibus ea per inopiam non licet, ij aquam calidam secum afferunt: ibique totam horam morati, quasi finem epularum exspectent, precibus eos in suas domos inuitant, aiuntque præcedere se, domus instruendæ causſa, parandique conuiuij. Vt biduum illud effluxit, accensis funalibus oppido plebs egreditur, lumina discedentibus præferens, ne scilicet in tenebris offendant, aut quopiam incurrant: inde in vrbem reuersi, ædium tecta lapidationibus diligenter excutiunt, ne qui fortè ex Manibus (à quibus nimirum aliquod sibi metuunt damnum) occultè remanserint: tametsi eos miserantur nonnulli, quòd paruulos dicant esse, &, si fortè eos in itinere imber oppresserit, extingui miſellos. Interro-

gati

A gati Iaponij, cur illis epulum præbeant, reſpondent, eos ad paradiſum tendentes ſuum, qui abeſt leucarum decies millies millena millia, quod iter non minus quàm triennio conficitur, feſſos è via, recolligendarum virium cauſſa huc diuertere. Per eos etiam dies omnia ſepulcra diligenter purgant: Bonzij autem videlicet regnant; nemo eſt enim re familiari quamuis exigua, quin ad expiandos ritè ſuorum Manes, Bonzijs munus aliquod afferat. Videtis fratres mihi cariſsimi huius gentis errores, & tenebras, in quibus hæret adeo pertinaciter, vt eam inde ægrè admodum eruas. Obſecrate Dominum, vt eos pro ſua bonitate conuertat.

Ad hæc, alios etiam agunt celebri cum certamine ludos menſe Martio ſanè deteſtabiles. Conueniunt pòſt meridiem quibuſcunque libuerit, armati, deorumque ſuorum imaginibus picti humeros. tum duas in acies diuiſi, pueri primùm lapidibus, deinde cæteri ſagittis, & ſclopis, mox contis, poſtremò gladijs dimicant. qua ex pugna ſemper ferè nonnulli deſiderantur, complures vulnerati diſcedunt, omnibus qui in eo prælio quempiam occiderint, aut plagis affecerint, impunitate propoſita. omnino bellicoſa eſt natio. hoc ipſorum ſtudium, hæc eſt oblectatio: militibuſque pro numero ac dignitate capitum, quæ ex hoſtibus cæſa retulerint, præmia perſoluuntur.

Dæmon autem tanto apud hoſce miſeros in honore eſt, vt ei magnificentiſsima phana exſtruantur: in quibus horribili ſpecie ſeſe identidem offerens, cùm alibi adoratur à populo, tum præſertim in monte ſuburbano, in quo fuiſſe quondam aiunt cœnobiorum ſeptem millia, quamuis nunc minus multa viſantur: quorum eſt vnum in primis
B opulentum, & confluenti omnium ordinum multitudine vſque adeo celebre, vt cùm Reges bella geſturi ingentem auri vim ei delubro voueant, & victoria parta perſoluant; tum infima quoque plebs in ſuis difficultatibus atque periculis eodem auxilij cauſſa confugiat. quibus dæmon per quietem apparens perſuadet, ſe ipſorum religione placatum, eos è periculo eripuiſſe, perindeque ijs cætera in poſterum ceſſura, vt ipſum ritè negligenterue coluerint. quibus ille artificijs ita imperium in has gentes exercet, vt magnopere metuatur, obſeruetur, denique adoretur ab omnibus.

Ille quoque deplorandus hominum error eſt. Bonzium quendam Combadaxi nomine, ante octingentos annos ferunt in hac vrbe verſatum: quem equidem exiſtimo hominis forma dæmonem fuiſſe: adeo nefaria ſcelera ab eo excogitata, cæteriſque demonſtrata narrantur. hunc tradunt deducere ſtellas è cœlo, & futura prædicere ſolitum: inuentorem etiam litterarum fuiſſe, quibus Iaponij vtuntur, ſibique multa eaque magnifica templa ædificari iuſsiſſe, extremaque iam ætate ſubterraneum ſibi effodi ſpecum, in quem vltrò ſe condidit, cùm diceret, ſe iam vitæ huius ſatietate teneri, & in eo ſpecu viuentem velle quieſcere ad annorum decies millies millena millia. quo tempore fore, vt magnus quidam in Iapone doctor exiſteret, ſeque tum in lucem hanc eſſe rediturum: eo ſermone habito, ſe intra ſpecum obturato oſtio occludi imperaſſe. magnum eſt eius vbique nomen, & viuere etiamnum creditur, multiſque ſe per viſum
C offert, & ab eo plerique ſuppliciter opem implorant. anniuerſaria verò illius diei ſolennia, quo die ſeſe in ſpecum abdidit, mirum quanta remotarum etiam nationum frequentia celebrentur.

Alij præterea alijs ætatibus fuêre tres vel quattuor Bonzij ſumma eruditionis exiſtimatione, quibus item magni honores habentur: ſed vni præſertim, quem ante annum trigeſimum vixiſſe perhibent, auctorem ſectæ eius, quam Icoxos vocant: magna apud plebem auctoritate: cui ſectæ Bonzius ſemper cum imperio præſidet, ſtupris, flagitijſque palam turpiter deditus. quem plebs nihilo minus tanta pietate, ac veneratione proſequitur, vt eum ſi modò aſpexerit, vim lacrymarum profundat, ſoluique ſe admiſsis noxis ab eo ſuppliciter petat. eidem tantum pecuniæ deferunt, vt magnam Iaponicarum diuitiarum partem vnus obtineat. Feſtos verò eius dies quotannis ita conferta populi multitudo concelebrat, vt in ipſo cœnobij aditu, cùm fores aperiuntur, obtriti aliqui ſemper intereant: quibuſcum ita præclarè agi putatur, vt nonnulli religionis cauſa ſeſe pedibus irrumpentium vltrò calcandos necandoſque ſubſternant. nocte autem, oratio de laudibus eius dum habetur, tanta auditorum comploratio oritur, vt ſi publicè magnum aliquod incommodum ac vulnus eſſet acceptum,

Magna eſt etiam ſanctitatis opinio Bonzij Nequiron, qui ante quingenteſimum annum floruiſſe dicitur, & Foquexanæ familiæ princeps fuiſſe.

Hactenus de rebus Meacenſibus. venio ad Sacaianas. Ego Sacaium Coſmi iuſſu D
Meaco me contuli, vbi ſum in præſentia: quam vrbem, cùm ex concurſu hominum ad nos audiendos (quorum aliqui iam baptizati ſunt) lætam nobis animarum ſegetem allaturam; tum quod copioſiſsima ac munitiſsima eſt, tutum nobis in tumultibus bellicis perfugium fore confidimus.

Multa vidi poſt meum aduentum memoratu digna, è quibus ne longior ſim, vnum dumtaxat exponam. Iulio menſe feſtum diem agunt Daimaogini, quem excellenti ſanctitate virum, aſſeclam aiunt fuiſſe priſci cuiuſdam Imperatoris. hunc Sacaiani adorant, templis compluribus ei dicatis, & ludos eiuſmodi faciunt. Horis pomeridianis viam vrbis longam ad paſſus ducentos tranſuerſis vtrinque tignis ac tabulatis obſepiunt, ne plebi introſpicere liceat: tum magna hominum multitudo à tribus paſſuum millibus eò contendit. in primo agmine idolum procedit equo inſidens, ſtricta ingenti machæra, pueris duobus deinceps comitantibus, quorum alter arcum eius & pharetram, alter accipitrem gerit. pueros multæ equitum turmæ certis inſignibus diſtinctæ ſequuntur, & magna præterea peditum vis, qui voto ſeſe ei celebritati obſtrinxêre, ſaltanteſque concinunt, Xenzairaquu, Manzairaquu; hoc eſt annos mille voluptatis, mille millena millia gaudij. Hanc turbam Bonzij primùm candidati pſallentes, deinde vniuerſa nobilitas in equis mitrata, poſtremò quinque vel ſex veneficæ magno mulierum comitatu linteatæ ſequuntur: extremum agmen claudunt ingentes armatorum copiæ ad excipiendam Daimaogini lecticam prodeuntes ad viam, quam clauſam eſſe dicebamus. Lecticam verò ipſam inauratam lecticarij ferunt viginti, qui varias cantilenas velut interca- E
lari quodam carmine concludunt, Xenzairaquu, Manzairaquu. Eandem, ſimulatque profertur in publicum, iactata ſuppliciter ſtipe, alijſque ſimilibus veneratur populus. Hanc ego ſuperſtitionem, & alias in hac vrbe conſpexi, quas Dominus aliquando penitus abolere dignabitur. Meacum ad Natalem Domini cum Chriſtianis agendum poſt menſes quattuor cogitabam, vt menſe Martio Sacaium denuo reuerterer, Chriſtianamque rem omni conatu fulcirem, quoad nobis ſupplementum iſthinc in tanta operariorum inopia ſubmittatur. Vos per Dominum obteſtor fratres mihi cariſsimi, animum inducatis ad hanc prouinciam adeundam. Etenim ſi quod vnquam tempus amplificandæ Catholicæ Eccleſiæ fuit idoneum, nunc certè egregia ſeſe præbet occaſio. Iaponica lingua haud ſanè difficilis eſt, vtique ad intelligendum. patientia tantùm, animique ſubmiſsione opus eſt, ad ea quæ Dominus permiſerit, perferenda: quas ille virtutes pro ſua benignitate profectò impertiet ijs, qui huic colendæ vineæ ſeſe alacri animo obtulerint. Quem nos etiam atque etiam obſecramus, vt in animis veſtris, & omnium ſemper inhabitet. Sacaio. XVI. Calen. Septemb. MDLXII.

EX EPISTOLA ARIÆ SANCTII ad Socios.

EGO in hac vrbe fratres mihi cariſsimi operam nauo curandis ægrotis, qui in Hoſpitali domo ſunt; & ſimul pueros quindecim partim Iaponios, partim etiam Sinas, qui apud nos educantur, litteras & muſicen doceo, quò maiore cæremonia cultuque ſacra in poſterum peragantur: quam rem ad conuerſionem barbarorum non mediocriter profuturam eſſe confidimus. In his pueris duo numerantur, alter quattuordecim, alter vndecim natus annos, tam excellenti ingenio prædi ti, vt id ætatis, Chriſtianos concionibus ſuis ad lacrymas vſque permoueant. Sed maiorem Coſmus Turrianus Meacum miſit ad ædem ſacram tuendam, & Gaſparem Vilelam in opere ſubleuandum: minor apud nos remanſit. Inſtitutum noſtrum in Iaponijs erudiendis, eiuſmodi eſt. Ioannes Fernandus, qui bene iam nouit Iaponicè, edocendis neophytis primùm operam dat: deinde certum in locum ſe confert, quò multi ad eum ſciſcitandi & quærendi cauſſa conueniunt, quibus ille reſpondet; refutatque, cùm opus eſt, errores ipſorum: idque ſæpenumero bis in die. vertendis etiam

Iaponicè

A Iaponicè neceſſarijs quibuſdam libris vacat, adhibitis ad eam rem nonnullis incoli Chriſtianis, vt verſio purior, clarior, atque ſuauior ſit: ex ijs qui Chriſtiana diſciplina inſtituuntur, aliqui ſunt viri primarij, quorum vnus ante Baptiſmum, Bonziorum cœnobio cum poteſtate præfuerat, in Iaponicis ſuperſtitionibus litteriſque apprimè verſatus.

Ad conciones, quæ ſingulis anni feſtis diebus, per Quadrageſimam verò multo ſæpius habentur, operibus ſuis & ratione lucri neglecta, tam alacriter auideq; ventitat plebs, vti freno potius, quàm calcaribus egeat. quantum verò concionibus proficiatur, ſatis apparet vel ex pietate cultuque ſacrorum, vel ex conſenſu mutuaque Chriſtianorum beneuolentia, quam ſanè augeri conſtat in dies. Hebdomadæ ſacræ diebus cùm cætera ſolennia ritè ſunt perſoluta, tum verò quinta feria in cœna Domini, poſteaquam pauperum pedes de more abluti ſunt, agmen proceſsit eorum, qui ſeſe flagris cædebant: ſequebantur tredecim pueri ornatu funebri, paſsionis Domini argumenta geſtantes: ij ſuum quiſque carmen elata voce tanto cum animi ſenſu pronuntiauerunt, vt nemo omnium, quotquot erant in templo, lacrymas tenere potuerit. Paſchali autem die Dominico, hiſtoriæ quædam è ſacris litteris actæ ſunt: vt exitus Iſraëlitici populi ex Aegypto, ſpecie rubri maris in veſtibulo templi machinationibus artificioſis exhibita, quæ tranſitum Iſraëlitis præberet, ingreſſum autem Pharaonem vnà cum exercitu obrueret. Ionæ quoque Prophetæ caſus, aliaque ſimilia ſpectacula edita ſunt. Supplicationibus abſolutis, dialogus publicè eſt habitus, in quo ſuperiorum dierum ex morte Domini luctus atque
B mœſtitia cum Paſchalis celebritatis lætitia & gratulatione conferebatur: quibus rebus mirum quanta voluptate affecti fuerint Chriſtiani. Atque iam ante, ipſis quoque Natalis Domini ferijs, orbis terrarum totius inundationem, cuſtodias Loth, Abrahami victoriam, denique paſtorum aduentum ad oppidum Bethleem, ſermoneſque cum Virgine Dei matre habitos ita ad viuum effinxerant, non modò vt ſpectatores, ſed actores etiam ipſi præ intima animi dulcedine collacrymarentur. Atque hæc de rebus Bungenſibus.

Nunc de cæteris Iaponis partibus pauca complectar. Gaſpar Vilela Meaco Sacaium profectus primarij cuiuſdam viri precibus inuitatu, non ſolùm peramanter ab eo acceptus eſt, ſed etiam eiuſdem benignitate ſumptuque templum ædificauit, quo populus ad Euangelium conueniret: ſtatimque conſtitit operæ fructus, nonnullis ad Baptiſmum adductis, in ijs adoleſcente filio eius, apud quem Gaſpar diuerterat, præclara indole puero, qui tam illuſtria virtutis ac pietatis dedit indicia, vt eius opera parentes quoq; ipſius, fratremq; natu maiorem, qui iam ad religionem Chriſtianam valde ſe propenſum oſtendit, ad Eccleſiam Dei aggregatum iri Domino fauente ſperemus. Puerum hunc Gaſpar deinde, parentibus non inuitis, quos nimirum adoleſcentulus precibus vicerat, in Bungum miſit, vbi quid egerit, è Ludouici Almeidæ epiſtola cognoſcetis.

Quod ad Amangutianam Eccleſiam pertinet, quam iam diu nobis luſtrare non licuit, morem præceptaque ſibi à Coſmo tradita Chriſtianos ſtudioſè retinere cognouimus. Dominicis diebus in templum ſacra tabula picta, quam eo miſit Coſmus, ornatum, frequentes conueniunt: atque vbi Deum ritè precati ſunt, vnus eorum ex Catechiſmo Iaponicè ſcripto nonnulla recitat, de quibus deinde diſſerunt inter ſe.
C

Habent etiam quoſdam quaſi œconomos ægrotis ac pauperibus ſubleuandis pecunia, quæ tum ad eam rem, tum ad curanda Chriſtianorum funera in commune confertur. Aliqui etiam in Bungum ad Confeſsionem, & audiendum verbum Dei ſe conferunt. eam Eccleſiam Coſmus, quoniam per operarios non poteſt, ſaltem per litteras conſolari & confirmare non deſinit.

De Firandenſibus autem rebus illud accepimus, Regem hoc anno ſe denuò Chriſtianis æquum præbere cæpiſſe, templique exſtruendi iam nunc illis poteſtatem feciſſe eo fortaſſe conſilio, vt cum Coſmo in gratiam redeat, & hac ratione cum Luſitanis fœdus & hoſpitium renouet: quorum ſibi amicitia, atque commercium quàm ſit fructuoſum, vt clarius deſiderando ſentiret; nauem eorum, ſuperioribus diebus Firandum appulſam, & Coſmo, & Luſitano viro nobili, qui tum in vrbe Funaio verſabatur, nauarchi eius auunculo viſum eſt faciendum, vt in alias oras auerterent. Igitur abeundi poteſtate ab Rege Bungenſi quamuis ægrè impetrata de Coſmi valetudine atque incolumitate ſolicito, Firandum vterque profecti ſunt. Funaij autem, vbi à Chriſtianis auditum eſt, Coſmum profectionem parare, mœrentes continuò ad eum ventitare cæperunt,

parentem

parentem illum atque paſtorem agnoſcere, manibus hi, illi etiam humi proſtrati, pedi- D
bus oſcula figere: quibus Coſmus expoſuit, quàm iuſtis de cauſsis iter illud ingrederetur, & ſimul mandauit, vt vicarijs, donec rediret (quod propediem erat futurum) diligenter obtemperarent: atque ita ab eis digreſſus eſt, multis eum viris, mulieribus, pueris magno cum luctu ac mœrore extra oppidum proſequentibus. quo abſente, cùm barbari ſe in templum noſtrum inſolenter inferrent, ea re cognita Rex miſit è familiaribus ſuis, qui templum aſsiduè cuſtodirent, & in vincula abriperent, ſi quis in eum locum ſe contumeliosè geſsiſſet; atque eiuſdem præſidij negotium duobus etiam primarijs ciuibus dedit, in ea vicinitate habitantibus. In ipſo autem itinere labores atque pericula Coſmo non defuêre: tertio quippe die in latronum inſidias incidit, quorum vnus intentum iam arcum in Coſmi pectus non ſine magno eius vitæ diſcrimine obuerterat, cùm ex ipſius comitibus quidam ante ſagittam emiſſam, adductas arcus habenas præcidit. Firandi autem magna cum gratulatione à Luſitanis exceptus, qui nauis vexilla ſuſtulerant, & tormentorum ſtrepitu lætitiam ſignificauerant, in ædiculam diuertit ab Ludouico Almeida raptim, dum templum ædificatur, exſtructam: vbi cùm cæteros Chriſtianos, cognito Coſmi aduentu terra ac mari vndique confluentes, tum nautas ipſos Luſitanos admiſsis noxis per Confeſsionem abſoluit; ijſdemque facilè perſuaſit, vt cum oneraria ex eo portu diſcederent. Hæc habui de Iaponenſium rerum progreſſu quæ ſcriberem. Vos Dominum precari aſsiduè inſiſtite fratres, vt nos idoneos veritatis Euangelicæ præcones efficiat. è Bungo. v. Idus Octobris. M D LXII.

E

LVDOVICI ALMEIDÆ ad Socios.

ANNO ſuperiore cùm Eccleſijs Facatæ, Firandi, alijſque luſtratis in Bungum ægrotus ex itinere redijſſem, vt primùm è morbo conualui, de tota peregrinatione mea feci vos per litteras certiores. quas quoniam vobis eſſe gratas intelligo, pergam ea ſcribere, quæ quidem in ijs locis euenêre, in quibus mihi verſari ex eo tempore contigit: nam cætera ex aliorum litteris cognoſcetis.

Firandi erat Chriſtianus quidam quintum circiter, & ſexageſimum agens annum, ſcriba Regis intimus, quem ille apud ſe in honore habebat, liberaliterque tractabat. is igitur Chriſtianus cùm animaduerteret ſe iam ad vitæ exitum appropinquare; ſuſceptas in vita maculas matura Confeſsione delere; & (quoniam nullus erat ibi ſacerdos) Bungum vel cum Regis offenſione, periculoque rei familiaris petere omnino conſtituit. rem itaque cum vxore communicat; quæ (vt erat præſtanti virtute ac pietate mulier) conſilium vehementer probauit: illud ſolummodo monuit, vt quàm occultiſsimè abiret, ne F
in ſe Regis iracundiam prouocaret. Quocirca nauem Chriſtianus intempeſta nocte conſcendens, in Bungum iter intendit: cuius diſceſſu poſtridie cognito Rex, partim quòd eius opera admodum indigeret, partim quòd ſe inconſulto inuitoque abijſſet, iratus, nauigio ſtatim inſtructo, miſit qui hominem perſequerentur. Iamque magno ſuo bono è finibus Firandenſis regni in Reguli cuiuſdam ditionem euaſerat; cùm ſuperuenientibus qui ad eum capiendum miſsi erant, Reguli iuſſu, cui cum Firandenſi rege amicitia intercedebat, eodem Rege poſtulante oppreſſus, & in cuſtodiam traditus eſt. Firandi vbi cognitum eſt illum inuentum fuiſſe, nec tamen vt rediret vllo pacto adduci potuiſſe; legauit ad eum Rex cognatos ipſius nonnullos, qui ad redeundum hortarentur: ſed vxor contrà per litteras ei ſuaſit à ſuſcepto itinere nequaquam deſiſteret, bonoque animo eſſet, ſe laborum ipſius periculorumque breui conſortem futuram. Sed videlicet currentem incitabat. Coſmus autem vbi id reſciuit, egit cum Rege Bungi, vt Chriſtianum ab regulo per litteras impetraret: quas qui pertulit litteras, offendit hominem magna in Deum fide, ſpeque ſubnixum, de ſe ipſo autem adeo demiſſè, maleque ſentientem, vt non modò qui in Bungum ad Confeſsionem incolumis perueniret, ſed qui vllo prorſus beneficio afficeretur à Deo Domino noſtro, ſe prorſus indignum affirmaret: tantoque in ſe ipſum odio erat incenſus, vt ad quotidianas verberationes,

& pre-

A & precandi assiduitatem, alia quoque voluntaria supplicia adiungeret, tanta cum sui cognitione, vt precibus Christiani, qui regiam epistolam attulerat, nequiuerit adduci, quicquam vt de instituta vitæ austeritate remitteret. Denique solutus in Bungum ægrè peruenit tanta animi sui cum voluptate, tantaque Deo gratias agens, vt rem verbis assequi nequeam. Cuius aduentus cùm ad cætera multa profuit, tum ad Christianorum fidem ac spem in Domino augendam. Eum Cosmus, pueris, quos alimus domi, instituendis præfecit, & pijs quibusdam libris in Iaponicum sermonem vertendis. Magnum apparet in eo precandi studium, & caritas; &, licet extrema sit iam ætate, vix vnquam cessantem reperias. Eum Dominus ad finem vsque conseruet.

Per idem tempus nobilis quædam mulier, primarij ciuis vxor ex familia regis Bungensis, à dæmone agitata, per campos tantò cum vlulatu, atque impetu ferebatur, vt à nemine contineri posset. Hanc sibi Cosmus à Christiano quodam insigni viro commendatam ad se perduci, & in cubiculo publici valetudinarij, perpetuis custodibus adhibitis, collocari iussit. Et quoniam in spem venerat mulier, se Baptismi beneficio sanitatem esse recepturam, habebatque mentis eius animique vexatio dilucida interualla; ijs opportunè Cosmus est vsus ad eam Christianis præceptis ri è imbuendam, quibus vt satis erudita visa est, in magna Christianorum corona, eam Dominico die baptizare constituit. Erat mulier tum sanè quieta, sed cùm primùm caput salutari aqua perfundi cæptum est, tanta repente vi se commouit, clamoresque edidit ita magnos, vt omnes quotquot aderamus, perterrefecerit. Tum Cosmus à quattuor viris apprehen-
B sam, teneri ad finem vsque Baptismi imperauit. quo absoluto misera fractis viribus concidens, inter famulorum manus in hospitale cubiculum est relata. Ex eo tempore nullum eiusmodi incommodum, aut molestiam hucusque perpessa est, quare & Christianorum fides non mediocriter aucta, & maritus ipsius ita permotus est, vt ab Rege petierit, sibi per eum liceret Christiana sacra suscipere: quòd ei Rex ita prolixè libenterque permisit, vt diceret gratum sibi fore, si eum reliqua familia imitaretur. itaque baptizatus ipse cum liberis, cognatis, & famulis, sanè quàm in virtute proficiunt. Ego interea vires è morbo collegeram. quocirca mensis Octobris initio misit me Cosmus, comite è Christianis domesticis vno, ad templa quinque visenda, varijs locis regni Bungensis commodo Christianorum exstructa. mensem in eo itinere posui, multos baptizaui ethnicos; Christianos autem docui, qua ratione templa concelebrarent, sermonesque inter se de religione fererent, si quando ad vrbem venire non possent. quasdam etiam areas defixis Crucibus Christianorum sepulturæ dicauimus: deniq; in singulis templis benedictum, seu piaculare granum relictum cum codicillo, qui descriptas grani indulgentias contineret. Inde ad Cosmum reuersus, Cangoximam mense decembri tendi. profectionis caussa fuit Emmanuelis Mendozæ cum sex Lusitanis aduentus, qui vt per Confessionem peccatis sunt absoluti, Cosmum rogarunt etiam atque etiam, vt me Cangoximam ad hyemem ibi cum ipsis exigendam, Christianos visendos, & promulgandum genti Euangelium mitteret. idipsum Regi quoque Cangoximano fore
C gratissimum, quippe qui magnam eius rei voluntatem scriptis ad Prætorem Indiæ litteris, itemque ad Antonium Quadrium eidem prouinciæ pro Societate Præpositum, ostendisset. è Bungo igitur (vt dicebamus) profecti, gelu, & frigoribus maximis, quatriduo ad mare peruenimus: cùm semper, vbi sub vesperam constiteramus, verba de rebus diuinis ad incolas feciſſemus. Inde solutis anchoris, inter nauigandum, aduerso vento in oppidum sanè frequens coacti descendere, cùm spectaculi nouitate permota (nunquam enim Lusitanos antea viderant) magna hominum vis ad nos conueniſſet, per eam occasionem eis Euangelium nuntiauimus: quo illi audito, obstupefacti, ad nos audiendos iterum ac tertiò redière, atque vniuersi pænè professi sunt, nisi Reguli metus obstaret, se Christo nomina libenter daturos, idque eo cum animi dolore sensuque, vt nos ad misericordiam prouocarent. Dixi me cum Regulo acturum (qui Bungensis Regis est stipendiarius) vt cuilibet Christiano esse impune liceret: eosque solatus vt potui, ex eo loco discessi. digressu meo lacrymæ nonnullis obortæ, vt si diu mecum vixissent, apud quos non toto biduo fueram. ex quo facilè iudicare possitis, quanta sit huius gentis ad humanitatem, religionemque propensio. Angunem delati, & à Regulo peramanter excepti, vt primùm opportunum est visum, de rebus diuinis, & animorum immortalitate cum eo colloqui cæpimus: multisque sermonibus vltrò citroque habitis, cùm etiam familiæ partem à cœna ad audiendum accersiſſet, sera iam

nocte

nocte ab Rege dimissi, nauarchum quendam Lusitanum sanè tempestiuè conuenimus; D cùm enim nostra hortatione permotus, concubinam, ex qua duas susceperat filias, iusta cum dote in matrimonio legitimo collocasset, paucis post diebus est mortuus. Ex eo portu Tamarim tendentibus, vbi Emmanuelis Mendozæ nauis in statione erat, arx, in itinere occurrit Hexandoni viri principis, in edito monte posita, omnium quas in vita videre me memini, & loco & opere munitissima. quippe quam decem fere propugnacula cingunt, inter se non nisi ponte subductili peruia, magnoque interuallo distantia, fossis ita profundis, vt despicientium oculis altitudo caliginem offundat, perpetuo (vt aiunt) silice ferramentis exciso: quod equidem vix hominum manu fieri potuisse crediderim. ibi cùm Hexandori vxorem, & quattuordecim præterea Christianos multis iam annis Franciscus Xauerius Deo peperisset, mihi faciendum existimaui, vt me ad eos consolandos, confirmandosque conferrem. qui me omnes, sed vxor præsertim Hexandoni amicissimè acceptum, multa cùm de Francisco Xauerio, tum de Bungensi, Meacensi, cæterisque in Iapone constitutis Ecclesijs percontati, feliciqúe ipsarum progressu valde lætati sunt. me autem idcirco etiam libentius viderunt, quòd iamdiu neminem omnino è Societate nostra conspexerant. quo toto temporis interuallo eos in Christiana fide partim senis cuiusdam Christiani, honorati viri velut magistri familiæ studio, partim etiam quibusdam miraculis diuina prouidentia retinuerat. Relictum sibi libellum descriptis Xauerij manu Litanijs, alijsque precandi formulis, æquè ac sacras reliquias pia mulier admodum religiosè custodiebat, expertæ virtutis remedium. Etenim ægrotos complures, in ijs Hexandonum iam desperatum, corporibus ipsorum impositus E libellus ille sanauerat. Nec minore cura senex traditum sibi ab eodem seruabat flagellum, quo singuli Christiani interdum (nec enim sæpius permittebat ille, veritus ne vsu nimio absumeretur) sese cædere consueuerant, quòd eam rem non solum animis, verùm etiam corporis prodesse diuinitus intelligerent: itaque mulier ipsa quam diximus, morbo grauissimo implicita, cùm varia medicamenta frustra tentasset, ad ipsum flagellum postremò confugiens; Francisci Xauerij, vt putandum est, meritis continuò in pristinam valetudinem est restituta. cum omnibus igitur de re diuina familiariter colloquutus, ara etiam excitata cum Beatissimæ Virginis imagine pereleganti, quam eò mecum attuleram; pueris nouem, in ijs duobus Hexandoni filijs Baptismo lustratis (quos iam sanè ille Christianis rudimentis imbuerat) incredibili cum eorum mœrore postridie manè discessi, commeatu ab ipsis affatim instructus, atque pollicitus me in reditu quindecim dies apud ipsos commoraturum. Cangoximam simulatque peruenimus, Regem adiui confestim, eoque collaudato quòd Euangelium in suo regno promulgari cuperet, multisque præterea verbis habitis, petij vt liceret mihi in præsentia Tamarim vsque ad Lusitanorum stationem excurrere. quod ille cùm permisisset ea tamen conditione, vt auum ipsius ex itinere inuiserem; Tamarim tridui itinere, diuertentes ad Regis auum, ire perreximus, maxima niuium copia, quæ aciem oculorum retunderet, viaque teterrima, occultis passim occurrentibus foueis, è quibus iumenta sese ægrè admodum expedirent. In eo igitur portu, ægrotis primùm curatis, quo- F rum ingens erat numerus partim sæuitia frigorum, partim etiam cibariorum inopia: deinde ethnicis nouem, qui idipsum à me diu multumque contenderant, baptizatis: certo præterea nauis loco, ad fœminarum tutelam de Iaponijs coemptarum (quas illi ex ora Sinarum aduexerant) custodibus binis appositis; denique communi consilio indicta pecuniaria multa, si quis temere iusiurandum vsurpasset; (latè enim patebat hoc vitium) Cangoximam redij, & concionesad Christianos habere instituí. nam ethnici veriti Bonziorum offensionem, ad nos venire non audebant: quod ego cùm animaduertissem, cepi consilium familiaritatis, si quo modo possem, atque amicitiæ cum Bonzijs ineundæ, quo deinde populus ad nos maiore cum fiducia ventitaret. Erat in eo ordine vir quidam insignis, magna etiam ante id sacerdotium existimatione, tum verò & Regis ipsius consiliarius, & amplis cœnobijs tribus summa cum potestate præpositus. Hunc igitur adij, collyrio ad oculos curandos, quibus ipse laborabat, allato: atque ille meo sanè quàm lætatus aduentu, sibivalde optatum fuisse dicebat, quæ Xauerius disputaret, cognoscere; sed interpretem defuisse. Inde me multa de summo rerum opifice, de immortalitate animorum, de tempestatum varietate, terræ tremoribus, pluuijs, alijsque rebus huiusmodi interrogans, magna sua cum voluptate totam eam noctem apud se detinuit. Quibus ille sermonibus captus, cùm ad me sæpe, alio

A alio item Bonzio comite, ego viciſſim ad illum familiariter ventitarem, cumque doctrinam noſtram tum apud alios, tum apud Regem ipſum ita collaudaſſet, vt Rex Xixona (hoc eſt ſanctam rem) publicè reſponderet; vel eo Regis teſtimonio, vel confirmata atque illuſtri mea cum Bonzio conſuetudine animati ethnici ad nos audiendos venire cæperunt: è quibus multos Deo adiuuante ad Chriſtum adiunximus. In eo numero fuêre primarij duo Regis ipſius cognati, quos catechiſmo inſtitutos vnà cum vxoribus & parte familiæ (triginta quinq; in vniuerſum fuêre) baptizauimus. quorum deinde omnium ope ac ſtudio ſacrum Deo Domino templum exſtructum eſt.

Rebus ita conſtitutis, per Chriſtianum nuntium in arcem Hexandoni magnis precibus accerſitus, optimis cùm Chriſtianorum, tum etiam reliquorum ſtudijs me magnopere expetentium deeſſe non potui: è quibus circiter quinque primarij audito aliquoties Euangelio ad Eccleſiam adſcripti ſunt: in ijs quidam adeò excellenti ingenio, vt in commentarium relatis ijs, quæ de me didicerat, librum confecerit exorſus ab ipſo mũdi initio ad vſque Chriſti Domini noſtri in terras aduentum, eius præcipuè cruciatibus ſingillatim enumeratis. quæ ipſius lucubratio & hominibus illis, & alijs etiam populis, ad quos eam ego ipſe deinde circumtuli, maiorem in modum profuit. Idem iuſſus à me Iaponica quædam ſcripta de Chriſtiana religione deſcribere, mandatum ita auidè arripuit, vt opus vniuerſum (omninò folijs quinque & quinquaginta
B conſtabat) vnius dimidiatique diei ſpatio abſoluerit. Hunc ego, & Hexandoni filium natu maximum, quem Xauerius baptizauerat, docendis in templo cæteris Chriſtianis præfeci, regula præſcripta, quam in eo munere obeundo tenerent. quam quidem in rem, vt quibus otium ſuppetit, diligenter incumbunt, præſertim verò librarius ille quem dixi: qui quidem Chriſtianis lectionibus, & commentationibus mirificè delectatur, ſeque cum libro quem à me deſcripſit, in lucum abdens, quæque legit ex eo ſecum identidem reputans, tanta voluptate perfunditur, quòd ad hanc Dei rerumque cœleſtium cognitionem peruenerit, vt lacrymas præ gaudio continere non poſsit. Is ipſe in Chriſtianorum cœtu poſt Litanias publicè decantatas interrogatus à me quidnam eſſet facturus, ſi Rex ei diceret, Chriſtiana ſacra fac deſeras, quoniam ex meis popularibus es, meisque ſumptibus victitas, reſponſurum ſe dixit illicò: Here, vis ne me in te ſine fuco ac ſimulatione beneuolum? in re tua familiari procuranda fidelem? vis me ſubmiſſum? vis perferentem iniuriarum? vis denique in omnes clementem ac benignum? iube me eſſe Chriſtianum: haſce enim virtutes omnes vna religiò Chriſtiana complectitur. Ac cæterorum quoque Chriſtianorum (ad quorum numerum ibidem alij ſeptuaginta per eos dies acceſsêre) egregia pietas, aſſiduum precandi ſtudium, mirus inter ſe amor atque concordia cernitur. vna tantùm res ipſorum animos vehementer angebat, quòd Hexandonus communium meritorum Eccleſiæ expers tamdiu in
C Iaponica ſuperſtitione perſiſteret. pro cuius conuerſione cùm preces ad Deum, & lacrymas cuncti, ſed vxor ipſius præſertim quotidie funderent: tum ego eiuſdem vxoris rogatu hominem adij, & ex eo quæſiui, cur veritatem ſæpe iam cognitam depoſitis Iaponiorum erroribus ſequi negligeret. Tum ille Deum teſtatus Chriſtianam religionem ſibi planè probari, alioquin permiſſurum ſe nequaquam fuiſſe, vt eam familia ſua tota ſuſciperet; vna re quominus eos imitaretur, impediri ſe dixit, quod vereretur, ne grauius animum Regis offenderet: ſperare ſe Deo propitio fore aliquando, vt Rege ipſo libẽte, Chriſtum, quem intimis ſenſibus adorabat, palam ac liberè profiteri poſſet. quo illius reſponſo Chriſtiani valdè lætati ſunt. Inde cùm rurſus ad Cangoximanos veniſſem, Coſmi litteris per Chriſtianum Bungenſem ad me perlatis eo conſilio ſum reuocatus, vt ad Regem Vocoxiuræ proficiſcerer, qui nos in ſuum regnum liberaliſſimis conditionibus inuitauerat: cùm præter alia multa, & Luſitanis omnibus in eum portum commeantibus, quique cum ipſis negotia contraherent, in decennium ab omni portorio immunitatem ſe daturũ eſſe promiſiſſet; & quicquid circa eſt agri ad paſſuum octoginta millia Coſmo obtuliſſet, vt intra eos fines ethnicus nemo ipſius iniuſſu habitare poſſet. Cangoximæ igitur inſtitutis qui Chriſtiano grege in templum ſtatis diebus aduocato, paſtorum vice ac munere fungerentur, baptizatiſque ijs, qui iam ad id Sacramentum idonei videbantur; cæteros quibus potui verbis ſum conſolatus: duos præſertim Bonzios illos, de quibus dixi: quos in diſceſſu meo perquàm ſtudiosè CHRISTO nomina profitentes, in aliud tempus idcirco reieci, quòd à curandis Iaponico ritu Regis procerumque funeribus, nulla ratione ſe poſſe deſiſtere dicerent, eaque re Chriſtiana ſacra, quæ ipſi apud ſe taciti colerent, minimè pullutum iri

arbitrarentur. denique à Christianis vario commeatu peramanter instructus, & magna cum doloris amorisque significatione dimissus, ad arcem Hexandoni (quæ ab oppido Cãgoxima passuum abest decem & octo millia) dum nauis paratur, biduum substiti. atque inde incredibili Christianorum dolore ac gemitu, ipsis etiam ex arce summa fœminis ad mare me deducentibus, &, quasi in eo salus omnium verteretur ita me vt celeriter ad se redirem enixè rogantibus, conscendi, & decimo septimo die in Bungum magna nostrorum gratulatione perueni. atque inde tertio Nonas Quintiles Vocoxiuram, qui locus vltra Firãdum est quattuor & viginti passuum millibus, discessi: quò vt perueni, salutatis ex itinere Facatensibus (qui cùm initio diu multumque Euangelio restitissent, bellis deinde perdomiti ac velut subacti, diuinum semen libentius acceperunt, bonamque in primis, virtutum frugem tulerunt) Regem Vocoxiuræ primùm adij, qui me honorificè sanè bis conuiuio excepit. deinde cum eius ministro, qui Regis ipsius nomine ad Cosmum litteras dederat, de re communi agere institui. cumque ille quædam ex ijs quæ per epistolam nobis vltrò detulerat, reuocaret; faciendum mihi existimaui, vt ad Cosmum scriberem, eique totam rem integram reseruarem. Ad portum igitur reuersus, dum in Christianos ex instituto adiuuandos incumbo, Firando nuntij perferuntur, quanto cum rei Christianæ adiumento Damianus Iaponius familiaris noster excellenti pietate virtuteque iuuenis, qui nuper Facatensibus quoque summa cum omnium admiratione operam nauarat egregiam, in eo oppido versaretur. nec ita multo post, quædam parantibus nobis, quæ ad Cosmum mitterentur, ecce tibi repente affertur ipsum adesse Cosmum. Primò incredibilis visa res: ea Cosmi ætas ac valetudo, ea difficultas itinerum est; sed vbi iam ad portum applicuit, quanto gaudio affecti simus facilius est vobis existimare, quàm mihi scribere. is me confestim ad Regem legauit, vt cum eo rem omninò transigerem. quòd ego cùm fecissem ablatis etiam syngraphis, in Bungum ipsius Cosmi iussu ad epulas in ædibus nostris (id enim semel in anno solenne est) Regi Bungensi parandas excurri: quò secum ille filium hæredem regni futurum meo rogatu cum proceribus duxit. Cumque in eo conuiuio candidati pueri nostri domestici quattuor magna cum omnium delectatione fidibus canerent, Regis filius mensa relicta se ad æquales suos hilariter ac festiuè recepit. puer ille quidem, ac pæne potius infans (annum quippe agit quintum) sed in quo sensus animi ac ratio longè præcurrat ætatem. è Bungo rursus Vocoxiuram reuersus, qui locus à Christianis incolitur, habetque in monte summo Crucem, quæ eminus valdè conspicitur à Perro Barreto nauarcho Lusitano defixam, quòd eodem loco tribus deinceps diebus sub vesperam, inspectante se, alijsque compluribus, sublime in aëre signum Crucis apparuisset; Cosmum sanctissimis (vt solet) occupationibus districtum offendi. Tanti ad eum Confessionis & Eucharistiæ caussa concursus vndique Christianorum fiebant, vt omnis perturbationis vitandæ caussa, triceni per vices ordine sibi succedere iuberentur. quorum erat ita magna in Cosmum obseruantia ac veneratio, vt coram eo oculos attollere non auderent: tanta religio ac pietas, vt in sacris mysterijs obeundis, ac præsertim in corpore Christi sumendo, copiam lacrymarum effunderent: ea denique animi virtus, ac probitas morum, vt barbari ipsi Christianorum vitæ admiratione sese collligerent, & sæuiorem vltrò disciplinam inuerent. Per eos dies Facatensium Præfectus nauigium cum hominibus ferè triginta ad Cosmũ misit rogatum, vt quoniã tres è militibus suis in prælio sclopis icti grauiter ægrotarẽt, opem illis ferre ne grauaretur. Fecit Cosmus, vt Facatam è domesticis nostris adolescẽtem Iaponium mitteret chirurgię laude præstantem, qui non modò vulnera extractis artificiosè glandibus mira felicitate sanauit, sed etiam oblatam sibi mercedis loco magnam argenti vim, stupentibus barbaris constanti animo excelsoque repudiauit. Qua re commotus Præfectus, vt nos aliqua ratione remuneraretur, immunitati nostræ toto suæ ditionis imperio, qua sæpe nobis iter habendum intelligebat, publicis diplomatibus cauit.

Restat vt epistolam hanc eximiæ indolis adolescentuli commemoratione concludam: in quem cùm omnia & animi & corporis bona quasi secũ ipsa certans natura congesserit; tum etiam dona accesere cælestia, quæ singulare pueri ingenium, memoriam, oris corporisque totius dignitatem ac speciem multo admirabiliorem efficerent. tanta enim in eo castitas ac sanctimonia cernitur, vt octauo quoque die post confessionem ritè peractam cæleste Eucharistiæ conuiuium non sine lacrymis ineat: tanta verò animi submissio & humilitas (cùm illustri admodum loco sit natus) vti ad Bungen-

sem

A ſem inuiſendam Eccleſiam à Gaſpare miſſus ex vrbe Sacaio, bona cum parẽtum venia, quos puer precibus expugnauerat, eò ſimulatque peruenit, vt ſcilicet vnus è Chriſtianorum grege videretur, non modò comam ſibi totonderit, quòd in Iapone valde inuſitatum eſt, verùm etiam omni delicatiore cultu ornatuq; abdicato; de contemnendis rebus humanis publicè diſputare inſtituerit. Idem in patriam à parentibus reuocatus, Vocoxiuram, vt inde Sacaium renauigaret, à Coſmo perductus eſt. quem aiunt ex itinere in vrbe Firando apud vxorem Antonij viri principis, eiuſque ancillas, cùm ſe per id tempus ad ſacram confeſsionem pararent, de Pœnitentia ſanè opportunè verba feciſſe: quam ille Chriſtianæ philoſophiæ partem, iam antea ſæpius à ſe tractatã, callet egregiè. Huiuſmodi pueri ſunt (fratres mihi cariſsimi) quorũ opera faces amoris diuini Deo adſpirante Iaponiorum cordibus iniectum iri ſperamus: atque ob idipſum apud nos delectam eorum manum Societatis noſtræ præceptis atque inſtitutis imbuimus. Interea Socios omnes noſtros per IESVM CHRISTVM obteſtor, ab eo precibus impetrent, vt mihi det in ipſius obſequio ac famulatu vitam ponere. ex Iapone. octauo Calend. Nouembr. MDLXII.

REGIS CANGOXIMANORVM ad Luſitanum Indiæ Prætorem.

B ANNO ſuperiore cùm duo ex Societate IESV meum in hoc regnum concionandi cauſſa veniſſent; bellicis occupationibus impeditus, quem & ego cupiebam & ipſi merebantur honorem, illis habere non potui. Eadem fuit cauſſa, cur Luſitani ad Omangum portum naui delati, nõ modò perinde ac voluntas mea, & ipſorum dignitas poſtulabat, accepti non ſint; ſed etiam pro piratis habiti (quibus ora maritima per id tempus erat infeſta) commiſſo prælio Alphonſum Vaſæum non ſine meo quidem dolore, è ſuorum numero amiſerint. Tu ſi ad me litteras dederis, magno me decore auctum atque ornatum exiſtimabo, atque ipſe viciſſim ad te ſcribam quotannis. Luſitani verò, vel ſacerdotes tui ſi ad me cum tuis litteris venerint; eo erũt apud me loco, qui rebus tuis iure debetur. Xaxuma. anno quarto.

EIVSDEM AD ANTONIVM Quadrium Indiæ prouinciæ pro Societate Ieſu Præpoſitum.

C SOCII duo Coſmi Turriani, qui in Bungo verſatur, meum in hoc regnum ſe contulerunt: quorum ea eſt animi magnitudo roburque, ea in dicendo vis atque doctrina, vt mihi cœleſtia quædam tonitrua eſſe videantur. Sed illud in primis admiror, aut Luſitanos mercatores negotiorum cauſſa, aut veſtri ordinis homines vnius rerum opificis gratia (præſertim cùm ita latè pateat propiuſque abſit India) à remotiſsimis regionibus totum pœne terrarum orbem circumeuntes, ad aquam calidam ebibendam paruas in haſce inſulas tam longa & periculoſa nauigatione contendere. Sanè ante Chriſtiana ſacra ſuſcepta nihil erat in his locis, præter calores maximos: vt mihi Socij veſtri Nauabangi, quaſi ventilatores videantur, qui corda mortalium ſalutari aura opportunè refrigerent: qui profectò libenter meum in hoc regnum eſt cur veniant, quamuis exiguum. nam vt alibi aduerſos maris æſtus, hic quidẽ certè ſemper ſecundos offendent. Ac licet populares mei Chriſtiani ipſorũ præſentia deſtituti, ſe interea Crucis aſpectu excelſo loco ſublatæ ſuſtentent; meum mihi tamen hoc regnum à

Socijs veſtris relictum, quandam obducti nubibus cœli, aut Solis propria luce deſecti D reddit imaginem. Simul etiam Luſitanos negotiatores, quorum mihi perſpecta fides ac probitas eſt, in meæ ditionis terras commeare mihi gratiſsimum fuerit: qui ſic habeant, ſe non modò ab omni iniuria tutos fore, ſed etiam amiciſsimè, liberaliſsimeque tractatum iri. nec latronum inſidias metuant, qui, quibus in oppidis Chriſtiani ſunt, nulli verſantur. Te quidem certè obſecro, vt de tuis aliquos primo quoque tempore mittas, quos ego magno cum deſiderio in ipſo littore opperior. Datæ anno quarto, menſe ſeptimo, octauo die, & vigeſimo.

SELECTARVM EPISTOLARVM EX INDIA

LIBER TERTIVS.

I

GASPARIS VILELÆ AD Societatem Ieſu.

ANNO MDLXI. Auguſto menſe vrbem Sacaium ingreſſus ſum, quæ in Septentrionem ſita, gradus obtinet quinque & triginta, & ſemis. Cumque Euangelium in ea promulgare cæpiſſem, multos repperi, qui verum id eſſe faterentur, ſed quò minus ex eo viuerent, famæ & exiſtimationis ratione impediri. gentem enim diuitijs affluentem, & dignitatis in primis auidam facilè abſterret diabolus iniurijs & contumelijs proponendis, quibus in hac vita Chriſtiani ferè ſemper obnoxij degunt, ſi ducem ac liberatorem ſuum imitari voluerint. quò fit, vt ægrè admodum Sacaiani ad Baptiſmum accedãt. quãquam in ijs ipſis difficultatibus quadraginta circiter baptizati ſunt, in quibus erant milites quattuordecim prætoriani, quorum ita inſignis, vitæ morumque mutatio conſtitit, vt è lupis agni manſueti non ſine magna omnium admiratione F facti eſſe videantur.

Atque vt Sacaium per eos dies Meaco diſcederem, diuinitus equidem factum credo, ne videlicet in ea pericula inciderem, quæ mihi nec opinanti imminebant. Etenim menſe poſtquam inde exceſsi, Meacum quadraginta millium armatorum obſedit exercitus: quæ etiam cauſſa fuit, cur ad Chriſtianos, ſicuti promiſeram, non redirem. Illius autem incommodis belli Sacaium vrbs fuit immunis, in primis Iaponis totius contra omnes hoſtium impetus munitiſsima. nam ab Occidente alluitur mari, ab alijs verò partibus profundiſſima cingitur foſſa, & aquis plena perpetuis. Atque etiam inteſtino omni tumultu ac ſeditionibus vacat, nec rixæ fermè audiũtur. cùm enim vrbis vię ſuas quæque portas, & cuſtodes habeant, ſtatimq; cùm opus ſit, occludantur; nullus noxijs ad fugam exitus patet, ſed continuò comprehenſi ad tribunalia pertrahuntur. Quamquam ij qui inter ſe inimicitias gerunt, ſi alter alteri ad iactum lapidis extra mœnia occurrant, ſe inuicem malè admodum accipiunt. Sed ad bellum Meacenſe reuertor, cuius exitus fuit eiuſmodi. Cognita vrbis obſidione patruus Regis, confeſtim ei cum exercitu in ſubſidium venit: huic obuiam iêre ex altera parte Neugori Bonzij, qui hominum ordo quandam militiæ Rhodiæ ſpeciem refert. Caſtris igitur Meacum inter, & Sacaium locatis, crebra prælia committebantur: ita tamen, vt res Bonziorum ſemper eſſet

A per eſſet ſuperior. denique vigeſimo die, cùm ad vniuerſam dimicationem ventum eſſet, Regis patruus victus, quoddam in caſtrum confugit. Rex autem Meaci, eius rei nũtio audito, ſe in arcem recepit vrbe deſerta, quæ ab hoſtibus capta, rapinis incendioque vaſtata eſt. ijdem ſequuti victoriam, ſignis ad caſtrum de quo diximus, motis; patruum Regis, eiuſque copias omninò delere parauerant: cùm Rex Meaci exercitu viginti millium hominum quàm occultiſsimè inſtructo, & ingenti flumine ſuperato, hoſtes nec opinantes tanto impetu oppreſsit, vt cùm eſſent ad hominum triginta millia, fuſi fugatique ſint. quos Rex deinde coniunctis cum patruo viribus fugientes Meacum vſq; inſecutus, tanta ipſorum cæde vrbem recepit, vt multos in annos ea victoria debellatum eſſe exiſtimetur. Itaque aduerſa factio extremam ſibi perniciem metuens, pacem ab Rege petijt, ſeque interponente Vo, ſiue Dairi, qui rebus ad honorem dignitatemque pertinentibus toto Iapone præſidet, impetrauit. In his tamen belli periculis, & calamitatibus, templum noſtrum Dei beneficio integrum, & incolume perſtitit: & in ipſa obſidione Laurentius Iaponius Meacum bis penetrauit (nam me ipſum per litteras Coſmus ante ſedatos tumultus eò redire planè vetuerat) ſemel ad celebrandas cum Chriſtianis Natales Domini ferias: iterum ab ijſdem euocatus ad gratias principibus ciuitatis agẽdas, qui Bonzios cùm templum noſtrum per vim occupaſſent, iniuſta poſſeſſione magno bonorum gaudio depulerãt. Toto eo belli tempore, quod annum cir-

B citer viguit, pia quædam munia Chriſtiani Meacenſes obiêre, tribus in ſingulos menſes viris inſtitutis ad pauperum incommoda ſubleuanda eleemoſynis, quæ ob eam ipſam rem in commune conferebantur: cùm etiam ſemel in menſe in conſilio publico de ipſorum pauperum commodis ageretur. Mulier verò Chriſtiana in primis locuples, & honeſta, cùm liberos non haberet, partem ſuam bonorum à marito obtinuit; eamq; in mendicos, lepra vlceribusque tota vrbe finibuſque Meacenſibus laborantes, quamquam nonnullis obtrectantibus Bonzijs, magna tamen cæterorum omnium, qui nihil vnquam ſimile viderant, admiratione atque approbatione diſtribuit.

Multa in his locis cœnobia Bonziorum viſuntur, in quę (vt aiunt) pœnitentię cauſſa ſe recipiunt, qui mundo nuntium remiſere, denſis adeo tenebris obcœcati, vt nefaria flagitia in hiſce cœnobijs admittere nulla religio ſit. nam diſcrimine rectè vel perperam facti confuſo, ſeditionibus, furtis, rapinis, cædibus, cuncta miſcẽtur. Quam etiam ob cauſſam ex ijs quidam nomine Cacubau, vt ex ea videlicet hominum colluuione, fæceque emergeret, ſocijs aliquot ſecum adhibitis, Bonziorum formam inſtituit, eorum qui Neugori nominantur: quorum alij precibus vacant, alij militiæ, alij quinis quotidie ſinguli perficiendis ſagittis. Arma verò ſemper habent parata, principemque familiæ ſuæ Cacubau in deorum numero venerantur. Rectorem cui pareant, habent nullum. viribus namque certatur. & quamquam in conſilijs, qui ætate præeunt, prio-

C res ſententiam rogãtur; ſuffragiorum tamen iura vſque adeo promiſcua ſunt, vt quòd reliqui omnes communi ſentẽtia decreuerint, vnus modò ſi interceſſerit, prorſus impediat. Itaque ad vnam eandemque deliberationem toties conuenitur, quoad planè diſſentiat nemo. Vbi verò tenebræ ſe intendere, ſæpe ſeſe inuicẽ perimunt, ac diripiũt: nec tamen idcirco ſe putant leges violare, cùm ijdem muſcam, aut paſſerem necare nefas ducant, quod legibus ſuis quicquam animatum vetentur occidere.

Nunc paucis exponam, quod anno ſuperiore me fugit, Iaponij miſeri, cùm ad ſedes, vt ipſi putant, beatorum migraturi ſunt, qua ratione ſe ad iter accingant. Eas autem eſſe varias opinantur: alias infra maria, alias alibi, certis præpoſitis dijs, qui à quibus in vita culti ſunt, eos in ſuum quiſque domicilium præmij loco perducant. atque ad infernas quidem ſedes qui profecturus eſt, hoc maximè modo ſe comparat. Dies complures ſtat vigilans, & ex quodam quaſi ſuggeſtu de mundi contemptu concionatur. huic alij ſeſe comites adiungunt, alij ſtipem eleemoſynæ cauſſa largiuntur. nouiſſimo autem die orationem habet ad comites, qui pro amicitia ſimul omnes epoto vino, conſcendunt nauiculam, impoſita falce ad ſpinas rubuſque qui occurrunt in itinere præcidendos: nouiſque induti veſtimentis, manicas lapidibus infarciunt: ad collum autem ingenti ſaxo religato, quò citius ad paradiſum illum ſuum perueniant, ſeſe è nauigio ſponte præcipites dant. Quem mihi videre contigit, hunc ſeptem comites ſequebantur, qui quidem tanta cum animi alacritate & gaudio in mare ſeſe proiecerunt, vt nouitate ſpectaculi planè obſtupuerim. Qui autem Amidam venerantur, alium ritum obſeruant. Cùm eos tædium cepit vitæ, in ſpecum ad inſtar dolij, in quo conſidere poſ-

ſint, ſeſe conijciunt, ita ex omni parte contectum, vt vna tantùm ex arundine perfora- D
ta ſpiritum ducant. atque ita ieiuni ad mortem vſque perſiſtunt, aſsiduè Deum illum ſuum, ſeu potius dæmonem inuocantes. Nuper in hac vrbe Sacaio contigit (quod tamen vt audio haud inſolitum eſt) vt Bonzius quidam pecunioſus, omni ſcelere ac nequitia infamis, annos natus ſeptuaginta, cùm in morbum incidiſſet, ſe mori nolle affirmaret. Idem interdiu comedens repente ex omnium conſpectu prorſus ablatus eſt: quod ipſi quoque Iaponij malum & infauſtum interpretantur. Eſt autem in his locis opinio è falſis vatum prædictionibus, ex hoc tempore omnia fore ſemper pacata. id autem ea ratione confirmant, quòd annus hic poſt milleſimum & quingenteſimum alter & ſexageſimus; poſtremus ſit (vt ipſi aiunt) inferiorum, quos à quadringenteſimo ſeptuageſimo numerant: & propterea hoc anno dicũt facinoroſos omnes bello conſumptum iri, vt pax in poſterum vigeat, quam illis dare dignetur Dominus, quò latius ſanctiſſima ipſius religio peruagetur.

BALTHASARIS GAGI ad Socios.

QVI ſtatus eſſet rerum Iaponicarum, & quibus Deo fauente laboribus in vrbe Facata perfuncti eſſemus, per litteras vobis expoſui anno MDLIX. nunc ea perſcribam, quæ E
mihi Goam ex Iapone repetenti in itinere ſeſquianni ſpatio contigerunt. Cùm certis de cauſſis Coſmo Turriano neceſſarium viſum eſſet, vt aliquis noſtrum proficiſceretur in Indiam; ego eam peregrinationẽ obire iuſſus comite vno è fratribus qui cælum Iaponium non ferebat, Rege, Socijs, & vniuerſa Bungi Eccleſia ſalutata, ſexto Calend. Nouemb. MDLX. iuncum (nauis genus id eſt) vterque conſcendimus, & duodecim dies vento vſi ſumus ita ſecũdo, vt nobis iam in conſpectu eſſet ora Sinarum, poſtridieq; nos putaremus portu Veniaga potituros, vbi ſemper quingenti, aut ſexcenti Luſitani morantur. vectores igitur & reliqua naualis turba, proſpera nauigatione plus æquo elati, præmaturis gratulationibus atque conuiuijs commeatum nauticum conſumere atque exhaurire cæperunt. In hac animi iucunditate, cùm ita prope ab continente abeſſemus, vt quolibet vento littus teneri poſſe videretur; eo ipſo die ſub veſperam aduerſo repente flatu increbreſcente, imbribuſque denſiſsimis tam ſæua tempeſtas exorta, adeoq; ingẽtes excitati ſunt fluctus, vt iuncus modò attolleretur altiſsimè, modò infimè magno omniũ cum horrore deſideret. Augebat perturbationem ac metum, cùm intempeſta nox cœcæq; tenebræ, tum minantes circa ſcopuli. quo in diſcrimine cùm aduerſo flatu retineremur, ecce tibi noctis hora circiter decima gubernaculum nauis effractum in mare delabitur, quo amiſſo de huiuſmodi nauibus planè actum exiſtimatur, ſtatimq; propterea præciditur malus, ne iuncus ex ve- F
hementi agitatione mergatur: & ſimul ipſa quoque vela cum antẽnis in mare prolapſa ſunt. Tum verò omnes longè alijs ac pridie ſenſibus animi, ſeriò de morte cogitare, certatimque ad Confeſionẽ concurrere incipiunt, tanto omnes terrore perculſi, vt mente pæne emoti viderentur, neque iam in ſumma naui quiſquam appareret. vnus gubernator in vado explorãdo, contemplandoque per magnetem curſu totam eam noctem abſumpſit. Poſtridie, ſæuiente adhuc mari, fuſiſque armamentis, ſalutis ſpes iam ferè nulla ſupererat. tantùm argenti pondo ad aureorum centum millia vehebantur, quæ tali tempore nulli nobis vſui eſſe poſſent, cùm ita vehemens eſſet agitatio, vt alterum in latus procumbente iunco, ima carina appareret: & ſimul ex leuitate ſaburræ, & pondere tabulatorũ nõ modò diu retineretur, quò minus in alteram partem recumberet, ſed etiam compagibus reſolutis, carina fatiſceret. quocirca tertio tempeſtatis die malum alterum, qui ſtabat ad puppim, nautæ præcidere, & mercatorum cubicula leuãdi oneris cauſa diſturbare, ipſos denique foros è craſſis trabibus aſſeribusque compactos reſoluere ſunt coacti, vaſto iam nauis alueo, ac propemodum vacuo. hic velum exiguũ nauclerus è mappis, cubiliumque linteis & ornamentis, veſte ſerica, alijsque nonnullis, quæ tum ſeſe obtulerãt, pro re nata concinnat & comparat: quod ipſum ſtatim impetu venti diſcerptũ eſt. iamq; humanæ opis vnum illud ſupererat: validior clauus ad

extrema

A extrema tempora reſeruatus, ſed in ijs procellis metuendum erat, ne repoſitus ad pup-
pim ſtatim effringeretur. Verumtamen, ne in Bornei ſyrtes incideremus, quo in loco
nnonulla nauigia Luſitanorũ è Sinis in Indiam curſu directo perierant (præſertim cùm
illuc nos impetus maris deferret, nec plus centum & quinquaginta millia paſſuum in-
de abeſſemus) tutius viſum eſt, gubernaculum reſtituere, paruumque ſarcire velum
quod vnum reſtabat. Sed omni iam veſte conſumpta, mœrentibus omnibus, quòd ni-
hil ad reſarciendũ occurreret; diuinitus factum eſt, vt qui rimas iũci, obturandi cauſ-
ſa ſcrutabantur, in ſarcinam veſtium inciderent, cuius antea non ſine luminibus diu
multumque fruſtra quæſitæ, cùm merces in Iapone exponerentur, pretium domino
magiſter nauis aureis octoginta perſoluerat. Ex hac igitur ſarcina aduerſus venti vim
duplici velo confecto, & baculis quibuſdam, arundinibusque craſſis aptato, clauoque
ſummo conatu locato, quem ego prius precationibus pijs, & piaculari aqua ritè luſtra
ueram, cęteris eo tempore vota nuncupãtibus variaſq; fundentibus non ſine lacrymis
preces; diem vnũ noctemq; proceſſimus: ſed cùm nauis iuſtis careret velis, atroci tem-
peſtate vſque adeo quaſſabatur, diffractum vt denuo ſit gubernaculum. Tum verò ſer-
uandi argenti ſpes prorſus amiſſa. accerſiti nautæ barbari Sinæ, vt vectoribus in ſca-
phã confugientibus, ipſi in iunco remanerent, aliamque ſibi raptim exſtruerent, ſe de-
liberaturos ea nocte reſpondẽt; inde ad ſortes dæmonemq; inuocandũ conuerſi: quòd
ego cùm cernerem, orabã Dominum, ne nos dæmonis arbitratu interire permitteret.
Manè, ſimulatque illuxit, nautæ ſeſe ſtatim ad alium clauum reficiendum, ſcaphamq;
parandam expediunt. Clauus è refixis iunci tabulis refectus, & collocatus, non diutius
B ſuſtinuit impetum maris, quàm quanto temporis ſpatio Litanię recitatæ ſunt: quò ma-
gis in ſuſcepta ſententia perſiſtebant Chriſtiani, vt in ſcapham, quotquot ea caperet,
ſeſe reciperent, & iuncum vnà cum argento cæteriſque deſererent. atque ego ſanè libe-
raliter inuitatus in ſcapham, partim ne pericula adirem noua, partim ne plus ducentos
mortales, ſcaphæ excluſos anguſtijs, omni ſolatio deſtitutos in iunco relinquerem, ſa-
cerdotes duos è noſtris & fratrẽ vnum imitari omnino decreueram, qui ſuperioribus
annis è Luſitania proficiſcẽtes in Indiam, ad inſulas Maldiuanas nauſragio & fame pe-
rire, quàm ſcapham conſcendere, quæ Cocinũ incolumis tenuit, cæterisq; vectoribus
deſertis in extremo periculo vitæ, maluerant; inque eo officio vitam naturæ debitam
Chriſto Domino piè fortiterque reddiderant. Sed interea fabri lignarij quartum iam
gubernaculũ reparauerant, ad quod collocandum, pacemq; à Deo expoſcendam ſtipe
à vectoribus in hoſpitale domiciliũ Bungenſis Eccleſiæ corrogata, miſerante Domino
factum eſt, vt clauus is omnium infirmiſsimus nos ad continẽtem aliquando perduce-
ret. Quindecim ipſos dies ea tempeſtate iactati ſumus, quotidie (vt erant pericula) mo-
rientes: cùm etiam vulgò neglectæ, nec iam clauibus cuſtoditæ argẽti laminæ pedibus
traherentur. Eiuſmodi quippe temporibus pauper ſpiritu eſt quilibet.

Initio tempeſtatis eius, vectores nautasq; maturè monuimus, vt animarum ſaluti
conſulerent: qui in mea poteſtate ſe planè fore cùm promiſiſſent, ego vt ſublatis pec-
C candi occaſionibus ad gratiam diuinam magis eſſent idonei, primùm illud curaui, vt
fœminæ quæ vehebantur in naui, certum in locum abderentur, vbi quinque menſes
remotæ à virorum oculis perſtiterunt: deinde ad cæteros animandos confirmandoſq;
conuerſus, tantum Deo adiuuante profeci, vt qui principio abiectis animis concidiſ-
ſent, ad æquitatem ac fortitudinem reuocati, pro admiſsis in vita noxis leue ſibi ſup-
plicium illud atque incommoda ducerent: placandoq; Domino certatim dediti, vel
precibus ac litanijs vacarent, vel ſublatis in cœlum oculis pia cum prece ſuſpiria mit-
terent, vel alta apud ſe cogitatione defixi lacrymas funderent: alij etiam flagris ſemet
cæderent: alij mare ſacris reliquijs, & aqua ſancta luſtrarẽt: alij deniq; nummos in cul-
tum Diuorum à vectoribus peterent, quorũ vis tanta collecta eſt, vt quindecim dum-
taxat viri locupletes, aureos ferè mille contulerint. Ac mihi ſanè credite fratres, in hac
vita labores & incommoda eſſe expetẽda, quippe quorum amaritudinem, magna ſua-
uitas, & firma ſpes comitetur: quòd ſecus in rebus proſperis vſu venire vel primis naui
gationis diebus clarè perſpeximus. Inter has igitur difficultates rurſus in terrę conſpe-
ctum delati, & cùm iam contenebraſſet, nimia cupiditate prouecti, periculũ fuit, ne vi
ventorum ad terram allideremur. Sed ex eo periculo, cùm primum illuxit, euaſimus:
& à Sinis nautis cognitum eſt, nos permagnam Sinarum ad inſulam proceſſiſſe, nomi-
ne Ainanem: ex qua inſula nautici commeatus, & anchoralia à Sinis ferè petuntur. hic

dum portum ſubimus, qui in Septentrionem ad gradus decem & nouem eſt poſitus, in D
aliud repentè omnium maximum vitæ diſcrimen incidimus. In ipſo enim aditu iuncus in arenam bis adeò vehementer incuſſus eſt, vt planè iam carina dehiſceret. ac pereundum nobis vtique fuerat, niſi Præfecti ſeu Limenarchæ permiſſu, præſentem incolæ nobis opem tuliſſent: quos nonnullis donis remunerati deſcendimus 11. Calend. Decembr. quem ipſum in diem Præſentatio Dei matris MARIAE VIRGINIS incidebat. & quoniam iunco afflicto, ac pæne iam diſſoluto, ad portum Veniagam nauigari non poterat; Luſitanum quendam continuò ad Cantonem oppidum, atque inde Amacanẽ ad Luſitanos mercatores pedeſtri itinere miſimus, qui de noſtra ſalute iam deſperauerant. Amacanem peruenit nuntius Natali ipſo die Domini, anno MDLXI. ſtatimque ad nos deportandos Luſitani aliquot nauigia ſubmiſerunt. Et quoniam in Ainane inſula mẽſes quinque poſuimus, ex qua deinde Amacanem trigeſimo die peruentum eſt; de eius inſulæ & incolarum natura ac moribus, ne longior ſim, pauca de multis attingam. Eſt autem Ainanis regio cùm fructibus Indicis, & omni ciborum genere abundans, tum etiam margaritis & vnionibus nobilis: frequenter incolitur, vrbibus opere lapideo exſtructis: gens verò ipſa moribus ruſtica, veſtitu brachata, eminentibus è capite ad inſtar boum cornibus binis è tenui confectis velo, forſicibuſque ceu tonſorum è ſumma fronte, peracutis. eius ornatus cauſſam cognoſcere nũquam potui, niſi, ſi fortè dæmonem effingunt ſpecie belluæ ſeſe offerentem. In hac ego inſula ſacrificaui aliquoties, & Sacramenta diſtribui. Inde proficiſcentes ad Sinas, cùm parua no- E
bis inſula ipſo Paſchali die Dominico ſeſe obtuliſſet; partim eius diei celebritate, partim etiam ipſius loci amœnitate inuitati, deſcendimus, & commodum in monte quodam ingenti ſpecum & fornicem in templi formam excauatum offendimus. ibi, ara excitata, ſacroque peracto, cæleſti pane Luſitanos refeci. Ex eo loco ad Sinas delati, idoneã tempeſtatem exſpectantes, ad alteram vſque feriam Natalium Domini anni MDLXII. ſubſtitimus. atque inde ſolutis anchoris tertio decimo die Petram albam felici nauigatione tenuimus. Hic imminentibus tenebris territi quò minus fretum Sincapuranũ inueheremur, exſcenſione facta Domino gratias agebamus vniuerſi, cùm repente vela complura piratarum apparuere (Aceni vulgò appellantur Somatræ populi) ad regnum Iantanæ tendentium. Tum nobis Malacenſis quidam denuntiauit, nos vt inſtrueremus, Acenorum regem centum nauium claſſe aduentare, quonam conſilio, ſibi incertum eſſe. Ea res nobis ſanè metum attulit, quod onerariæ pretioſis mercimonijs referta, ab armis autem eſſet inops. ac nihilo minus nautæ vectoresque ſeſe ad pugnam expediunt. Sed claſſe Acenorum ſine iniuria præteruecta, ad dimicationem ventum non eſt. Poſtridie verò Sincapuranum fretum inuecti, cùm ventus deficeret, anchoras iecimus. interim Acenorum naues fermè triginta, in ijs maioris formæ decem, quibus totius claſsis vehebatur Præfectus, ad nos aduentãtes, partim ad puppim onerariæ ſeſe opponunt, partim etiam latera ipſa pæne abradunt, vt appareret eos mercibus adamatis (neq; enim ignorabant ex quo loco profecti eſſemus) pugnã optare. cumq; biremes maioribus bombardis, atq; ſagittis, quas præſenti veneno in ipſa naui aſſiduè inficie- F
bant, nos infeſtare cæpiſſent, quamquam noſtri, quorum erat numerus ad ducẽtos, arma parauerant, ſeq; omnes ad propugnandum inſtruxerant; tamen certiſſimo in capitis diſcrimine verſabamur: cùm ex altera parte hoſtium claſsis multo viris armiſq; ſuperior immineret, ex altera verò littus eſſet propinquũ, ſalo in quo ſtabamus non plus cubitos quattuor profundo. itaq; aut præciſis ab hoſte anchoralibus, quod vrinantes faciunt, in vada incurrendum, aut in manus hoſtium planè deueniendum fuiſſet, niſi nos inſperantes præſenti periculo Dominus exemiſſet. quippe hoſtes comiter amiceq; à nobis compellati, nonnulliſq; muneribus deliniti, non modò nos laceſſere deſierunt, verùm etiam ita beneuoli diſceſsere, vt ſibimet ipſi Luſitanos, & nobilitate, & belli gloria compararent. Malacam inde peruenimus tertio decimo Calen. Februarias, qui dies Diuo Sebaſtiano ſacer eſt: vbi è ſocijs noſtris amantiſſimè excepti, ad octauũ vſq; Idus Februarij piratarum metu commorati ſumus. Malaca dum ad Colanum portum, in quo arx eſt Luſitanorum, contendimus, Ceilanijs iam ſyrtibus ſuperatis, vento admodum proſpero in Cilanos ſcopulos rectà deferebamur, niſi ad iactum lapidis animaduerſo periculo, & mutata repente velificatione Comorinum promontorium feliciter præteruecti (quòd vix fieri poſſe videbatur) ipſo die Paſchali Dominico, magna Melchioris & reliquorũ Sociorũ gratulatione, qui in eo matris Dei collegio ſunt, Cocinũ

appu-

A appuliſſemus:quo ex loco ad hoc Goanum D. Pauli collegium dudũ exſpectati quinto decimo die peruenimus. Cuius equidem collegij cùm egregia rei Chriſtianæ adiuuandæ ſtudia,tum varias plurimasque exercitationes,& ſpiritales,& litterarias,deniq; ipſius Eccleſiæ incremẽta vehementer ſum admiratus: quam porrò Dominus ad gloriam ſuam tueatur,& augeat.Hactenus de nauigatione. nunc de Iaponicis rebus pauca perſtringam. In Iapone Eccleſiæ numerantur nouem templo quæque ſuo inſtructæ: quorum templorum quinque circiter idolis ante dicata, nunc ſacris altaribus, & Iesv Christi, Mariaqve Virginis Dei matris imaginibus exornata diuino cultui ſeruiunt. Facatenſe templum Chriſtianus quidam,Coſmus nomine exſtruxit. idemq; vt nos in ora Sinarum tempeſtate retentos cognouit, argẽti laminam mihi in ſubſidiũ miſit.Nam Cutamenſe (quod templum eſt permagnum in agro Funaiano regni Bungenſis,paſſuum ab vrbe viginti quinque millibus)ſuo ſumptu ędificatum Chriſtianũs Lucas cœmeterio circundedit,excelſa lapidea Cruce in medio poſita, ad quam ſe poſt mortem ſepeliri iuſsit. Cutamenſis porrò ager ipſe, vectigalis eſt dynaſtæ cuiuſdam ethnici,cum quo ipſiusque comitibus, dum Eccleſiam Cutamenſem inuiſimus,de rebus diuinis ſæpè collocuti ſumus.quibus ille ſermonibus, noſtraque conſuetudine delectabatur adeo,vt quattuor horas totas interdum nobis aures præberet,atque ita cõmouebatur nonnunquam, vt velle ſe Chriſtianum fieri diceret: ſed hominum rumuſ-
B ſculos veritus(quæ res toto terrarũ orbe plurimum poteſt) à ſuſcepta ſentẽtia deſtitit. Idem apud Lucam rurſus totum veſpertinũ tempus nos audiendo conſumpſit,clareq; perſpectis ex ea diſputatione Iaponicarum ſectarum omnium erroribus atq; fallacijs: comitibus ſuis, qui ſecum aderant, apertè profeſſus eſt gratum ſibi fore, ſi quis eorum Chriſtiana ſacra ſuſciperet.quæ res nonnullos ex ijs adduxit,vt conceptum animo Baptiſmi deſiderium expromerent:quo ille ita gauiſus eſt, vt eos ipſemet hortaretur, vti conſtanter in propoſito permanerent. Acferè omnes Iaponij proceres nobis amici ſunt.nam etſi aliqui, acie mentis retuſa flagitijs, lucem Euangelij aſpicere nequeunt; valetudinis tamen cauſſa, ſi quando ipſi, aut ipſorum familiares in morbum incidũt, ad nos confugere conſueuerunt. vt iam in his terris Chriſtianam rem nõ modò Theologi,ſed etiam medici chirurgique promoueant.quod ipſum apud Sinas quoque propediem fore confidimus: qua in prouincia rumor iam diſsipatus eſt, candidam gentem,promiſſa barba,Sinarum Imperij potituram .quod ſi (vt ſperamus)euenerit,paucæ omninò pro meſsis eius,itemque Iaponicæ,& Indicæ copia, Chriſtianarum ſodalitatum omnium operæ fuerint.

In Iapone, ſimulatque cognitum eſt me in Indiam profecturum, Chriſtiani omnes à viginti ſeptem paſſuum millibus ad me ſalutandi cauſſa venerunt: qui verò longius aberant, mihi ſe per litteras excuſarunt. Itaque in meo diſceſſu tanta hominum
C multitudo conuenerat, vt eos nec templum, nec atrium noſtrarum ædium caperet. Hic ego fratres mihi cariſſimi, Criſtianorum lacrymas consultò prætereo, quorum mœrorem ſolari conabar noui ſupplementi ſpe, cuius cauſſa me ad Socios mecum ex India reducẽdos abire dicebam. Ad mare tendentẽ ingens me agmen omnis ætatis virorum,atq; mulierum ita obfirmato animo proſequutum eſt,vt ad eos domum remittendos bis in itinere ſubſiſtere neceſſe fuerit. quorum equidem precibus (nam ijs me magnopere commendaueram) nos è tantis periculis diuinitus ereptos puto. Sunt autem Iaponij acceptorum beneficiorum adeò memores, gratique, vt ſi modò ipſorum eleemoſynas acceperimus,quòd illi ſibi honoris loco ducunt(non enim dico ſi eos inuiſerimus, at alia quapiam re adiuuerimus) eorum primarij ad agendas nobis gratias domum vſque contendant. quod ipſum interdum etiam ethnici eorum cognati faciunt.quòd ſi qui nobis(vt fit) in domeſticis miniſterijs operam dederint,illam dumtaxat mercedem requirunt,vt ſub veſperam hilari vultu dicamus: Goxinro de oniar, hoc eſt, laboraſtis egregiè.Id ſi reticeatur; valdè mœſti afflictique diſcedunt.

Bungenſium Rex proficiſcenti mihi dedit eleganti opere gladium, aureaque vagina in anguis formam elaborata,mittendum ad Regem Luſitaniæ,quem eſſe tenera adhuc ætate cognouerat, itemque præclarum Indiæ Proregi pugionem: quæ omnia in Iaponem idcirco remiſimus, quòd tempeſtatis iniuria nitorem ſuum atque decorem amiſerant. Ad ipſum autem Bungi Regem Conſtãtinus Prorex munera & litteras miſerat: & ſimul eum affecerat laudibus, quòd Euangelij præcones in ſuis regnis tueretur,benigneque tractaret. quòd ille munus ac litteras ita illuſtri gratia excepit, vt non

modò

modò eum qui attulerat,aureis donarit amplius sexcentis, verùm etiam ad Prætorem D
vicissim miserit in bellicos vsus affabrè factum thoracem auro sericoque distinctum,
cum inaurata galea, cupreoque frontali, item hastilia duo pugionibus præfixa, argen-
teis crustis ornata,quas Nanguinatas appellãt, aliaque similia. Nos autem ipsos mirum
quanta beneuolentia prosequatur. nam cùm cæteris rebus amicè nobis fauet, & com-
modat, tum in consilio dando fidem præstat cum humanitate ac facilitate coniũctam,
liberumque permittit, sequamur id,quod optimum esse iudicauerimus. In Christia-
norum verò negotijs, quanti nos faciat,planè demonstrat. etenim vel infimorum ho-
minum res, commendatio nostra si accesserit, suas putat, eosque nominatim appellat,
quod magnum est apud Iaponios honoris indicium, adituseque eis ad se præbet facil-
limos: denique illis etiam internuntijs ad nos vtitur. quibus rebus Christiani maio-
rem in modum animantur.

Vos tanto Regi fratres meliorem in dies mentem: nobis ad cæpta strenuè promo-
uenda lucem viresque precamini. Goa.

GASPARIS VILELÆ
ad Socios.

ANNVM in vrbe Sacaio moratus, Meacum pacatis iam rebus E
discessi anno MDLXII. magnaque Christianorum lætitia ac-
ceptus, conciones habere continuò institi:& quo maiore gra-
tulatione studioque celebrarentur instantes iam Natales Do-
mini feriæ, Iobeleum promulgaui septimo ante anno datum à
summo Pontifice. quo illi ita permoti sunt, vt ipsorum & in
Confessionibus diligẽtiam, & in festorum Natalium exspecta-
tione pietatem ac studium magnopere admirarer. Natalis Do-
mini dies festus cùm aduenisset;nouem,qui mihi maximè ido-
nei visi sunt, exposita prius ipsis augusti illius ac tremendi
mysterij sanctitate ad sacram Eucharistiam admisi,eo sensu pietatis affectos,vt magno
temporis spatio lacrymantes ante perstiterint. Reliquorum autem desideria idipsum
auidè expetentium, verbis leniui; totaque ea nocte in laudibus summi parentis ac Do-
mini exacta, matutino tempore sacrum feci, deq; ipso natali, tanto cum omnium gau-
dio ac voluptate disserui, vt identidẽ prisca illa mihi subirent nascentis Ecclesiæ tem-
pora,cùm Christiani omnes vno amoris vinculo caritatisque coniuncti, ad festos dies
agendos,& conuiuia spiritalia celebranda castissimè conuenirent.Peractis ferijs,dein-
ceps ad conciones redij,ad quas ethnici multò iam tum pauciores, quàm antea venti-
tabant:credo propterea quòd initio ad nos audiendos cauillandi studium ac petulan-
tia complures impelleret, quos nunc perspecta veritas ab ea derisione deterret.Nec fe-
re nobis iam aures atque operam dant, nisi qui seriò saluti suæ consulere,ac rationi pa- F
rere in animum induxerunt. quòd ipsum cæteri quoque Meacenses vtique facerent,
nisi eos fictis rationibus deceptos ab eo consilio dæmon abduceret. aiunt enim, cùm
perpetuum quendam innocentis vitæ cursum religio Christiana requirat,se eiusmodi
militiæ sacramento obligari, & pugnam aduersus voluptates deliciasque nolle cape-
scere, vt cùm se magna ex parte huius vitæ iucunditate priuarint, tum sempiternis in
altera vita supplicijs,nisi ad finem vsque perseuerauerint,deinde mactentur.


In hebdomadæ sacrosanctæ Paschalibusque solennibus, eadem Christianorum fi-
des, atque religio constitit. celebritatem auxêre nouem Baptismo lustrati,in ijs ciuis
quidam locuples, & Iaponicis superstitionibus admodum eruditus,cuius oculos men
tis,cùm nihil post mortem omninò supereſse putaret, Dominus ita aperire dignatus
est,vt sacrosanctum Baptismum magno animi ardore lacrymisque susceperit.

Per eos dies seditione Meaci rursus exorta, quam iniqui in Christiana sacra confe-
rebant(multò iustius Regis ipsius tyrannidi tribuendam, qui regna septem vi metuq;
tuetur,nec spei quicquam habet in ciuium caritate repositum) ad reuisendos neophy-
tos,Sacaium, de Christianorum Meacensium sententia discessi, Meacensis templi Ec-
clesiæq; custodia Christiano admodũ seni relicta. Meacũ reuertar(vt spero)ad festum
diem agendum natalis Reginæ cœli MARIAE VIRGINIS, cui ædem idcirco
dicaui-

A dicauimus, quòd eo ipſo die Meaci primùm ſacra miſſæ peracta ſunt. In hac autem vrbe Sacaio, non admodum magna mihi ſpes propinquæ meſsis, nunc quidem oſtenditur. tanta enim eſt incolarũ ſuperbia ac leuitas, vt cœlum honoris exiſtimationiſq́ue iactura mercari ſe nolle fateantur: quanquam tempore procedente ſperandum eſt agrum hunc ipſum bonam pietatis frugem laturum. Rationem inſtituti noſtri in Bonzijs hiſce tractandis, aliaq́ue nonnulla cùm de ipſorum ornatu cultuq́ue corporis, tum de incolarum natura moribusq́ue ſeparatim perſcripta ad vos mitto: quò ijs cognitis gratias Domino noſtro agatis, qui nos ex infinito prope cœcorum numero exemit; & ſimul eidem ſupplicetis, vt ad ipſum conuertantur hæ gentes, Indica Brachmanarum ſuperſtitione depoſita, quam ab Indico magiſtro ex regno Sionis acceptam huc vſque retinent: quòd ipſum ex delubris etiam apparet, quæ in oppido Indiæ Ceilano eadem quæ in Iapone videre me memini. idq́ue vobis idcirco ſignificandum putaui, vt praua huiuſce religionis origine cognita, vos ad eam reprehendendam, & confutandam facilius comparetis. Precibus veſtris, ac ſacrificijs vt me Domino commendetis, à vobis etiam atque etiam peto. Sacaio. v. Cal. Maij M DLXIII.

Scriptis iam litteris, rogat me per nuntium ethnicus quidam vir opibus prepotens, vti ad ſe baptizandum veniam in vrbem Naram. Omninò vereor vt verbis hominis fides habenda ſit: grauem enim adhuc ſe rebus diuinis aduerſarium præbuit. Verum tamen, quicquid ſit, experiar: præclarè mecum exiſtimans actum iri, ſi in Chriſtiana cauſſa vitam ponere mihi contigerit. nec enim permittet Dominus, vt exiguam huB iuſce lucis vſuram animæ meæ ſaluti, atque immortalitati anteponam. Sin ethnicus ille vera narrauerit, ſeq́ue ex animo ad ſacroſanctam Eccleſiam aggregarit; næ ego tum omnia Societatis noſtræ Collegia nouam in hanc meſſem per litteras euocare non dubitem. magnum enim in his locis eius viri nomen, magna auctoritas eſt. Faxit Dominus quòd è ſua gloria maximè fuerit, cui me inter acies gladiorum, intentaq́ue in me inimicorum tela verſantem, planè commiſi totum ac tradidi.

LVDOVICI FROII AD SOCIETATEM Ieſu in Indiam & in Europam.

C 

MAXIMIS nauigationis periculis ſummo Dei ac Domini noſtri beneficio liberati, ex ora Sinarum incolumes in hũc Iaponis portum deuenimus, quem Vocoxiuram appellãt: obuioſq́ue habuimus in littore Chriſtianos incolas omnes tanta ex aduentu noſtro voluptate ac lætitia geſtientes, vt nos humeris ipſimet ſuis ſublimes tollere atque aſportare velle viderentur, quorum ducẽti circiter nos ad templum vſque deduxerunt. Coſmi verò Turriani gaudium fuit ita magnum, vt collacrymaretur. ſatiſq́; ſe vixiſſe iam diceret, quoniam quidem operarios ſibi in ſubſidium miſſos à Domino in tanta negotiorum mole, tamq́ue opportuno tempore cerneret. Ioannem autem Fernandum è magnis aſſiduisq́ue laboribus ita conſumptum macieq́; conſectum offendimus, vt animam agere pæne videretur. Etenim ad domeſticas & quotidianas Coſmi occupationes, accedebat etiam magna frequẽtia principum virorum, & Chriſtianorum tum ex alijs regionibus, tum ex hoc regno, vel baptizandi vel ſalutãdi cauſſa aduenientium. Ioannes autem poſt ſacra miſſæ à Coſmo peracta, totum ferè diem & ſæpe noctem partim rudimentis Chriſtianæ doctrinæ vulgò tradendis, partim etiam proceribus ac Bonzijs qui ad Baptiſmum accederent, ſeparatim inſtituendis ponebat. Mihi verò baptizandi onus impoſitum eſt: ac nono poſt noſtrum aduentum die primùm ſexaginta Baptiſmo luſtrati ſunt, multiq́ue deinceps è prima nobilitate, Barptolemæi regis maximè hortatu ac perſuaſionibus incitati: quorum pleriq; catechiſmum ſua manu continuò deſcribebant, quò facilius memoriæ commendarent, eundemq́ue domeſticis traderent. ſingulis autem, à Baptiſmo, ſanè quàm enixè ac ſtudioſè petentibus, Crucis ſigillum è collo geſtandum, itemq́ue Roſarium precandi cauſſa dabatur.

Firandi autem, ſimulatque Sodales ex India adueniſſe auditum eſt; Antonius & vxor ipſius Eliſabetha miſſo confeſtim nuntio Coſmum magnopere obſecrarunt, vt quoniam tres è noſtris in hoc portu ſacerdotes eſſent, vnum ex ijs ad Firandenſem cæ-

terasque eius tractus Ecclesias inuisendas omninò mitteret. quod si per litteras ab i- D
pso non impetrassent, duos è filijs suis ab se legatum iri, qui idipsum humi strati sup-
plices peterent. Neque ita multo post, ab vrbis Ximabaræ Tono seu regulo (qua in
vrbe Christiani eo tempore plus mille & quingenti numerabantur) nobilis vir cum
mandatis ad eundem Cosmum est missus, vt ab eo promissa exigeret. promiserat enim
Cosmus, simulatque supplementum ex India aduenisset, missurum se qui Ximabaræ
commoraretur. Eadem erãt postulata Regis quoque Bungensis, quo in regno annum
iam sacra missæ facta non fuerant. Atque in Bungum quidem, quòd eius Regis gratia
ad rem Christianam iuuandam in primis est necessaria, Baptista Montanus paucis post
diebus profectus, amicissimeque ab ipso Rege acceptus est. Antonio autem Firan-
densi, itemque Tono Ximabarano Cosmus respondit, simulatque per occupationes
liceret, se ipsum ad illos esse venturum. Christiani verò, quique insulas, quique Firan-
dum oppidum incolunt, vbi reperiere nos piaculares orbiculos seu grana benedicta ex
India, itemque Veronicas attulisse; multi cum vniuersa familia, ijque admodum
pauperes, conductis mercede nauigijs ad hunc portum traiecere. interrogati cuius rei
caussa, nullius præterea, respondebant, nisi vnius petendæ Veronicæ. nam qui orbicu-
lum optabant, octo diebus ante, supplicationes ad Deum habebant, quò facilius impe-
trarent: atque etiam, cùm sibimet ipsi diffiderent, Lusitanis apud nos deprecatoribus
vtebantur: eaq; dona quàm sibi grata essent, ipsis etiam lacrymis testabantur. Iam verò E
alij Christiani Amangutio, quinquaginta aut sexaginta leucarum itinere, alij Facata,
alij deniq; alijs è regionibus ad nos hucusq; Confessionis caussa contenderunt. quo-
rum sanè religio caritasque est admirabilis. Per idem tempus Barptolemæus quoque
Rex ad Cosmum inuisendum in hæc loca se contulit: quem continuò adiuimus, eique
xenia dedimus Rosarium ex equo marino, itemque granum vnum auro insertum. quę
ille quanti faceret, vel ex eo ostendit, quòd vtrumque statim è ceruice suspendit; cu-
ius aduentus magna Lusitanorum quoque gratulatione (namque illum omnes admo-
dum diligunt) concelebratus est. Regis autem ipsius animi submissio ac pietas, cùm sa-
cro missæ interesset, potissimum elucebat. etenim cùm in templum quotidie manè,
multo ante lucem veniret, (maximam enim noctis partem fere Iaponij proceres vigi-
lant) non modò sacerdotem ad statam horam vsque præstolabatur; sed etiam plebem
infimam aduẽtu suo summoueri planè vetabat, vixque parato sibi honoris caussa stra-
gulo ad considendum vtebatur: prorsus, vt quilibet vnus è populo videretur esse. Ser-
mones verò de rebus diuinis ita auidè expetebat, vt sacro interdum peracto, ante reci-
tatum à pueris de more catechismum templo nequaquam excederet. idemque vt quæ-
dam sacrificij & Eucharistiæ mysteria probè cognosceret, accersitum ad se eius rei gra
tia nocte Ioannem Fernandum summa sua cum animi voluptate pæne ad lucem deti-
nuit multa percontans, quæ sibi partim ad comites suos docendos, partim ad Bonzios
refutandos, necessaria diceret. quæ ille, & simul purgatorij ignis infernique supplicij F
discrimen à Ioanne cùm didicisset; ad Cosmum salutatum accessit: cui id honoris et-
iam habebat, vt in ædium ingressu pugionem cæteraque arma deponeret. Paucis die-
bus in his locis moratus, ad subsidium fratri suo germano Rimanorum Regi ferẽdum,
qui bello erat implicitus, proficisci coactus est. & quoniam consueuere Iaponij princi-
pes Manibus mortuorum decemdialia ferè sacra, non sine magna Bonziorum præda
saginaq; persoluere; Barptolemæus rex, patre qui eum adoptauerat, per eos dies vita
functo, re cum Cosmo communicata, pro exsequijs illis, Bonziorumq; conuiuijs, toti-
dem dierum epulum sex pauperũ millibus præbere constituit: partim vt sibi ipsi, quo-
niam impio parenti non poterat, diuinam gratiam conciliaret: partim etiam, ne post
Christiana sacra suscepta, pristinæ benignitatis atq; clementiæ oblitus esse videretur.
Idem, in rebus diuinis multo plura præstare quàm polliceri solitus, simulatq; Vmbrá
regiam vrbem regressus est, demortui Regis imaginem, quam odoramentis suffire ve-
nerariq; solebat antea, igne comburi iussit: quod à Bonzijs ingens piaculum est habi-
tum. cumq; ex itinere ad oppidum Omuram se contulisset, vbi erat eo tempore vxor
ipsius Regina; multis ei rationibus persuasit, vt vnà cum omni famularũ comitatu ad
baptismum accederet. quæ res eò mirabilior visa est, quòd antea Regem ab eo consilio
reuocare ipsa tentarat. simul etiam Rex templum ibidem magnificum ædificare con-
stituit, Bonzijs ad eam rem è cœnobio quodam ædeq; pulsis. quapropter etiam Aloy-
sium præstàti virtute virum, regię vrbis præfecti fratrem, sibiq; in primis familiarem,

ad

A ad Cosmum cum mandatis misit. quibus rebus ira permoti barbari impellente dæmone, Regi ipsi insidias compararunt. Capita coniurationis fuere duodecim viri vrbis administrationi præpositi. ij, ad rem occultandam, Regemque fallendum, Christianos fieri velle se simulant. quos tamen Rex, quasi eorum scelus præsagiret, diu multumque ante Baptismum probari iussit. Et quoniam Gotondonus spurius regis demortui filius, Barptolemæo in legitimi filij locum ab Rege ac Regina adoptato, hæreditario iure regnoque priuatus fuerat; Gotondonum coniurati cum alio quodam è proceribus facinoroso homine Feribo, in societatem consilij assumunt. omnes denique Barptolemæum hortantur vt regni possessionem cum pompa solenni aliquando capiat, & simul Reginæ Baptismũ ac cæterorum, Cosmo accersito, quanta maxima possit cæremonia & ciuium gratulatione concelebret: namque eo ipso die statutum facinus perpetrare decreuerant. sed veriti mox, ne ipsorum consilia patefierent, rem aggredi anteuertunt. Aloysium regis internuntium vltro citroque ad Cosmum rei Christianæ caussa commeantem Feribus in itinere adortus interimit: cuius in comitatu ne Cosmus esset, diuinitus factum est: præmisso quippe ad Regem Alexandro Aloysium subsequi deinde ipse decreuerat. Eadem ipsa nocte XII. viri regijs ædibus vrbique incendium inferunt, ex quo Rex cum præfecto vrbis Aloysij fratre paucisque præterea comitibus, in arcem proximam confugiens, haud ita mul-

B to post Rimanorũ Regis auxilijs regnum prope vniuersum ingenti Christianorum gaudio recepit, misitque Cosmo nuntiatum, se Vocoxiuram, cùm primum posset, ad ipsum inuisendum esse venturum. Interea Gotondonum, & Feribum, aliosque rebelles varijs locis Rex Rimanorum obsidebat, eorumque agros ita vastabat, vt ex hoc ipso portu incendia cernerentur. multi etiam seditiosi, Regis imperio capite plectebantur: quam rem ad Christianæ religionis propagationem magni momenti fore confidimus. Sed paucis mihi perstringendum videtur, quanam ratione Barptolemæus Rex sese ad Christum adiunxerit. Is claro in primis genere natus, Cegandono patre admodum sene (qui viuit adhuc) acerrimo & Bonziorum fautore, & Christianæ religionis inimico; ab Rege, vt dicebamus, adoptatus est, (quem arcta affinitate contingebat) populo magistratibusque approbantibus. Aliquot deinde post annis Cosmus, cùm Vocoxiuram se contulisset, Rex ad eum salutandum ineunte Quadragesima venit, quem antea nunquã viderat. Ad ipsum verò postridie Cosmus Lusitanis nonnullis comitantibus, qui in hoc portu hyemabant, honoris caussa adijt, eumque in ædes nostras in posterum diem ad prandium inuitauit. A prandio Cosmus partim suo ipse sermone, partim Ioannis Fernandi, qui bene Iaponicè nouit, opera, cùm alia multa Regem de rebus diuinis edocuit, tum de animorum æternitate. inscitiaque & errore illorum, qui nihil esse omnino præter materiam primam

C opinarentur. habita est hæc disputatio in sacello quodam optimè ornato, pro posita MARIAE VIRGINIS imagine cum filiolo IESV, cuius ille tabulæ cùm cætero aspectu mirificè gaudebat, tum stupebat in primis, quòd quamcunque se in partem verteret, defixos in ipsum oculos puer IESVS habere videretur. Atque ille quidem omnia quæ dicebantur, clarè percepit. in digressu autem, Cosmus ventilabrũ aureum Regi donauit, Cruce præfixum cum clauis tribus, & nomine IESV eleganter sanè descripto: quod ventilabrum Gaspar Vilela ex vrbe Meaco miserat. cuius argumenti litterarumque nouitate permotus Rex, vt ea omnia per otium cognosceret, rursus ad nos cum magno comitatu secontulit, cæterisq; in atrio relictis, vno Aloysio secum adhibito, templum ingreditur, ibique rursus de sacris fidei Christianæ dogmatibus, deque sanctissimi nominis IESV, Crucisque mysterijs atque virtutibus, Regis ipsius rogatu Ioannes admodum fusè copioseque disseruit: è quibus multa Rex sua ipse manu in commentarium retulit ex eo die, aureæ Crucis sigillo munitus, quod secum de Cosmi sententia dies noctesque gestabat, se idẽtidem IESV CHRISTO commendans, crebrisque Cosmi cohortationibus incitatus, denique nomen CHRISTO Domino dare constituit. Nocte igitur domum ad nos cum suis familiaribus venit, pijs de religione sermonibus ad insequentem vsque lucem aures præbet, quibus Cosmi iudicio iam satis institutus, sacro Baptismate ab eodem lustratus est, manibus in modum precantis magna cum submissionis pietatisque significatione coniunctis, comitum suorum è præcipua nobilitate corona circundatus, qui pariter eius consuetudine monitisque adducti, in eandem Baptismi voluntatem valde incubuerant. Xumitanda appellabatur antea: ex eo tempore Barptolemæus nouo nomine vocitatus est. Inde ad bellum discessit, Cosmum obtestatus, vt pro sua suorumque salute, ac felici vxoris partu Dominum precaretur. Porro in itinere Maristenis delubrum, quem

Deum rei militari præpoſitum Iaponij magno cultu cæremoniaque venerantur, in- D
iecto igne conſumpſit, eodemque loco ſignum Crucis erexit, quod ipſe & vniuer-
ſus ipſius comitatus ſupplices adorarunt. In caſtra verò ſimulatque peruentum eſt,
miſit qui toto regno Deorum phana comburerent. Ex ipſis verò lucis materiam cæ-
duam gratis ad naues parandas ac reficiendas Luſitanis attribuit. Quin etiam in ca-
ſtris, quicquid à bellicis occupationibus otij ſupereſt, id totum nocte dieque in mi-
litibus ad Chriſtianã pietatem informandis inſumit, quos paulatim ad nos, quò res mi-
nus inuidioſa apud ethnicos ac Bonzios ſit, baptiſmi cauſſa dimittit. Eiuſdem, in bel-
lo inſignia ſunt nomen IESV cum clauis tribus in humerali depictum, Crux è collo
dependens, & piaculare granum in baltheo. Denique tanto rei Chriſtianę ſtudio incen
ſus eſt, vt neminem intra inſulæ huius fines habitare patiatur, quin concionibus ſa-
cris interſit. Chriſtianos verò, contra omnium, etiam parentis Cegandoni iniurias ac
vim tuetur egregiè. & quoniam Rex eſt ſplendore atque auctoritate præcellens; mag-
nopere, vt dixi, fore ſperamus, rebus pacatis, vt Euangelium ipſo adiutore Dominus
longè lateque diſſeminet. Vos interim ego etiam atque etiam oro, vt ſacroſancta ſa-
crificia veſtra, piaſque ſuffragationes mihi deeſſe ne patiamini. Vocoxiura XVIII.
Calend. Decemb. MDLXIII.

LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOcios in Indiam. E

EXPONAM his litteris fratres mihi cariſſimi, quanam ratione Rimanum in regnum, vrbemque Ximabaram nuper inducta Chriſtiana religio fuerit. Ac portus quidem hic ſeu emporium Vocoxiuræ, quod commutato iam nomine MARIAE VIRGINIS adiutricis vocatur, compluribus Facata, Firando, Meaco, alijſque ex oppidis huc ad Coſmum Chriſtianæ doctrinæ cauſſa commigrantibus, ita frequenter habitari cæptum eſt, vt Eccleſiam hanc regionis huiuſce totius caput aliquãdo fore ſperemus; Barptolemæo etiam rege vnà cum ipſo flore nobilitatis haud ita pridem ad fidelium numerum aggregato. Eius autem frater, Barptolemæi monitis precibusque ſepius excitatus, vt à Iaponicæ ſuperſtitionis erroribus ad rectam veritatis Euangelicæ ſemitam ſe traduci pateretur; à Coſmo magnopere petijt, vt aliquem ad ſe inſtituendum in caſtra (bellum enim per id tempus gerebat) omnino mitteret. Miſſus ego ſum, benigneque ab eo acceptus, nocturno tempore, quod à negotijs magis erat vacuum, de re- F
bus diuinis ad Regem diu multumque dixi. quod ipſum deinde per alias occaſiones ali
bi cùm ipſius rogatu feciſſem, ijs ſermonibus admodum delectatus permotuſque Rex,
certis de cauſſis Chriſtiana ſacra ipſemet in præſentia ſuſcipere ſuperſedit, ſed duas mi-
hi dedit epiſtolas, alteram ad Coſmum, cui poteſtatem per eas litteras faciebat Euange
lij toto ſuo regno liberè promulgandi; alteram ad incolas oppidi maritimi Cochino-
ci, in qua erat ſcriptum, vt ad audiendum Euangelium ad me conuenirent. ad quos me
qui perduceret vnum ex amicis ac familiaribus mihi comitè dedit: quò ſanè breui per-
uenimus, hoſpitioque excepti ab vrbis Præfecto, verbum Dei diſſeminare inſtituimus.
Nec ſanè fruſtra. etenim baptizati ſunt quinquaginta ſupra ducentos, in quibus fuit
cum vxore, ac liberis ipſe ad quem diuerteramus, vrbis præfectus. Deinde cùm in ędes
regias in primis inſtructas loci maieſtate deterriti timidius incolæ ad nos & ipſi veni-
rẽt, & filios mitterent, veriti, ne ab ijs ædiũ ornatus, & cataſtromata fœdarentur; vbi id
animaduerti, egi cum Præfecto de alijs ædibus, populi docendi cauſſa, cõparandis. ille
mihi ſanè liberaliter omnium quotquot eſſent in oppido, dedit optionem. delectũ eſt
ædificium quoddam peramplum, ſed magna ex parte dirutum, ſecus aream, quam
nobis Rex templo ædificando attribuerat. Operæ centum ad ruinas inſtaurandas ædé-
que ſacram exſtruendam Præfecti imperio ex cenſu ciuium exhibitæ, opus vtrunque
celeriter abſoluerunt. Tum verò liberius ad Chriſtianæ doctrinæ rudimenta, ſacraſq;
conciones pueri ſeneſque ſeſe conferre: è quibus deinceps non ita multo temporis ſpa-
tio centum & ſeptuaginta Baptiſmo luſtrati ſunt. deſignatum eſt etiam Chriſtianis
human-

A humandis prope ædem ſacram Cruce defixa peramplum ſoli ſpatium, quo primùm illati ſunt infantes duo tertium circiter annum agẽtes, quos Dominus pro ſalute harum gentiũ deprecatores in cœlum aſciuit. Secuta deinde eſt in Barptolemęũ regem cõiuratio, belliciq́; tumultus, quibus tametſi oppidani commoti, atq; à Bonziorum fautoribus potentibus viris ad Chriſtianam religionem deſerendã ſolicitati ſunt, Cruce etiam ipſa contumeliosè diffracta; ipſi tamen in fide fortiter perſtiterunt. quod egomet deinde ex eorum ſermonibus clarè perſpexi, cùm ad eum portum per id tempus naui acceſſiſſem. cùm enim ab hoſtibus Chriſtianæ religionis vrbe occupata, publico edicto nos intromittere vetarentur; ad ſtationem noſtram, ſera admodum nocte, parato nauigio frequentes venerunt, ſe diligenter excuſantes, quod nos excipere hoſpitio ſibi per aduerſarios non liceret, pietatem tamen ſuam atque conſtantiam verbis teſtantes huiuſmodi: Chriſtiana religione deſerta, quam porro ſectabimur? in difficultatibus noſtris atque periculis ad quẽ confugiemus? an ad lignea ſiue lapidea ſimulacra, quæ hùc vſq; coluimus? quis inſitam vnius Dei caritatem ex animis noſtris euellet? Quibus ego verbis maiorem in modum recreatus, eoſq́ue viciſſim, vt potui, conſolatus; ad Coſmũ cæteroſq́ue Socios Vocoxiuram ex eo loco profectus ſum, qui ſeſe cum Chriſtianis ad hoſtium furorem vitandum, in onerariam receperant. verùm ſedatis iam maxima ex
B parte tumultibus, & Barptolemęo, qui in arcem quandam ex incendio regię vrbis cum paucis vix viuus euaſerat, in regnũ reſtituto, metus hoſce omnes iuuante Domino propediem ſublatum iri confidimus: ſed de his hactenus.

Venio ad res Ximabaranas: quam ego in vrbem ab ipſo Tono accerſitus, Coſmo iubente, me contuli, benigneq́ue exceptus, & in optimo totius vrbis domicilio ſum collocatus. Poſtridie me Tonus inuitat ad cœnam. A cœna familiares ſuos atq; domeſticos in cœnaculũ conuocat. Hic ego bene longam de Chriſtiana religione diſputationẽ inſtituo. illi verò multa ac varia me interrogant: quibus ego dum ad ſingula reſpondeo, noctis magna pars abijt. Manè cùm illuxiſſet, Tonus rogatu meo popularibus omnibus Chriſtianæ capeſſendæ religionis fecit publicè poteſtatem. ex eo tempore ter quotidie concionari cæpimus, matutinis primũ horis, tum pomeridianis, poſtremò veſpertinis, tanta hominum vi cõfluente, vt non domus ſolũ, ſed etiam via auditoribus oppleretur. Secundũ hunc rei Chriſtianę curſum more ſuo aduerſarius nõ ſemel impedire conatus eſt. Tria viſuntur Ximabaræ cœnobia Bonziorũ, qui cùm alijs de cauſſis plurimũ poſſunt, tum quòd principes ciuitatis affinitate contingũt. Eius ordinis hominum fallacias atq; ſuperſtitiones quod palã coarguimus, populumq́ue ab ea ſecta ad Chriſtũ omni ope traducimus, capitali nos vbique fere odio inſectantur. Ximabaræ autem, ſi-
C mulatque ita propenſam in nos populi voluntatem intellexere; inimicitijs quas antea inter ſeſe exercebant, communi metu ſuadente depoſitis; calumnijs fictiſq́ue criminibus nos oppugnare cõſtituunt. Ad Tonum adeũt, mirantes cur in ſuis terris tã improbum genus hominũ verſari patiatur, Anthropophagos eſſe nos, & quocunque Chriſtiana ſacra inferamus, eodem continuò bellum excidiumque importare. Si nobis in vrbe habitatio detur, Luſitanos ipſos illi imperium erepturos. Adhæc, plebem incitare conantur, partim vt nos ex vrbe pellẽdos vna voce abs Tono depoſcat, partim etiã vt nos publicè conuitijs maledictiſq́; proſcindat. Eam rem vbi parum procedere animaduertunt, conſilium etiam audacius capiunt. Dum ego in ædibus noſtris de re Chriſtiana ad populum maximè diſſero, facta manu quidã è Bonzijs de cõmuni cæterorum ſentẽtia in ædes noſtras irrumpit, poſitamq́; ibi Crucem effringit. Sanè indigna viſa res eſt, valdeq́; omnes, ſed hoſpes præcipuè noſter, eo facto commoti. Itaq; nihil propius factum eſt, quàm vt eum interficerent. Bonzij autem furore elati ſcelus ſcelere cumulant. Mos eſt neophytorum ſuſceptam à ſe Chriſtianã religionem Cruce in charta depicta, atque in ædium foribus collocata publicè profiteri. id illi ſibi non modò apud Deum ſalutare, ſed etiam apud homines glorioſum exiſtimant. Hęc omnia inſignia Bonzij poſtridie, primoribus vrbis pro affinitate fauentibus, diſcerpere, ac lacerare decernunt. Quod vbi Tonus reſciuit, Chriſtianis confeſtim totam rem iuſſit renuntiari, eoſq́; hortatus eſt, vt tumultus vitandi cauſſa, eam iniuriam æquo animo ferrent ne grauarentur: ſe ipſum in Bonzios vtique animaduerſurum, ſed tempore. Quorum amentia ac furor eò vſque proceſſit, vt quicunque ad nos audiendos venirent, eos vſu etiam fontis arcerent in proximo ſiti, ad quem plurimi aquationis cauſſa ventitabant. prorſus, vt non nulli eius moleſtiæ vitandæ cauſſa, in aliam vrbis partem migrare neceſſe fuerit.

Iam verò illa quòq; res accidit, non minus euentu felix ac læta, quàm initio triſtis a turbulẽta. Adoleſcentes duo ad nos audiẽdos rei nouitate inuitati ex oppido finitimo venerant. dumq; in ædibus noſtris morantur, in familiari & iuuenili colloquio (vt fit) vnus eorum alterius procaci interrogatione laceſſitus, ſtricto mucrone in ſocium præceps iracundia ferebatur; cùm illum ex his qui aderant Iaponij quidam aderant autem fere centum viarreptum retinent, eiq; de manibus ſicam extorquẽt: quo ille facto ita iratus inde diſceſſit, vt aut eam vlciſci iniuriam, aut mortem ſibimet inferre Iaponico more, ſtatuerit. Acceſſit ad exſtimulandum iuuenis animum ſatis iam per ſe incitatum patris quoque denuntiatio vehemens, ne ſuum in conſpectũ veniret omnino, niſi prius ab ædium præcipuè domino apud quem res illa contigerat, doloris pœnas exegiſſet ſui. igitur adoleſcens, amicis affinibuſq; coactis, vim comparat: quod vbi Ximabaram allatũ eſt, Chriſtianos omnes magnopere conturbauit; me verò potiſſimũ, verẽtem, ne ſi ad manus ventũ eſſet (quæ res non ſine multorum cæde erat futura) tum verò Bonzij ciuibus quod cupiebant planè perſuaderent, nos rixarum ac ſeditionum vbique terrarum auctores eſſe perpetuos. Iamque ſe, quamquam in magno omnium mœrore oppidani ad Ioannis (ſic enim appellabatur) hoſpitis noſtri defenſionem inſtruxerant, aduentabatq; armatum agmen aduerſariorum; cùm iuuenis ille dux agminis repente præter omnium ſpem gentiſque conſuetudinẽ exterritus ſubſtitit, ſatis dignitati ſuæ, ſatis parentis imperio factum exiſtimans, ſi vacuam nobilis cuiuſdã viri domum ingreſſus in ſuburbano poſitam, reſiſtente nemine, pugionem inde viciſſim abſtuliſſet, atq; ita (vt fecit) in patriam reuertiſſet. Id à Chriſtianis vbi reſcitum eſt, tanta voluptate lætitiaque perfuſi ſunt, vt ab ipſo noctis crepuſculo, quamquam eos domum dimittente me, nihilominus gratias Deo cuncti ſimul agentes, factum inuicem gratulabundi narrantes, ad inſequentem lucem vſq; perſtiterint. Nec tamen inter haſce aliaſque difficultates, & Bonziorum inſectationes, Domino Deo fauente, ceſſatum eſt. nam præter quotidianas conciones & catechiſmum, Baptiſmi celebres varijs tẽporibus cõplures habiti ſunt. Ac primùm ethnici quinquaginta nomen Chriſto dedere. deinde rurſus circiter ſeptuaginta. tertio deniq; Baptiſmo, candidati trecenti numerati ſunt, è quibus baptizauimus dumtaxat eos, quos ſatis probè inſtitutos Chriſtianis præceptis inuenimus. cæteri qui minus adhuc idonei videbãtur, in aliud tempus reiecti. Chriſtianorum primitias libauit Dominus in hoc itẽ oppido, ſex videlicet trimos aut quadrimos infantes: quorum qui primus exceſſit è vita, Chriſtianæ fidei veritatem illuſtri ſanè teſtimonio cõprobauit. cũ enim iam ageret animam, ſublatis ad ſydera manibus; Tem iangate mairo, id eſt, confeſtim, inquit) in cœlũ migrabo. cuius rei miraculo neophyti magnopere confirmati ſunt. Ipſe autem Regulus tametſi nec dũ Chriſtianus eſt, & certis de cauſſis in aliud tempus Bonziorũ ſcelus ac maleficia debitis vindicare ſupplicijs diſtulit; ſuam tamen erga nos beneuolentiam, & Chriſtianæ religionis vel tuendæ vel amplificandę ſtudium plurimis rebus oſtendit. primũ enim nobis honoris cauſſa familiariter ſæpe cõueniendis nomẽ noſtrũ apud Ximabaranos in admiratione & in gratia poſuit: deinde areã templo ædificando optimam, materiamq; ſuo ſumptu conuectam, operaſq; ducentas nobis attribuit ad arcis ruinas æquandas ſolo, quæ arx quòdã illa ipſa in area fuerat. in templi verò ipſius apparatum & cultũ familias ſeptuaginta in ea vicinitate habitantes certum vectigal pendere iuſſit, exturbationis pœna propoſita, niſi in officio perſtitiſſent. Idem, quòd Chriſtiani ad templum, æſtu maris accedente, ægrè admodũ veniebant, ingenti ponte ad ipſius tẽpli valuas vſq; perducto, facilem ijs tutumq; aditum præbuit. Auctus verò filiola (quã nos quòd clariſſimo genere orta eſt, magno Chriſtianę rei adiumento futuram aliquando ſperamus) eam nobis tradidit baptizandam, quod fecimus, & nomine Chriſtiano MARIAM appellauimus, vt eam videlicet nomen ipſum ad omnem virtutem ac ſanctimoniam incitaret.

Hæc fere in oppidis Cochinoco, & Ximabara geſta ſunt: quam ego vtranque Eccleſiam per id tempus ſæpe reuiſi, & alteri Damianum, alteri Paulum comites ac familiares noſtros, interim dum ego abeſſem, præpoſui. Vos etiam atque etiã obſecro fratres, vt pro hac vniuerſa Iaponica vinea Domino Deo noſtro quàm diligentiſſimè ſupplicetis. Ex portu MARIAE VIRGINIS adiutricis. v. Calend. Decemb. MDLXII.

IOAN-

IOANNIS BAPTISTÆ MONtani Ferrarienſis, ad Michaelem Turrianum è Societate Ieſu in Luſitaniam.

ANNO ſuperiore in Iaponem peruenimus, & maritimum in oppidum Chriſtianorum deſcendimus, vbi Coſmus Turrianus cum vno è fratribus noſtris rem Chriſtianam præclarè gerebat. quibus ego cùm nauare operam ibidem vellem, in Bungum à Coſmo idcirco ſum deſtinatus, quòd ſeſquiannum iam ea princeps Iaponis totius Eccleſia ſacerdotem deſiderabat. ibi quanta Bungenſium & lætitia & benignitate acceptus fuerim, exponere nimis longum ſit. Regem ipſum etiam inuiſi aliquoties, à quo ſemper honorificè humaniſſimeque tractatus ſum, qui tametſi ethnicus adhuc eſt, in ea ſecta quę nihil ſupereſſe poſt mortem c... timat; Chriſtianæ tamen religioni tantum tribuit, rebuſque noſtris vſque adeo fauet e...ixè, vt vnus è fidelium numero eſſe videatur. credo propterea quòd ominibus ducitur, videtque ſe ex quo tempore Euangelium in ſuis terris promulgari cæptũ eſt, non ſolùm imperio, atque opibus auctum, ſed etiam filio, quod vehementer optabat. Quod ad conuerſionem harum gentium attinet, Euangelium longè lateque iam peruagatum eſt, & ſanè probatur in vulgus, & fere ſemper ad Baptiſmum, Dei beneficio a...i perducuntur. Ratio autem noſtra cum illis agendi eſt eiuſmodi. Quæritur primùm quam ſectam ſequantur. deinde, non modò quam ipſi profitentur, ſed etiam reliquæ omnes Iaponicæ ſectæ multis rationibus ita confutantur, vt earum ope ac præſidio æterna ſalute ſe nequaquam poſſe potiri intelligant. Id vbi perceperunt, docentur eſſe vnum rerum omnium opificem, qui ex nihilo cuncta creauerit, eaque omnia fungi officio præter Angelos deſertores, & hominem, qui è primo illo ſtatu ſua culpa excidit, in quo ab Deo parente poſitus fuerat; idemque naturæ legibus, rectæque rationi aduerſetur. Diſcunt deinceps, Deum eſſe trinum & vnum, cuius imperium primus ille homo neglexerit. Et quoniam infinitæ maieſtati ac numini facta iniuria, infinitam quoque ſatisfactionem exigeret, ſecundam Trinitatis perſonam, cùm genus humanũ, aliaue omnino creata natura ſoluendo non eſſet, humanitatem noſtram vltrò aſſumpſiſſe atque induiſſe, vt idem homo ſimul & Deus innocentiſſimus pœnam noſtris ſceleribus debitam pretioſo ſanguine ſuo acerbaque perſolueret morte, ac nos in omnipotentis Dei gratiã reſtitueret. Hæc illis omnia clarè & copiosè explicantur. tum ad eorum quęſtiones probè reſpondetur, & omnis ex eorum animis, quoad eius fieri poteſt, dubitatio tollitur; atque, vt illis certæ precandi formulæ traditæ, præceptaque Decalogi expoſita ſunt, promittunt ſe barbaros ritus ſuperſtitioneſque depoſituros. denique ſacri Baptiſmi vis atque myſteria ijſdem explicantur, atque ita Chriſto dant nomina ac baptizantur. Verſamur autem in hiſce Iaponicis regionibus hoc tempore è Societate ſacerdotes ſeptem, fratres quinque. multi præterea ſunt incolæ familiares ac veluti ſodales noſtri, præſtanti virtute homines, qui nos in opere haud ſegniter adiuuant. Sed vniuerſi pro meſſis copia ſanè quàm pauci ſumus, nec nobis (quod facile credas) ab occupationibus multum ſupereſt otij. itaque ſubſidio vehementer indigemus. Pijs deprecationibus tuis & cæterorum me valde commendo. è Bungo. v. Idus Octobris. MDLXIV.

EX ALIA EIVSDEM IO. BAPtiſtę Epiſtola ad Ioannem Polancum è Societate Ieſu Romam.



VNC aliqua mihi de Bungenſium Chriſtianorum pietate ac deuotione dicenda ſunt: quæ virtus cùm ſemper in ijs apparet eximia, tum verò Quadrageſimæ tempore præſertim elucet. nam præter aſperitatem vitæ priuatam, & aſſidua ſupplicia voluntaria, Chriſtiani ſexta quaque feria frequentiſſimi in ſacram conueniunt ædem: atque vbi de paſſione Domini peroratum eſt, extinctis luminibus atro ciſſimè cuncti ſeſe diuerberant. Equidē vt primùm interfui, attonitus rei nouitate miraculoque, prorſus obſtupui. Neque verò dumtaxat virorum hoc decus eſt: ipſæ quoque mulieres in hanc partem ſe admodum ſtrenuè atque acriter incitant. quarum nonnullæ cùm me ſummis precibus obſecrarent, ſibi vt in templo ſumptis ne dignoſcerentur virilibus tunicis, echinatis globulis ferreis in ſua terga ſæuire liceret; negaui ſcilicet: primùm id minus decorum arbitratus; deinde etiam veritus, ne ſi ad cæteram auſteritatem & pœnitentiam, qua ſe ipſæ pæne conficiunt, verberum quoque tormētum acceſſiſſet, certum adirent vitæ diſcrimen. idipſum graui admodum ætate ſenes à me magnopere contenderunt. Iam verò ſacræ hebdomadæ officia, quo animi ſenſu ac lacrymis; Paſchalia autem ſolennia quanto animi gaudio, atq; hominum multitudine celebrentur, dici vix poteſt. Nec ſanè minor eſt Natalium feriarum gratulatio & celebritas. quin etiam pia ſimul & iucunda per eos dies ſpectacula committuntur, illuſtribus aliquot actionibus è ſacra hiſtoria Iaponico verſu deſcriptis: quæ poëmata Chriſtiani magno ſuo bono memoriter hauriunt, namque ea ratione & magnam ſacrarum litterarum partem addiſcunt, & hiſce carminibus identidem concinendis, profanas cantiones quibus antea aſſueuerant, paulatim dediſcunt. Nam quid ego de Confeſſionibus dicā? quo in genere ita ſolertes accuratique ſunt, vt aliud nil egiſſe videantur in vita. Quibuſdam ego, id vehementer optantibus, per interpretem aures præbui: quorum nonnulli ſcriptam Confeſſionem ſuam ſecū attulerant. Credas mihi affirmanti velim, quotidianas me ſeſquianni totius (tam diu enim ſacerdote caruerant) recognitiones actionum ſuarum, quę examina dicimus, in ijs ſcriptis liquidò comperiſſe: ea diſpoſitione atque ordine in commentarium crimina ſuis quęque diebus notata retulerant, cùm ante id tempus octauo vel quintodecimo quoque die Sacramentum Confeſſionis obire cō ſueſſent. quæ mihi eorum diligentia eò laudabilior videtur, quòd ex mediocribus interuallis peccata ritè confiteri haud ita difficile duxerim: ipſorū verò octodecim menſium errata in temporum ſeriem digeſta proferre, id verò in primis mirandum eſt. Quid quæris? contritione ſua animique candore ita me ſibi obligarunt, vt cum CHRISTO Domino ingentes & agam & habeam gratias quòd me in hæc loca perduxerit; tum etiam tibi plurimum R. P. vel eo nomine debeam, quòd auctoritate ſtudioque tuo perfectum eſt, vt aliqua mihi pars demandaretur huiuſce tam fructuoſæ prouinciæ: quam ego vt ex inſtituto ac ſpiritu noſtræ Societatis geram, peto abs te, vt infirmitatem meam tuis ad Deum precibus ac ſacrificijs ſubleues. è Bungo. VI. Idus. Octobris. MDLXIV.

LVDO-

LVDOVICI FROII AD SOcios in Indiam.

ANNO proximo, Vocoxiura vico ab hoſtibus concremato, & exciſo, Coſmus Turrianus cum Ludouico Almeida, & Iacobo Conſaluo officij cauſſa conquiſitus à Chriſtiano quodam nobili viro Tacaxim oppidum Regis Bungenſis æger naui deuectus eſt. Ego autem ab Antonio Firandēſi viro Principe accerſitus, Coſmi iuſſu Tacaxumam contendi febri frigoribuſque vexatus, quæ me quattuor menſes malè habuerunt. Eodem venit poſt menſem Ioannes quoque Fernandus. Inſulani ſunt numero trecenti circiter & quinquaginta, Chriſtiani omnes, quorū quibus licuit, aduenienti mihi nauigiolis obuiam prodiere, cęteris in littore præſtolantibus, quorum omnium quanta ſit pietas atque religio, ex eo facilè iudicabis, quod bis in nocte ad Dominum deprecandum, Chriſtiue tormenta necemque ſecum reputandam ſurgere è lectulo conſueuerunt.
B Quin etiam primis tenebris multi cùm ſe in preces fuderunt, ad mediam vſque noctem in ea cogitatione ſuimet pæne obliti perſiſtunt. Pyxidiculam ego cerearum agni cœleſtis imaginum, quas Romæ ſummus Pontifex conſecrauerat, Socijs noſtris attuleram ex India. id vbi reſciuit Chriſtiana quædam anus Facatenſis, multis precibus vnam mihi earum extorſit. Eius rei fama ſtatim hoc toto tractu percrebuit. itaque ad me quotidie & Firando, & alijs ex locis nauigia veniebant virorum fœminarumque pleniſſima, è reliquijs illis amoris (ſic enim appellant) aliquid à nobis efflagitantium; negari non poterat. itaque totum eius cerę conſecrationiſque myſterium exponebat Ioannes, deinde in eos diſtribuebatur. & ſanè ceram in particulas ita minutas ſecare coacti ſumus, vt Chriſtianis mille quingentis ac triginta ſufficerent. quas pro ſuis quiſque copijs vel argentea theca, vel ænea, vel ſtannea, vel ex aurichalco includebant; ex altera parte nomine IESV ſpinea corona circumdato, ex altera tribus ad imam Crucem clauis inciſis. Templum autem ipſum, quòd Firando, alijſque ex inſulis confluentem ad nos multitudinem non caperet, per eos dies amplificatum, & ſacrario atque ædificijs ad hyemem traducendam ornatum eſt. opere abſoluto, dum Iaponius quidam apud nos ceram in candelarum vſum ad ignem liquat, arida palearum materia, è quibus parietes erant exſtructi, flammam ita auidè arripuit, non modò vt hoſpitium noſtrum
C ædemque ſacram, ſed etiam quindecim fere vicina Chriſtianorum tecta comprehenderit atque conſumpſerit. quorum ſanè mihi æquitas animi ac patientia viſa eſt admirabilis, cùm incenſis domibus domeſticoque inſtrumento, in publicum ſe coacti proripere, tempeſtate perfrigida, cùm è cœlo denſa nix caderet, vnà cum coniugibus liberiſque, qui nonnullis eorum erant ſeptini, octoniue, noſtram tamen vicem magis quàm ſuam ipſorum dolerent. Ex ea clade ſacrorum apparatus Dei beneficio ereptus eſt, & aliquid è ſupellectili veſtibuſque, quas nos omnes egentibus Chriſtianis ijs, quorum domus arſerant, miſeratione commoti diuiſimus. Ioannis verò Fernandi commentarius multis iam annis elaboratus, in quem ille ſacras conciones, & catechiſmi explicationem Iaponico ſermone retulerat, ſanè quàm incommodè perijt. Ego interea cùm ægrotus decumberem, ex eo periculo me ad quendam Chriſtianum recepi, ibique in ſumma egeſtate ſtorea mihi pro ſtragulo fuit, lignum pro ceruicali: eò ſtatim magna vtriuſque ſexus hominum ac puerorum turba conduxit, incommoda noſtra & calamitatem, lacrymis proſequentium: mortuos parentes lugere dixiſſes: atque, vt eſt gens ad omnem humanitatem ac miſericordiā prona, quamquam in ſummis rei familiaris angultijs, alij ad me contegendum ſuismet veſtimentis exuere ſe ſe, alij in cibum duas treſue cochleas, alij virides cepas, alij deniq; ſylueſtre allium afferre. aliquot etiam Firandenſes, & Facatenſes Chriſtiani, qui in eam inſulam anno priore Vocoxiura migrauerant, cocta nobis cibaria ſeptem octoue dies è ſuis domibus miſere. Eius incommodi nuntio Firandum vicinaſque in inſulas perlato, confeſtim ad nos ſubleuandos Chriſtiani cum fabris, paleis, funibus, arundinibus aduolarunt: quorum opera cùm ædes noſtræ, templumque, tum etiam incenſa Chriſtianorum tecta magno omnium gaudio ac voluptate refecta ſunt.

Sed idem tempus ecce noua calamitas. Aduectum ex India pretioſum ornatum ſacro- D
rum vnà cum aureo textili, & ſimul vitrea vaſa donanda principibus, Firandum Coſ-
mus, vt ibi videlicet ab incendijs tutiora eſſent, ad Chriſtianum amicum cuſtodien-
da tranſmiſerat. Hic dum ludos quoſdã profanos ipſo Cinerum die agunt barbari, v-
nus ex ijs temere arreptum ignem in ædificium conijcit, qui vento adiuuãte, adeò ve-
hemens ac ſeuum excitauit incendium, vt bonam vrbis partem cum ædibus Antonij
dynaſtæ, & Chriſtiani eius qui noſtra ſeruabat, momento pæne temporis hauſerit. quæ
res magnam mihi præcipuè, febri, tali anni tempore, laboranti, patientiæ materiam
præbuit, quòd in eas ego quoque ſarcinas, Diui Thomę partes, quæ appellantur, item-
que nonnulla valetudinis aduerſæ remedia, quibus admodum inops eſt hæc terra, con-
ieceram. Inde, paucis interiectis diebus, vigilias agere ſumus coacti latronum & hoſti-
um metu, quibus paruum hoc Firandi regnum infeſtum eſt: paratiſque nauigijs qui-
bus aliò, ſi res ferret, aueheretur ſacra veſtis & inſtrumentum, nos cum Chriſtianis in
editum locum munitumq; recepimus. Sed belli tumultus ille Deo fauente ſublatus eſt.
Et quoniam Iaponicę linguæ ignoratio rem Chriſtianam magnopere diſtinet, ere-
pto ex aſſiduis occupationibus tempore, faciendum ſibi frater noſter Fernandus exi-
ſtimauit, vt de Iaponico ſermone grammatica præcepta conſcriberet. ijs duplex eti- E
am Lexicon addidit: in altero Iaponicas voces, in altero Luſitanicas alphabeti ordine
cum ſua cuiuſq; ſignificatione prætexens. Sexto vel ſeptimo menſe, haud tamen idcir-
co intermiſsis concionibus, cæteriſque muneribus, eam lucubrationem abſoluit, in
primis vtique neceſſariam Iaponijs excolendis.

In ferijs Natalibus, atque Paſchalibus, incolarum ſumma religio. Nocte Natali ſub
veſperam ientaculo exceptos bifariam in templo diuiſimus. Ibi alternantibus choris
certos ex veteri teſtamẽto locos, ſacraſq; Prophetarum prædictiones tempori accom-
modatas verſu Iaponico decantarunt. Deinde ſolennia miſſarum ſacra peracta ſunt.
Dominica in palmis cùm ſacrum fieret, Paſsione Domini per vices, vt fit, recitanda,
tanta populi comploratio orta eſt, vt vix inter pronuntiandum nos mutuo exaudire
poſſemus. Iam ſexta feria, quæ proximè conſecuta eſt, complures tum Firando, tum ex
finitimis pagis Chriſtiani ad verberationem cum flagris ac tunicis cõfluxere, quòd Fi-
randi conuentus huiuſmodi ab Rege prohibentur. nec ſequientibus eo die procellis at-
que imbribus deterriti ſunt, quò minus acriter ſeſe cædentes, ſanguinemque mitten-
tes, permultos paſſus agmine compoſito incederent. quod ipſum ſeparatim mulieres
quoque; Chriſti amore incenſę fecerunt, idque ſumma cum pietate, & ſanctimonia.
Porrò aquam Sabbato ſancto benedictam, magno ſtudio ac fide ad morbos pellendos
partim apud ſe religioſè aſſeruandam ſumpſerunt, partim etiam Firãdum, cęteraſque F
in inſulas atque oppida Chriſtianis dono mittendam. Paſchali verò die Dominico, ad
ſummam gratulationem ſpecies tantùm & pompa magnifica defuit. cętera ſanè egre-
gia. vnum dumtaxat pallium erat nobis, quo eodem pro vmbella in ſupplicatione vſi
ſumus. ſub ea geſtabam ego ſacratiſsimum CHRISTI corpus in calice, linteatus præi-
bat Fernandus corona roſea redimitus, & quamquam macie ita confectus, vt vix hæ-
rere veſtigijs poſſe videretur; valde tamen iucundè canebat, Dic nobis MARIA, quid
vidiſti in via? Cui reſpondebat ex altera parte Iaponius quidam ſenex, trullam bacil-
lo pulſans: nec enim vlla in his locis organa muſica ſunt. Eo die cibum apud nos cun-
cti ſumpsere, quod feſtis fermè celebrioribus factitant, præſertim verò die Viſitationi
MARIAE VIRGINIS ſacro, quem diem præcipuo cultu atque honore exigunt Mi-
ſericordiæ ſodalitia, conuiuij curatoribus in qualibet Eccleſia conſtitutis.

Ipſis hebdomadæ ſacroſanctę diebus, Firandi res accidit ad prouidentiam Domi-
ni iuſtitiamque declarandam admodum illuſtris. Princeps Bonziorum erat in vrbe
quidam, Saſimandaq; nomine, regni totius huiuſce tanquam Archiepiſcopus, capita-
lis Chriſtianę religionis inimicus. cuius ſcelere antea & Cruces præciſę, & Gaſpar Vi-
lela cum reliquis omnibus è Societate noſtra Firando pulſi excluſique fuerant. quam
rem Antonius dynaſta grauiſsimè tulerat, nec tamẽ vindicarat, eò quod Bonzius prin-
cipum affinitatibus admodum potens eſſet. Is igitur ab eodem Antonio, qui tum regij
exercitus Imperator vnà cum Rege militabat, per interpretem petijt fundum quen-
dam continuandum prædijs delubrorum ſuorum. Id cùm Antonius apertè negaſſet,
accenſus ira miſit continuò Bonzius primùm, qui Antonij villas; deinde ſex circiter
Chriſtianorum Antonij popularium domos incenderent. Enimuero tum Antonius
rei atro-

A rei atrocitate commotus Regem adit, Bonzij improbitatem diutius ait tolerari non posse: nisi in ipsum Rex animaduertat, sese confestim rei militaris cura deposita, ad vlciscendam eam iniuriam profecturum. cui Rex quamquam inuitus ac mœrens, tamen quod Antonij viri nobilissimi, & secundum se opulentissimi opera plurimum indigeret, respondit se totam rem ipsius arbitrio plane permittere. Tum recordatus iniuriarum, quibus ille nos affecerat, postulauit Antonius, vt Bonziũ eo dignitatis gradu de ectum, Firandensis regni finibus in perpetuum exterminaret: &, ne qua spes reditus ei relinqueretur, agros illius ac bona alijs possidẽda assignaret: Quo statim facto; & Christiani molesto grauiq; aduersario liberati, & Bonzijs dedec'ingẽs, ac dolor inustus est.

Decem menses Tacaxumæ fuimus: quo temporis spatio vicinas insulas, quæ in Antonij ditione sunt, bis Fernandus inuisit. nec sanè frustra. nam & Christiani, ipsius aduentu mirum in modum recreati, & barbari multi ad ouile CHRISTI perducti sunt: in ijs vetula quædam annum agens circiter nonagesimum, mulier honorata, multisq; affinitatibus pollens. Hæc beatitudinis gratia, multa Iaponis delubra superstitiosis peregrinationibus circumierat, habebatque papyraceam tunicam, quæ descriptam Amidæ vitam continebat, quam illi cum alijs diplomatibus & indulgentijs (Ecclesiasticos enim ritus dæmon effingit) Bonzij pretio ingenti vendiderant, polliciti, si eo amictu,
B supremo die suo efferretur, omnibus noxis solutam, rectà ad beatas Amidæ sedes proculdubio peruenturam. Aegrotum quendam eius propinquum Ioannes inuiserat, cuius domi casu ipsa quoque tum aderat. Eam igitur Ioannes accersi iubet, si pauca de Redemptore generis humani deque altera vita cognoscere cupiat. audituram se respondit mulier: verùm enimuero falli, si quis idcirco se Christianam futurã existimet. Sed vbi dæmonis malitiam, fraudes Amidæ, cui illa tantopere fideret, Euangelicam deniq; veritatem Ioannes aperuit; vt Iaponica ingenia facile rationibus cedunt, eius orationem mulier ita approbauit, vt lacrymis obortis Baptismum continuò peteret. quid multa? solennes precationes edidicit, chartaceam illam tunicam, aliaque Bonziorum scripta quæ diximus, ad Ioannem attulit comburenda, sibi posthac sacrum fore nihil, aut religiosum affirmans, præter nomen IESV. ac deinde baptizata, tantam animi pietatem atque ardorem ostendit, vt cùm vniuersos Christianos, tum eos præsertim, qui eam antea nouerant, ingenti gaudio affecerit: quam metuebant prius, nunc autem metu duplicatum in amorem conuerso, maximè diligunt: ac mirantur quæ prius præ imbecillitate corporis stare vix posset, eam nunc quotidie templum petentem, Angelicamque salutationem trecenties recitantem, & singulis noctibus orandi causa bis è cubili surgentem. Eadem postea ad me Tacaxumam cum alijs Christianis naui contendit, vt rei diuinæ interesset, & granum aliquod benedictum & cerę, quam diximus, con
C secratæ particulam à nobis exposceret.

Hisce rebus, alijsque peractis, quas ego breuitatis causa prætereo, Fernandus ad me reuertit. Et quoniam Firandenses Christiani magno nostri desiderio tenebantur, mihi autem per Regem à Christiana religione, contra quam initio simulauerat, alienum, in ea vrbe rem diuinam facere non licebat; supplicationibus habitis, & re cum Antonio communicata, omnino visum est faciendum, vt saltem Fernandus eò sese conferret: vbi ille dum fideles in officio retinet, labantes in fide confirmat, ethnicosque præceptis Christianis instituit; interea naues Lusitanorũ duæ in hanc oram è Sinis delatæ. quarum magistri cùm iniussu meo Firandi portum inuehi nollent, Rex ratione lucri coactus (nam alioqui, secus ac primis aduentus nostri in Iaponem annis simulauerat, & nobis, & Christiano infensus est nomini) se mihi per quendam è suis familiaribus excusauit, quod bellicis districtus negotijs nondum mihi salutem nuntiari iussisset; & simul magnopere petijt à me, vt Lusitanos vrbis aditu ne prohiberem: se primo quoque tempore de mea quoq; introductione cum nauarchis acturum. Illi igitur, permittente me descendunt, & promissa ab Rege sæpius exigunt, templum ære suo se exædificaturos recipiunt. Rex tergiuersando rem extrahere, nosque iam apertè frustrari, cùm eo ipso tempore oneraria, cui à sancta Cruce est nomen, aduenit, sanè opportunè. nam & sacerdotes è Societate tres Melchiorem Ficeredum, Balthasarem Acostam, & Ioannem Capralem summa cum animi nostri voluptate ac lætitia nec opinantibus nobis aduexit, & occasionem optimam præbuit Regis ab ea perfidia reuocandi. Hanc ego nauem actuario quæsitam reperi in ipso cursu velis adhuc inflatis: & Petro quidem Almeidæ nauarcho pro excellenti eius probitate, & in Societatem nostram obseruantia, facilè

persua

perſuaſum eſt, vt vela ſubmitteret ſtatim, ibidemque ſubſiſteret: mercatores autem ſi- D
ue nauigationis nauſea tædioque, ſiue alia quauis de cauſſa, nullis rationibus de ſenten
tia deduci potuere quò minus ſcaphis oppidum peterent, & mercimonia exponerent.
magno illis ea deſcenſio ſtetit: namque à furibus igne apothecis eorum iniecto, non exi
gua mercium parte vel flamma ventoque ſæuiente conſumpta, vel etiam ab ipſis furi-
bus inter eam trepidationem ablata, aureorum circiter duodecim millium damnum
fecere. Interea Petrus Almeida, qui iactis anchoris, ab oppido ſex millia paſſuum ſta-
bat, rogatu meo Regi apertè denuntiat, ſe niſi nobis reſtitutis nequaquam appulſurũ.
Rex autem, dierum aliquot mora interpoſita, ad extremum metuens, ne ſi rem diutius
diſtuliſſet, magna rerum ſuarum iactura nauarchus alios portus peteret; nobis & vrbẽ
intrandi, & ſacræ ædis exſtruendę poteſtatem fecit. Deſcendentibus nobis ad littus die
natali D. Barptolemæi Apoſtoli, gratulatio ingens & à nautis Luſitanis ſignificata eſt,
& ab incolis Chriſtianis, cùm ſe præter ſpem, voti compotes factos viderent. Nos cum
nauarchis & magno præterea comitatu Regem adiuimus, eique gratias egimus. accep-
ti ſanè frigidè, quod dedit accepimus. inde Antonio eiuſque matre ſalutata, ad inſtau-
rationem templi continuò animum adiecimus. ex onerarijs Luſitanorum tribus, pe-
cunia in ædificationem corrogata, opus celeriter ad culmen perductum eſt. Itaque in
eo templo natalem diem MARIAE VIRGINIS egimus Balthaſare ſacrificante, & ma- E
gno omnium gaudio concionante. Tanto autem ſtudio à nobis de hac Firandenſi com
moratione multis de cauſſis laboratum eſt: primùm quòd ita mandauit Antonius Qua
drius: deinde ne Chriſtiani incolę ſumma virtute ac religione homines deſerãtur: tum
vt iacta à nobis in animis puerorũ, qui ſanè pręſtanti ſunt indole, ſemina Chriſtianę do
ctrinę, ad bonam frugẽ noſtra opera perducantur: poſtremò Luſitanorũ etiam gratia,
qui ad hoc emporiũ libẽtiſſimè cõmeant, ad merces diſtrahendas ac diuendẽdas oppor
tuniſſimum. Dum hęc ad Firandum geruntur, cognitum eſt Coſmũ Turrianum Bun-
genſis regis hortatu, atq; auxilio ad oppidum Rimani regni Cochinocum peruenisſe,
eamque Eccleſiam, quam hoſtes afflixerant, eiuſdem Regis ope ac beneficio reſtitu-
tam. Eò Melchior Ficerdus cum mandatis ac litteris, quas afferebat ex India, ad Coſ-
mum profectus eſt. Nec ita multo poſt Coſmus ad nos ſcripſit, vt ad ſe ego & Balthaſar
Acoſta veniremus; Caprali, & Fernando Firandi relictis. quę prima nauigandi facultas
fuerit, proficiſcemur. atque ego me, niſi per mea ſteterit peccata, Meacum ad Gaſpa-
rem Vilelam miſſum iri confido. nam noſtrorum hominum ſubſidium aliquod non
ipſe modò, ſed etiam Meacenſes vehementer exoptant: quippe qui ad eum, ſacrorum
cauſſa, è remotis vrbis ampliſſimæ partibus ægrè admodum ventitant. Cuius profectò
res geſtę ſatis declarant, nihil eſſe tam arduum atque difficile, quod non animi robur
ac perſeuerantia ſuperet. Nam qui primis legationis ſuæ temporibus, contumelijs, pro- F
bris, lapidationibus nullo defenſore appetitus, diuque vexatus eſt; tantum conſtantia,
patientiaque profecit, non modò vt populo, ſed etiam vt principibus, Regeque iam ip
ſo æquo ac beneuolo vtatur. In agro Meacenſi intra quadrageſimum circiter lapidem
Eccleſias ſeptem inſtituit, multis è prima nobilitate ad Chriſti cultum adductis: mag-
num denique rei Chriſtianæ ſtudium in illis gentibus excitauit. Verùm hæc, &re-
liqua huius prouincię acta ex aliorum litteris fuſius cognoſcetis. Vos ego
patres, fratreſque mihi cariſſimi per Deum obſecro, vt veſtris
in ſacrificijs precibuſque memoriam mei retineatis.

Firando. Quarto Non. Octobr.

MDLXIV.

IOAN.

A IOANNIS FFRNANDI AD FRANciscum Petreium è Societate Iesu.



ET si putabam vos de rebus Meacensibus è Gasparis Vilelæ ipsius litteris cognituros; tamen cùm Christiani duo certi homines nuper ad nos Meaco veniissent, faciendum mihi existimaui, vt quæ ab illis accepimus, tibi per litteras primo quoque tempore exponerẽ. Anno superiore, cùm Gaspar ad Bonziorum furorem atque impetum declinandum, ex vrbe Meaco Sacaium Christianorum hortatu precibusque se recepisset; Didacus quidam neophytus ad Xamaxinodonum in ius adijt, debitam sibi à nescio quo pecuniam iudicio repetens. hunc Xamaxinodonus vt agnouit, per ludibrium sitne Christianus interrogat. Ego verò sum, inquit ille: cui rursus Iudex: cedo, vestra quæ dogmata sunt? recusanti respondere Didaco, seque excusanti quod tyro esset etiamnum; acrius instare denuo barbarus, & vrgere, vt aliquid in medium asB ferret. Necessitate pæne coactus Didacus de animorum immortalitate, deque æterno totius vniuersitatis parẽte cępit nõnulla differere: quibus permotus Xamaxinodonus, abi (inquit) nuntia magistro tuo, vt ad suam mihi doctrinam declarãdam accedat. nam si tu rudis adhuc & nouitius tam bene disputas, quid de ipso doctore tuo putãdum est? quòd si veritatem religionis Christianæ probarit; eam ego fortasse & Quequidonus collega suscipere non grauabimur. Didacus igitur non sine diuino consilio id factum existimans, forensi actione deposita, Sacaium illicò ad Gasparem excurrit, eique iudicis mandatum exponit. Gaspar rem cum Christianis, qui ibidem aderant, communicat. illi negant se dubitare quin ea sit insidiosa euocatio; proinde nequaquam eundũ. omnino probabilis erat ea sententia: verumtamen, ne cui, verbum DEI audire se velle dicenti, aliquo pacto defuisse videretur; Laurentium Iaponium comitem suum ad eum legauit: qui, quamquam proposito vitæ periculo, libens discesit, ea conditione, vt nisi intra quatriduum reuertisset, minus commodè cum eo actum existimaretur. Dies duo, tres, quattuor: nec tamen redit. pro mortuo scilicet, vel certè malè accepto est habitus. mittitur de communi sententia Meacum vnus è Christianis Antonius nomine, vt cuncta Sacaium explorata certaque referat. Huic in ipso itinere occurrit Laurentius & comites duo cum iumento tendentes ad Gasparem deportandum, quod iam Xamaxinodonum & Quequidonum Laurentij opera Dominus ad se conuertisset. MeC acum igitur cum Socijs tribus Gaspar profectus (ij sunt Iaponij Laurentius, Augustinus, & Damianus missus ad eum mense Decembri) Xamaxinodonum & Quequidonum Baptismo lustrauit. Erant ambo venefici, & dæmone familiariter vtebantur. ijdem iuris Iaponici peritissimi, summaque prudentiæ & eruditionis fama. itaque ab ipso Rege & ijs qui rerum potiuntur, de religione belloque consulebantur: Christianæ autem religionis adeo acres aduersarij, vt in ea affligenda & Gaspare exturbando Bonzij ipsorum præcipuè opibus, gratia, auctoritate niterentur. Nunc autem diuinitus immutati ambo tanto studio in Christianæ caussæ defensionẽ incumbunt, vt Iaponicarum opinionum prauitatem atq; fallacias scriptis arguere atque aperire instituerint, Euangelica veritate ad calcem operis addita: quem librum ad communem omnium vtilitatem salutemque sunt edituri. Sanè grauem ex eorum conuersione plagam ac dolorem Bonzij accepere, præsertim quòd illos imitatus Xuicaidonus quoque, vir in Iaponicis meditationibus exercitatissimus, & Mioxindoni rei militaris præfecti cognatus, ad CHRISTVM accessit, atque inde in patriam reuersus passuum ab vrbe Meaco viginti quattuor millia, quæ Imoris appellatur, estque in Mioxindoni ditione, tantum apud affines & amicos exemplo suo monitisque profecit, vt eò Laurentius ipsorum rogatu missus à Gaspare, patritios sexaginta eorumque familias, omnino capitum ad quinque millia, baptizauerit, ædesacra confestim exstructa. quorum tanta fuit in fide virtus atque constantia, vt post Laurentij discessum, à Bonzijs ethnicisque ad defectionem solicitati lacessitique partim altercationibus, partim etiã ludibrijs & insectationibus, non modò non ab incæpto destiterint, sed etiam pro defensione Euangelij diẽ vnum in armis fuerint. Quibus rebus Xamaxinodonus

donus cognitis, Gaſpari perſuaſit vt ad Mioxindonum (cuius domicilium ab Imori ca- D
ſtro, vnius diei diſtat itinere) ſeſe conferret, cauſſamque Chriſtianorum apud eum a-
geret. Ab eo Gaſpar benignè acceptus, cùm de rebus diuinis ipſo valde approbante
verba feciſſet, ſumma eiuſdem voluntate obtinuit, vt Imorenſes ethnici Bonzijq; neo-
phytis negotium poſtea ne faceſſerent. quare Chriſtiani moleſtia liberati & magnope-
re confirmati recreatique ſunt: ad quorum numerum tredecim alios in reditu Gaſpar
adiunxit, poſtridieque Meacum reuertit. Ex eo tempore in agri Meacenſis munitis op-
pidis quinque ad paſſuum non vltra quinquaginta millia totidem Eccleſiæ inſtitutæ
dicuntur. Regis autem ipſius Meacenſium tanta eſſe fertur in Gaſparem animi propen
ſio, vt cùm Gaſpar ab Amangutianis litteras accepiſſet, eam Eccleſiam à Moridono ty
ranno vexari, pijs ipſorum diſcuſſis cœtibus, euerſo templo, areaque ipſa per vim occu
pata; Regem adierit, atque ab eo impetrauerit, vt ad Moridonum ſcriberet, gratum ſi-
bi eſſe facturum, ſi Chriſtianos commendatos haberet, eorumque templi inſtauratio-
nem atque ædificationem adiuuaret. Eam epiſtolam Rex inſigni cuidam viro dedit ad
Moridonum in caſtra leucas triginta vltra Amangutium perferendam; eiuſdem epi-
ſtolæ ſeparatim exemplo ad Chriſtianos Amangutianos allato, qui propterea magnâ
in ſpem rerum meliorum venerunt. Hæc habui quæ de Meacenſibus rebus in præſen-
tia ſcriberem, vt tam læti nuntij quàm primum in Indiam peruenirent. Gaſparem ip- E
ſum de eiſdē rebus aiunt ſcripſiſſe. Eius litteræ, quas Bungi itinere pergens alius neſcio
quis ferre dicitur, vt ſperamus, propediem ſubſequentur. Hactenus de alijs. Quod ve-
rò ad me ipſum attinet, te per IESVM CHRISTVM R. P. obteſtor, vt mei in ſanctis ſa-
crificijs tuis nominatim memineris, atque idipſum à reliquis omnibus Socijs peto: quò
ipſorum deprecatione placatus mihi Dominus tantum virtutis impertire dignetur,
vt Societatis noſtræ diſciplinam ac leges ad finem vſque vitæ cuſtodiam. Firando. VI.
Idus Octobris. MDLXIV.

LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOcios in Luſitaniam.

COMPLECTAR his litteris, fratres mihi cariſſimi, ea dum-
taxat, quæ mihi, certa Iaponis obeunti loca in itinere con-
tigerunt: nam cætera noſtri Meaco, Firando, atque aliun-
de, ad vos ipſi perſcribent. Anno proximo Pater Coſmus
Turrianus, Vocoxiura, vbi tum commorabatur, miſit me, F
duo in oppida regni Rimani ad prædicandum Euangeli-
um; quibus in oppidis intra tertium circiter menſem (quæ
Dei benignitas eſt) non infimæ conditionis homines am-
plius mille ducenti ad ouile CHRISTI perducti ſunt. At-
que illa quidem iam cognouiſſe vos arbitror: Barptole-
mæum Regem valde potentem Rimani Regis fratrem, magna cum nobilitatis parte
conuerſum ad Chriſti fidem, alioſque deinde complures. Didiciſtis præterea, vt opi-
nor, Vicoxiura vicus ac portus, noſtris ab eodem Barptolemæo attributus, cùm ædifi-
cijs, tum verò neophytis in dies quàm feliciter creſcere cæperit. Hunc adeo lætum rei
Chriſtianæ progreſſum cùm diabolus ferre non poſſet, Bonzios permultos è popula-
ribus Barptolemæi ſolicitare non deſtitit, quoad facta coniuratione armiſque clam
ſumptis, Reges ambos repentino impetu aggreſſi; Barptolemæum, quòd idolorum cul
tu ſublato phana ipſa Deo vero dicaſſet, regno deturbatum, in arcem quandam compu
lerint, intra quam ſeſe continebat hoc tempore; fratrem verò eius, quod in regnum ſu-
um patefeciſſet aditum Euangelio, dimidia fere parte oppidorum ſuæ ditionis exue-
rint. In eo tumultu, Vocoxiura vicus, iniecto furtim à vicinis hoſtibus igne, confeſtim
incenſus eſt. Coſmus in Rimani cuiuſdam neophyti nauem confugit, Leonis nomine,
qui periculo cognito ſtatim præclarè inſtructis nauigijs duobus ad opem Eccleſiæ
temploque ferendam aduenerat: quod tamen ipſum vnà cum ædibus Chriſtianorum
agricolarum, cùm iam Coſmus, vt dixi, nauigium conſcendiſſet, inſpectantibus nobis
eodem conflagrauit incendio. Spectaculum noſtris oculis graue admodum, & acer-
bum. Vicus primùm exuſtus ac dirutus is, qui modò & conuenarum numero, &

pluri-

A plurimo Dei cultu florebat: innocentes pueri permulti, quorum pijs vocibus, ac quotidianis precationibus in Dei laudẽ nuper omnia perſtrepebant, raptim in naues impoſiti, dilapſique: cætera neophytorum turba cum liberis atque familijs, ſine tecto, ſine cibarijs, ſine vllo præſidio relicta crudelitati hoſtium atque ſæuitiæ. Rebus igitur deſperatis mœrentes curſum direximus ad portum, qui primus regni Bungenſis occurrit, leucas à Vocoxiura circiter quinquaginta. In ea nauigatione, digna memoratu nonnulla accidere; è quibus hoc vnum in præſentia exponam. Cùm ad alias eius oræ ſtationes, tempeſtatis cauſſa, coacti ſumus appellere; tum ad quendã regni Rimani portum, citra eum locum quem petebamus, paſſuum millia quinque & viginti. Eius portus atque oppidi facile princeps erat Leo: qui inde Vocoxiuram ad nos, vt diximus, nauigijs duobus erat profectus. Eò igitur delati, quòd Coſmus valetudine admodum vteretur aduerſa, deſcendimus, ibique dies octo ſubſtitimus. quo tempore Chriſtianorum concurſus ad Coſmum ingens fieri cæptus; quod neminem è ſacerdotibus noſtris antea viderant. Verùm noctu ſerè ventitabant, exploratorum metu, hoſtiumque Chriſtiani nominis, quibus oppidum erat refertum. Nam Regis pater, qui ætate iam exacta Regni adminiſtratione deceſſerat, cognita ſeditione ac bello in filium excitato, rebellibus renuntiari iuſſerat, omnia ipſorum arbitrio compoſitum iri; ſpopon
B deratque, ipſum filium Regem, itemque nepotem, in exſilium ituros; Cruces Chriſtiano ritu defixas auulſum iri, Chriſtianos ad patrios ritus Chriſto deſerto redituros. Id erat cauſſæ cur neophyti minus apertè Coſmum inuiſerent, quorum erat numerus fermè octingentorum Ipſi verò pueri Chriſtianà doctrina ſic erant eruditi, vt cuncti precãdi formulas, plerique etiam Catechiſmum totum tenerent. ij, curabat Coſmus vt inter ſeſe, dialogi more, fictis ad tempus perſonis, de Chriſtiana religione, Gentilique ſuperſtitione certarent; idq; tanta cũ animi voluptate, vt perſpecta gentis huiuſce fides ac pietas, omnem pene acceptæ cladis dolorem abſtergeret. Sed hoc ipſum quoq; ſolatium nobis humani generis hoſtis inuidit, ac Bonzios impulit, vt facta manu, diuerſorij noſtri arundinea tecta nocturnis lapidationibus magno cum ſtrepitu peterent: quo maximè tempore neophyti ſpiritalium ſermonum delicijs fruebantur. Quocirca nihil hoſtium vim ac potentiam veritus Leo (quod alius nemo præter ipſum auderet) nos ædium ſuarum excepit hoſpitio: cumque nihilominus Bonzij furerent, tanto dolore ipſe cum omnibus ſuis exarſit; vt inſcientibus nobis arma capere, ignemque cœnobijs Bonziorum inferre, ſumma præſertim vxoris voluntate, decreuerit. Eam rem odorati Bonzij, furere deſierant. Verũ quia cõmoratio noſtra diuturnior, periculoſa neophytis eſſe videbatur, idque ipſimet ita iudicabant; quamquam magno cũ dolore, quem ex ipſorum ſolitudine & calamitate capiebamus, magnaque mutuæ beneuolen-
C tiæ ſignificatione, ſilentio noctis digreſſi; poſtridie Tacaxim oppidum Bungenſis oræ tenuimus. Ibi Coſmus loco propinquo conſiſtere, & neophytorum animos, epiſtolis, inter eos terrores atque diſcrimina confirmare, totiuſque rei exitum exſpectare conſtituit. & quò eſſe ibi tutò liceret, ad regem Bungi me miſit, duarum & triginta leucarum itinere; vt is de manſione ſua cum Tacaxiano Præfecto per litteras ageret; quod Coſmus ipſe propter valetudinem longius progredi non auderet. Rex erat eo tempore Voſuqui (id oppidi nomen eſt) quem vt conueni, Coſmiq; mandata expoſui, Rex valdè lætatus Coſmum in ſuis verſari finibus, protinus mihi dedit ad Præfectum epiſtolam; Coſmo aream ædeſq; ad habitandum attribueret, & ex incolis, Chriſtianum, quicunque vellet, fieri permitteret. Atque hæc quidem eo ipſo die: poſt menſem autem, Coſmum regni proceribus per litteras magnopere cõmendauit. Poſt menſes verò duos, cùm Chriſtianam rem parum procedere cognouiſſet, duas edidit tabulas ornatas auro, nigroque colore diſtinctas, quarum alteram Coſmus apud ſe, alteram vnus è noſtris haberet in alio pago percelebri (Cauaxirim appellant) leucas à Tacaxi ſeptem. Earum in vtraque rei Chriſtianæ tribus capitibus chirographo ſuo cauit quàm diligentiſsimè. Primùm enim edixit licere in ſuo regno, ſummis, medijs, infimis Chriſtianos fieri: deinde pœnas propoſuit, ſi quis diuinæ legis præcones, aut impediſſet, aut vlla ratione læſiſſet: tertiò declarauit placere ſibi in perpetuum tota ſua ditione prædicari Euangelium. Ac mirum ſanè, quantopere Chriſtianæ religioni faueat, quamquã ei nondum addictus. Petentibus nomine Bonziorum quibuſdam, vt nos exterminaret; alienum eſſe eius dignitate, ferre qui Deos ſuos tam impudẽter, tam contumelioſè proſcinderent; infames item edacitate carnis humanę (hoc enim illos non pudet crimen

noſtris obijcere) & quocunque pergerent, euerſiones atque excidia ſecum afferentes: D
cùm hęc, inquam, & alia ſexcenta in nos probra iactarent; annus, reſpondit ille, circiter
quartusdecimus agitur, ex quo hi homines in hæc loca magno vtique meo bono dela-
ti ſunt: tribus quippe dumtaxat regnis ante præfueram, nunc verò quinque poſſi-
deo. antea pecuniæ laborabam inopia, nunc Iaponis Reges omnes diuitijs ſupero; at-
que ad populares etiam meos hoc beneficium pertinet. denique omnia mihi ex eorum
hoſpitio ſecunda acciderunt: quin etiam filio magna mea voluptate ſum auctus, cùm
nullum antea ſuſcepiſſem. Quæro nunc ex vobis; ecquid attulerit mihi commodi reli-
gionis veſtræ defenſio? proinde cauete, ne in poſterum ad me, iſtiuſmodi verba facia-
tis. quo illi reſponſo fracti abiectiq́ ceſsere. Idem fere Meaci contigiſſe cognouimus,
cùm Bonzij ex ea vrbe Gaſpararem Vilelam exturbare conarẽtur. Mos eſt Iaponiorũ,
cùm aliquam pecuniæ ſummam principibus largiuntur, chirographum illis offerre,
ex quo ipſi deinde per ſuos domeſticos eam pecuniam exigant. Eiuſmodi chirogra-
phum, facta collatione, Meacenſes Bonzij detulerant ei, qui cauſſas ipſorum apud Re-
gem agere conſueuerant, vt idem ille noſtros Meaco pellendos curaret. Is auditum ali-
quoties Dei verbum (vt erat bonus natura) probauerat. Itaque rem ſuſtinere, & chiro-
graphum apud ſe detinere conſtituit, quoad clarius, quæ tradebãtur à Vilela, cognoſ-
ceret. Adit igitur & audit hominem magno cum aſſenſu: redit iterum, ac tertiò: deni-
que clariore oborta ſibi luce Chriſtianus efficitur. atque hac maximè ratione Domi- E
nus hominem hunc, ſicut & cæteros qui ſe haud difficiles præbent, ad veritatem ab er-
rore traduxit. Verùm, vt ad inſtitutam narrationem reuertar, tabulas ego regias ad
Coſmum miſi, quarum vnam Eduardus Syluius Cauaxirim promulgandi Euange-
lij cauſſa pertulit. Ego in regia vrbe moratus ſum à natalitijs Domini ad Paſchatis vſq;
peracta ſolennia. Interea quanta, quàm aſſiduo cõcionum frequentia; quàm crebri Ba-
ptiſmi; quæ in publicum hoſpitale caritatis officia; quot eleemoſynæ; ferijs verò Nata-
libus, quàm pia è ſacris hiſtorijs ſpectacula exhibita: per Quadrageſimã, qui ardor ani-
morũ, quàm graues, quàm acerbæ pœnę à neophytis vltrò ſuſceptę: Paſchalibus deniq;
diebus quàm feſtiuæ ac iucundæ gratulationes tũ publicè, tũ priuatim exiterint, quo-
niam ea vobis minimè noua ſunt, nihil attinet ſcribere. Per eos dies Eduardus Cauaxi-
re dum incenſus rei Chriſtianæ ſtudio, immemor cibi potuſq́; ad Euangelium dies ac
noctes prædicandum incumbit, grauem morbum è ſummo labore contraxerat. Ad
eum ego curandum (abeſt autem Cauaxiris oppidum ab regia vrbe leucas paulo plus
triginta) Coſmi iuſſu ingenti labore perrexi; quòd è perpetuis imbribus amnes adeò
intumuerant, vt vado tranſmitti non poſſent. Ita coactus de recta via deflectere, quin-
to demum die perueni Cauaxirim, fratremq́ noſtrum offendi humanis omnibus re-
medijs, in magna diuinorum ſolatiorum copia, deſtitutum; macieq́ pæne extrema
confectum: ſic prorſus, vt nonnulla, quæ mecum ad inſtaurandas ægroti vires attule- F
ram, parũ illi exhauſta prope iam naturali virtute profuerint. Et quoniã Coſmi viſen-
di, antequàm migraret è corpore, magno deſiderio tenebatur, noctẽ quietam nactus,
ipſius Coſmi iuſſu Tacaxim eum naui tranſuexi, quem acceptum amantiſſimè, officio-
ſiſſimeq́ue tractatum, Coſmus fruſtra ſanare conatus eſt: decem ſuperuixit dies: ſump-
to bis corpore Domini lætus abijt, præclaro nobis cùm virtutum aliarum quæ in ipſo
elucebant, tum verò Chriſtianæ humilitatis ac patientiæ documento relicto. Quàm
multas ille, ſui præſertim aduentus initio difficultates, & incommoda pertulit! quot
imbecilli corpuſculi vexationes pœnitentiæ nomine ſubijt! quãta verò induſtria, quã
to fuit ſtudio Chriſtianę religionis propagandæ! equidem nil vidiſimile, ceſſabat nũ-
quam. itaque præter cæteros labores, non Iaponicas modò, verùm etiam Sinenſes, quæ
multo difficiliores cognitu ſunt, didicerat litteras; artemq́; Iaponicæ linguæ gramma-
ticam, & copioſa lexica primus ipſe confecerat. Sed redeo ad Coſmum. Is eo ipſo tem-
pore ab rege Rimanorum accerſitus, tametſi cum eo congredi vehementer optabat, at
que ob idipſum etiam in oppido Tacaxe remanſerat; prius tamen regem Bungi conſti-
tuit tota de re facere certiorem: binas interea litteras ad Rimanum dedit, quas cũ man
datis ego deinde ſum ſubſequutus: ignoſceret moræ: ita de ſe meritũ eſſe Bungẽſem, vt
illo inconſulto proficiſci fas eſſe vix duceret. Rimam Tacaxe tendentibus pagus occur
rit, quam Leonis patriam eſſe iam diximus. Eò vt perueni, me viſo, & profectionis meę
cauſſa cognita; neophyti, dici vix poteſt quanta lætitia affecti ſint. Serum erat diei:
totum id tempus confluentibus ad me ſalutandi cauſſa datum eſt: Baptizati quoque
nonnulli;

A nonnulli; in ijs ethnici cuiusdam filius, qui pro ea consuetudine, quam cum Christianis sanctè institutam habebat, non modò sese Deo commendare iam cæperat, verùm etiã Christianæ doctrinæ rudimẽta memoriter hauserat. Postera luce ex eo loco profectus Rimã quinq; leucarum interuallo deueni. Rex cùm cætera comitate, tum etiam cœna me excepit; multaque de Bungensi re percontatus, quod ad Cosmum attinebat, ita respondit: Cochinocum suæ ditionis emporium esse Christianorum (quadringenti & quinquaginta fere neophyti numerantur) eò Cosmum posse concedere, ibique exspectare, dum debellatum esset; daturum se, qui me illuc vsque perduceret, mihique aream, ac domum in vsus Cosmi assignaret. itaque factum est; cessitque res è sententia. Cosmus bona Regis Bungensis venia conscendit statim, & Cochinocum naui delatus, magno omnium gaudio exceptus est; nullaque interposita mora, neophyti solum purgare, ædesque instruere aggressi sunt. Ille perspecta hominum virtute ac probitate magnopere delectatus; illud præcipuè mirabatur, cùm temporis spatio non plus trimestri ad CHRISTVM Dominum cuncti conuersi fuissent, tam recenti re, nullis hostium minis aut denuntiationibus de suscepta religione potuisse deduci. Grates Domino, qui illos tanto animi robore, ac fortitudine impertijt. è Bungo. Pridiè Idus Octob. MDLXIV.

B

SELECTARVM EPISTOLARVM EX INDIA

LIBER QVARTVS.

LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOCIE-
C tatem Iesu, in Indiam & Europam.

IT communis officij ratio, qua ad alloquendos litteris amicos absentes impellimur, & præcipuus animi fructus, quẽ vos percipere ex Iaponicarum rerum cognitione intelleximus, me hortatus est, vt confectum Dei beneficio iter Meacense, carissimi fratres, hac epistola vobis exponerem. Cùm statuisset Præfectus noster Cosmus Turrianus, vt ego & Ludouicus Froius Meacum eo consilio peteremus, vt ipse quidem maneret ibidem, & Gasparem Vilelam adiuuaret in opere, ego autem vt Ludouicum illuc vsque prosecutus, quod ad spem propagandæ in ijs locis Christianæ religionis attinet, comperta atque explorata referrem omnia; Cochinoco Rimani agri vico maritimo, quod his temporibus Cosmi Turriani domicilium est, ab ipso Cosmo non sine magna beneuolentiæ significatione faustisque precationibus ad nauem vsque deducti, solutis anchoris eo ipso die ad vrbem Ximabaram secundo vento deuenimus; atque ibidem (vt est grex ille neophytorum eximio quodam rerum diuinarum studio) vel concionum frequentia, vel eorum qui ad CHRISTI fidem traducti sunt genere ac numero, bidui fermè operam adiuuante Domino sanè quàm præclarè posuimus. Cùm iam hora profectionis adesset, à neophytis parato nauigio ad mare deducti sumus. quidam etiam (ex quo facilè hominum in nos amor eluceat) qui ad tempus adesse nequiuerant, curriculo tendere ad naues, & aquis eodem impetu se se credere, vt nos iam in salo stantes, affari sibi liceret. Ioannes verò dynasta proprio

nauigio nos longius prosequutus, cursum inde ad Barptolemæum regem intendit, D
qui paucis ante diebus Cosmo Turriano Crucem auream dono miserat cum epistola,
in qua erat scriptum, se Crucis eius beneficio, quam secum semper tulisset, non modò
magnis è periculis euasisse, verùm etiam multas ex hoste retulisse victorias. Id argu-
mentum suæ fidei & amoris mittere se ad Cosmum, cupere tamen aliam sibi vicissim
ab eo remitti; eam, quòd Cosmi fuisset, maiore etiam apud se in honore futuram.
Crucem igitur Ioanni dynastæ Cosmus tradidit ferendam ad Regem; additæ muneri
ab Ludouico Froio nonnullæ reliquiæ. Cui vos quoque Regi tam pio, tamque de Chri
stiana religione bene merenti, fratres carissimi, felices bellorum euentus ab immortali
DEO precamini. ijdem enim & Barptolemæum & Christianam religionem hostes op-
pugnant. Ximabara igitur Tacaxim, qui Bungensis Regni Rimanique est limes, atque
inde Funaium terrestri decem fermè dierum itinere, non sine summa difficultate per-
reximus. nam præter vim frigoris acerbissimi, & confragosa atque inuia loca; diutur-
nus etiam imber calles ita lutulentos effecerat; vt sæpenumero prolapsi fuerimus: cùm
interea defatigatis corporibus ad reficiendas vires in diuersorijs nasturtiorum & inha
mis herbæ folia præberentur. Cutamis est pagus, à Funaio millia passuum septem & vi-
ginti, egregio templo visendus, quod ibi Christianus quidam exstruxit. In eo pago
noctis vnius demum quiete capta, Funaium postero die peruenimus. Rex erat eo tem- E
pore Vosuqui. Eum conuenire septimo post die placuit, deque susceptа peregrinatio-
ne facere certiorem. Ille verò nobis benignè & comiter acceptis, litteras etiam ad ami-
cos Meacenses commendatitias dedit. In vrbe Vosuqui Christiani visuntur aliquot: in
ijs noster hospes in primis CHRISTO deuotus, & probus. Is non paruo nos affecit so-
latio, cùm totam precationum suarum nobis rationem exponeret. Ea erat eiusmodi, vt
orsus à summo Pontifice cæterisque Ecclesiasticis ordinibus, & Regibus Christianis;
ad vniuersos nostrę Societatis homines, sed nominatim ad vnumquenque nostrum,
qui versamur in Iapone, descenderet; tum pro conuersione ethnicorum, sed regis Bun-
gi præcipuè, supplicaret: longam inde pertexuit serię petitionum, certis in singula re-
rum capita obsecrationibus distributis: tam copiosè præterea de contemptu mundi,
tam scitè de alliciendis ad CHRISTVM Iaponijs proceribus disputauit, vt eius pieta-
tem vehementer admirati fuerimus. Quid multa? nostram vicem Doctoris officio fun-
ctus est. Nos Funaium inde reuertimus. Funaio Meacum versus iter intendimus, ma-
gno neophytorum numero nos ad passuum tria millia prosequente. Verùm aduersa
tempestate Funaium reiecti sumus omnino ter: cùm ipsi palam neophyti faterentur, se
nobis contrariam à Deo nauigationem enixè precari, vt apud se Natalem Domini di-
em festum agere cogeremur. Spatium id fuit mensis vnius: quo tempore nō destitimus
vicinis locis verba facere ad incolas; & hospites nostros ad CHRISTI fidem & cultum F
suscipiendum hortari; cùm ipsi quoque Bonzij ementito corporis habitu se mulie-
rum cœtibus inferentes, clam ad nos audiendos accederent, ijdemque à suis popular-
bus proditi, ac disputationibus nostris Domino adiuuante conuicti facile cederent.
per eos dies Tonus ad CHRISTI ouile aggregatus est, insigni nobilitate vir, ingenio-
que præstanti. Iam Natalitia Domini aderant: ijs ingenti Christianorum gaudio
celebratis, denuo soluimus, & vento secundo ad insulam nomine Hiu sanè haudqua-
quam securi peruenimus. Sæuiebat maiorem in modum mare: parua erat nauis: ve-
ctorum mira colluuies, Lunam, Solem, ceruos, aliasque belluas vario ritu adorantium.
Metum augebant præterea in oculis nostris è recenti aliorum naufragio reliquię & far
cinæ fluitantes. Verumtamen nos Dominus, quo nitebamur vno, ad eius quam dixi-
mus insulæ portum, leucas à Bungo, quadraginta perduxit. Eius circuitum insulæ pas-
suum aiunt patere millia fermè trecēta. Quattuor in regna diuiditur, oryzæ ferax. Lo-
cus autem ipse, ad quem sumus appulsi, Fore, gentis vocabulo nominatur. Ibi aliquot
reperti Christiani, qui Euangelium in vrbe Meaco perceperant. Ex ijs quidam in
primis honestus, continuò nos gratulabundus inuisit: noctemque totam apud nos
traduxit alijs nullis nisi de benignitate diuina sermonibus. Equidem nullum adhuc
vidi tanta vel auctoritate, vel prudentia, vel cognitione veritatis Christianæ Iaponi-
um. Filium annos vndecim natum egregiæ puerum indolis, cultui CHRISTI dica-
uit. Reliqui eius domestici eximia sanctitate & religione sunt omnes, sed vxor præci-
puè, quæ ventrem ferens, & quidem proxima partui, vt audiuit CHRISTI sacerdo-
tes adesse, insperato gaudio elata, postridie cōfestim ad nos, ancillis ac liberis comitata,

bene

A bene longo interuallo ſe contulit, verboque Dei refecta, veſpere cum ſuis domum reuertit, eaque ipſa nocte peperit filium, cuius rei nuntium diluculo miſit ad nos. Dies octo ibidem commorati, ſex incolis conuerſis ad CHRISTVM, eadem naui Xiuaquim (nam eò vſque erat conducta) ſexto die prouehimur, qui portus in itinere medio ſeſe offert Sacaium è Bungo petentibus. Hyemis initium erat aſperrimę: iuga montium niue cooperta, quæ aſſiduè cadebat denſa adeo, vt iam tum experiri liceret, inter eius regionis & aliarum frigora quantum intereſſet. Ibi quòd nullam in curſu maioris formę nauem inuenimus, paruum nauigium coacti conducere, per infeſta piratis loca (incertum maiore frigore, an metu) quem petebamus portum beneficio Dei tenuimus. Sacaium inde peruentum eſt, cùm quidem proxima nocte incendium eminus apparuiſſet nobis, quo mille circiter vrbis eius tecta conſumpta ſunt. Atque vt nos aduentare cognouit ex optimatibus quidam Chriſtianus, nomine Sanctius, certos homines obuiam miſit nobis inſtructo maiore nauigio, in quod è noſtro myoparone tranſcendimus, ad eumque perducti liberaliter admodum & amanter excepti ſumus. Domũ habebat peramœnam in vſus hoſpitum atque aduenarum intra ædium ſuarũ ſepta more patrio ſeparatam ac propriam: eam nobis ad diuerſandum aſſignauit. Ibi poſt quietem, nobis affuit illicò Sanctij ipſius vxor & liberi (quod ex ipſo congreſſu facilè apparuit) admo-
B dum ingenuè & liberaliter educati. Horam circiter iucundè fuere nobiſcum: inde recepere ſeſe. Ac Ludouicus quidẽ Froius, quòd ita omnino ſtatuerat, poſtridie bene comitatus Meacum iter intẽdit: ego remanſi, vt negotijs quibuſdã expeditis, ſine mora ſubſequerer. Ille cùm ad oppidum Ozaquã veſpere proceſſiſſet Iucas à Sacaio tres, ea ipſa nocte flãmis ædificia illius oppidi nongenta deleta ſunt. qua re perterriti neophyti, qui Froiũ deducebant, veritiq; ne quid illi ab oppidanis incõmodi accideret (quòd noſtri nominis fama iã valde percrebuit, rumoribus improbiſſimis diſſipatis, nos vrbiũ clades & exitia circumferre) patrẽ ex vrbe quàm occultiſſimè tectum eduxere, eoq; ipſo die tanta vis niuium cœlo delapſa eſt, quanta his annis quinquaginta nunquã. Verũtamen Deo adiuuante ex hiſce difficultatibus Meacũ Froius euaſit incolumis. Ego è frigoris, quod in itinere pertuleram, acerbitate, in magnos incidi corporis dolores, qui me quinq; circiter & viginti dies adeò vexauere, vt pæne conſecerint. Eo aũt toto tempore Sanctius in me curando planè paternam aſſiduitatẽ ac diligentiã præſtitit; cùm & nocte ipſemet cum duobus tribuſve adminiſtris ægrotanti mihi ſedulò adſtaret excubaretque, & vxor ac filij ſubinde me amiciſſimè atque humaniſſimè inuiſerent. Neq; verò medicus defuit preſtanti eruditione Chriſtianus. Conualui denique Dei beneficio. Et quoniam ad ingrediendum iter nondum ſuppetebant vires, erantque nõnulli, qui me audire cuperent; interea prædicare Euangelium inſtitui. Credidere octo, baptiza-
C tique ſunt. ad quos inflammandos excitando ſque, Sanctij quoque & filiorum ſpectata pietas & ardor animi, vt puto, non mediocriter valuit. Per eos ipſos dies Sanctij filia venit ad me, nomine Monica (grandiori natu fœmina proſequente) fuſiſque ritè precibus coram Deiparæ Virginis effigie, quam ferre mecum in itinere conſueui, ad me verba fecit in eam ſententiam, vt diceret, ſe quidem ſumma Dei benignitate Chriſtianam eſſe: & eiuſdem CHRISTI, Virgiſque Matris inſtinctu decreuiſſe iam pridem virginalem vitam ad mortem vſque traducere: quin etiam illud ſibi certum fuiſſe, tondere comam, quod apud Iaponios relicti ſeculi ſuſceptæque vitæ ſeuerioris indiciũ eſt; & à Sanctio patre contendere, vt ſe in vilibus miniſterijs pro mancipio haberet in poſterum: nunc autem inaudiſſe (nimirum ſuis peccatis id poſtulantibus) ſe auunculo ſuo à parentibus eſſe deſponſam ſuperſtitioſo in primis homini, & falſorum Deorũ libros, Bonziorum ritu dies noctesque peruolutanti: præclarè intelligere ſeſe, quanto id cum ſalutis ſuæ periculo futurũ eſſet; proinde petere à me & orare, vt Sanctium patrem ab ea mente deducerem: ſe valde confidere, CHRISTO fauente, rem omnem feliciter eſſe ceſſuram. Ego, collaudato puellæ conſilio, primùm admonui, vt ſecum reputaret etiam atque etiam, ſe tenera eſſe admodum ætate (ſextum decimum agẽbat annum) necdum expertam varias dœmonis artes inſidiaſque, quas ille ad tam ardua nitentibus tendere conſueuit. ſanè, ſi ad extremum vſque ſpiritum in virginali caſtimonia perſtitiſſet, ingens præmium à CHRISTO Domino laturam in cœlo: ſin fortè offendiſſet, enimuero & ſibimet detrimento, & parentibus nobiliſſimæque familię magno futuram eſſe dedecori. Quocirca ſi robur haud ſentiret ſibi ineſſe tanto certamini par, nubere ſatius eſſe, non tamen auunculo. Tum illa, Chriſti fretam auxilio ſpe-

rare se dixit & de se ipsa,& de inimico generis humani victoriam:sese periclitãdi causſa D
quid in eo genere posset,triduum totum, & quidem magna cum animi sui voluptate
atque lætitia per inediam transegisse: itaque statuisse apud animum suum, qui in eo ie-
iunio & vires & solatia sibi suppeditasset IESVS, eundem sibi cæteris omnibus in
difficultatibus affuturum. His ego auditis,tam pium eius propositum admiratus,hor-
tatusque etiam atque etiam,vt vigilaret in retinenda constantia; virginem à me dimi-
si. postridie Sanctium alloquor, filiæ voluntatem expono, doceo matrimonium illud
tribus maximè de causſis esse nefariũ.Primùm quod vir sit ethnicus, & colendis Idolis
adprimè deditus; deinde quod Monicæ auunculus; postremò quòd ipsa repugnet &
renitatur puella. Ad hæc ille; neminem esse tota vrbe Christianum, quicum filiam
matrimonio possit honestè coniungere; perditum idololatram per eam occasionem
facilè ad CHRISTVM posse conuerti; denique sibi non esse iam integrum, quip-
pe qui conscijs principibus ciuitatis, homini in primis opulento potentique, filiam e-
nixè cupienti desponderit: vereri se,vt inimicitias & inuidiam sustinere possit,si rem
inchoatam, ac pænè confectam,repente reuocare nitatur.quę cùm ita sint, tamen quo-
niam id matrimonium saluis Christianis legibus contrahi nequeat, se omnino, quic-
quid ego velim, esse facturum. Laudaui pietatem hominis. Ille perturbato in præ-
sentia recessit animo: sed mox, vt est vir egregiè prudens, Deo duce ac præside, in-
cestas nuptias mira lenitate discussit. Neque ego interea destiti Monicam saluta- E
ribus præceptionibus instituere. quas illa cùm & eximia quadam animi submissione,
& magna gratiarum actione semper exciperet, priscas illas mihi Virgines reddere vi-
debatur, quas optimo iure Catholica Ecclesia ob excellentem vitæ sanctimoniam in
numero cœlestium collocauit. Est autem puella maiorem in modum solitaria & pre-
cationibus dedita: cubiculum habet remotum ab omni domestico strepitu, cum signo
Crucifixi & spiritalibus libris, quibus, vt est legendi scribendique bene perita, dat
operam. Frater eius est Vincentius nomine,annos circiter vndecim natus.Is,percun-
ctanti mihi,quem sibi modum statueret amoris in IESVM CHRISTVM Deum su-
um ac Dominum;vt sanguinem (inquit ille) ipsius causſa profundam,& quamuis mi-
nutissima in frusta dissectus,me Christianum esse profitear. Interim ego iam firmior cę
peram esse.Itaque nostrorum monitu, qui Meaci versantur,ethnicum quendam adire
constitui in Sacaianis finibus eo tempore commorantẽ,cuius auctoritas &opes in vrbe
Meaco magnæ esse dicuntur.Id iter pedibus conficere me Sanctius nequaquam est pas-
sus. nam & longius erat,& ego vires nondum planè receperam.Lecticam ab eo sum co-
actus accipere cum lecticarijs duobus admodum leuem, commodè sedentis hominis
dumtaxat vnius capacem, quadrata forma, feneſtellis ad latus additis, quæ ab insidente
aperiri claudique ad libitũ possint, quo maximè vehiculi genere vtuntur nobiles orna
tu magnifico,& opere quàm elegantissimo.Sic igitur ad eum quem dixi dynastam a- F
lieno ministerio deferor.Scribam habebat Christianum apud se:cuius beneficio nobis
& facilis ad eum patuit aditus,& de rebus diuinis agendi benignè potestas est facta.Co-
mes erat mihi Iaponius quidam in eo genere in primis exercitatus. Is cùm de vanitate
plurium Deorum,de Iaponicæ superstitionis origine,item que de vno rerum omnium
opifice & conditore vero Deo differeret (auditores autem adèrant præter Dy nastam
viginti)eosque ipsos statueret iudices,vter cultus verior esset existimandus;ingens ap-
parebat omnium approbatio:scriba verò gaudio triumphare, quippe qui Christianã
religionem ante susceperat.& cùm omnes eo sermone commoti,tum tres præcipuè no
bis aures deinde sępius præbuere,baptizatique sunt.Sed quia cognoueram eo ipso tem
pore Gasparem Vilelam esse Imori, quod castrum leucas distat ab vrbe Sacaio sex,
reuersus ad Sanctium, dixi,discedere postridie statuisse me. Tum ille, quoniam qui-
dem mihi abire certum esset,velle se, ait,nonnulla mihi è suis thesauris ostendere. Ri-
tus est Iaponiorum,qui quidẽ nobilitate ac diuitijs præstant,hospitibus paulo hono-
ratioribus in digressu beneuolentię causſa præbere spectanda, quæ apud sese pretiosis-
sima sunt.id est omne instrumentum necessariũ ad potionem herbæ cuiusdã in pulue-
rem redactæ,suauem gustu,nomine Chià. Est aũt modus potionis eiusmodi. pulueris
eius, quantum vno iuglandis putamine continetur, conijciunt in fictile vas,ex eorum
genere,quæ porcellana vulgus appellat. Inde calenti admodum aqua dilutum ebibũt.
Habent autem in eos vsus ollam antiquissimi operis ferream, figlinum, poculum,
cochlearia, infundibulum eluendo figlino, tripodem, foculum denique potioni

calefa-

A calefaciendæ. Hæc igitur Iaponiorum est gaza, nec sanè apud eos minoris, quàm apud nostros homines annuli, gemmæ, & è carbunculis atque adamante monilia. Sunt etiam periti earum rerum æstimatores atq; proxenetæ. Puluis autem ipse magno admodum pretio venit, eiusque propinationem solennes præcedunt epulæ. Quinetiam certæ ædium partes dicantur hisce conuiuijs, quarum est mira mundities, nec in alios patent vsus. Postridie igitur me per nuntium accersit Sanctius, cuius è cubiculis per angustam admodum ianuam cum neophytis duobus in xystum educimur. Inde scalæ nos excipiunt cedrinæ, admirabili quodam artificio elaboratę, eædemque ita purgatę mundæq;, vt nunquam ad eam diem calcatę pedibus esse viderentur. per eas in atriolum ascendimus. inde arcto aditu in cœnaculum ducimur conuiuio destinatum, vsque adeo egregio perfectum opere, vt hominum manu fieri potuisse vix credas. pars erat eius cœnaculi armarijs instructa more nostro. Stabat è creta nigerrima foculus vlnæ ambitu; ipsa nigredine (quod mirere) splendorem æquante lucidissimi speculi; olla tripodi admodum eleganti superimposita, pulchra ad aspectum, quam dixit mihi vnus è neophytis, optima conditione sexcentis aureis coëmptam à Sanctio, sed re vera multo pluris esse. Interea mensa nobis apponitur, non tam ciborum varietate (quos terra ipsa non fert) quã genere ministerij, & munditijs elegans. Eximia est enim gentis in conuiuiorũ appa-

B ratu solertia. Nullus præterea quamuis in maxima discumbentium multitudine strepitus, vix hisce re famulum cernas. omnia ad modestiam & grauitatem mirè composita. peracto prandio, nixi omnes genibus (nam hoc apud Iaponios Christianos in more positum est) Deo gratias egimus. Tum Sanctius potionem quam dixi Chià, sua ipse manu miscuit nobis atque porrexit. Deinde supellectilia, quæ tunc ibi erant, exposuit. In ijs ferreum tripodem exiguum, paulo plus dodrantis circuitu, ad sustinendum ollæ, cùm aperitur, operculum. Eum ego tripodem attrectans manibus, quòd vetustate rimas ageret, ferruminatum duobus locis offendi. Ac nihilominus aiebat Sanctius eum in primis nobilem esse Iaponis totius, sibique aureis constitisse mille & triginta, quamuis eum ipse longè pluris faceret. Porrò hæc instrumenta sericis tegumentis inuoluta conduntur arculis pretiosis. Alia præterea minimè vilia dixit mihi Sanctius in præsentia non ostendere se, quòd ad manum non essent, verùm in reditu prolaturum. Quæ vobis æstimationes minus à vero abesse videãtur, si reputetis id quod res est, Meaci esse quendam ex principibus ciuitatis, qui vasculum fictile ad vrceoli magnitudinem, in vsum eius quam dixi, potionis, aureorum triginta millibus æstimet: omnino carius, sed certè multi non deerunt, qui decem millibus cum eo libenter decidant. Nam quæ tribus, quatuor, quinque millibus æstimentur, idque frequenti commercio, alia vasa plurima sunt. Atque etiam gladijs quibusdam est eadem apud Iaponios dig-

C nitas. Iamque profectionis instabat hora. Salutata igitur vxore Sanctij & liberis, in suburbanum quoddam, ientaculo de more præparato, deducor ab ipso Sanctio, eiusq; filio, fratribus, & cognatis, & neophytis aliquot egregio corporis cultu, quòd ad honorem meum id pertinere arbitrarentur. Ab eo comitatu digressus, ad amnem deueni nauigabilem hora post Solis ortum tertia, ab vrbe Sacaio nouem millia passuum. Præsto abantur ibi me duo nauigia, quæ nobis Christianus vir, Imorensis castri primarius, factus de profectione mea certior, ad tempus occurrere iusserat. quorum in altero filius erat ipsius, duodecim circiter natus annos, in humero sclopum gerens, virili planè ac militari corporis habitu; in altero largè & copiosè exstructa cibaria. Is, vt me ad conscendendum inuitauit, continuò mihi mandata parentis exposuit: ignoscerem sibi, quòd ipsemet obuiam mihi non prodijsset: se id cupijsse vehementer, sed quòd recentem hospitem Gasparem Vilelam sibi deferere non liceret, vicarium eius officij misisse filium, qui me domum vsque perduceret. Ad montis radices in quo summo castrum est positum, aduerso flumine sub occasum Solis delati, quòd arduus admodum & asper ad iugum vsque restabat ascensus, descendenti mihi præsto fuit lectica: & quamquam accelerantibus gradum lecticarijs, circa medium cliuum oppressêre nos tenebræ in sylua cedris & pinis ingentibus frequentissima; sed opportunè obuiam habuimus è castro, cum accensis funalibus homines: quæ res ad itineris difficultatem leuandam non mediocriter profuit. Denique oppidum intrauimus, magna cum Gasparis Vilelæ, tum hospitis nostri ac familiæ voluptate. Castrum est totius regionis huiusce munitissimum in Mioxindoni ditione, qui rerum fermè potitur hoc tempore, ibiq; cum fidelissimis habitat, qui magna ex parte Christiani sunt. Ij postero die cùm

animarum ſordes per Confeſsionem eluere cuperent, ad concionem, quæ bis habeba- D
tur quotidie de Sacramento Pœnitentiæ, conuenere veſtitu ſerico verſicolori, inaura-
tis fermè præcincti pugionibus, & quidem tanta noſtrorum hominum reuerentia, vt
eos plerumque manibus humi poſitis perinde alloquerentur vt reges. Crux erat domi
noſtræ poſita; hanc vbi ſuppliciter adorarunt, Gaſpare magna demiſsione ſalutato,
aures admodum attentas Dei verbo dedêre. Inde multa ſciſcitati, quæ pertinerent ad
refutanda Genxuenſium mendacia (quod hominum genus & ſecta, Iaponicarum om-
nium vehementiſsimè Chriſtianę religioni aduerſatur) itemq; alij alia percontati, cùm
Gaſpar ad omnia reſpondiſſet, læti digreſsi ſunt. Poſtridie Confeſsionum initium eſt
factum, quo in opere Gaſpar hebdomadam poſuit. adiuimus etiam ſalutandi cauſſa Re
gem, quod ſemel quotannis Gaſpar facere conſueuerat. Ille verò nobis non poculum
modò porrexit (quod ſummum honoris indicium eſt) ſed etiam, quamdiu apud eum fui-
mus, flexis æquè ac nos genibus perſtitit, ac verbis humaniſsimis vtrunq; dimiſit. Inſula
eſt paſſuum mille & quingentorum fermè circuitu ad montis eius radices, quam grandis
ambit fluuius, & in ea templum Chriſtianæ religioni conſecratum. Hanc poſsidet præ-
ſtanti fide neophytus, & miro incenſus deſiderio nominis Iaponici totius ad CHRI-
STVM adiungendi. qui, vt ædem ſacram in vrbe Sacaio ædificandam curarem, non mo-
dò me multis rationibus adhortatus eſt, ſed etiam Caxarum (monetæ genus id eſt) in eos E
ſumptus quinquaginta millia liberaliter detulit. eoq; ſubſidio rem aggredi nobis erat in
animo. Ad hanc igitur inſulam miſſæ celebrandæ gratia Sabbato ſub veſperum venimus.
Templum pro noſtra tenuitate exornauimus in poſterum diem. Tum prima luce Chri-
ſtiani affuere: Gaſpar diuina peracta re, de matrimonij Sacramento ſermonem habuit,
quòd nonnulli cuperent nuptias Eccleſiaſtico ritu contrahere. Baptizati ſunt etiam no-
biles ferè octo. Inter quæ me rurſus è frigore tormina corripuêre acerbiſsima. Meacum
igitur Gaſparis hortatu delatus æger decubui menſes duos. Exacta dein hyeme, vt cœlum
intepuit, recreatus, quæ circa Meacum ſunt Chriſtianorum loca, quòd ita Coſmus Tur-
rianus mihi mandarat, luſtrare conſtitui. de quibus ad vos pauca perſcribam, quoniam
quidem ſeparatim res Meacenſes è Ludouici Froij epiſtola cognoſcetis. Naram igitur ve-
ni primùm, diei vnius itinere. Vrbs ea ditionis eſt Daiondoni inter Meacenſes proceres
longè potentiſsimi, & apud Mioxindonum atque Cubum gratia & auctoritate ſumma.
Neophytos è prima nobilitate duos adij protinus, hortatuſque ſum, vt ſacri Baptiſmi be-
neficium agnoſcerent, & immortales Deo Domino gratias agerent. Illi me ad præfectum
in arcem deduxêre munitiſsimam, aſpectuque pulcherrimam. Collis erat præcelſus è la-
pide molliori. Eum collem ante quinquennium Daiondonus fabris adhibitis ad iuſtam
planitiem ita depreſsit, vt eadem opera ex ipſomet lapide ſolidæ turres & propugnacu-
la exſisterent. In medio autem complures effodit puteos negotio facili, quippe cùm ad F
tertium ſtatim cubitum, aquarum copia ſcaturiret. Tum illuc è popularibus ſuis ditiſ-
ſimum quemque ac fideliſsimum euocauit: ſolum in areas deſcriptum illis ædifican-
di cauſſa diſtribuit. Illi porrò certatim ædes exſtruxêre magnificentiſsimas, contignatio-
nibus multis, & more noſtro ſpecularibus feneſtris inſtructas. Illud verò præcipuè dele-
ctat intuentium oculos, quod non priuata ſolùm ædificia, ſed mœnia etiam ipſa turreſq;
tectorio inductæ ſunt læuiſsimo prorſus ac nitidiſsimo. Nihil in orbe noſtro tale con-
ſpexi. Calcem quippe non arena commiſta, ſed candidiſsimo quodam chartæ genere ſubi-
gunt. Nam quid ego de tegulis dicam, quæ duorum digitorum craſsitudine, nigricantes,
& varietate figurarum oculos retinent, & in quingenteſimum annum atque eo amplius
durare dicuntur? Oeci porrò & cubicula cedrina ſunt gratiſsimi odoris, pergulæ omnes
ex vna duntaxat eiuſdem materiæ tabula. parietes pretioſè cælati priſcis annalium monu-
mentis. quod inter effigies eſt ſpatij, totum id inauratum eſt. Columnæ cum epiſtylijs
ac ſpiris ex aurichalco item inauratæ, cælatura magnifica, quibus è medijs eminent eiuſ-
dem operis roſæ perampliæ, viſuque pulcherrimæ. Iam verò lacunaria tum alijs commen-
tis opificum, quæ dicendo aſſequi nequeo, admirabilia, tum verò tabularum iuncturis a-
deo artificioſè latentibus, vt quamuis defixos fallant obtutus. Sed mihi inter cætera
mirabile viſum eſt cubiculum vlnarum quaquauerſus quattuor & ſemis, è ligno croceo
vndatim criſpante, venuſtatis eximiæ, ita polito ac ſplendido, vt cum ſpeculorum ful-
gore certet. quamquam ego dotem eam ipſius materiæ fuiſſe minimè credidi, quòd
ad eum modum ſine aliquo artis lenocinio radiare vix poſſet. Huic ædium dignitati
hortorum reſpondet amœnitas, quibus dici nihil puto poſſe iucundius. Multa ſunt

Meaci

A Meaci viſenda, ſed nihil ad hæc. Itaque non immeritò locus hic confluentibus vndiq; animi tantùm & oblectationis cauſſa viris principibus celebratur. Nobiliſſima phana ſunt etiam, quorum vnum Cobucui nomine, poſt concionem ad neophytos habitam adiuimus ipſorum rogatu poſtridie. Eius propylæa triplici cõſtant atrio cum totidem periſtylijs. In primo aditu egregij ſunt operis lapideæ ſcalæ, quibus in ſummis, ad poſtes ianuæ, coloſſi duo plæclarè facti cernuntur, clauas, quaſi cuſtodiæ cauſſa tenentes: poſt tertium denique periſtylium, templi ſeſe facies aperit. In id gradibus item lapideis artificioſè factis aſcenſus eſt. Valuas coloſſæi leones duo cuſtodiunt. In medio templo, ſedentium habitu, ſeptenûm cubitorum tria ſigna ſunt poſita, Xacæ & filiorum, latera ipſius cingentium. Pauimentum omne eſt è quadrato lapide. Sed miraculo præcipuè ſunt columnæ ſeptuaginta cedrinæ, diametro & altitudine planè viſenda, quarum ſingulas caxarum decies, hoc eſt aureorum quinquè circiter millibus conſtitiſſe, codices & rationes templi teſtantur. Eas cum reliquis parietibus valde iucunda miniati operis pictura conueſtit. Tectum eo quo dicebamus tegulæ genere affabrè & variè laqueatum, ad vlnas quattuor porrigitur extra parietes, mirum vt videatur tantæ molis procurrens pondus ſuſtineri ac ſuſpendi poſſe. Ad templi latus cœnatio Bonziorum ſanè magnifica, & eadem qua templum ipſum ſtructuræ atque operis firmitate, vlnas
B in longitudinem quadraginta, duodecim in latitudinem extẽditur. Dormitoria porro cubicula in duos diuiſa ordines, & centum & octoginta numerantur. Multi præterea & perampli ſunt Oeci, quorum vnus penſilis, columnis quattuor & viginti, vlnæ vnius & dimidiatæ ambitu ſuperimpoſitus, bibliothecam continet Bonziorum, tanta quidem librorum copia, vt vel feneſtras ipſas propemodum obſtruere videantur. Balnea præterea, & cellæ in vſus domeſticos, & promptuaria viſuntur artificioſiſſimè elaborata. Iam verò culinæ quanta mundities, quod id Iaponiorum omnium commune eſt, nihil attinet dicere. Ahena quibus aqua ad potandum calefit (frigidam enim neque hyeme, neque æſtate bibunt) vlnæ altitudine, duorum digitûm craſſitudine, oris ambitu vlnarum trium, ſtant ex ære puriſſimo. Culinam riuus præterfluit. Tota nocte, vt in magnis ædibus (conclauia numerantur minimum quattuor & viginti) laternæ collucent. Ab huius templi ædificatione ſexcenteſimus iam annus eſt. Stagnum habet ante ſe vlnarum in omnem partem circiter quinquaginta pleniſſimum piſcium, graui pœna propoſita, ſi quis eos attigerit. Inde ad Caſungæ delubrum acceſſimus dicatum idolo, à quo diuitias, honorem, vitæ diuturnitatem, & quicquid in hoc ſeculo eſt optabile promiſſum ſibi cultores inani ſpe deluſi, miſerandum in modum exſpectant. Itaque magna in veneratione & honore apud Iaponios eſt. Adeuntibus, pratum occurrit primùm, aſpectu grato, herba non vltra dimidium palmum excreſcente: pratum excipit
C lucus, iſque denſiſſimus; hunc perpetua & æquabili ad templum vſque latitudine limes interſecat, paſſuum longitudine circiter mille, planus ad iter vſque medium: inde in cliuum aſſurgit lapideis gradibus vlnas binas inter ſeſe diſtantibus. Vtrinque admiſta pinu cedrus extollitur tantæ proceritatis, vt meridiano diei tempore totus pæne limes opacetur: ſtipitibus ita craſſis, vt ex ijs mali in vſum cuiuſuis quâlibet capacis onerariæ nauis confici poſſint. Sanè cedros ex ijs vidi complures vlnarum quinque ambitu, rotunditate planè tornatili. Loci amœnitatem augebat prꝛterlabens etiã riuulus. Vt propius ventum eſt, duplex apparuit ordo pilarum è lapide quadrato cum baſibus, laterna ſuperimpoſita lignea nigricante cum emblematis ex aurichalco inauratis cælatiſque magnificè, & lapideo tegmine turbinato ad flatus arcendos ac pluuias. Aliꝛ erãt laternæ è ſolido metallo, item auro coopertæ, opere admodũ ſumptuoſo. ex vtraq; parte ſtant quinquagenæ, quarum ſingulæ omnibus ardent noctibus. Media autem pila nomen oſtentat aureis litteris inciſum eius, qui delubro laternam quamque dicauerit, annua pecunia in vſum perpetui luminis attributa. Tum ingens domus Bõziarum exſurgit nobilium fœminarum, quæ annum egreſſæ quintum & quadrageſimum, ſeſe delubri miniſterio manciparunt. Student cultui corporis, ornatu ſerico, & maximè peregrinorum ex toto Iapone religionis cauſſa aſſiduè confluentium, leuandæ ſiti dant operam. Ex hac Bonziorum domo porticus admodum pulchra ad vſque adyta pertinet phani, quo nemini patet ingreſſus, niſi qui ipſius loci antiſtites ſunt, quorum vidimus aliquot intra ſedentes togis amplis è ſerico indutos, tectoſque capita pileis plus dodrantem altis. In eam autem porticum nummi iactantur à populo. Aliud eſt in eadem ſylua delubrum, quod Fachimanum appellant, ſimile cæteris: niſi quòd

laterna-

laternarum est etiam pretiosior cælatura,& auri maior copia. Circa,est atrium candi- D
do & nigro stratum lapillo,medicis consitum malis,ordine certo dispositis, magnitu-
dine pari,in singulis interuallis vase lapideo collocato, quod fruteta continet, altitu-
dine haud supra binos dodrantes,iucunda rosarum & florum varietate commista. In-
de, quòd redeuntibus domum, minus nobis erat deuium,phanum inuisimus aliud ex-
tra nemora positum consecratum Idolo Daibut,quæ vox magnæ sanctitatis denotat
virum.Huius phani frons ianuas habet tres,sed vnam præcipuam:atrij verò latera sin-
gulas,altitudinis atque amplitudinis omnes miræ. Patet autem atrium id quadrata for
ma vlnas omnino sexaginta,quoniam eiusmodi est apud Iaponios ædificiorum & pri-
uatim & publicè ratio, vt quanta cuiusq; mensura sit, primo statim intuitu intelligas.
In eius atrij medio est phanum vlnas longum quadraginta, triginta latum.Scalę & pa-
uimenta ex ingenti quadrato lapide:vbi portam intraueris maximam, duo sese ostен-
tant colossi, maioris etiam formæ,quàm quos antea diximus.Duo præterea stant ianito
res ad latera,truci admodum aspectu,vlnarum quattuordecim altitudinis,instar turri-
um,membris inter se præclarè conuenientibus: alter Tamódea dicitur,alter Besamon
des, quorum singulos vni cœlo præesse vulgus opinatur, calcantque pede singuli dæ-
monem. In medio autem templo tria sedent signa.Canon, & Xixi, parentem Xacam
interlocant.Xacæ statua ex ære cyprio in ampla & pulchra quiescens rosa, quattuorde E
cim vlnas latitudinis obtinet:reliquæ duæ nouenas, ligneæ, sed omnes affabrè admo-
dum auro intectæ,radijs tanta claritate micantibus,vt intuentis aciem pæne perstrin-
gant.post hæc,alia duo simulacra cernuntur; Homocondis, & Zoiolis (quibus etiam
cœlorum præfectura vulgo tribuitur) superioribus omnino similia.porrò ex vtraque
templi parte pulpitum cernitur.ea est quadriforis mansio, parietibus duarum vlnarũ
altitudine.Interius alia est eiusdem formæ domuncula,in eius medio stat cathedra ex-
imiæ maiestatis.Totum verò suggestum parua ambit operis egregij porticus,trium do
drantium latitudine. Iam verò lacunaria templi columnæ cedrinæ sustinent octo & no
naginta, miræ altitudinis,æqualiter teretes,ambitu vlnarum trium & semis. Templi
conditi,septingentesimus annus est.Annis viginti exstructum perhibetur fuisse.Idem
anno abhinc quadringentesimo conflagrauit,ac restitutum est denuò,sed nequaquam
pari magnificentia materiæque præstantia, quod ipsum indicant lapideæ columna-
rum bases ex incendio relictæ, quarum amplitudo longè maiorem columnarum
formam postulare liquidò cernitur. Iam verò extra peristylium templi, turris lig-
nea firmo admodum opere ingentibus triginta pilis imposita,tintinnabulum seu cam
panam sustinet æneam tantæ magnitudinis, vt eam dimensus præsente me neophytus
quidam,vlnarum os duarum,sex ambitum, trium & semis altitudinem; æris verò ip-
sius crassitudinem dodrantis vnius dimidiatique compererit.Suauissimum edit sonũ, F
exauditurque longissimè. Qua templi patent fines,itemque vrbe tota,& circa vrbem
passuum ad duo circiter millia plurimi cerui & palũbes non modò vagantur impunè,
sed etiam tecta ciuiũ subeunt, attrectante nemine,propterea quia delubro dicati sunt.
Ac de phanis quidem huius vrbis & monasterijs,ne sim longior,hactenus. Quæ post-
quam rogatu,vt dixi,neophytorum inuisimus, postridie Nara Tochim leucarũ quin-
que interuallo veni sub vesperam, acceptusque sum à Christianis incolis ingenti læ-
titia,credo quòd Iaponij cuiusdam opera conuersi ad dominum, cùm Gaspar plu-
rimis maximisque occupationibus impeditus eos adire non posset,nullum adhuc è So
cietate nostra conspexerant. Gens est fere nobilis. præfectus Cubum cognatione attin-
git.Itaque vulgo cùm adeunt hominem,nõ nisi celsitudinem ipsius inter loquendũ ap
pellare mos est.Triduum apud eos fui dumtaxat.Concio defuit nunquã.Multa de qui
bus ambigerent singuli quæsiere: precationi verò mirum omnes ij quàm dediti sint.
Digredienti autem mihi non modò munuscula quædam obtulere beneuolentiæ caus-
sa, quæ,ne se contemptos putarent,recusare non potui;sed etiam equos & explorato-
res itinerum peramanter dedere.Itaque Sauam,sex à Tochi leucas,iter intendimus. Id
castrum in editissimo positum iugo,leucas à Meaco viginti distat in Orientem, situ a-
mœnissimo,quippe omne circa spatium,cùm aliæ formosæ varij generis arbores,tũ ce-
drus plurima pinusque conuestit:& inde in subiectos agros apprimè consitos frequen-
tesque ædificijs atque cultoribus,ad passuum millia circiter sexaginta prospectus est.
Huc ergo dum tendimus,medio fermè itinere,stratos equos duos, & quidem optimos
nullo sessore conspicimus,sagittarijs fere quindecim comitantibus, quos nobis Chri-
stianos

A ſtianos omnes, Chriſtianus ipſe dominus loci Franciſcus obuiã miſerat. Igitur Tochia-
nis domum remiſsis,& gratijs actis, nouo comitatu Sauam magna Chriſtianorum vo-
luptate peruenimus. Franciſcus autem ipſe, vt nos lautius exciperet, ſimul etiã, vt nobis
occurreret in itinere, venatũ ex oppido exceſſerat eo ipſo die. ſed in nos idcirco nõ in-
cidit, quòd opinione celerius ambulauimus. Sauæ porrò diuertimus ad ædẽ Chriſtia-
norum ſacram, cui coniuncta domus eſt Socijs noſtris excipiendis, itemque ſeparatim
laicis, qui ſe ſe noſtris hominibus comites dederint, è cedrina ferè materia opere egre-
gio fabrefacta. Hanc etiam porticus ambiunt, longiſsimo, vt dixi, gratiſsimoque pro-
ſpectu. Sub noctem Franciſcus affuit magna cum domeſticorum & clientium manu,
aprum ingentem afferens, non ſine magno quidem & labore quæſitum & impendio,
quippe non canes modò, ſed etiam quoſdam homines fera malè multauerat. Pictam in
templo CHRISTI reſurgentis imaginem, quam è noſtro effingendam exemplari Fran
ciſcus egregij artificis manu curauerat, nixi omnes genibus pia cum prece venerantur
primùm venatorio nondum ornatu depoſito: deinde me perbenignè ſalutat Franciſ-
cus, agitque gratias, quòd ad ſe tam longè contenderim; tum, veritus credo ne mihi feſ-
ſo de via moleſtus eſſet, magna cum amoris humilitatiſque ſignificatione ſe domum
recepit. Vir eſt inter populares ſuos corpore ſimul & animo eminentiſsimus: nam & ſta-
B tura Iaponijs quotquot vidi ad hanc diem omnibus antecellit: & eximia humanitate
atque animi magnitudine præditus eſt. Accedit ſumma cùm in armorum vſu dexteri-
tas agilitaſque membrorum; tum Iaponicæ ſuperſtitionis legumque peritia: quod illẽ
ſtudium cùm ad veritatem religionis Chriſtianæ tranſtulerit, tantos breui tempore
proceſſus effecit, vt Dei magnitudinem aſsiduè prædicare, ceteroſque ad virtutem ex-
emplo vitæ, pleniſque pietate ſermonibus incitare non deſinat. Sanè ego eum ex ab-
dito quodam loco exaudiui cùm ad domeſticos aliquot, quorum erãt ethnici nonnul-
li, de fide Chriſtiana diſſereret, doceretque quantum inter patria Idola Deumque ve-
rum intereſſet. Qua in diſputatione, elatus ardore animi, eò deuenit, vt diceret, nõ mo-
dò fidelis miniſtri, ſed ne hominis quidem loco, qui Chriſtianus non eſſet, poſthac ne-
minem apud ſe futurum. Atque hęc viri fides religioque eò ad mirabilior eſt, quòd vix
ante annum ad Chriſtum adiunctus eſt, eumque ſemel tantùm à Baptiſmo Gaſpar in-
uiſit. Caſtrum eſt Sauæ finitimum, cuius qui potitur à Daiondono rege deſciuerat.
Hunc quamquam magno propoſito periculo non dubitauit adire Franciſcus, nobis
qui Sauæ remanſeramus, enixè Dominum pro ipſius incolumitate precantibus: tanta-
que prudentia tractauit ingenium rebellis, vt quocunque voluerit flexerit hominem,
eumque Daiondono, cuius in ditione ſunt ambo, reconciliauerit. Magnam Sauanis
C lætitiam attulit ea res, pacem optantibus. Nec modò ſecularia procurauit ibi Franci-
ſcus, ſed etiam nactus occaſionem, Euangelio promulgato & Iaponicarum opinio-
num vanitate detecta, primarios quoſque eius loci viros deſiderio Chriſtianæ religio-
nis accendit. Paulo pòſt, alium dynaſtam conuenit ethnicum, eumque cum familia to-
ta conuertit. ij paucis ante diebus Baptiſmi Sacramento Eccleſiæ adiuncti ſunt. Poſtea
legatus ad Mini regem, duos regni proceres ad Chriſtum eadem felicitate traduxit,
quos ego cùm excluſus temporibus baptizatum ire non poſſem, ad Gaſparem ſcripſi
Meacum, vt aliquem eius rei cauſſa ad illos mitteret, quòd eorum Baptiſmus ad Chri-
ſtianam religionem augendam non mediocriter pertineret. Atque hæc & alia id ge-
nus multa Franciſcus. Nos autem Sauæ & conciones, & priuata colloquia de rebus di-
uinis habuimus, & varia ſciſcitantibus incolis factum eſt ſatis. Baptizati præterea no-
uem: in ijs claro admodum loco natus adoleſcens, qui de Chriſtianæ fidei myſterijs à
populari quodam neophyto edoctus, ad me Sauam vſque leucarum decem interual-
lo Baptiſmi cauſſa venerat. Dum hæc geruntur, affertur ad nos nauem in portu Sacaia-
no ſtare paratam: quam ego ne occaſionem amitterem, quamquam mœrẽtibus digreſ-
ſu meo Sauanis, inde diſceſsi. Et quia Sacaium petentibus periculoſa quædã loca erant
prætereunda, Franciſcus nõ modò neceſſaria nobis ad profectionem omnia, ſed etiam
ſclopis alijſque telis armatos quattuor & viginti cuſtodes attribuit, nec omnino quic-
quam eſt paſſus nos in iter illud impendere. Compenſet Dominus egregiam hanc
in nos viri benignitatem. Vos verò cariſsimi fratres pro eiuſdem ſalute Dominũ aſsi-
duè deprecamini. Sacaiũ vt veni, ingenti gratulatione me Sanctius eiuſque domeſtici
rurſus excipiunt. Triduum ſubſtiti dum nautæ ſoluerent, nec interea neophytos cõfir-
mare, officijq; monere deſtitimus. Cognoui etiam Monicæ virginis in ſuſcepto conſi-

lio

lio conſtantiam: quæ ab alio quodam Meacenſi procere non mediocriter expetita, & D
mnes conditiones animo excelſo repudiarat. Sed cùm iam hora profectionis inſtaret,
Imorenſis oppidi Princeps, qui magna virorum nobilium manu Sacaium ad me falu-
tatum acceſſerat, itemque è Sacaiano grege Chriſtiani primarij nos viatico inſtructos,
honoris cauſſa ad nauem vſque deducunt, nauarchoque commendant diligentiſſimè.
Comes verò nauigationis nobis magno Dei beneficio acceſſit Sacaianus medicus exi-
mia eruditione atque exiſtimatione vir, qui à ſuperſtitionibus patrijs cõuerſus ad Do-
minum, non modò communis officij laudem, verùm etiam Euangelicæ perfectionis
culmen expetijt; ſeculoque planè relicto, ſe ad noſtram Societatem aggregare decre-
uit. Itaque vt prorſus exiret de terra ſua, & de cognatione ſua, rogauit me, vt in Bun-
gum, alioue ſe mecum adducerem. Ceſſi facilè hominis precibus, iuſſumque omni pa-
trimonio cedere filio item medico, pretioſum dumtaxat ornatum corporis retinere,
quò facilius nobis ea ratione ad Iaponios principes, qui externa fere ſpecie ducuntur,
aditus patefieret; ad Coſmum Turrianum inde perduxi, cuius mandato, ingenti neo-
phytorum approbatione concionari iam de rebus diuinis inſtituit. Idemque nuper in
vrbe Sacaio tam ſumptuosè indui, & tãto comitatu incedere ſolitus, mirũ quanta nunc
humilitate, quanta manſuetudine verſetur in domeſticis miniſterijs apud nos. Verùm
ad rem redeo. Sacaij conſcendimus circa Idus Maias, & Funaium die tertiodecimo ſe-
cunda nauigatione peruenimus. Lætis nuntijs de re Meacenſi, Eccleſia illa tota valde E
gauiſa eſt. Quarto poſt die Voſuquim perrexi, vt regem inuiſerem, à quo humaniſſimè
acceptus, petij neophytis id in primis optantibus, locum templo ibidẽ exſtruendo: il-
le verò non areã mod nobis ad mare ſecus arcẽ optimo ſitu, verũ etiam fabros ad ædi-
ficationẽ libenter attribuit, quã rem ſperamus ad Chriſtianę religionis incrementum
magnopere profuturam. His peractis Funaium redij: Funaio perueni octauo die Xima
baram, quò Coſmus etiam Turrianus trigeſimo circiter ante die Cochinoco ſe tran-
ſtulerat. Magnos ibi concurſus offendi ethnicorum ad verbum Dei audiendum. Chri-
ſtiani facti paucis illis diebus ad centum & octoginta. Tonus etiam ipſe, itemque ſepa-
ratim vxor ſtipata grege cognatorum & ciuium, Coſmum Turrianum adiere, & con-
cionanti cùm aures præbuiſſent, magis etiam quàm antea propenſo ac beneuolo in nos
animo receſſere. Tum confeſſionibus omnium Chriſtianorum auditis, nauigijsq; duo
bus peramplis ipſorum opera comparatis, Cochinocum magna nos turba longè proſe-
quente renauigamus. Et quoniam allatum erat, Ioannis Pererię Luſitani onerariam na
uem appulſam eſſe ad portum Rimani regni Facundam, leucas à Cochinoco quinque
circiter & viginti; miſit eò me Coſmus ad Luſitanos viſendos: eodemque Melchior Fi-
ceredius quintodecimo poſt die ad eoru confeſsiones audiendas & ſacrum miſſæ faci-
endum è Bungo peruenit. Hic dum vterque moramur, me Barptolemæus rex Omurã F
ad ſe per nuntios euocat. Ego approbante Ficeredio me in viam dedi Iaponio comite
viro ſectarum Iaponicarum in primis perito, nec Chriſtianæ religionis ignaro. Ad-
uentu noſtro Barptolemæus, qui neminem ex noſtris biennio toto vidiſſet, valde læta
tus eſt. multa deinde percontatus, addit vereri ſe, ne familiares ſui, & ij quidem qui-
bus maximè fidat, inter diuturnas bellorum occupationes Chriſtianæ doctrinæ rudi-
menta dediſcant, itaque renouata inſtitutione opus eſſe. A cœna igitur è domeſticis
ſuis primarios euocat, iubetque arrectis auribus noſtrum ſermonem excipere. Non o-
mittam hoc loco quędam ad huius Regis Chriſtianam humilitatem & pietatem decla-
randam magnopere pertinentia. primùm ad menſam, diu renitente ac repugnante me,
peruicit denique, vt loco ſuperiore quamuis inuitus accumberem. Sublata menſa, fa-
miliariter ſe inter me & Iaponium comitem interlocat, & ſtudiosè docet hominem
(eo enim vtebamur interprete) quam potiſſimum in ſententiam ad ſuos quorum op-
timè norit ingenia, verba facere oporteat. Inchoato deinde ſermone, idem in inferio-
rem locum ſeorſim ac demiſsè in famulorum turbam eo ſeſe conſilio recipit, vt re ipſa
exemploq; ſuo demonſtret, quantus honos Euangelio, quantus Euangelij pręconibus
debeatur. Ac prima quidẽ illa diſputatione ex ipſis creatis naturis vnum eſſe omnium
creatorem euidenter oſtẽdimus. Tum declaratum eſt, quæ Iaponiorum numina, quis
Chriſtianorum Deus eſſet infinita bonitate, potentia, ſapientia præditus. Quæ illi cùm
ſtupentes audirent, magnopere videlicet lætabantur, ſeſe ab inanium Deorum ve-
neratione ad talis tantique Domini cultum eſſe traductos. Reliquis verò diebus a-
ctum de cœleſti beatitudine, pœnis inferorum, alijsque rebus eiuſmodi, quas maxi-
mè neo-

A mè neophytis initio proponere conſueuimus. Et ſanè talibus egere monitis viſa eſt mihi Barptolemæi familia: nam ipſius quidem Regis in fide conſtantia planè vicit exſpectationem meam. Quæ viri laus eò maior eſt, quòd nec ita pridem Chriſtiana ſacra ſuſcepit, & eo ipſo nomine à popularibus ſuis per ſummum ſcelus atque perfidiam regno ſpoliatus, finibuſque ſuis exactus eſt, vix vno ſibi relicto puero victus quotidiani adminiſtro. quanquam deinde in regnum eſt diuinitus reſtitutus, rebellibus partim ſupplicio affectis, partim, cùm ad ſanitatem redirent, veniamque ſupplices peterent, in fidem receptis. Ego dies aliquot apud eum commoratus, Facundam ad Luſitanos reuerti. Ibi redduntur mihi à Coſmo litteræ vt ad ſe primo quoque tempore veniam, inde mihi neceſſariò in Bungum eſſe proficiſcẽdum. Cochinocum ergo traieci minimè tuta nauigatione, etenim nocte deſertum quendam ad portum appulſos duo piratarum inuasere myoparones, qui tamen præclarè inſtructo nauigio noſtro, propugnatoribus acriter dimicãtibus reiecti ſunt. Coſmus interea in febrim inciderat: ea ſimulatque leuatus eſt, in Bungum ab eo diſceſsi, tum aliarum rerum cauſſa, tum verò vt Ioanni Baptiſtæ noſtro in eius Eccleſiæ procuratione ſuccurrerem. Primo poſt profectionem die Ximabaram delatus, Ariam Sanctium ibidem reperio in erudiendis Catechumenis occupatum. Et quoniam neophyti magno cõcionum deſiderio tenebantur, dies aliquot rogatu ipſorum in eo munere poſui. Candidatos etiam aliquot Chriſtianis præceptionibus probè inſtitutos, ſacro fonte abluimus. Tonũ ego præterea, &
B ille me viciſſim inuiſit, audijtq; cum ſuis perattentè de rebus ſpiritalibus differentem. Quin etiam cœmeterio Chriſtianorum, quod illi mirum in modũ expetebant, locum idoneum, itemque nouo templo exſtruendo, & in alios etiam vſus, inſulas tres excelſa conſitas pinu benignè largitus eſt. porrò grex ille neophytorum in primis flagrat ſtudio rerum diuinarum. quod cùm alijs rebus plurimis clarè perſpeximus, tum illa præſertim. Inſtabãt anniuerſaria quædam ethnicorum feſta ludiue celebritatis eximiæ, ad quæ, vt apud nos ad corporis CHRISTI ſolennia, omnes omnium ordinum homines ritu patrio conuenire conſueuerant. Cùm ſe Chriſtiani affuturos negarent, enimuerò Bonzijs cæterisque indignum facinus viſum. Itaque Tonum adeunt, iniuriam Chriſtianorum queruntur, obſecrant etiam atque etiam, ne patrijs dijs & ciuitati vniuerſæ, ſibi denique ipſi tantam inuri contumeliam ſinat. Permotus hac oratione Tonus, vocatos ad ſe Chriſtianorum primarios diligenter hortatur, ludos ne deſerant. Aiunt illi, ſe Chriſtianis legibus prohiberi, ſpectaculis intereſſe, quæ idolorum tribuãtur honoribus: proinde nequaquam affuturos. Ad ea Tonus, ſi minus idolis, mihi certè meiſque iuſſis hoc date. Illi verò in propoſito omnes obfirmati, Quidquid volueris, inquiunt, nobis facito, leges noſtras nequaquam violare decreuimus. atque ita ab Tono digreſsi, in templum ſeſe vniuerſi recipiunt, martyrium fortiter exſpectãtes. Et ſanè (vt acri ſunt & vehementi Iaponij fermè dynaſtæ natura & ingenio) mirum eſt Toni im-
C perio cunctos non illicò fuiſſe mactatos. Sed eorum fortaſsè multitudine territus, iuſſit illis renuntiari, quoniam in ſua religione tam obſtinati perſiſterent, quod attinet ad ludos, agerent quod probarent, ſe illos vltrà non cogere. Quare neophyti magnopere in fide pietateque confirmati ſunt. E principibus ciuitatis Chriſtianus quidam Leo nomine, Toni propinquus, nuper eſt mortuus. Is, quòd ære ſuo templum additis liberaliter hortis exſtruxerat, & Chriſtianam religionem nõ modò contra cæteros ethnicos, ſed etiam contra ipſum Tonum, vbi opus eſſet, egregiè tuebatur, Bonziorum ſcelere creditur veneno fuiſſe ſublatus. Hunc neophyti, vt mutuam inter ſe Chriſtianorum caritatem publicè oſtenderent, quàm magnificentiſſimè extulere: feretrum cum Litanijs & precibus magnaque cereorum ardentium multitudine ſeptingenti ferè neophyti ſequebantur. arca veſpere conditus eſt circumſuta ſerico. poſtridie lapideum additum eſt monumentum, & lignei circumquaque cancelli, Crucibus duabus, altera ad oſtium ſepti, altera ad monumenti caput, impoſitis, opere politiſsimo.

Itaque vulgò locus quotidie celebratur ac viſitur. Verùm de Ximabaranis hactenus. Ego inde Funaium, mox veni Facundam: ibi hæc ſcribebam ad vos ſeptimo Cal. Nouemb. MDLXV.

LVDOVICI FROII AD SOCIOS in Indiam.

ANNO superiore, fratres cariſſimi, ad vos ſcripſi Firando, conſtituiſſe Coſmum Turrianum, vt Meacum ſubleuandi Gaſparis Vilelę cauſſa proficiſcerer, quod multa eſſet ibi meſsis, operarij pauci; mihiq́ue comitem itineris ab eo aſsignatum fuiſſe Ludouicum Almeidam. Nunc mihi, tam lōga peregrinatione Dei beneficio peracta, viſum eſt faciendum, vt ea potiſſimum per litteras vobis exponerem, quæ vobis cognitu iucundiſſima putarem fore. Et quoniam totum hoc ſcribendi munus ita inter nos ego & Almeida initio diſtribuimus, vt ille iter ipſum quæque in itinere geſta ſunt, ego res Meacenſes, & alia nonnulla de Iaponiorum natura moribuſq́; probè comperta perſequerer; omiſſa peregrinatione, ego quòd mearum eſt partium hiſce præſtabo litteris: vos autem maior videlicet huiuſce gentis miſeratio capiet, reputātes quanto artificio, quanta ſolertia ſagaciſſimus ille humani generis aduerſarius, per ſpeciem religionis, cæremonijs plurimis ritibuſq́ue deceptas Iaponiorum mētes ad interitum perducat, ac pertrahat. Ac primùm in eorū animis prorſus extincta eſt notitia omnis, E nō modò CHRISTI liberatoris noſtri, verùm etiam vnius Dei rerum omnium opificis. Superſtitionum verò permultæ ſunt ſectæ, quarum quam quiſq; voluerit liberum eſt ſequi; ſed pręcipuæ duæ, quæ ab Amida & Xaca denominantur. Itaq; complura viſuntur cœnobia non modò Bonziorum, ſed Bonziarum etiā vario corporis habitu, quippe alij internis tunicis albis, extimis nigris vtuntur, alios cineraceus diſtinguit color, quorum idolum eſt nomine Denichi. Ab ijs Amidani magnopere diſſident. Bonzij porrò ferè omnes magnificè habitant, habentq́ue perampla vectigalia. Ijſdem cœlibatus indicitur, nuptias contraxiſſe capitale eſt. In phano medio aram excitant: in ea ſignum Amidæ ligneum, corpore ſupra lumbos nudo, muliebrē in modum auribus perforatis, in roſa item lignea conſidet præclara ad aſpectū. Ingentes habent bibliothecas, cœnationes ad cibum vnà ſumendum, ęramenta ſeu tintinnabula, quibus ad precationes horarias excitantur. Veſpere præfectus certum vnicuiq; argumentum ad meditandum proponit. à media nocte ante aram templi, alternantibus choris quaſi matutinas recitant preces è Xacæ libro nouiſsimo: prima luce horam vnā ſinguli meditādo conſumunt. mento capiteq́; ſunt raſo. ampliſſima periſtylia conſtruūt, & in ijs Fotoquiorum (hoc nomine Iaponij quidam ſancti appellātur) ſacella. dies per annum feſtos agitant multos. Sunt autem Bonzij claro vt plurimum genere: namque Iaponij proceres multiplici prole onerati, quibus filijs amplum ſatis patrimonium relinquere ſe poſſe F diffidunt, hos ferè ad Bonziorum numerum aggregant. Inſignis eorundem ſacrificulorum eſt auaritia: omnes conficiendæ pecuniæ norunt vias. Vendunt artificio miro multa chirographa, quorum præſidio ſeſe tutum à dæmonibus fore vulgus putat. Mutuantur etiam nummos, quos in altera vita multiplicato reddant fœnore, dantq́; cautionis cauſſa ſyngraphas creditori, quas è vita diſcedens ſecum ad inferos deferat.

Alia eſt familia ſanè frequens eorum, quos Ianambuxos vocitāt, criſpante ac vibrato capillo. ij res vel amiſſas, vel furto ſublatas ita comperiūt. Statuūt ante ſeſe puerum, hunc dæmon certis euocatus carminibus occupat: ex eo deinde puero: quod auent cognoſcere, ſciſcitantur. Horum preces in vtranq; partem multum valere creduntur. Itaque precationes eorum fauſtas æquè diraſq́ue pretio populus comparat. Huius ordinis candidati, antequam admittantur, bis terue milleni ſimul montem quendam editiſſimum petunt. Ibi ſexageſimum diem pœnitentiæ nomine, vbi ſeſe voluntario ſupplicio macerauerint (quo ipſo tempore ſeſe illis dæmon varia ſpecie viſendum offert) quaſi iam laurea donati, & in cęteram adſcripti familiam, floccis quibuſdam albis ornantur è collo pendētibus, atriſq́ue pileolis qui non niſi ſummum capitis verticem tegant: atque his tanquam inſignibus inde Iaponis prouincias peragrant, ſeq́ue operamq́ue ſuam vbique venditant, aduentum ſuum in oppida ſignificantes pulſu catilli, quem ſecum circumferre ſinguli ſoliti ſunt. Non deſunt alio nomine Genguis, qui res item furto ſurreptas, fureſq́ue ipſos per diuinationem demonſtrent. Ij in præcelſo

montis

A montis iugo ſibi domicilium collocarunt: oris atro colore ob aſſiduam ſolis, pluuiæ, venti, geluque patientiam. Vxores ducunt, ſed non niſi ex ſuo genere ac ſtirpe. Ijſdem (vt fertur) è capite quaſi corniculum quoddam extuberat. Editiſſimas rupes atque cacumina ſubeunt, fluuios traijciunt maximos vnius arte dæmonis, qui vt infelices magis in errorem inducat, iubet illos montem quendam altiſsimum aſcendere. Hic eum miſeri ad præfinitum vſque tempus magno cum deſiderio præſtolãtur. Tum illis denique circa meridiem, aut ſub veſperam ſeſe offert dæmon, quem ſub Amidæ nomine venerantur, tranſitq; per medium eorum cœtum. ex eo viſo tanta in hominum pectoribus ac medullis inſidet ſuperſtitio, vt nullis deinde rationibus poſsit euelli. Conſueuerat etiam diabolus in alio quodam mõte ſeſe Iaponijs viſendum præbere. Quiſquis maiore beatarum ſedium ac paradiſi deſiderio tenebatur, conferebat eò ſeſe, eamque viſionem exſpectabat: deniq; oblatum ſibi viſum, eiuſdem ſuaſu, in interiores vſq; ſequebatur receſſus ad foueam profundiſſimam. in hanc dæmon deſiliens, cultorem vnà ſecum ad interitum detrahebat. patuit in hunc modum fraus. Senem ea ſuperſtitione captum filius ab eiuſmodi cõſilio reuocare fruſtra conatus, ſumpto arcu & ſagittis ad locum vſque occultè proſequitur. Cõparet ibi dæmon humana ſpecie non ſine ſplendore quodam. Hunc ſenex dum venerabundus adorat, adducit arcum properè filius, emiſſaq; in ſpectrum ſagitta, pro viro vulpem immutata repente figura confixit. Inde
B fugientis cruorem beſtiæ perſecutus, ad præcipitium illud, quod dixi, peruenit, quo in imo permulta oſſa reperit mortuorũ, quos dæmon per eam ſpeciem ante deceperat. atque ita & à præſente parentem interitu, & cæteros ab opinione vſq; adeo peſtifera liberauit. Ad hæc locus eſt frequentibus Bonziorum cœnobijs admodum celebris (Coiam appellant) quorum princeps auctorq; perhibetur fuiſſe Combendaxis veterator callidus, arteque dicendi famam ſanctimoniæ conſecutus; cùm tamen diabolica planè iura legeſque deſcripſerit. Inuentor etiam fuiſſe dicitur litterarum, quibus nunc vulgò Iaponij vtuntur. Is cùm ad ſenectutem peruenisſet, ſeſe vltrò defodit ſcrobe profunda quadratæ formæ, cubitorum circiter quattuor, eamque deinde ſeueris verbis aperiri omninò vetuit, neque enim in præſentia mori ſe; poſt aliquot millies millena annorum millia virum quendam doctrinæ laude præſtantiſsimũ in Iaponis regna venturum, nomine Mirozu: tum ſe quoque demum è fouea proditurum: interea feſſum diuturnis laboribus corpus quiete velle reficere. Circa ipſius ſepulcrum lampades ardent multæ è varijs eò miſſæ prouincijs; perſuaſum eſt enim genti, quicunq; in id monumentum exornandum largi ac benefici fuerint, eos nõ in hac modò vita diuitijs auctum iri, ſed etiam in altera ipſius Combendaxis patrocinio futuros incolumes. Eius porrò cultui qui ſeſe mancipant, intra ea cœnobia quaſi clauſtra concluduntur, capil-
C lo in ſpeciem abdicatę vitæ ſecularis abraſo, cùm tamen ibi deinde, prout eos egit libido, in omni flagitiorum genere volutẽtur. In illis ædibus, quæ (vt dixi) permultæ ſunt, præter magnam laicorum turbam, Bonziorum ſex circiter millia numerantur. Mulieribus aditus eò non eſt, capitali ſi acceſſerint pœna propoſita. Fatonochaiti præterea domicilium eſt Bonziorum. Hi magnam puerorũ turbam varijs artibus ad omne doli furtique genus erudiunt. Si quos eximia nacti ſunt indole, hos de regum ſingulorum edoctos proſapia ac ſtirpe, & procerum ritibus; armorum etiam vſu, dicendique arte exercitatos, regio ornatu in alias prouincias dimittunt eo conſilio, vt ſeſe regum filios ementiti, per commẽdationem ſpeciemq; nobilitatis conciliata mutui nomine pecunia, bene nummati ad ſe reuertãtur. Itaque locus is tanta eſt apud Iaponios infamia, vt ſi quem ex ea diſciplina fortè deprehenderint, confeſtim interimant; nec tamen impoſtores idcirco ab improbitate malitiaq; diſcedunt. Iaponiæ terræ in Septẽtrionem adiacet ampliſſima ſylueſtrium hominum regio, leucas ab vrbe Meaco trecentas. Beſtiarum pellibus induuntur, toto hirti corpore, ingenti barba, myſtacibus maximis, quas paxillo ſubrigũt potaturi. Vini gens auida in primis, ad bella ferox, formidoloſa Iaponijs. In prelio ſauciati, ſalitis aquis abluunt vulnera. id vnum genti remediũ eſt. ſpeculum geſtare dicũtur in pectore; ad caput gladios alligãt ſic, vt in humeros manubrium deſinat. Sacra habent nulla, cœlum dumtaxat venerari ſoliti ſunt. Aquita perampla eſt vrbs in regno Iaponis Geuano. illuc frequentes commeant mercimonij cauſſa, itemq; viciſſim ad eos Aquitani, ſed rarius, quòd illuc delati, ferè perimantur ab incolis. Multa erant præterea in hoc genere quæ ſcriberem: ſed ne ſim longior, ad Iaponiorum inſanias redeo; qui ad memoriam ſui nominis propagandam illud vel maximè pertinere

arbitrantur, inanis gloriæ cupidiſsimi, vt quanto maximo apparatu pompaq́; vita fun D
cti ſepeliãtur. Funerum autem & exſequiarum in vrbe Meaco ritus eiuſmodi eſt. Ho-
ra circiter antequam domo efferatur cadauer, amicorum turba veſtitu quàm opti-
mo ad rogum anteit. mox propinquæ ac notæ mulieres progrediuntur amictu candi-
do (color ille funeſtus eſt) verſicolori velo caput obductæ. familiam etiã pro ſuis quæ-
que facultatibus ducunt, albo item ornatu ſubſerico. quę verò dignitatę atque opibus
præcellunt, cedrina ſingulæ magnifico apparatu & artis eximiæ lectica vehũtur. ſecun
do loco incedunt pedibus viri permulti ſumptuoſo veſtitu. Longo deinde interuallo
Bonzius earum ſuperſtitionum antiſtes auro ſericoq́ue refulgens lectica geſtatur am-
pla & præcelſa pretioſi operis, Bonzijs ſtipatus ferè triginta pataſatis linteatiſq́ue, atro
ſuperindutis pallio textu pertenui. tum cineraceo quidã veſtiũ colore (nam is quoque
funeſtus eſt) accenſa prælonga pinea face, demortuo (ne offendat erretue ignarus via-
rum) iter monſtrat ad pyram. Huic Bonzij fermè ducenti ſuccedunt, nomen conci-
nentes dæmonis eius, quẽ defunctus in vita præcipuè coluit: ſimul etiam ingẽs catinus
ad rogum vſque tintinnabuli vice pulſatur. tum chartacei duo perampla & expanſa fi-
gura caniſtri præfixi haſtilibus, chartaceæ item roſæ varij coloris copiam continent:
quos qui geſtant, tardiori procedentes gradu, ſic haſtilia ſubinde concutiunt, vt flores
illi paulatim in ſpeciem pluuiæ decidant, ventoq́; flante ſpargantur: eum videlicet im-
brem argumento eſſe aiunt, mortui animam ad paradiſi gaudia penetraſſe. poſt hæc au-
tem, octo prima lanugine Bonzij diuiſi bifariam, prælongas arundines cũ vexillis cubi E
talibus, quibus item idoli nomẽ inſcriptum eſt, per terrã auerſa trahunt cuſpide. Tum
ijſdem inſignes litteris, ardenti incluſa candela decem laternæ feruntur, obductis velo
pertenui lateribus. Ad hæc iuuenes duo cinereis veſtimẽtis pineas præferunt faculas,
dodrantiũ trium longitudine, haud tamen accenſas, quibus deinde rogo flammas inij-
ciant. Eodem veſtimenti colore permulti ſequũtur, verticem capitis adoperti exiguis
admodum pileolis mẽto ſubligatis, è nigro fulgẽte corio forma triquetra (quod apud
eos honoris indiciũ eſt) ijdem ſchedula inſignes, capiti affixa, in qua nomen eius, quem
dixi, dæmonis legitur: quod ipſum quò magis celebretur, pone certus homo tabellam
oſtentat cubiti longitudine, dodrantis latitudine, albo velo tenuiſſimo tectã, inſcripto
ex vtraq; parte eodem illo nomine litteris aureis. Tum demum à quattuor viris, lecti-
ca ſedens magnifica defunctus ipſe geſtatur in veſte candida, demiſſo capite, iunctiſq́;
precantis habitu manibus. ad cæterum amictum extima toga papyracea ſuperadditur
libro exarata, quem Deus ille ſuus, cùm in terris ageret, ſcriptũ reliquiſſe perhibetur,
cuius præſidio meritiſq́ue vulgò ſe compotes fore ſalutis exiſtimãt. Cadauer filij ſub-
ſequuntur, quàm elegantiſsimo cultu corporis: quorum natu minimus pineam item
fert facem ad ignem pyræ inferendum. Extremum agmen eſt magnæ hominum mul-
titudinis ijſdem quæ modò dixi pileorum inſignibus. Vt ad locum exſequiarum per-
uentum eſt, Bonzij vniuerſi & cætera ſimul turba cum ſtrepitu æramentorum catino- F
rumq́ue horæ ſpatio dæmonis illius nomen magnis clamoribus inuocant. Deinde hoc
maximè modo fit buſtũ. Area quadrata ſatis ampla, cancellis eminentibus, & velo craſ-
ſiore ita præcincta eſt, vt ſingulis in quattuor cœli plagas ianuis introitus pateat. In
medio fouea referta lignis, tecto eleganti opere ex vndulata materia ſuper eam excita-
to, duas habet è regione menſas vario ciborũ genere (piſcibus tamen exceptis & carni-
bus) præſertim verò carycis, medicis malis, placẽtis affatim inſtructas. Stat etiam in ea-
rum altera vaporarium vaſculũ ſuffimẽti cauſſa prunis impoſitum, & lignum aquila-
num in diſco. Vt igitur eò deuentum eſt, lecticæ vinculum inijcitur è ſune prælongo,
quem, qui adſunt, certatim manu apprehendẽtes vociferantur, vt diximus: poſtea to-
tum ſeptũ introrſus terna luſtratione circumeunt. Deinde lectica pyræ ſuperimpoſita
Bonzius earum cæremoniarũ antiſtes, carmen effatus, quod circumfuſa turba nequa-
quam intelligat, accenſam faculam ter ſupra caput in orbẽ idcirco circumagit, vt eo ſi-
gnificet gyro, defuncti animã nec originem habuiſſe, nec verò finẽ aliquando habitu-
ram eſſe. Rotatã inde faculam abijcit: hanc duo è defuncti filijs cognatiſue arreptã ſtan
tes ad lecticæ latera ad Solis ort alter, alter ad Occaſum, ſuper cadauer ipſum mutuo
ſibi quaſi honoris & officij cauſſa ter vbi porrexerint, deinde in lignorum ſtruem inij-
ciunt. Superinfunditur oleum ſtatim, cum aquilano ligno & alijs odoramentis, prout
copiæ ſuppetunt, magnoq́; incendio corpus in cinerem vertitur. Interea filij ad mẽſam
accedunt, & aquilano ligno in vaporariũ indito, ſolenni ſuffitu parentem quaſi iam ad

cœle-

A cœleſtium numerum adſcriptum ſupplices venerantur. Adoratione peracta, merces laborum Bonzijs pro dignitate perſoluitur: Antiſtiti quinque vel decem vel etiam viginti aurei nummi: cæteris vel argentei deni viritim, vel certus caxarum numerus: prandium verò paratum (amicorum ac Bonziorum turba dimiſſa) vel buſti miniſtris, vel pauperibus vlceroſiſq; relinquitur. Poſtridie liberi cũ affinibus & amicis ad rogũ reuerſi, cineres, oſſa, dentesq; demortui in vas inauratum impoſita, domum referunt, ipſumque vas veſte contectum in medijs ædibus locant. frequẽtes adſunt iterum Bonzij ad priuatas exſequias: eædemque ſeptimo die denuò repetuntur. Deinde translati certum in locum cineres terræ mandantur, quadrato impoſito lapide, in quo ductis à ſummo ad imum vſque maioribus litteris, nomen deſcribitur dæmonis, quemcunque demortuus in vita coluerit. inde continuis diebus ad ſepulcrum ſe filij conferunt, ibi ſpargunt roſas, ibi calidam apponunt, vt habeat defunctus, vnde ſitim leuet. nec ſolùm die, ſed menſe etiam & anno ſeptimo priuatos intra parietes eadem funebria iuſta recurrunt, ingenti videlicet Bonziorum ſagina, crebriſque vindemijs. Omnino in hæc funera impenſa fit à locupletioribus aureorum trium circiter millium, à tenuioribus ducentorum trecentorumue. nam quorum tanta eſt inopia, vt funeri ſumptus deſit, eos per noctem ac tenebras nullo apparatu vel pompa in ſterquilinium abiectos humi
B defodiunt. Aliud eſt etiam genus funeris, quod viuentibus in ora præcipuè maritima ducitur. Ij cùm Amidæ ſeſe eximio quodàm cultu deuouerint, eius viſendi cupiditate flagrantes, mortem vltrò ſibimetipſi conſciſcunt. Ac primùm emendicata per dies aliquot ſtipe, & in manicas indita, publicè concionantur ad populum, totamque conſilij ſui rationem exponunt, magna omnium approbatione; tantam quippe ſanctimoniam cuncti ſuſpiciunt: deinde ſumptis falcibus ad vepres ac ſentes, qui ad beatorum ſedes iter impediunt, præcidendos, nauigium conſcendunt nouum, ſaxiſque ad collum, brachia, renes, crura, pedeſque religatis, in altum prouecti, vel perforato de induſtria merguntur alueo, vel etiam deinceps in mare ſinguli ſeſe præcipitant. Alueo vacuo confeſtim ignis ab amicis ac propinquis officij cauſſa proprio ſeparatim nauigio proſecutis injicitur, nefas putantibus nauem tantis religionibus conſecratam, ab vllo prorſus in poſterum attingi mortalium. Sanè, dum nos peteremus Meacum, octo diebus antequam ad Inſulam Hiu peruenimus, viri ſex, fœminæ duæ ſimul eo genere lethi perierant ad oppidum Fore. His deinde populus ædiculam vniuerſis, columnam pinumq; ſingulis perpetui honoris cauſſa prope littus erexerant, & impoſita baculis complura chartæ ſegmenta, ædiculæ toto tecto defixerant, carminibus plurimis intra parietes propoſitis, quæ beati illius cœtus egregias laudes celebrarent. Itaque viſebatur locus die noctuque ſuperſtitioſiſsimè. Ac fortè per eos dies dum ad quendam infantem Ba-
C ptiſmo luſtrandum ego & Ludouicus Almeida tendimus, illac nobis iter facere contigit: atque eo ipſo tempore prodeuntes è ſacrario quinque circiter vetulæ cum globulis precatorijs, quæ vulgò roſaria dicimus, (adeò Chriſtianos mores Lucifer æmulatur) partim ludibrio noſtram ridere demẽtiam, partim ſeuero vultu nobis impietatem exprobrare, ſacrũ illud monumentum nulla veneratione honoriſue ſignificatione prætereuntibus. Reſtat vt de Bonziorum concionibus pauca perſtringam. Eæ ſi minus crebræ quã apud nos, certè quàm apparatiſsimæ. In tẽplo permagno cum ſerica ſupernè vmbella ſuggeſtus attollitur. In eo ſtat ornatu ſumptuoſo cathedra: ante cathedrã menſa cum tintinnabulo & libro. Vbi concionis tempus aduenerit, ad ſuum quæque doctorem in varia templa frequentes Iaponiorum ſectæ conueniunt. Ille ſuggeſtum aſcendens, & in ſella conſidens, magnificè ſeſe circumſpicit: deinde indicto campana ſilentio, pauca ex eo quem diximus, recitat libro, quæ mox idem fuſius explicat. Sunt autem hi concionatores viri fermè diſerti, atque ad flectẽdos animos auditorum idonei: & quoniam hiat ſemper auaritia Bonziorum, eò potiſſimum omnis ſpectat eorum oratio, vt populum inducant ſpecie pietatis ad ſua locupletanda cœnobia, tanto beatiorem in altera vita fore quemq; affirmantes, quanto, quæ ad ſacra vel exſequias pertinent, maiore pompa & impenſa curarit. Cumque ita multæ atque ita inter ſe pugnantes numerentur ſuperſtitiones atque familiæ; in eo tamen vel maximè laborant magiſtri, vt ſua quiſque mẽdacia & fabulas ita diſcipulis probent, nihil vt præterea verum, nihil ad æternam ſalutem tutum, nihil dignum quod audiatur, exiſtiment. Accedunt alia quoque artificia, inceſſus grauitas, oris atque habitus dignitas, denique ſpecies omnis exterior, quibus rebus Iaponiorum pectora tantis opinionum peruerſitatibus

imbuuntur, tantamque ex ijs fiduciam ac ſpem ſalutis æternæ concipiunt, non ſolùm D
vt domeſticos intra parietes, verùm etiam in publico, totaque vrbe roſaria ferè ſemper manu percurrant, ab Amida Xacaque diuitias, honores, bonam valetudinem, ſempiterna gaudia ſuppliciter poſtulantes.

Quæ cùm ita ſint, cariſsimi fratres, exiſtimare poteſtis ipſi, quanto Dei auxilio indigeant, non modò qui in hæc loca Euangelium afferunt, ſed etiam qui allatum accipiunt, ſeque relictis idolis ad CHRISTVM adiungunt: quippe tot à diabolo machinis oppugnantur, ita ſolicitantur aſſiduis Bonziorum diſſuaſionibus, poſtremò ab affinibus amiciſque adeo contumeliosè, moleſtè, acerbeque vexantur, vt niſi diuina gratia ſacrificijs ac precationibus Eccleſiæ Catholicę conciliata ſubueniat, multorum vel potius ferè omnium fidem atque conſtantiam his certè naſcentium Eccleſiarum initijs valdè periclitari neceſſe ſit. Quò magis vobis, qui ſalutem animarum tam vehementer expetitis, Iaponicos hoſce greges præcipuè in Domino commendatos eſſe par eſt. Nos Sacaium ex itinere venimus quinto Calen. Februarias. Ludouicus Almeida quibuſdam negotijs primùm, deinde etiam valetudine aduerſa impeditus, ibi diutius ſubſtitit: ego diei non amplius mora facta, profectus inde, Meacum leucarum tredecim interuallo perueni pridie Calend. Februarias. Aduentu meo cùm cæteri Chriſtiani, tum Gaſpar Vilela præcipuè, qui neminem è noſtris Meaci toto fermè ſexennio viderat, mirum in modum recreatus eſt. Is quadrageſimum nondum ætatis annum exce- E
dit, ſed cani ſeptuagenarium indicant, frigorum vi vehementer affecto conſumptoq; corpuſculo. Meacenſi lingua, quæ, vt celeberrimi populi regiæque vrbis fertur elegantiſſima, iam nunc vtitur ita peritè, non modò vt confeſſiones intelligat, ſed habeat etiam cõciones. Quoſdam inſuper libellos ad pietatem vtiles in eandem vertit linguam, alioſque deinceps non intermittit ſubſeciuis operis vertere. Quod reliquum eſt, nos omnes Dominus pro ſua bonitate perpetuò tueatur, opemque nobis ad voluntatem ipſius & rectè interpretandam, & ritè exſequendam impertiat. Meaco. 11. Calend. Martias. MDLXV.

EIVSDEM AD SOCIOS.

EX ijs litteris, quas ad vos dedi menſe Februario, multa de Iaponicis ritibus atque ſuperſtitionibus cognouiſſe vos arbitror: alia nunc de rebus præcipuè Meacenſibus addam hac epiſtola, quam puto vobis fore non iniucundam. Ego, vt ſcripſi ad vos antea, Meacum attigi magna Chriſtianorum lætitia pridie Calendas Februarias: incidit meus aduentus in ipſum noui anni initium, quod hac hyeme Iapo- F
nij à Calendis Februarijs auſpicati ſunt; varius enim eſt in his regionibus anni curſus; longè alia atque apud nos ratio temporum, atque deſcriptio. Vetus eſt autem gentis mos, vt anno ineunte, ab die nono Lunæ aduſque vigeſimum, regni proceres, & Bõziorum principes ad Regem quiſque ſuum ſalutandum non ſine donis accedant. Ea ſunt ferè magnus chartæ numerus, aurea flabella, arma affabrè facta, & alia eiuſmodi. atque hæc conſuetudo, iam inde ab antiquis ducta temporibus, cùm in alijs omnibus regnis, tum verò in hoc Meacenſi tanto diligentius retinetur, quanto Cubus, honore atque amplitudine cæteris omnibus Iaponis Regibus antecellit: atque idem honos vxori quoque ipſius, matrique tribuitur. Hos autem ſalutatores Cubus longo cubiculorum ordine admittit illo quidem in penetralia, operis eximij periſtromatis aureis adornata; ſed ad eorum verba ſalutationesque (ea loci & perſonæ maieſtas eſt) nihil omninò reſpondet: inſignibus tantùm Bonzijs quibuſdam id habet honoris, vt flabellum quod tenet manibus, paululum inclinet; atque in hunc modum primę nobilitatis viri inducuntur: nam inferiorum ordinum hominibus, quamquã locupletiſſimis, & longè pretioſiſſima dona ferentibus, nullo pacto ad eum aditus eſt. Et quoniam ad viam Euangelio muniendam, & exiſtimationem apud rudem ignarumque veræ virtutis & gloriæ populum colligendam pertinere magnopere viſum eſt, vt Euangelij præcones nequaquam excluſos inde fuiſſe conſtaret; dedit operam Gaſpar, vt illum ipſe quoque per idem anni tempus inuiſeret. ac ſuperioribus quidem annis aulici cuiuſdam beneficio potentis viri, ad Chriſtianam religionem propenſi, aliquoties introductus eſt:

nunc

A nunc verò mihi quoque eiuſdem opera patuit aditus. Cubum ergo primùm, deinde vxorem, poſtremò ſeparatis in ædibus matrẽ inuiſimus, honeſto comitatu ad regiam vſque deducti: & cùm benignè accepti ſumus ab omnibus: tum verò à matre humaniſſimè, quippe quæ non modò potionem nobis miſceri iuſſit à famulis, verùm etiam Zacanam (ſalſamenti genus id eſt oliuarum inſtar) de more paxillis inſertam; ſuis ipſa manibus honoris cauſſa porrexit. Eam inuenimus in cœtu nobilium fœminarum ſedentem ante ſacellum ornatiſſimũ, in quo erat Amidæ puerilis effigies egregiè picta cum diademate, aureis è capite radijs emicantibus. mirum ibi ſilentium, mira modeſtia, mira denique domeſtica diſciplina: vehemẽter dolendum vt ſit, tantam indolem tantis diaboli fraudibus opprimi; oranduſque ſit etiam atque etiam Dominus, vt haſce tenebras, Euangelij ſplendore pro ſua infinita bonitate diſijciat.

Vt eo functi ſumus officio, poſtridie Gaſpar ad neophytos reuiſendos abijt Imorim; ego Meacenſibus prædicare Euangelium inſtiti, cùm alijs, tum verò quibuſdam è Cubi familia viris illuſtribus, qui ad nos ventitare cæperunt: ex ijs tres audito iam aliquoties verbo Domini, Baptiſmum à nobis vehementer efflagitant; ſed idcirco differtur, vt interea melius Chriſtiana rudimenta atque inſtituta percipiant. Auditores habemus mirum in modum curioſos; nullum quærẽdi finem faciunt, præſertim qui ſunt è Ienxuana familia, quæ omni ſublato numinis metu, corporis voluptates pecudũ more perſequitur. ij nihil in animum inducunt credere, niſi quod cernunt oculis, manibuſque contrectant: quamobrem expugnãtur difficillimè, nec niſi euidentibus planè demõſtrationibus cedũt. Obijciunt autem nobis inter alia; ſi quidem eſt Deus, vt dici-
B mus, idemq; adeo bonus eſt; cur ad hoc vſque tempus celauit bonitatem ſuam, eamque tam ſerò Iaponijs declarauit? reſpõdetur autem ad hæc omnia ſic, vt contradicere nequeant: ſed tantæ, tam denſæ illis tenebræ ſunt, vt inſolitam Euãgelij lucem vix pauci admittant: qui tamen eo ſunt ingenio atque indole prædi ti, vt vbi verbum Dei quaſi terra ſemen acceperint, quò tardius acceptum, eò diligentius amplectantur ac foueãt. In vniuerſum autem, Iaponiorum ingenia ad Chriſtianam religionẽ in primis idonea ſunt, præſtantque non ſolùm in cognoſcenda veritate ſeduli tatem ac ſtudium, ſed etiam in retinenda fidem atque conſtantiam. tres quidem ij quos modò diximus, aulici, tanta in eo genere diligentia ſunt, non modò vt Chriſtianæ doctrinæ præceptiones ac formulas ſuo deſcriptas chirographo deinceps memoriæ mandẽt, idque celerrimè; ſed etiam quæ ex concionibus noſtris audiere, domum regreſſi in commentarios referant, præſertim quæ de mundi creatione, de immortalitate varijsq; viribus ac facultatibus animæ differuntur. Eos deinde cõmentarios offerunt Socio noſtro Damiano recognoſcendos idẽtidem. Et cùm eiuſmodi gentis natura, tum illud quoq; vel maximè Chriſtianam cauſſam adiuuat, quòd multæ ſunt ſuperſtitionum ſectæ, nõ ſolùm diuerſæ ac variæ, ſed etiam inter ſe pugnantes: quò facilius eſt, diabolica mẽdacia fraudeſq; conuincere. Circa Meacũ in patentibus campis plurima ſunt idolorũ phana, è quibus adij Chriſtianorum ductu nonnulla: in ijs quoddam eſt Amidæ ſacrum ab vrbe quattuor
C ferè paſſuum millibus, à priſcis Imperatoribus cõditum ac ſubinde renouatum, longitudine vlnarum centũ circiter & quadraginta. ingentes habet valuas in medio. ingredientibus obijcit ſeſe ſuggeſtus, in quo Brachmanis habitu, perforatis auribus, mentoque & capite raſo ingens Amidæ ſtatua conſidet. ſupra ſtatuam quaſi pro vmbraculo pendent excepta catenis multa magnaq; tintinnabula: circa, ludentium ſpecie triginta cernuntur milites ſtrictis telis armati, ſaltantes Aethiopes, anus venefica, dæmonesq; teterrimi: effingitur etiam certa quadam imagine vẽtus, horrificoq; aſpectu tonitrua: ad hæc ſepteni gradus ad templi totius longitudinem porriguntur: in ijs ordine certo diſpoſitæ vnius Canonis Amidæ filij imagines omnino mille, hinc inde quingenæ, eadem omnes forma, ore venuſto, egregiè factæ, tricena brachia totidemq; manus oſtentant: è quibus duo tantùm ad reliqui corporis magnitudinem apta proportio ne conueniunt, cætera parua ſunt, duo etiam lumbos præcingunt. Singulæ porrò ſtatuæ bina tenent iacula, pectus inſignitę ſeptenis hominũ vulticulis, corona capiti impoſita cum diademate radiante. Sunt autem cuncta eius templi nõ modò ſimulacra, ſed etiam quę diximus tintinnabula, & ipſæ catenæ magna obryzi auri copia ſcitè admodum ab imo ad ſummum vſque verticem intecta ſic, vt fulgorem intuentes oculi ferre vix poſſint: locus eſt celeberrimus, multiq; eò longinquis è regionibus religionis cauſſa confluũt.

Inde paſſuum interuallo duũm circiter millium, collis attollitur, ad cuius radices

veterem quãdam academiam multis distinctam cœnobijs tenui fluens aqua riuus cir- D
cuit amœnissimus: multa ibi delubra, quorum in aliquibus magno cultu adoratur sta-
tua cacodæmonis, facie magis etiã quàm apud nos pingitur, fœda & horribili. in sum-
mo autem colle ingentia tria lignea templa, ligneis item columnis mira crasitudine
suspenduntur, infimo pauimento strato laterculis læuigatis. In eorum vno colossæum
immanis magnitudinis Xacæ signum, singulas habet ad dextram læuamq; statuas pau-
lo minores: à tergo autem quoddam quasi folium exsurgit, ex quo sigillorum vnius
palmi duo circiter millia prominent, infantesque præterea bimi ferè quadraginta. de-
nique latus vtrumque templi, sparis armati dæmones bini custodiunt: hæc autem au-
rata sunt omnia. Alterum est templum probandis, & laurea donandis veteri academia-
rum more scholasticis destinatum. In eo pulpitum, vexillis compluribus è superiori
parte pendentibus, eminet ligneum, in quod scalis tribus ascenditur. est ibi mensa cum
cathedra parata magistro, qui actibus eiusmodi præsidet, itemq; ad imum suggestum
altera in vsum discipuli, qui eo iudicio probandus, insignibusque doctrinæ publicè
decorandus est. templum autem ipsum lacertæ, seu stellioni dicatum est, quem vulgò
Deum & præsidem litterarum & eruditionis existimant: huic nulla neque ara, nec sta-
tua, vt cæteris Dijs erigitur. in summo tantùm laqueari, multiplicem conuolutus in
spiram ingenti orbiculari depingitur forma, vt scholastici dum eum supplices vene-
rantur, oculos mentemque simul ad superna cogantur attollere. Tertium phanum al- E
titudine duo proxima superans, clausum offendimus. è regione sunt ædes peramplæ,
cælatura magnifica; scholasticorum id domicilium est. multa erant præterea ibidem
visenda, sed imminente iam nocte reuertimus.

Hæc habui quæ ad vos in præsentia scriberem. ea si minus læta videbuntur, quòd
parum videlicet ad rei Christianæ amplificationem attineant; eò diligentius orandus
erit vobis Dominus, vt de Ecclesiarum incrementis, & rei Christianæ progressibus
multa nobis in posterum ad vos, maiore cum animi nostri vestrique fructu, spiritali-
que solatio scribere liceat. Quamquam post nostrum ab vrbe Firando discessum non
pessimè posita est opera: Deo quippe adiuuante Iaponij sexaginta ad Christianorum
numerum adiuncti sunt. Quod reliquum est, nos omnes pro sua clementia Dominus
perpetuò tueatur, ac protegat. Meaco, pridie nonas Martias. MDLXV.

EIVSDEM AD SOCIOS.

QVOD vos velle maximè intelligo, id hisce litteris agam,
vt Ecclesiastica primùm, tum cætera persequar. Quadra-
gesimæ diebus Dominicis omnibus Gaspar Vilela Euan- F
gelium declarauit. quarta quaque feria Damianus noster
de Pœnitentiæ Sacramento copiosè disseruit. sexta, sacro
missæ peracto, non destitit Iaponius puer ex ijs quos e-
ducamus, de Passione Domini verba facere: quam in sen-
tentiam, conuenientibus nocte neophytis, Vilela denuò
disputabat, ijs præcipuè locis insistens, quibus auditores
ad pietatem excitari maximè possent. Dominica in Palmis
(quoad eius fieri potuit in tanta ædium angustia) Catholico more cæremonijsque
transacta est. inde ex oppidis finitimis atque etiam remotioribus neophyti ad indul-
gentias (quas à summo Pontifice datas Catholico ritu proponimus) Paschatisque so-
lennia frequentes venire cæperunt. in ijs quidam cum vxoribus liberisque nobiles vi-
ri, quamquam lecticis aut equis vsi, tamen assidua pluuia valde vexati, pietatis laudem
cumulauere patientiæ meritis. Vilela ducentorum ferè & quinquaginta confessioni-
bus auditis, quinta feria in cœna Domini mandatum Euangelicum de mutua dilecti-
one publicè docuit. postea cùm de Eucharistia suauissimè peroraſſet, cœlestem panem
Christianis circiter sexaginta distribuit: qui cùm ex intimo sensu, & gaudio spiritali,
copiam funderent lacrymarum, sanè quàm ingenti nos affecere solatio. in sacello inti-
mo Ludouicus Almeida sepulcrum erexerat ornatissimum. in eo Corpus Domini
conditum est, armatique custodes adhibiti. Vespere, solẽnibus officijs persolutis, puer
Iaponius in exponenda Passionis Domini serie collecta è quattuor Euãgelistarum hi-
storijs, horas duas fermè consumpsit. quæ deinde explicatione potissimum indigere
sunt

A ſunt viſa, in ijs Vilela ex inſtituto declarandis immoratus eſt, ſuadens auditoribus pœnitentiam; ſed calcar videlicet currentibus: nam cùm ſæpe aliàs, tum eo maximè anni tempore voluntarias ab ſeſe pœnas, eaſq́ adeo acerbas exigere ſoliti ſunt, ſummopere gratulandum vt ſit, in vltimis hiſce terrarum finibus, inter tot idolorum cultores, in ipſo denique (vt ita dicam) regno diaboli, ſacratiſsimæ Crucis trophæa, ſalutaremq́; humano generi mortem CHRISTI Domini, tam incitatis hominum ſtudijs, tanta religione, tam grata memoria celebrari. Maioris hebdomadæ luctum atq; triſtitiam, ingens gaudium Dominicæ Reſurrectionis excepit. à media nocte, domus Chriſtianis completa eſt, liturgiam & ſupplicationem matutinam exſpectãtibus. ea peracta, ſimul etiam Chriſtianis aliquot Euchariſtiæ Sacramento refectis, concio habita eſt de Reſurrectione Domini Paſchalibuſq́ue myſterijs. inde conuiuio excepti ſunt, quod Natali die & Paſchate Domini ſolenne Gaſpar inſtituit eo cõſilio, vt quàm arctiſsimis Chriſtianorum animi caritatis ac beneuolentiæ vinculis inter ſe iungãtur. ſimul etiam per eam occaſionem colloquia de rebus cœleſtibus habita, ductaq́ue præ dulcedine ad veſperam. quædam præterea è diuinis laudibus decantata. quo ſtrepitu exaudito gentiles, præſertim quòd nonnihil de apparatu ædiculæ noſtræ cognouerant, inſtare vehementer vt fores aperirentur: obſiſti non potuit: introiere permulti, pleręque verò mulieres diuino quodam inſtinctu nixę ante aram genibus, manibuſq́ue ſublatis, effigiem CHRISTI Domini ſupplices adorarunt. Poſthæc neophyti, qui ex oppidis vicinis ad
B feſta conuenerant, Gaſpare officioſiſsimè ſalutato digreſsi ſunt. nunc autem id Gaſpar agebat, vt ſibi diuerſorium conduceret prope regiã in ſuperiore vrbis parte, quod toto iam ferè triennio fruſtra conatus eſt; vt ibi quoque poſſet Euangelizare cõmodius. Verùm ſatis iam de rebus Eccleſiaſticis: ad alia veniamus. Ante diſceſſum Almeidæ, cùm tempus eius reuerſionis adeſſet, perducti ſumus vterque ad inſignia quædam vrbis ędificia ac templa, quorũ tanta eſt religionis ac magnificẽtiæ fama, vt ad ea viſenda ex alijs omnibus regnis peregrini Meacum fere aſsiduè confluant. Ex ijs nonnulla perſtringam: infinitum eſt enim ſingula perſequi. Aedes igitur quaſdam Cubi primùm adiuimus eximio quodam artificio atque elegantia exſtructas oblectationis & animi cauſſa. nihil ego nec in Europa, nec in tota India tale conſpexi. ijs horti ſubiecti ſunt cùm alijs arboribus ignotis in orbe noſtro, tum cedro, cupreſſo, pinu, malis medicis conſiti: quæ omnes arbores, varias in figuras artifici manu coactæ, cameras, tintinnabula, turres, aliaq́ue id genus plurima referunt. iam lilij, cyani, roſæ, florumq́ue tanta eſt copia, tanta colorum odorumq́; varietas, non ſolùm vt aduenas ac peregrinos, verùm etiam domeſticos ipſos atq; cultores cum voluptate atq; admiratione retineant. neq; horti modò, ſed vrbs ipſa quoq; pulcherrima. viæ latæ ac directæ, foribus arcium inſtar (quę res furta & latrocinia maximè prohibet) occluduntur. in ijs variarum mercium inſtitores, opifices, ac ſellularij, cùm alia in vſus deliciaſq́; mortalium, tum præ-
C ſertim aurea flabella conficiunt, ſericamq́; cuiuslibet operis textrinam exercẽt. in medio celeberrimum Amidę phanum cùm omnibus horis diei, tum verò ſub noctẽ clauſis iam tabernis frequentiſsimè viſitur, iactantur à populo nummi cum precibus, & ſimulacrum adoratur. nos eò ex hortis Cubi via lõga lataq́; perducti, inde ſumptuoſiſsimas præfecti Meacenſis nuper inſtauratas ædes adiuimus: quibus item horti coniũcti, non modò arborum multitudine artificioſisq́; figuris delectant oculos, verùm etiam aquæ limpidiſsimæ copia, quæ à nouẽ circiter paſſuũ millibus exciſa rupe, regali ſumptu perducta, lacum in hortis medijs efficit, in quo cõplures variæ magnitudinis inſulæ, ligneis lapideisq́ue peruiæ pontibus, vſquequaq; lætiſsimis arboribus opacantur. Inde quanquã feſſos iam, ac reditũ cogitantes, neophyti nos longius pertraxẽre. multa igitur prætereuntes phana, ingentem ingredimur lucum, in quo Bonziorum cœnobia quinquaginta miræ amplitudinis, à regum & principũ liberis qui ſacris addicti ſunt, magnificè & ſumptuosè incoluntur: facitq́; ipſa vicinitas, vt eorum præfecti ſe inuicẽ elegantia munditijsq́; ſuperare contendant. Ex ijs aliquot inſpeximus obiter. Cuiuſdã eſt ianua lignea egregio quodã artificio, longeq́; alia atq; apud Europæos forma. hæc nos in xyſtum induxit ſtratum quadrato lapide nigro, parietibus vtrinq; excurrentibus opere tectorio læuoris atq; candoris eximij. Xyſto nouum quoddã genus hortorũ prætenditur; in quibus manu facti colles è ſaxis ad eam rem è longinquo petitis, frutetis conſiti, pontibusq́; coniuncti cernuntur. Solum partim arena craſſiore admodũ candida, partim etiã atris lapillis obducitur, è quibus paſsim elati maioris formæ lapides,

ex imo

ex imo leucoia, violas, ac flores emittunt adeo artificiosè commistos atque dispositos, D
vt cùm in orbem singulis anni temporibus floreant, ver ibi perpetuum esse videatur.
Multa prætereo, tum ne longior sim, tum quod ea verbis assequi me posse diffido; sed
illud nõ omittam, quod in reditu vidimus. In medio phano quodam, machina lignea
sculptilis varijsq; picta coloribus, multis forulis collocatos continet libros ab vno Xa-
ca conscriptos. eademque, vt est versatilis, quem quisque voluerit librum offert pro-
tinus. & quidem tanta est voluminum copia; vt incredibile sit, vel vna ætate à multis
auctoribus, vel multis ætatibus ab vno auctore confici potuisse. eorum autem vsus est
maximus non in Iapone modò, sed etiam in Sionis regionibus, vnde omnis Iaponica
fabulositas & superstitiones primùm exstitisse, atq; inde paulatim oram Sinarum, Pe-
gusiam, Bengalanam, totumque eum tractum in Bisnagam vsq; peruagatæ dicuntur.
Aliud etiam phanum in reditu vidimus inferorũ regi dicatum, cuius præcelsum hor-
rifico truciqúe adspectu simulacrũ regio sceptro insignitum, duobus hinc inde ingen-
tis item staturæ dæmonibus cingitur, quorum alter calamo describit hominũ noxas,
alter descriptas in tabula recitat. parietes picti, varias inferorũ ostentãt pœnas, quibus
plurimi sexus vtriusq; mortales dæmonum ministerio cruciantur. Celebratur autem
ædes hęc, augeturq; pecunijs fere assiduè: nunquam enim desunt, qui ad regis effigiem
timore perfusi, ea ab sese tormenta atque supplicia deprecentur. Atque hæc illo die.
Postero autem, Christiani cuiusdam principis inuitatu ad audiendas Bonziorum con E
ciones in suburbana cœnobia (sunt autem exitus ex vrbe spatiandi caussa gratissimi)
venimus. egressi, turbam virorum æquè ac fœminarum cum suo quemq; rosario sup-
plicantes adspicimus. percontati à neophytis, quidnã id esset, dimissam tũ concionem
esse respondent. interrogati de numero, aiunt homines earum rerum periti, capitum
esse quinque circiter millia. addunt insuper, in eo templo quotannis centum diebus
continuis ab vno eodemque Bonzio conciones haberi, multis magnisq; indulgentijs
auditori perseueranti propositis. Optatum erat nobis omnino aliquem ex ijs concio-
natoribus audire, cognoscendi maximè studio, saluaque religione & officio transfe-
rendi ad vsum nostrum, quæ ad conciliandos permouendosque Iaponiorum animos
pertinere viderẽtur. & quoniam allatum est, rem adhuc integram esse in alio quodam
cœnobio, pergere porrò illuc vsque decreuimus. eò tendentibus igitur nobis primò
Guiuani phanũ occurrit, quod ingenti frequentia, superstitione, anniuersarijs mimo-
rum ludis varijsque spectaculis magnopere celebratur & colitur. Inde exeuntes, viam
ingredimur pinis vtrinque iucunda admodum specie consitam: simul adspicimus po-
puli concursum, ad concionẽ citato gressu tendẽtis. nos vt ad locum peruenimus, mo-
niti à Christianis periculũ esse, ne Bonzij si nos adesse sentirent, concionari desisterent,
occulto loco ad initium vsque concionis nõ sine magna quidem vel admiratione, vel F
pudore substitimus è conscientia teporis ac negligẽtiæ nostræ concepto, cùm interim
vnius horæ spatio auditores illi omnes ad parui pulsum tintinnabuli nixi genibus, in-
credibili quadam significatione pietatis, rosaria manusque tollentes in cœlum, in ora-
tione persisterent, vociferantes assiduè: Namu Amida Ambut. Hoc est: Da salutem A-
mida: quod ipsum nomen etiam domi foriſque, seu emant aliquid, seu vendãt, modu-
lata quadam pronuntiatione gestientes ac libentissimè sepius inuocãt. quin etiam pau-
peres ipsi inter emendicandum, ijs à quibus eleemosynam petunt, propitium precan-
tur Amidã. Bonzij verò ac legisperiti verba illa plebi inculcare nõ desinunt: Ichinem,
Amidabut, Sucumet, Murioo, Zai: id est, quisquis Amidæ sanctum nomen ex animo
inuocauerit, proculdubio saluus erit. Imperato deinde maiore campana silentio, vt
concionator suggestum ascendit, tum nos quoque sensim irrepsimus. phanum erat ad
fores vsq; ac porticus refertũ viris ac fœminis. in ipsis autem aræ gradibus multi Bon-
zij considebant manibus intra togam abditis, oculisque demissis. Porrò concionator
claro, vt aiebant, genere, decora quidẽ in primis facie, aspectuq; gratissimo, in excelsa
vnde ab omnibus conspici posset sedens cathedra, sericis ad talos vsque perquàm splen
didè vestimentis indutus, interiore candido, exteriore purpureo, flabellum tenens au-
reum; ex libro quem habebat in mensa propositum, quædam instituit subinde recitare,
tum fusius explicare, tanta non solùm actionis venustate, sed etiam (vt Gaspar Vilela
affirmabat eius linguæ bene peritus, & cæteri qui nobiscum aderant) orationis elegan-
tia atque artificio, vt mirum videri non debeat, eiusmodi homines tanto in honore ac
veneratione esse apud veritatis ignaros. Mihi quidem hæc apud animum meum repu-

tanti,

A tanti, venit in mentem, non ſine Sancti Spiritus vehementi quodam inſtinctu Franciſcum olim Xauerium tam acri ſtudio tam longinquam hanc peregrinationem expetijſſe Iaponicam. profectò enim hæ gentes, naturæ bonitate, ingenijſque præſtantia multis Europæ noſtræ (quod earum pace dictum ſit) nationibus antecellunt. Quòd ſi minus magnificè de Iaponijs vel ſentiunt negotiatores Luſitani, vel prædicant; id nimirum idcirco fit, quòd nō niſi cum populis maritimis negotia contrahunt, qui ab interioribus tantum abſunt vitæ cultu, morumque elegantia, vt præ ijs ruſtici videri propemodum poſſint. Itaque per contemptum ſylueſtres etiam vulgò à Meacenſibus appellantur, cùm tamen alioquin ab humanitate ipſi quoque maris accolæ nequaquam abhorreant. Sed iam finis epiſtolæ ſit. plura propediem: atque vtinam cuiuſmodi omnes optamus. Meaco v. Calend. April. MDLXV.

EIVSDEM AD SOCIOS.

DE ſtatu rerum Meacenſium, & religionis Chriſtianæ proceſsibus ad Paſchatis vſque peracta ſolennia, ſuperioribus litteris ad vos fusè perſcripſi. attexam nunc fratres cariſsimi reliqua, è quibus facilè iudicare poſſitis, quàm aſſiduis veſtrū omniū ſacrificijs pijsq; deprecationibus egeamus.

B Poſtquam à Paſchali conuentu neophyti in ſuas domos & vicina caſtella digreſſi ſunt, nos Meacēſibus Euāgelium prædicare perreximus. auditores minimè deerant. multi etiā diabolicis fraudibus, & Iaponicæ ſuperſtitionis prauitate conuicta, ſic immutabātur afflati diuinitus, vt conſtantiſſimè crederēt, in vno CHRISTO Domino ac Redemptore noſtro omne ſalutis humanæ perfugium eſſe repoſitum. Vētitabat etiam ad nos cum alijs principibus ciuitatis, quidā Regis Mini cognatus, vir ſanè perſpicax: is cùm à nobis multa ſubinde perquireret, litteriſque reſponſa mandaret commentandi cauſſa; tantus illi paulatim veritatis illuxerat ſplendor, non modò vt ipſe in voluntatem Chriſtianę ſuſcipiendæ religionis vehementer incumberet, ſed etiam ſpem nobis adferret fore, vt Mini regnum vniuerſum ipſius opera atque auctoritate ſacroſanctum acciperet Euangelij lumē. Ad hæc, Iobeleum à ſummo Pontifice datum, ad felicē euentum Tridentini Concilij precibus ac ieiunijs impetrandum, in hac vrbe propoſitū eſt octauo ante Pentecoſten die. cuius rei nuntio in pagos & caſtella perlato, magno ſtudio ac pietate ſeſe comparauēre neophyti ad tam inſigne CHRISTI Domini beneficium: & quanquam per eos dies Gaſpar in febrim incidit, & ego non optima ſum vſus valetudine, tamen concurſu ad nos Chriſtianorum facto, Dominica Pentecoſte, imbecillitatem noſtrā Domino fulciente, per occaſionē tam āmplæ conſequendæ indulgentiæ, multos & verbo Dei, & ſacra-

C tiſſimo CHRISTI corpore pauimus, quod illi nimirum, vt ſolent, vberrimo fletu crebriſque ſuſpirijs percepere. is erat Chriſtianæ rei curſus, vt in tantis gentium tenebris, tantaq; aduerſariorum potentia, ſat ſecundus: iamq; parabat Vilela totam hanc Meacēſem obire prouinciam, & prout ſe obtuliſſet occaſio, per ethnicorum pagos & oppida circumferre Euangelium; cùm cæptis interuenit atrociſſimum, & poſt hominū memoriam inauditum facinus, quòd non modò conatus noſtros omninò impediret, ſed etiam nos ipſos in extremum vitæ diſcrimen adduceret. Nam Regulus Imoṙēſium (de quo ſcripſi ad vos antea) Mioxindonus, deuictis à ſe gentibus quibuſdam potentia atq; opibus auctus, ipſum quoq; Cubum, vt in pace otioq; ſecurum, & imparatum à rebus omnibus, certè nihil eiuſmodi metuentē, imperio quòd magna cum æquitate regebat, per ſummum ſcelus atq; perfidiam deturbare, ac tyrānidem occupare conſtituit: neq; apud inflammatū dominandi libidine animū, vel Cubi virtus & probitas, vel plurima eaq; maxima ab eodē in ſe profecta beneficia valuēre. Igitur aſſumptis latrocinij ſocijs duobus, Narenſium tyranno Daiondono, & alio quodā dynaſta; cum delectis armatorum duodecim millibus repente Meacū iter intendit eo certiore ſpe rei perficiendæ, q & ipſe Cubi nomine vniuerſæ rei bellicæ præerat, & plurimos habebat in vrbe Meaco ſatellites & clientes. copijs ergo prope vrbē iuſſis opportuno loco ſubſiſtere, ipſe cū fidelium manu ſpecie officij Meacum introit, nimirum vt quibuſdā recentibus honoris inſignibus à Cubo decoratus, ei gratias agat. atq; vt quòd volebat quàm maximè ſine tumultu tranſigeret, ad alia verborū officia illud etiam addit, vt Cubū in ſuburbanum

quod-

quoddam Bonziorum cœnobium blandis precibus ad cœnam inuitet. namque ibi cir- D
cumuentum adoriri placuerat. Sed cùm res parum procederet, quòd Cubus de confi-
dente prope Meacum exercitu factus denique certior, & ſuſpicatus id quod erat; non
modò ſe Mioxindono minimè crederet, ſed etiam fugam pararet (ex qua deinde im-
prudenti comitum ſuorũ conſilio reuocatus eſt) Mioxindonus apertè ratus agendum,
copias omnes ad regiam propius admouet: ac ne inexpiabili in ſuum Imperatorem ac
Regem odio accenſus eſſe videretur, dum inops conſilij Cubus cum familiaribus tre-
pidat, præmittit ad Regiam qui palam denuntiet, ſe Cubi ipſius caput minimè petere,
certis tantùm eius cognatis amiciſq́; grauiter infenſum, eorũ potentiam vltra ferre nõ
poſſe: itaq; tum demum rem conuenturam, ſeq́; inde cum pace abiturum, ſi complures
proceres, quos nominatim in ſchedula deſcripſerat, quamprimum interfici iubeat. ad
hæc tam inſignis impudentię poſtulata, ira percitus is qui ad ea cognoſcẽda Cubi iuſſu
prodierat, grandis natu aulicus ille ipſe qui nos ad Cubum introducere conſueuerat,
abiecta quam legerat ſchedula, verbiſq́; grauiſſimis in parricidas inuectus, ad extremũ
addit, rebus iam deſperatis quoniam quidem alia ratione non poſsit, certè voluntaria
morte ſeſe officio fideiq́; ſuæ ſatis eſſe facturum. His dictis regreſſus in regiam, coram
ipſo Cubo ſtrictum pugionem gentis more ſibi condit in viſcera, & moribundus oc-
cumbit. eodem ipſo leto quattuor alij, cùm præ timore occluſis ianuis nõ admitteren-
tur, mox in ipſo regiæ perière veſtibulo. Senis verò demortui filius, vt patrem conſpe- E
xit exanimem, præceps dolore atque iracundia fertur in coniuratos infeſtus, pugnanſ-
q́ue perimitur: tum illi pluribus locis palatio flammas inijciunt, quòd Cubus vbi ſen-
ſit; certus prælio potius quàm incendio mortẽ oppetere, ex honeſtiſſimæ grauiſimæ-
q́ue fœminæ matris amplexu ſe proripit, vaditq́ue cum ſuis armatus in confertam ho-
ſtium aciem: ibi quàm acerrimè dimicans, vẽtrem haſtili, caput ſagitta confixus, duo-
bus præterea vulneribus acceptis in facie, concidit: ſuper eum præliantes egregiè cen-
tum circiter aulici primæ nobilitatis viri ſternuntur: quorum cùm animi magnitudo
ac fidelitas omnium, tum præſertim adoleſcentuli cuiuſdam quartumdecimum annum
agentis enituit: qui cùm in certamine hoſtes pæne obſtupefeciſſet audaciæ miraculo,
cumq́ue viuum ſublato vndiq; clamore conarentur excipere; ille Cubum defunctum
intuitus, ſibiq́ue turpiſſimum ratus Regi ſuo Dominoq́; ſuperſtitem eſſe; gladio con-
feſtim abiecto ſicam arripuit, abſciſſoq́ue ſibimet gutture eandem ſicam adegit in vi-
ſcera. Inter hæc hoſtes, qua per incendia patuit aditus, in regiã frequentes irrumpunt;
fratrem Cubi Bonzium vnà cum matre, nequaquam vel huius ſenectutem vel illius
adoleſcentiam miſerati, acerbiſsimè contrucidant: regia gaza diripitur: cuncta ferro
flammaq́ue miſcentur: honorariæ puellæ ac pediſſequæ regulorum fere ac principum
filiæ & clariſſimis ortæ familijs, omnia miſerabiliter eiulatu gemitibuſq́ue complẽtes,
inter obſeſſos armatis exitus conantur ſibi fuga conſulere: quarum aliquæ veſtimentis F
etiam in illa ipſa immanitate petulanter atq; procaciter à militibus exuuntur: aliæ ve-
rò ad viginti, dum ancipiti metu diſtractæ, hinc micantes horrent gladios, inde ſæui-
enti perterrentur incendio; in conclaue quoddam abditæ quo nondum flammæ per-
uaſerãt, igne deinde graſſante opinione celerius, ibidem oppreſſæ atque ad vnam om-
nes abſumptæ ſunt. porrò Cubi ipſius filiæ duæ ad pedes hoſtium proſtratæ ſuppliciter,
Chriſtiani cuiuſdam beneficio, in ædes propinquas amicorum, incolumes euaſere.
at mater ipſarum regina, inter ancillarum greges tum quidem elapſa feliciter, in quod
dam ſeſe cœnobiũ recepit, paſſibus mille circiter & quingentis ab vrbe diſiunctum; ſed
paulo poſt à conquiſitoribus deprehẽſa, vbi ſeſe Daiondoni & Mioxindoni iuſſu mor-
ti deſtinatam eſſe cognouit; chartam atque atramentum popoſcit, ſcripſitq́; ſua manu
multis verbis ad filiam vtramque litteras, quarum erat clauſula, viro ſuo per ſummam
iniuriam à rebellibus interempto, ſe quoq; nullo ſuo merito ad necem rapi: verumta-
men æquiſſimo animo ſeſe mortem obire, nec dubitare quin hoc totum pro ſua infini-
ta clemẽtia de ſe ſtatuiſſet Amida, quò citius ad paradiſi gaudia peruenire, ibiq́ue Cu-
bo ſuo in perpetuum perfrui ſibi liceret. Deinde obſignata epiſtola, cùm Bonzijs apud
quos delituerat gratias egiſſet, ad arã Amidæ perrexit: ibi manibus ſublatis in cœlum,
obtinendæ indulgentiæ cauſſa Amidã bis inuocat nominatim, & ſimul cœnobiarcha
ad abſolutionis indicium manus capiti ſupplicantis imponit. inde regreſſa in cubicu-
lum, elatis manibus Amidã rurſus appellans, à militibus iugulata eſt. Iam verò qui Cu-
bo in extremo certamine affuerãt, eorum ædes direptæ, ſuburbana ædificia ſolo æqua-
ta, cor-

A ta, corpora simul cum ipso palatio concremata sunt. Cubi tantùm cadauer, hostium permissu, à Bonzijs ad rogum ac sepulturam elatum est in cœnobium, quod ille ad eã ipsam rem ingenti sumptu construxerat. primarius autem quidam è Cubi familiaribus peregre proficiscens, cùm rem gestam in itinere cognouisset, Meacum redijt illicò: atque vbi regiam deletam, & omnia versa vidit in cineres; sepulturæ locum rectà petijt, atibique dissecto sibimet ventre super Cubi tumulum corruit. Sorores Cubi duæ sunt Bonziæ; quas, quamuis inclusas cœnobio, nihilo minus aiunt peti conuitijs atque ludibrijs hostium: atque ob idipsum à sodalibus perpetuò custodiri, vigilijs distributis, ne sibimet necem ex desperatione consciscant. Nos interea ciuitate ad acerbum adeo spectaculum ingenti pauore perculsa, cùm domum nostram neophyti confugissent, ad preces ac Litanias conuersi videlicet, mortem exspectabamus in singula pænè momenta. nec sanè, quod Bonziorum in nos odium est, quæque eorundem apud Mioxindonum atque Daiondonum gratia & auctoritas, multum ab extremo periculo abfuimus. sed cùm ad nos clam venisset pro amicitia scriba Mioxindoni, pectus feriens, & impietatem Domini sui grauissimè detestans increpansque; multis deinceps nuntijs atque interpretibus vltrò citroque missis, magno vix tãdem labore impetratum est, sacra iam veste cęteroque instrumento in pacata loca præmisso, vt exsula
B tum nobis abire liceret. Itaque Gaspar Imorim ad Christianos profectus est, ego paruam, sum relegatus in insulam nomine Çangam. Atque vt intelligatis, nisi hæc tã atrox repente procella exstitisset, quàm lætos Domini vinea fructus ostenderet, quo die discessimus (is fuit sanctæ Mariæ Magdalenæ sacer) eo ipso die, quamquam in magna trepidatione ac tumultu, Bonzius vnus, laici duo è Mioxindoni familia Baptismi Sacramento renati sunt. Quod superest patres fratresque carissimi, vobis orandus est etiã atque etiam Deus, vt afflictas res pro sua bonitate sapientiaque restituat: ne stultis ratiocinatoribus, & occulta iudicia Domini parum æqua lance pensantibus, plus diabolus ad euersionem Ecclesiæ Meacensis, quàm Christus ad eiusdem tutelam defensionemque valuisse videatur. Ex Iaponis insula Canga. mense Augusto. MDLXV.

ORGANTINI BRIXIENsis ad Socios Romam.

C NON eram nescius (fratres mihi carissimi) quàm grata vestris auribus accidere soleant ea, quæ de nostrorum hominum laboribus atq; periculis ex India perferuntur ad vos. Quocirca prætermittere nolui, quin ex ijs quæ hoc anno præcipuè contigerunt, nonnulla perscriberem, præsertim verò felicem Francisci Lupij obitum, qui vnà cum fratribus nostris duobus, ante vnum mensem, pro constanti Catholicæ fidei confessione à Mahometanis interfectus est: vt simul intelligatis & quantopere diuino subsidio vestrisque deprecationibus egeamus; & quæ maximè requirantur in eo, qui Indicam hanc expeditionem atque prouinciam expetat.

Illud igitur primum: Patres duos, Ramirum & Alcaram è vita migrasse (quos ignota quapiam in regione viuere putabamus) hoc anno denique pro certo cognouimus. Ij ante biennium Iaponis regna petituri, onerariam quandam in vrbe Cocino conscenderant, sanè inuiti, vel quod nauicularius vir potens, nimia lucri cupiditate, mercatores in suam vnius nauem merces imponere per vim & iniuriam cogeret: vel quod ob idipsum nauis iniusto pondere prægrauata pressaque interitum haud obscurè denuntiaret. Verùm, vt æquè clemens ac iustus est Dominus, sacerdotes hosce duos permisit in eodem versari discrimine, quorum officium ac pia sedulitas tot mortalibus per confessionem sacram expiandis confirmandisque in extremo spiritu non deesset. Secunda nauigatione Malacam vsque delati, atque inde prora in Sinas directa, cùm iam in Sionis peruenissent sinum, atrox repente procella cooritur, eo vento excitata quem Typhonem appellant. Is, ex Occidentali fermè plaga violentus erumpens, & rapida vertigine circa orizontem rotatus, assiduis incrementis horarum circiter viginti spatio

circulum conficit: impetu horribili sæuisque turbinibus vasta illa æquora vehemen- D
tissimè commouens agitansque:decumanis vndique fluctibus insurgentibus,qui inter
sese velut arietantes atque collisi,omnem salutis spem nauigantibus adimunt. Ad hanc
igitur tempestatem adeo periculosam,cùm ingens etiam oneris iniqui pondus accede-
ret,solutis carinæ compagibus totam nauem æstus absorpsit, sic, vt nullæ planè reli-
quiæ superfuerint. Erat in eodem cursu iuncus(onerariæ Sinensis est genus) qui sin-
gulari Dei beneficio portum tenuit.ex eo deinde cognitum est,nauem,cùm imminen-
tis exitij signum æneo tormento frustra dedisset Sinis,proprio metu laborantibus atq;
solicitis,paulo post haustam fluctibus apparere desijsse.

Perculit casus is vehementer Indiæ colonos:nam & aureorum quadringentorũ mil-
lium,& permultorum hominum damnum est factum, complures etiam viduæ atque
inopes relictæ mulieres.Neque verò,humana ratione rem æstimantibus, eius incom-
modi pars minima peruenisse videtur ad nos: duobus è Societate nostra viris amissis,
quorum opera magno rei Christianæ vsui in hisce regionibus esse procul dubio po-
tuit.quamquam speramus illos eò migrasse,vbi vel maiori esse nobis auxilio suis apud
Deum suffragationibus possint: neque enim parui ducendum est, in eiusmodi causa
pro Christo laborantes,è vita excessisse.

Periculo simili perfuncti sunt etiam Andreas Fernandus,& Ioannes Capralis: alter E
Sinas,alter è Sinis Iaponem petens: quorum vterque asseuerat pro miraculo haberi, si
quis Typhonis violentiam effugiat,præsertim verò,si totam noctem sequire perseuera-
uerit:itaque in tali re, nautas,desperata salute corporis,ad vota potius quàm ad arma-
menta;ad expianda peccata, quàm ad humana remedia solere conuerti: quippe non
modò vela vis vẽti dilacerat,diffringit malos,& quicquid exstat ex aqua dissoluit; sed
etiam ipsa nauigia(præsertim si minus onusta sint)arrepta,& in terras vsque longo tra-
ctu contorta affligere dicitur.Occupat autem ventus hic marium quicquid est Mala-
cam inter & Iaponem,frequens à mense Maio vsque ad Septembrem,quo maximè anni
tempore hæc maria nauigantur. Vos itaque,fratres carissimi, qui Sinensem hanc & Ia-
ponicam expeditionem Christianæ fidei propagandæ gratia optatis, comparate vos
ad mortem in itinere obeundam, sicuti obiere duo illi priores: & contra, putate vos
iter incolumes posse conficere, quemadmodum posteriores hi duo, quos diximus,
confecerunt. qui in hisce versatur orbis terræ partibus, huic nihil minus quàm de
tuendo corpore laborandum est: ea quotidie vitæ pericula occurrunt. Et sanè ita
constitutum & affectum animo quemque esse oportet, mortem vt omninò contem-
nat: nimius quippe metus, & cura corporis, spiritalem & nostrum & aliorum pro-
fectum haud mediocriter impedit: quod in se quisque re ipsa experiri & cognoscere F
facile poterit.

Anno proximo,Franciscus Viera Goam è Molucis veniens cùm paululum proces-
sisset,nauis in syrtes & scopulos incidit,factoque naufragio,mari sese commisit impe-
ritus homo natandi:& bis ad ima demersus,ab vrinatoribus denique semiuiuus ad lit-
tus extrahitur:quò cùm cæteri quoque comites fere omnes, aliqua etiam parte com-
meatus tormentorumque recepta, se contulissent; nouum eos periculum confestim
excepit.cùm enim incolæ Mahometani à Lusitanis hostiliter dissiderent, magna eorũ
manus ad eos trucidandos accurrit:sed nostri in locum natura munitum sese recepe-
rant,cuius opportunitate,itemque tormentorum vsu,ab hostium incursibus tam diu
se defenderunt,quoad nauis alia Molucensis ereptos eo periculo Malacam abduxit.
Multa Franciscus capitis pericula narrat, quæ nostræ Societatis homines in Molucis
insulis fere quotidie subeunt:mira etiam de neophytis prædicat, qui eo præcipuè an-
no Christianæ fidei causa crudeliter oppugnati,magna etiam ex parte varijs cruciati-
bus interfecti sunt:cùm quidem mulieres ipsæ filiolos partim sinu complexæ, partim
manu trahentes,opulentis instructisque domibus cõsultò relictis, per syluas errarent,
ne susceptam recens Christianam religionẽ eiurare aut deserere cogerentur: aliæ verò
vnà cum liberis,in IESV Christi confessione fideliter persistentes,gladijs impiorum oc
cumberent:multi præterea adolescentuli,eiusdem fidei retinendæ causa,ingentia ma-
ris spatia traijcerent,ex insula tranantes in insulam. Atque etiam illud,idem Franciscus
addebat:quo tempore Mahometanorum metu, post naufragium sese munito illo quẽ
diximus, continebant loco,eodem contendisse pueros,non plus decimum aut duode-
cimum agentes annum,qui noctu natantes, veriti ne per imprudentiam iaculis pete-
rentur,

A rentur, clamarent: Ne librate, ne librate: Christiani sumus: quorum cõstantia nostri ad lacrymas vsque permoti, & cæterorum quibus opem ferre non poterant calamitatem miserati, eos in comitatum suum gratulantes acciperent. Quin petitis, fratres, vt vitam vobis in hisce regionibus ponere liceat, quoniam quidem ipsæ mulierculæ puerique ad mortem pro CHRISTO obeundam exemplo suo nos prouocant?

Qui è nostris in ora Comorinensi rem Christianam procurant, ijs grauissima impendent pericula tũ à Mahometanis, tum à Narsinganis, quos Badagas vocant, regiorũ fermè vectigalium exactoribus. Est etiam in primis importunum & contumax genus hominum militariũ, qui Naires vulgo dicuntur. Ex ijs quidam iuri dicundo præpositus, cùm in templo nostro forum ageret, Andreas Fernandus, qui Romano in illo collegio quõdam versatus est) indignitatẽ rei non ferens, Mahometanum inde amouere omnino constituit: ad eumque conuersus: An tu facilè patiaris (inquit) eiusmodi munera in vestris phanis exercere Christianos? respondit ille: nequaquam. Rursus Andreas: ita ne verò? delubra vestra dæmoni dedicata, nulli functioni quæ vobis minus decora videatur, patere permittitis: nos nostra templa vero Deo ac Domino consecrata per summũ scelus profanari ac pollui negligemus? tum acriori etiam spiritu: Apage, inquit, apage te. Atque hac increpatione permotus barbarus in præsentia excessit ille quidẽ, sed paulo post, vt erat animo elato ac superbo, doloris impatiens, armatorũ plus centum coacta manu redijt vt Andreã occideret: quasi verò non vnus in id facinus foret satis. Andreas aũt, cognita re, neophytum comitem suum, ne quid primo illo impetu caperet detrimenti, magna festinatione in templo conclusit: ipse pro foribus, innixus arũdinẽ constitit, mortẽ exspectans. & Mahometani quidem arcubus & sclopis instructi cùm ad essent, hortati se inuicem ad manus Andreæ inferendas, ibidemque satis diu morati (ex quo diuinam prouidentiã in Andrea tuẽdo facile intelligas) denique re infecta, nullo plane resistente, discedunt, hominem prorsus intactum atque illæsum relinquunt: ille verò, eiusmodi euentu erectus, & in ea sententia confirmatus est, placere Deo, vt improba illa ethnicorum iuris dicundi consuetudo è sacris ædibus tollerctur. itaq; rem magno conatu aggressus, quod voluit ea tota regione persecit. Idem cùm neophytum, qui à baptismo sese Mahometanis ritibus contaminare non dubitauerat, in custodiam tradi iussisset; pagani ij apud quos neophytus piaculũ illud admiserat, publicis nuntijs ab Andrea petunt vt hominem eximat è custodia, liberumq; dimittat. æquum esse negat Andreas. Illi iterum ac tertiò repetunt, mortem insuper minitantes. cùm nihilo magis flecteretur, facta manu in hominem ire constituunt. certior fit ea de re Andreas à quibusdam Christianis monentibus vt nescio quò se recipiat: verũ ipse recusat, vtrumq; locum inquiẽs hostibus æquè esse obnoxium. Tum è Christianis quidam: Vis ne, ait, pro tua defensione populus ad arma concurrat? Nequaquam, respondit. nauigium vos mihi dumtaxat in fugam, si opus erit, instruite. Hæc verba dum fiunt, ecce tibi repẽte magna hostium multitudo superuenit; qui cùm Andreã aliquandiu circumstetissent (mirum dictu) ne asperioribus quidem verbis eo compellato, nedum occiso digressi sunt.

Pagus est alius Mahometanorum, qui, cùm acre incensumq; Andreę studium Christianę fidei propagandæ ferre non possent; communi consilio cùm primũ illac ei transire contingeret, ipsum è medio tollere decreuerant. verùm simulatque eò peruenit, tanto eos terrore Dominus perculit, vt quasi cum ingenti exercitu in oppidum irrupisset Andreas, ita sese abderent omnes, nec apparere quisquam auderet in publico.

Hæc, vt dixi, atque alia huiusmodi pericula in eo tractu sunt pæne assidua: vt nostri imminentibus hostibus, loca sæpe mutare, sæpe etiã lintres conscendere, atq; in mari pernoctare cogantur. Mahometana est natio Malabarica. ij fermè piraticam exercẽt, Christianis maximè infesti, quod multi iã è Societate nostra senserũt. Petrus Vaes vnà cum Socio missus Damanum, pæne iam absoluta nauigatione, quinque Malabarium biremes obuias cùm vidisset, quã celerrimè ad littus appulso nauigio, cum reliqua nauali turba vectoribusq; descendit: nec tamẽ ita maturare licitum est, quin Malabares extremum agmen assequuti, viros aliquot fœminasque perimerent. Nostri duo non tam pernicitate corporis, aut robore (triduana præsertim inedia & valetudine prope confecti) quàm singulari quodam Dei beneficio præsentiq; ope, ex hostium elapsi manibus, imminente iam nocte sese ignotis inuijsque itineribus ac saltibus commisêre. Augebant metum hinc indagantes piratæ, inde incolæ Christianis infensi. cumque totam fere noctem erassent, denique labore ac defatigatione victus Alfonsus in itinere substitit,

ſociumque compellans: Mihi quidem, inquit, harum gentium feritatem (quoniam ſic D placet Deo) diutius euitare non licet. Tu tibi, frater, ipſe conſulito. Interea ſe dies aperit, armatorum aduentantium manipulum adſpiciunt: haud dubiam rati ſibi cædem imminere, ad preces, vt in re tali, confugiunt, ambo ſeſe victimas offerunt Deo. Sed res contra quàm putauerant, cecidit; nam Brachmanes quidam eius regionis in primis opulentus, deſcenſione piratarum audita, ad noſtros conquirendos periculoque eximendos, eam armatorum manum vltrò dimiſerat. ij ſublatum in humeros Alfonſum, pone ſequente ſocio, ad Brachmanem perduxerunt, qui eos liberaliſſimè exceptos, cibo ſomnoque refectos, datis etiam præſidij cauſſa comitibus, liberos Damanum abire permiſit. Eximiam huiuſce Brachmanis (in tanta præſertim barbaria) humanitatem ac beneficentiam Dominus pro ſua benignitate compenſet. Idem Alfonſus Damano Goam reuertens, in pirates denuò incidit, verùm euentu meliore, quippe à Chriſtianis prælio commiſſo, biremi vna, celocibus duabus prædones exuti ſunt.

Petrus quoque Martinius hoc anno Bazainum ex obedientia nauigans, in hoſce Malabares incidit: à quibus proculdubio captus eſſet, niſi egregiè inſtructum, quo vehebatur actuarium, medios hoſtes felici conatu atque impetu perrupiſſet: quæ tamen res, haud omnino ceſſit impunè: etenim nauarchus noſter in ipſo tranſitu grauiter à prædonibus ictus eſt.

P. verò Dionyſius hoc item anno tendens Cocinum, cùm ex itinere Mangalorem E attigiſſet, vbi tum caſtris poſitis Luſitani vrbem obſidebant Reginæ cuiuſdam Chriſtiani nominis inimicæ (quam vrbem deinde captam euerterunt) rogatus vt deſcenderet ad militis confeſſionem audiendam periculoſo vulnere laborantis, cùm iam eſſet in littore, barbari nec opinantes Luſitanos magna vi repente adorti, nonnullos etiam qui erant cum Dionyſio occidunt: ipſe vt ſe ad actuarium reciperet, non minori periculo in mare ſe proijcit, natandi peritia nulla, mortique præſenti quorumdam ope ſub tractus eſt.

In eodẽ exercitu verſabatur cum Socio vno Ioannes Franciſcus Stephanonius. is præter quã quod militũ confeſſionibus audiendis, cũ res exigeret, operã dabat, ſæpe etiam hoſtiũ telis caput obijciebat ſuũ. quippe qui, quotieſcunq; certandũ eſſet, in primis ordinibus imaginẽ præferens Crucifixi, militibus cohortandis inſtaret. circa quem pugnantes cùm caderent plures, incolumem ſemper eum diuina prouidentia præſtitit.

Naues Chriſtianorum duæ cùm ab Armuzia ſoluiſſent, in Malabares inciderunt, quarum altera capta eſt: altera Dei beneficio effugit, quam Petrus Touarius cum Socio item vno conſcenderat.

Iam verò tres alij è noſtris, in ijs Melchior Nonnius, Goa Cocinũ verſus profecti, circa mediam nauigationem Malabaribus hiſce piratis occurrunt, qui celocibus aliquot, F & hippagine equis onuſta, quã de Chriſtianis antea ceperant, onerariam noſtrã aggredi non dubitarunt, in primis totius Indiæ grandem ac validam. Sed non paruo ipſis ea ſtetit audacia: victi quippe fuſique ſunt, multis ipſorum in prælio cæſis: hippagine etiam à noſtris recepta. Nimis longum faciam, ſi cunctas eorum inſidias perſequar, quas nemo noſtrorũ hoc anno expertus non eſt, cui quidem hæc maria nauigare contigerit.

Salſetanæ inſulę in proximo ſunt, in quibus ethnicorum ducenta, Chriſtianorũ duo circiter millia numerantur, in eccleſias quinque deſcripta, quibus in ſingulis bini è Societate rem Chriſtianam adminiſtrant. Has porro inſulas euripus bene longus à continenti diſiungit. in euripi littore ſtatio quædam eſt, vbi à prætereuntibus etiam viatoribus Salſetani barbari vectigal per ſummam iniuriam exigunt. eò cùm peruenisſet vnus ex decem ijs, quos in ea dicœceſi verſari diximus, paucis neophytis cuſtodiæ cauſſa comitantibus, vt è Socijs quendam inuiſeret, Mahometanorum actuariolis permultis, breui temporis ſpatio circumuentus eſt. Ac primò quidem ſat molli brachio de noſtris conqueri incipiunt, quod in tranſitu ad portorium ſoluendum appellere negligant: deinde, cùm ſacerdos mercatorem ſe negaret eſſe, nec huiuſmodi oneribus obnoxium; irati nauigiola ſenſim applicant, neophytorum arma nonnulla ſurripiunt, ſacerdotem ipſum iniectis manibus vi conantur abducere: quod vbi minus è ſententia ceſſit, vniuerſam denique feritatem ac malitiam expromunt: contis, iaculis, lapidibus hominem petunt, ingenti arrepta parma ſe protegentem, neophytis etiam egregiè propugnantibus: quorum vnus, cùm iam eius loci præfectus grauem ictum in caput ſacerdotis libraret, aliam nullam cernens defendendi rationem; ex arcu quem habebat adductum,

A ctum,emiſſa repente ſagitta Mahometanum traijcit:is continuò moribundus in mare delabitur,tum cæteri ſe recipiũt,ſacerdote ex altera parte ſemiuiuo relicto,parma(cuius munimento ſeruatus eſt) locis compluribus perforata.Eo caſu cognito vicini Brachmanes in ſubſidium frequentes accurrunt, & quadam quaſi lectica è lignis ac linteis raptim extructa, exceptum hoſpitio ſacerdotem admirabili quadam humanitate,quibus poſſunt medicamentis curant,deinde vehiculo ſatis cómodo impoſitũ,ad ipſius ędem,vt inde Goam tranſueheretur,deportant:Goam demũ delatus ex vulneribus æger,dies amplius quadraginta decubuit.Atque iã antea ille ipſe præfect' alios tres è noſtris ibidẽ interceptos domũq; ſuã abreptos,multis probris,cõtumelijſque vexauerat.

Nondum vigeſimus agitur dies,cùm ibidem Balthaſar Gagus eſt captus: ac Pondã perductus,à Mahometanis Præfecto regio ſiſtitur. Expoſtulanti quod vectigal ſibi nõ ſolueret,& quædam alia querenti, Balthaſar ſatisfecit egregiè. Tum ad Chriſtianos quoſdam iuſſus diuertere,incolumis ad noſtros poſtero die remiſſus eſt:nimirum propterea quod Prætor Indię cognita re, ſtatim omnes huius inſulæ exitus cuſtodijs occuparat, edicto propoſito ne cui prorſus Mahometano excedere liceret: multo etiam vehementius acturus atque ſeuerius,ni Gagus tam propere dimiſſus fuiſſet.

In eadem Salſetana regione Gagus in latrones cùm incidiſſet,ſummo Dei beneficio
B manus eorum effugit:quod ſclopus iam in ipſum intentus,flammam è fomite non arripuit. Hoc verò tempore ea loca Mahometanis alijſq; graſſatoribus admodum infeſta nuntiabantur,magno vtique noſtrorum periculo: quos tamen (vt ſperamus) Dominus pro ſua clementia proteget.Prætor etiam,quo die hæc ſcripſi, militum cohortẽ ad eos fines tuendos miſerat.

Iam verò de Franciſco Lupio noſtro quid dicã fratres?de cuius obitu è Melchioris Nonnij epiſtola,regionibus illis pro Societate præpoſiti, ſic accepimus. Idoneam nactus nauem,& cùm cæteris rebus,tum verò epibatis nautiſq; plus centum inſtructam, vnà cum fratribus, eiuſdem Melchioris iuſſu conſcenderat.iter vnius diei prouecti, poſtridie in Malabarium celoces quindecim incidunt. pugna committitur, quam noſtra nauis, vt erat egregiè ornata,ad veſperam vſque fortiter ſuſtinet.ad extremum,intentis in prælium Chriſtianis, tormentario pulueri caſu quodam ignis admotus adeo vehemens excitauit incendium,vt primo impetu, ſuperiore nauis parte diffracta, homines aliquot in mare proiecerit.quo viſo hoſtes nauigia propius admouent, partim vt natantes excipiant:partim etiam vt aliquid, ſi poſſint, ex onerum reliquijs rapiant. ſæuiebat ignis interea,multiſque iam partibus comprehenſis,oneraria inſtar fornacis ardebat. Vectores ac nautæ,prout ad quemque ignis acceſſerat,ita ſe quiſque è naui præcipites dare: cum vita ſeruitutem paciſci. noſtri quattuor,etiamnum in angu-
C lo,quo nondum flamma peruaſerat,continere ſeſe,& preces ad Dominum fundere,incerti quod potiſſimum optarent exitij genus: quippe,ſi eodem loco perſiſterent, iam iam deflagrandum:ſin mari ſe crederent,vel aquarum vi moriendum ſibi eſſe cernebãt, vel hoſtium certè iaculis,ni vellent in ipſorum poteſtatem venire,quos à Societate noſtra præſertim,capitali odio diſſidere non ignorabant. cùm diutius deliberaſſent, rem totam denique Dei bonitati committere, ac cæteros imitari conſtituunt. dum igitur in alto iactantur, Franciſcum è tonſura capitis pro ſacerdote cognitum illicò Mahometani in celoces accipiunt,certi hominem aut vita priuare,aut à CHRISTO diſiungere.quærunt ex eo proinde,velitne, CHRISTO deſerto, Mahometem ſectari:ego verò nequaquam,ait egregius CHRISTI miles.inſtare illi acrius, cædemque, ni pareat, ſtrictis intentare mucronibus.at ipſe ſortioribus etiam oculis, eadem illa reſpondit. qua viri conſtantia ad rabiem concitati ac furentes barbari crudeliter hominem contrucidant.ille præclaro nobis veræ virtutis documento relicto,dæmonis victor migrauit ad Dominum. Huiuſmodi triumphi ad ſacroſanctæ fidei amplificationem vtinam Dei benignitate quàm plurimis nobis obtingant.

De reliquis,duo,vel eundem exitum ſortiti, vel inter natandum lanceis confoſſi putantur.id autem ex eo conijcitur,quòd omnium captiuorum indicem, ſeu catalogum accepimus,in quibus vnus dumtaxat numeratur è noſtris: quocirca duos,vt dixi,mortuos arbitramur. Melchior ab eodem loco abeſt propius.is totum euentum clarius forte ſe cognouerit,Romamque perſcripſerit.

Reſtat quartus, Antonius Dionyſius nomine. hunc ad terram enatantem prædones cur diutius perſequerentur,non fuit:alij quippe iam in littore ad prædam parati

conſtiterant:à quibus Antonius,quæ gentis eſt impudentia & immanitas,omnibus etiam interioribus veſtimentis exutus,in oppidum quoddam abreptus eſt.Hunc Mahometani incolæ adhuc ignari quiſnam ſit,in vincula catenaſque coniectum ita benignè tractare dicuntur,vt nudus humi cubet ſtragulo culcitrave nulla,non plus ſcutellâ oryzæ quotidie in cibum accipiat.ſed eum Goæ propediem affore ſperabamus, quãdoquidem in redemptionem eſt iam curata pecunia.

Nunc,quoniã tum ex hiſce difficultatibus & incommodis,tum ex alijs, quæ ad vos à Iapone fortaſſe perſcripta sũt, ſatis vt arbitror intelligitis,in haſce Indię regiones venire,aliud eſſe nihil,niſi doloribus mortiq;,Chriſti Domini cauſſa vltrò offerre ſeſe; modum epiſtolæ faciam,& alia pericula ſilentio prætermittam, quæ maiorem etiã animi virtutem roburque deſiderãt. Illud vos tantùm rogo,& per commune omnibus nobis beneficiũ huiuſmodi noſtræ vocationis obteſtor:vt pia quadam abdicatione rerum omnium non omiſſis interim aut neglectis ijs,quæ veſtræ fidei curæq; commiſſa ſunt) expetatis ardenter,Deumque aſſiduè deprecemini,vt liceat vobis ad animas veſtras & corpora eidem immolanda,in hæc loca contendere,vtique ad idipſum in primis accõmodata.Quod vt impetrent pauci,non parũ tamen omnes ea petitione profecerint.etenim ſi Dei thronum atq; preſentiam frequentare,caput vitamque veſtrã pro ſalute animarum ei deuouere non deſieritis:profectò veſtra ille ſtudia non modò pro ſua bonitate approbabit,ſed etiam pro merito cuiuſque remunerabitur.Pręterea,fieri non poteſt ad mortem vt ſe quiſpiam comparet,quin idem ab hac vita miſera ſeſe diuellat ac ſeparet. Dicam planius:quiſquis pro Chriſti Domini gloria mortem verè & ex animo exoptat,idem nullo negotio prauas animi cupiditates coercet,quę res ad Deum & ſanctè colendum & facilè,valet plurimum.Itaque ſic habetote fratres mihi cariſſimi: eos impetus animi eaque deſideria,quæ fundamentis huiuſmodi non nituntur, aſſidua precãdi exercitatione coniuncta,nequaquam eſſe huic Indicæ legationi atque oneri paria: quippe,quò minus fundata ſunt,eò facilius varijs & quotidianis incõmodis labefactata ſubſidunt paulatim & concidunt. contra,ſi matura ſtabilique virtute ſubnixa fulciãtur,ingruentibus laboribus atque periculis non modò non quatiuntur,aut corruunt, ſed etiam magis magiſq; confirmantur & corroborantur in dies.Quocirca obſeruet etiam atque etiam vnuſquiſq; ſe,videatq; quemadmodum ambulet:omnibus autem nobis ad ſanctam ipſius voluntatem ac placita ritè exſequenda, ſpiritum Deus ipſe,vireſque ſuppeditet.Amen.Goa v.Cal.Ianuarij. MDLXVIII.

FRANCISCI CAPRALIS, AD IO. Baptiſtam Montanum.

VPERIORIS anni res geſtas in vinea Domini ſcripſi ad te antea fuſius.nunc quæ ſint deinceps acta narrabo. In ditione Barptolemæi dynaſtæ verſatus adhuc eſt Ficeredius, vbi Chriſtiani ſubinde facti cõplures, in ijs nobiles aliquot.Cætera ex ipſiuſmet Ficeredij litteris cognoſcentur. Porro in hac vrbe Cochinoco,vbi fermè agit Balthaſar Lupius,multæ confeſſiones per interpretem ſanè magno cum animarũ fructu ab eodem exceptæ. Complures etiam inſigni ante id tempus pertinacia,flexere tandem animos, & præter omnium ſpem ſeſe ad Chriſtum adiunxere. Præterea, cùm graue inſtaret huic neophytorum gregi periculum partim ab ipſomet regulo,qui à Chriſtiana religione vehementer abhorret; partim etiam à quorundam leuitate,qui nondum erant in fide fundati;diuinitus factum eſt nec opinantibus nobis,vt multi primũ ad verbum Dei audiendum, deinde etiam ad Baptiſmi ſacramentum accederent: & hoc ipſo tempore numerus augebatur in dies. Quo de genere toto quoniam ad vos puto Balthaſarem ipſum plura ſcripturum; hæc ſtrictim attigiſſe contentus,veniam ad res Amaguſanas,qua in vrbe ego,& Ludouicus frater, & Laurentius Iaponius hyemauimus hoc anno, ipſius Amaguſani Toni rogatu : qui cùm Euangelij audiendi cauſſa crebris me litteris inuitaſſet; nec mihi, nec ijs quos ea de re conſului, vllo pacto amittenda viſa eſt adeò præclara Chriſtianæ propagandæ religionis occaſio. Fundum igitur venimus primùm. quo nomine oppidum in primis munitum ac frequens,

A frequens, quidam ex Toni popularibus obtinet. Hic, vbi è naui descendimus, obuiam nobis è nobilitate prodiêre permulti non sine lectica, qua trium circiter millium interuallo ad oppidum vsque deuehierer. neque tamen ea sum vsus, quamquam id illis admodum ægrè ferentibus. Bonziorum deinde cœnobio excepti sumus, vnde ipsi cum suis idolis Toni iussu paulo ante migrauerant. Huc ille nobis cùm xenia protinus misisset, paulo pòst ipsemet nos gratulabundus inuisit. Affuère mox magistratus etiam, publicè gratias agentes nobis, quod ad legem Dei prædicandam venissemus ad se. Paucis dehinc diebus in adeundis officij caussa principibus, & ciuium beneuolentia concilianda consumptis; conciones in eodem cœnobio haberi cæptæ. ad quas præter cæteram turbam Tonus quoque cum arcis præfecto & alijs proceribus ventitabat, eo quidem animi sensu, vt ex ijs aliquot ipso statim initio baptismum expeterent. Sed enim Diabolus in humani generis perniciem intentus, cùm futuræ messis copiam cerneret, conatui nostro sese vehementer obiecit. Dynasta Xichiensis est Amagusano finitimus, cuius in ditione nonnullas habemus Ecclesias, Michaele Vasæo præside; is ad Lusitanorum allicienda nauigia, tantisper dum eos falleret, susceptа Christiana religione, deinde per sũmum scelus perfidiamque deserta; dæmonis instinctu (quem sibi apparentem aspectabili forma & adorare coram & alloqui dicitur) necnon Bonziorum suasu, quos plerunque graues aduersarios experimur, cognita propensione Amagusani populi ad fidem
B Euangelicam; tam multiplices adhibuit machinas ad Tonum cæteroſque ab ea mente auertendos; vt res tota frigere continuò cæperit. Quod ego magno meo dolore cùm vidissem; ne in ijs locis operam diutius perderem; parum abfuit quin re infecta redirem. sed ne nullum omnino exstaret operæ pretium, placuit experiri ecquid in oppido vicino profici posset, cùm alijs nominibus celebri, tum quod illic Tonus maiorem ferè partem temporis habitat: sed ibi quoque desertoris eiusdem, & aliorum Diaboli satellitum scelere aditus nobis omnes ad animarum salutem obstructos offendimus. itaque triũ circiter mensium ibidem spatio per ingentes labores, summamq; hyemis asperitatẽ exacto, cùm nulla iam supereſſet rei bene gerendæ spes; ecce tibi repente immutata diuinitus volũtate Amagusanus Tonus baptismum efflagitat, idq; cũ multis, quos imitati deinceps ex alijs quoque vicis, & oppidis plurimi sese ad Christianam Ecclesiã aggregarunt. in ijs etiam (quod mirere) Bonzius cõcionator insignis, idemq; princeps Icoxuanæ familiæ, quæ in his locis hominũ secta Lutheranę videlicet in Europa respõdet: siquidem ad beatitudinem requiri aliud nihil affirmant, præter vnius nomen Amidę: eiusque præstantissimis & salutaribus humano generi meritis iniuriam fieri, si quis opera virtutis, & suam cuiusq; industriam esse præterea necessariam ducat. Conuersus ad CHRISTVM est etiam Toni filius adoptiuus, eximia spe summæ virtutis adolescẽs:
C huic ante baptismum magna fuêre cum Bonzijs, & Camisama Toni vxore certamina. sed omnes difficultates Deo adiuuante perrupit amor cognitæ veritatis, & mira quędã animi inuicti cõstantia. idemq; duodecimo quàm renatus est die, cùm audisset nos profectionem parare; voluit omnino vel minima quęq; delicta sacramẽto cõfessionis eluere. ac mihi neganti opus esse, quòd è recenti baptismo emersisset ab omni labe purus ac splendidus; institit nihilominus ille, cũ diceret ignorare se quidnã sibi euenturum esset absente me. Cessi igitur deniq; incensis officio precibus, & aures neophyto prębui, tam scienter, tam dispositè singula recensenti, vt non sine stupore ego quidem oblatam eius animo lucem, & impertita diuinitus charismata recognoscerem. Atque hæc antequam ego discessi. postea verò (quemadmodum ad me delatum est) Camisama accersitum adolescentẽ interrogat; num Christiana sacra susceperit quamquam inuita ac repugnante se. Ille verò quod erat fatetur ingenuè. Tũ indignata mulier, & sua in eum beneficia, & illius ingratum in se animum exprobrans; iubet illum vultu seuero confestim è sua domo facessere, neque suum in conspectum venire posthac. qua denuntiatione adolescens non modò non exterritus est; sed etiam disertè respõdit: ingenti se gaudio exsilij ignominiam, & incommoda pro CHRISTI nomine subiturum. sed cùm ad templum à neophytis nuper exstructum veniſſet, reique totius manasset oppido rumor, adfuit Tonus ipse cõtinuò, & Bonzio quodam nobili secum adhibito, qui adolescentẽ à teneris educarat; multis precibus mitigata Camisama, in eius gratiã innoxium filium incolumi Christiana fide restituit. Cum his ergo manipulis Dei beneficio Bungum versus inde profectus; Fundum ex itinere attigi denuo: prolatisque Toni litteris quibus ad audiendum verbum Dei cũctos adhortabatur, ea fuit rerum conuersio, is ardor ani-

morum,vt qui paulo ante nefario conatu prædicationẽ Euãgelij vel maximè diſtinue D
rant,in ijs etiam quidam è numero Bonziorum,immutati ſubitò ſeſe ad nos adiuuam
dos enixè conferrẽt.Itaque diebus octo decemve quibus ibi ſubſtitimus,præter aliam
turbam,plus viginti è principibus ad Chriſtum adiuncti ſunt.exædificandi præterea
templi cura mãdata certis hominibus,tantus denique omnium exſtitit motus, vt cùm
primùm huc rediré,ſe ſe Chriſtianos fore vniuerſi promitterent.ipſe verò dynaſta Fũ
danus cur nomen Chriſto dare ſuperſederet,id cauſſæ afferebat,quod è patrijs legibus
neceſſe foret ſibi,dũ gens tota prophanos ritus abijciat,publicis eorum ludis atque ce-
lebritatibus intereſſe.itaque baptiſmo in proximum annum dilato, precandi formulas
interim è catechiſmo ediſcebat. Qui in Amaguſanis finibus baptizati ſunt, eorum nu-
merus in vniuerſum eſt duum circiter millium.In Bungenſi autem ditione cõuerſi ali-
quot:quidam etiam languentes erecti.Iam verò in ipſa quoque Xichi regione, quam-
uis deſertore illo dynaſta furente minaciter,cùm aliqua facta eſt ad Chriſti gregem ac
ceſſio,tum inſuper edita nonnulla ſunt veræ fidei ac pietatis illuſtria documenta. Cùm
enim è neophytis quidam propoſita capitis pœna perterritus,quæ humana fragilitas
eſt,à Chriſti nomine defeciſſet;id vxor eius ita indignè tulit, vt vnà cum filio ſeſe à vi-
ri conuictu & conſortio protinus remoueret,fortiter increpãs:Auertat à me Dominus,
vt cũ eo viuam, qui mortis metu Chriſtum eiurauerit:quo facto miſer ille compũctus E
intimis ſenſibus,& culpam agnoſcens,noctu clam ad Michaelem Vaſæum acceſſit: &
effusè flens, ducenſque ex alto corde ſuſpiria,locum pœnitentię ſuppliciter petijt,pa-
ratus tanti peccati quodlibet ſubire ſupplicium:quin etiam certum ſibi eſſe affirmans,
relicta patria fortuniſque omnibus in Chriſtianorum loca migrare,vt religionem ſuſ-
ceptam liberius colere ſibi liceret.nec fefellit fidem. nocte intempeſta ipſe cum fratre
ac duodecim præterea conſilij eiuſdem ſocijs,abijt.qui omnes re familiari & agris, fa-
cta iam ſemente,neglectis;vagi &egentes Chriſto ſeruire potius, quàm domi diuites,&
apud Principem gratioſi ac potentes idola colere,maluerunt. Nec minor in cæteris il-
lius terræ neophytis,quamquam numero paucis teneriſque virtus enituit. Grauibus
enim edictis contra Chriſti cultores à tyranno propoſitis; tantum abfuit, vt illi ab in-
ſtituto recederent:vt etiam in exſilium voluntarium ad Chriſtianorum oppida patrijs
focis boniſque relictis abire; vel ſi res ita ferret,vitam pro Chriſto profundere commu
ni conſenſu decreuerint.Qua cognita re,dynaſta damnum ſimul & inuidiam veritus,
reuocauit edicta:& accito ad ſe Michaeli noſtro multa promiſit.

Facata eſt vrbs in primis celebris,quæ hoſtili rabie cum alijs oppidis nuper incenſa
& euerſa,ac denuò propter loci opportunitatem exſtrui cæpta,paulatim ſpeciem vete-
ris frequentiæ recepit: numeratque iam nunc ædificiorum ad tria millia, cùm decem
millibus antea cenſeretur. hic ego & Ludouicus in tranſitu dies quattuor vel quin- F
que morati,Chriſtianos aliquot fecimus; multo plures vtique facturi, ſi menſem vnũ
ibi ponere licuiſſet:is erat hominum vndique concurſus ad nos. Aedificabat ibidẽ hoc
tempore templum ſuo ſumptu neophytus quidam.totus verò grex aliquem ſacerdo-
tem magnopere poſtulabat: ſed nemo erat quẽ daremus,magno ſanè meo dolore: nam
& illius populi inclinatio ad fidem;& ingens nationum varietas eodem cõmercij cauſ-
ſa confluentium,præclaram oſtendit copioſæ materiem frugis. Nuper etiam dynaſta
quidam decem circiter à Cochinoco leucis, & locum nobis templo excitando, & in
parochi ſumptus vectigal annuum detulit. Alijs item locis noſtri ob idipſum valde ex-
petuntur: ſed tanta paucitas eſt,vt nedum alia quærere,ſed ne parta quidẽ tueri poſſi-
mus: perit enim non vno loco Chriſtiana res operarum inopia: quanto animi noſtri
mœrore non dico. magna tamen eramus in ſpe fore,vt Dominus pro ſua clementia ac
bonitate ſubſidium nobis aliquod tam neceſſario tempore mitteret: præſagiebatque
neſcio quo modo mens,te quoque affuturum.optabam quidem certè vel maximè: nõ
ſolùm vt amiciſſimi viri congreſſu & colloquio fruerer:ſed etiam vt exemplo tuo mo
nitus ipſe me recolligerem,quippe iam pridem varijs curis & occupationibus valde di
ſtractus.Nobis Deus vberem gratiam & ſui nominis caritatem cunctis infundat,vt om
nibus in rebus ei quàm diligentiſſimè ſeruiamus. Amen.Cochinoci.1x. Calend.Octo-
bris. MDLXXI.

LVDO-

A

LVDOVICI FROII AD ANTO-nium Quadrium in Indiam.

QVa mentis humanæ peruersitate fieri dicendum est, Pater, vt quæ nobis Deus bona largitus est, ea carendo fere magis quàm fruendo sentiamus? Id adeò ex obitu Vatandoni Comidoni clarissimi atque optimi viri quotidie certius ego quidem experior. cuius de incredibili studio erga nos nomenque Christianum vniuersum, licet sæpius te per litteras docuerim antehac; tamen hoc tempore, cùm ille ingenti mœrore bonorum omnium in bello ceciderit, faciendum mihi existimaui, vti paulo fusius ad te perscriberem. nam & grati memorisque animi officium id vtique postulat; & ipsa commemoratio laudum ipsius, leuat aliqua ex parte dolorem meum; & ad celebritatem & gloriam Diuinæ prouidentiæ pertinere videtur, intelligi, nobis,
B in tam remotis regionibus inter Bonziorum insidias, & intenta in nos barbarorum tela versantibus, non deesse ne ex ipsis quidem principibus ethnicorum; tum nostræ salutis, tum Christianæ religionis ac fidei propugnatores acerrimos. Ac quò res tota clarius pateat, repetam paulo altius initia ipsa & originem eius amicitiæ, quæ nobis cum illo intercesit. Christianus est quidam in hoc Meacensi tractu non modò generis claritate conspicuus, verùm etiam propter egregiam virtutem ac probitatẽ summa apud omnes gratia, nomine Darius Tacaiama Fidanus. Is cùm pro sua in Deum pietate, proque ea necessitudine, quæ sibi erat cum Vatandono, de rebus diuinis, deq; instituto nostræ Societatis esset aliquoties cum eo familiariter collocutus; hominem denique perpulit, vt concionis audiendæ caussa ad templum nostrũ accederet. Cùm igitur ad Gasparem Vilelam vterque venisset, ex ipso Catechismi exordio disputatum à nostris est horæ amplius spatio, vnum esse Deum fontem & originem rerum omniũ; qui quæ videntur quæque non videntur, ex nihilo cuncta creauerit; ac simul peruersitas & amentia sectarum Iaponicarũ multis rationibus refutata est. Quę omnia Vatandonus homo ingeniosus cùm & patienter ad finem vsque audisset, & tamquam rationi rerumq; naturæ consentanea valde probasset; egit in præsentia Gaspari gratias, operamque suã illi benignè admodum detulit. & quoniam certis de causis erat ei confestim in regnum
C Vomi (quæ ipsius fuit patria) recedendum; ad extremum adiunxit, vbi vacaret, se ad audiendum Dei verbum esse rediturum. Sequuta deinde Cubi cædes est, cumq; ab ijsdem coniuratis, qui Cubũ oppressérant, crudelissimis hominibus, & Christianæ fidei inimicissimis, nos quoque ad necem inquireremur; fuga nobis coacti consulere, multis peragratis locis, ad vrbem Sacaium denique venimus, vt ibi tuto loco, & Meacensi ditioni finitimo, bellorum exitum, & occasionem aliquam redeundi Meacum exspectaremus. Interea Vatandonus, cuius animo altius insederant quæ de vno cœli, terræque Domino ac Deo nuper audierat; mirabiliter auidus plura discendi, petijt à Dario Tacaiama per litteras, vt à Gaspare Vilela Iaponium aliquem Diuinæ legis interpretem suo nomine postularet. quod vbi Gaspar cognouit; misit ad eum protinus Damianum, in erudiendis Iaponijs popularibus suis in primis exercitatum. qui dum magna spe rei bene gerẽdæ concepta, Vomim iter intendit, eo ipso tẽpore demortui Cubi frater Cauadonus Voiacata, elapsus è coniuratorũ custodia, ad Vatandonum opis implorandæ caussa cõfugit supplex: quem ille non modò benignè exceptum ingenti sumptu & munificentia plus annum in arce sua Coca fouit atq; custodijt, magno ob idipsum ære alieno conflato; sed etiam, vt in fraternum imperium restitueret; finitimos Reges natio nesque circumire, atq; omni ratione solicitare non desijt, quoad Nubunanga Rex Voaris, armatorum quinquaginta millium exercitu comparato; & Mioxindoni & Daiondoni, qui coniurationis principes fuerant, repressa audacia, quem dixi exsulem, in fraternis opibus & gradu honoris amplissimi collocauit. Id fuit caussæ, cur Vatandonum absentem patria, & rebus grauissimis occupatum Damianus inuenire, ac per otium (vti sperauerat) religionis Christianæ mysteria docere nequiuerit. Venit deinde Sacaiũ Vatandonus vnà cum præcipuis ducibus exercitus Nubunangæ; cumque apud eum esset etiam Da-

etiam Darius Tacaiama, tempus opportunum ratus Meacensis Ecclesiæ subleuandæ, D
Vatandonum docet, occiso priore Cubo; nos etiam factione Bonziorum per summã
iniuriam pulsos Meaco, nunquam postea redeundi potestatẽ impetrare potuisse; neo-
phytorum gregem paulo ante ab idolorum seruitute ad cultum vnius veriq́ue Dei
traductum; orbum pastoribus in luctu & squalore iacere, de nostra magis, quàm de sua
salute atque incolumitate solicitum. orat, & obsecrat, vt dignum se suisq́ue rebus gestis
patrocinium nostri suscipiat, seq́ue pro æquitate ac iustitia perditorũ hominum scele-
ri furoriq́ue opponat: id si fecerit, magnam non à Christianis modò, sed etiam ab ipso
CHRISTO Deo gratiam initurũ. Quæ vbi Vatandonus audijt; alacritate mirabili de-
latam ad se caussam recepit illicò: meq́ue confestim (nam Gaspar in Bungũ iampridem
euocatus abierat) ad se nocte eadem accersit, ad quem cùm adijssem; tanta sum ab eo
non dico comitate, sed veneratione acceptus, vt in consessu principum (quod Euro-
pæi nostri vix credant) de sella mihi quamuis enixè renitenti deceserit, aliaq́ue
more patrio signa summi cuiusdam honoris habuerit. Mecum ego Laurentium nostrũ
adduxeram: quem vbi Vatandonus Iaponium cognouit esse, conuersus ad eum: Quin,
inquit, nisi incommodum est, mihi, & proceribus hisce de Christiana lege, deq́ue vno
rerum omnium conditore aliqua exponis? Tum ille, qua est facundia præditus, in eã
sententiam ita copiosè tanta cum auditorum attentione disseruit; vt in mediam vsque E
noctem sermo protractus sit. cùm peroraisset, eius orationem, & argumenta magnis lau-
dibus Vatandonus extulit, & simul nostram caussam principibus qui aderant, ex animo
commendauit: quos ego cùm officij caussa postridie conuenissem, non modò me per-
honorificè accepêre singuli, sed etiam suum omnibus in rebus mihi studium operam-
q́ue benignè polliciti sunt. Ad hæc Vatandonus, qui Sacaiani populi tumorem & su-
perbiam nosset, nec ignoraret, nos ex quo tempore Meaco sumus exacti, quasi profu-
gos & abiectos homines vulgo contemni; ad conciliandam nobis authoritatem & gra
tiam; semel iterumq́ue honoris caussa domum nostram non dubitauit venire tanto sti-
patus grege amicorum, vt multitudinem via ipsa non caperet. Quinetiam Fabium Rec
queium indidem Christianum primariũ virum, quod nos in eo exsilio benignè souis-
set, accersitum ad se non modò magnopere laudauit gratiasq́ue egit illi mirificas, ve-
rùm etiam hominem de suo liberaliter admodum muneratus est, addens insuper, quic-
quid in nos officij ac beneuolentiæ contulisset vel conferret in posterum, id se perinde
gratũ esse habiturum, ac si totum in semetipsum collatum fuisset.

Post hæc Meacum reuertit: pauciq́ue diebus interiectis fecit me per litteras certio-
rem, se de reditu nostro cum Nubunanga, & nouo Cubo transegisse: itaque Darium
propediem ad me reducendum esse venturum. itaq́ue factum est; quanto neophyto-
rum gaudio, tu ipse existimabis, cùm id propter aduersariorum summam gratiam at- F
que potentiam sperare vix iam vllus auderet. Tandem igitur veni Meacum, & quoniã
ædes nostras quidam tribunus militum occuparat; diuerti ad Christianum ciuem
Meacensem, Antonium nomine, virum in primis honoratum, ac nobilem: statimq́ue
nos Vatandonus ter deinceps inuisit, hospitiq́ue nostro item vt Sacaij fecerat, dedit
munera, ac petijt, nos ad aliquod tempus habere domi ne grauaretur: intellecturos bre
ui Christianos quanta cum fide curaq́ue Vatandonus patrum negotia transegisset
quæ tanta significatio beneuolentiæ dici vix potest, quantam nobis apud illos existima
tionem attulerit. Nec ita multo post (sanè præter opinionem infidelium) quæsitum
ipsemet me magno comitatu deduxit in regiam, fecitq́ue & effecit omni artificio, vt in-
spectantibus, & tabescentibus Bonzijs, in magna principum frequẽtia, cùm à Nubunã
ga, tum à Cubo quã honorificentissimè admitterer. Ad hæc, nostræ non modò mansio-
ni, & incolumitati, sed cõmodis etiam & ornamentis per litteras regias diligenter cauit:
quæ quoniam ab ipsis etiam ducibus, atque à principibus Bonziorum, non nisi magno
auri argentiue pondere comparantur; cùm idcirco Vatandonus insciente me ad Nu-
bunangam decem auri laminas iustæ magnitudinis attulisset; negauit ille subridens,
in tali caussa opus esse muneribus: decretum ipsemet, qua maximè vellet formula scri-
beret: se id confestim suo chirographo muniturum. Tum ille tanta regis in nos
propensione animaduersa, scripsit non modò vt nobis tutò Meaci habitare lice-
ret; graui pœna proposita, si quis nobis negotium facesseret; sed etiam vt ædes nostræ
ab hospitio militum (qui fere in templa, & cœnobia diuiduntur) ac præterea vti

vicinitas

A vicinitas noſtra tota à vigilijs obeundis,præbendis ad munitionem operis, alijsque id genus oneribus eſſet immunis.quæ omnia cùm à Nubunanga, & Cubo, quamuis contra nitentibus aduerſarijs,impetraſſet;ſubſcripta diplomata (quorum ipſe in ſuo tabulario exemplum retinuit)magna ſui animi voluptate vocato ad ſe Laurentio tradidit; pollicitus inſuper,ſe daturum operam, vt Tribunus ille qui noſtras occupauerat ædes, iampridem à Chriſtianis deſertas,excederet: idque multis adhibitis internuntijs tam diligenter curauit,vt ille denique in ſuperiorem vrbis partem ingenti populi admiratione migrauerit.

Multo deinde poſt, cùm Rex Micauæ inuiſendi Cubi cauſſa Meacum ingenti comitatu veniſſet,exceptus eſt non ita remoto ab æde noſtra diuerſorio.cumq; ad accipiendos amicos eius,quotquot erant propinqua Bonziorum ædificia occuparentur ; veritus Vatandonus, ne quid nobis quoque moleſtiæ exhiberetur, ſcribã ſuum,& aliquot præterea è familiaribus miſit ad ædes noſtras,qui ſpeciem præberent occupati iam ab ſe hoſpitij:quæ res vtique nos ab omni eiuſmodi incommodo liberos præſtitit.neque verò id ipſum egregiæ beneuolentię commentum ille ſignificauit nobis;è ſcriba deinde cognouimus ipſius conſcio ſecretorum.& ſanè tum hiſce,tum alijs in rebus, quę vel ad commodum, vel ad dignitatem noſtri ordinis pertinerent; tanta fuit eius diligen-
B tia,& amor in nos;non modò vt preces noſtras,verùm etiam voluntates ſuis ipſemet fideliſſimis conſilijs,officijs benignitate præteruerteret.

Quandiu Nubunanga Meaci commoratus eſt; ad eum ego de Vatandoni ſententia aliquoties acceſſi ,tam facili mihi ex illius commendatione aditu ad regem, vt multis interdum dynaſtis,& principibus Bonziorum ad limina præſtolantibus, ego extra ordinem intromitterer. Sed cùm proximè ad regem ſub eius profectionem adijſſem; longa illa diſputatio , de qua ſcripſi ad te antea; de immortalitate animorũ incidit mihi cum Nichioxine Bonzio , viro in primis diſerto , & propter egregiam rei militaris peritiam (neque enim hoc ſacerdotum genus abhorret à bellicis artibus) magna apud regem auctoritate. ex quo certamine cùm ille turpiter victus abijſſet; in eam exarſit rabiem , vt nunquam ex eo die perniciem nobis moliri deſierit . cuius furori & amentiæ cùm locis omnibus apertè ſeſe Vatandorus non modò conſilio, ſed etiam armis opponeret , nec illum vſquam conſiſtere pateretur; ſuperatus ille viri conſtantia , vbi ſe viribus imparem ſenſit; omni deinceps dolo & inſidijs graſſari conſtituit. Diſſimulata igitur in tempus iracundia, falſis criminationibus circumuentum Vatandonum eo tempore ægrotantem, adeo artificiosè & callidè apud Nubunangam accuſauit, multis diaboli ſatellitibus in eius flagitij ſocietatem adſcitis ; vt Rex mendacijs oneratus,adeuntem ad ſe valetudine recuperata Vatandonum , non
C modò aditu congreſſuque per ſummam ignominiam arcuerit, ſed etiam aureorum viginti millium annuo reditu,& nobili in primis arce multarit.quo ille tam inſigni accepto incommodo,tantùm abeſt, vt quicquam idcirco de ſuſcepta in nos beneuolentia ,ſtudioque remitteret;vt etiam palam dictitaret venientibus ad ſe conſolandi gratia principibus,præclarè verò ſecum actum eſſe,cui noſtra cauſſa in tantam calamitatem incidere contigiſſet:atque adeò,quò illuſtrior eſſet amor ipſius erga nos, quamquam tanta facta & rei familiaris,& dignitatis imminutione; tamen diligentius etiam quàm antea , vbicunque opus foret, nobis omni opeque affuturum. Interim ex altera parte Nichioxines,& cæteri Bonziorum antiſtites,oppreſſa innocentia impune volitare; nobis ferrum,flammamque minitari; de templo noſtro funditus euertendo, ferendoque ibidem ſale per ignominiam perduellibus conſtitutam, in ſuis cœtibus multa iactare; nec tamen ceſſit illis ea res è ſententia : nam & Nubunanga , Cubuſque nos nulla noſtra culpa aut domo, aut ex vrbe pelli paſſi non ſunt; & machinationis eius artifex Nichioxines,iuſto Dei iudicio compluribus eiuſdem flagitijs ac facinoribus pateſactis, haud ita multo poſt à Nubunanga multis verbis malè acceptus, & omni dignitate ſpoliatus eſt : & anno vertente Vatandonus cùm ad Nubunangam, qui tum fortè Meacum redierat, ſordidatus veniſſet; Diuino prorſus beneficio, amicorum deprecationibus ad cauſſam dicendam admiſſus, tantam ſuæ cladis miſericordiam exciuit,vt illum Rex,viri meritis & probitate perſpecta,in priſtinum gratiæ locum reſtituerit, & inſuper dena aureorum millia ad viginti quibus antea fruebatur,addiderit.

Iam,qui apud alios cauſſam noſtram tam diligenter agere ſolitus fuerit, qui ad potentiſſi-

tentissimos Reges aditum nobis tam studiosè munierit, qui denique pro nobis fortu- D
narum & capitis discrimen adierit; ineptum arbitror explicare, quàm benignè, quam-
que honorificè nos accipere consueuerit ipse venientes ad se vel Meaci valde remoto à
nobis loco; vel in suis extra vrbem oppidis, aut arcibus habitantem. Qua ille cura caue-
bat exceptis hospitio, ne quid nobis omnino deesset! quàm familiariter nos in ipsis æ-
dium penetralibus, quò pauciſſimis è familia patebat introitus, vnà cum vxore, libe-
risque adhibebat ad mensam! quoties, rei Christianæ causſa iter habentibus per infe-
sta latronibus loca nobis equos & corporis custodes attribuit! quàm sæpe xenia misit
humanissimè! quàm suauiter si quid vicissim ad illum nos allatum ex Europa, vel ex
India mitteremus, quod Nubunangæ, vel Cubo gratum fore intelligeret, remissum id-
ipsum ad nos, monuit vt illis potius opportuno tempore largiremur! Neque verò no-
bis fauebat ille tantummodò: sed etiam Christianam rem tâto erat ardore complexus,
vt de Diuinæ legis præstâtia, de sempiternis post mortem præmijs atque supplicijs, de
virtutibus Christianis in cœtibus principum sereret ipsemet ex occasione sermones.
Quinetiam multos, dum esset Meaci, per causſam inspiciendi horologij, ignotæ in his
regionibus machinæ, domum nostram adductos, eadem opera sacris concionibus ad-
mouebat; atque vbi peroratum esset, summam totius doctrinæ iterabat ipsemet, præci-
puis locis insistens, & Bonziorum fraudes & errata redarguens. E

Iam verò neophytorum, quos omnes fratrum numerabat loco, defensionem ac pa-
trocinium quàm ex animo susceperisset; cùm alijs plurimis rebus ostendit, quas ego, ne
longior sim, consulto prętereo; tum verò insigni quodam pietatis & iustitiæ documen
to. id fuit eiusmodi. Vetula quædam erat de grege neophytorum, Dominica nomine,
cuius filius in templo nostro ministrare consueuerat. hanc ethnicus nescio quis potés
cùm de quarundam ædium possessione deturbare per vim & iniuriam conaretur; con-
fugit illa supplex ad Vatandoni fidem, cuius deinde beneficio quicquid cupiebat, ob-
tinuit. sed prima luce ad eum profecta, dum exspectat ad fores, pueri quidam è Vatan-
doni familia, rosarium, quod de more muliercula percurrebat, interea per ludibrium,
vt fit, vellicare; stanneam icunculam è rosario pendentem abripere. tum illa indignari,
& impietatem facti muliebriter accusare. contra pueri quò magis irritatam vident, eò
instare acrius, & illudere. cùm strepitus inualescceret; exaudit è cubiculo Vatandonus
fœminam quiritantem. quærit continuò, quid sit rei. proteruitate puerorũ cognita, iu
bet ex ijs tres protinus comprehendi, seuerè admodum increpans declaraturum se, quã
topere velit Christianos omnes ab omni contumelia tutos, domi suæ præsertim. cum-
que dubium esset nemini, quin grauiter esset in eos animaduersurus, muliercula primũ
pro illorum salute deprecari: cùm nihil ipsa proficeret; monitus ego statim ad eum mit P
to Laurentium: qui cùm nihilo magis hominem placare potuisset; ego ipse denique ad
illum accessi: multisque rationibus iracundiam mitigare conatus sum. sed nec vetulæ
preces, nec Laurentij legatio, nec nostra contentio flectere animum hominis valuerũt,
quominus vnum ex ijs, quippe notiore petulantia adolescentulum, in arcẽ suam ab vr-
be amandatum, capite plecteret. tantam ille venerationem rerum diuinarum, tantũ cul
tum religionis imbiberat. Denique, vt finem faciam, Christianos omnes omnibus mi-
nimis maximisque rebus fouebat, sicuti liberos indulgentissimus parens. Miretur fór-
tasse quispiam, quæ res catechumenum eo pietatis ardoris que prouexerit. Primùm, vt
ego quidem arbitror, insita illi cõstantia, & bonitas tam insignis, vt fortes viri permul-
ti relicto vberiore stipendio, ad ipsius ductum & imperium sese vltrò conferrẽt: dein-
de, ac multo etiam magis, frequens auditio, & cogitatio verbi Dei, cui quoties per bel-
licas aliasque grauissimas occupationes licebat, aures dabat quàm studiosissimè. captus
erat quippe vehementer honesti pulchritudine, & Christianæ fidei veritatem & excel-
lentiam magis admirabatur in dies. & sanè, cùm primùm ei Laurentius æternitatem a-
nimæ, & varias ac multiplices eiusdem vires expossuit; stupore propemodum attonitus
Vatandonus, qui ad eam diem in hæresi fuisset Ienxuanorum, qui nihil omnino post
mortem supereſſe opinantur; palam exclamauit: se tum demum ex quo ea didicisset,
hominem sibi videri: antea quidem in tantis errorum tenebris, infra ipsas pecudes ia-
cuisse miserrimum. atque etiam Tacacuquim (id arci nomen) eundem Laurentium ad
se magnis precibus euocauerat, quò commodius catechismo vacaret: eoq; probè per-
acto; Christianæ militiæ obligare sese baptismi sacramento decreuerat. sed hæc paran-

tem, &

A tem,& assiduè meditantem oppressit mors illi immatura, Christianis omnibus luctuosa;quem tibi casum exponam, vt potero.

Iquenda est regio finitima ditioni Vatandoni: quam regionem bellicosi admodũ incolunt populi. in eius limite cùm Vatandonus castella duo excitasset; non tulit factum Iquendæ regulus,exercitu repente coacto, primùm omnium præmia pronuntiauit aureos annuos M D.si quis ad se caput Vatandoni retulisset: deinde verò postridie ad vnius è castellis oppugnationem tetẽdit infestus.Quod vbi sensit præfectus presidij Darius Tacaiama,citato equo misit protinus nuntium ad Vatãdonum in arce vicina Tacacuqui morantem.is cognita re, quas habebat eo tempore copias, præcipiti agmine ducit obuiam hostibus.ducenti eius latera stipabant lectissimi viri:cum his intempestiuus antecessit,reliquos opinione sua pauciores(haud plus quingenti fuere) cum filio subsequi iussit.Hostis comperta paucitate nostrorũ,veritus ne si Vatandonus idipsum resciret;omissa pugna se in castella reciperet; maiorem partem exercitus iubet occultè considere ad montis radices:cæteris imperat, Vatandonum ad certamen eliciant.Vt propius ventum est,Vatandonus puniceo insignis galero,quem dono à Lusitanis acceperat,ardens cupiditate pugnandi,non exspectato subsidio, cum sua cohorte dumtaxat,ex equo desiliens(neque enim equites in Iapone pugnare mos est)sese in ad-

B uersos ferociter intulit,neque ante prouidit insidias,quàm consurgente vndique multitudine circumfusus est.Pugnatum vtrinque acriter:quoad Vatandonum multis acceptis vulneribus egregiè dimicantem obtruncauit ex hostibus quidam,cum quo gradum fortè contulerat;verùm is quoque letaliter saucius, dum certa præmij spe caput asportat,paucis confectis pasilibus moribundus occubuit reliqui stipatores Vatandoni ex præcipua nobilitate ad vnum omnes cæsi.Qui erant in subsidijs,cùm se longè impares cernerent,fuga repente dilapsi.Vatandoni huius in arcem Tacacuquim cum admodum paucis confugit.hostes victoria vsi,vastatis agris, villis incensis ad arcem castra posuere.ego quo die malè pugnatum est,cram in insula Sanga ijs ipsis locis ita propinqua,vti fragorem tormentorum exaudirem. Sed nihil tale suspicãti mihi tristis adest repente nuntius,Vatandonum cæsum esse cum suis.id vbi Meaci cognitum est,Organtinus Italus,& Laurentius Iaponius Bonziorum insolentiam verijt,neophytorum hortatu omnem apparatum sacrorum in tutum asportãdum curarunt.ego ne quid aduersarij contra Christianam rem audacius molirentur; quo ipso die hæc scripsi,manè Laurentium ad Nubunangã,& amicos ipsius cum muneribus miseram.omnino turbulentæ erant res.multi circumquaque inimici:neophytorum grex metu ac mœrore per

C culsus.auxerat inuidiam obitus ipse Vatandoni,& rumor improborum scelere dissipatu;omnes quicunque nos foueãt,tandem iratis Dijs funditus interire. Nos in tanta solitudine periculisque vna scilicet fiducia bonitatis Diuinæ sustentat:quam quò magis magisque demereamur in dies:tuas pater optime,fratrumque nostrorum omnium pias pro nobis deprecationes,& sacrificia vehementer expetimus.Meaco. IV. Calend. Octob. MDLXXI.

EIVSDEM AD ANTONIVM Quadrium in Indiam.

QVANTA esset rerum perturbatio,qui Christianorum dolor ex obitu Vatandoni dynastæ viri fortissimi nostriqué amicissimi;nuper ad te fusè perscripsimus.Ex eo die,inspe-

rata quedã, eademque cùm ad muniendam Euangelio viam,tum ad leuandum merorem nostrum in primis accommodata exstitêre.quos ego euentus hac epistola persequar.

Quod ipsemet nostri iampridem,Frenoiama excelsus in primis est mons,nouem circiter millibus passuum ab vrbe Meaco situs ad orientem. In eo monte Rex quidam Iaponis,patriæ superstitioni apprimè deditus,ante annos octingentos templa construxit ad tria millia & octingenta, ædibus adiunctis dumtaxat in vsum Bonziorum,qui legum ac disciplinarum in studio versarentur.quod vt sine vlla interpellatione quàm commodissimè facerent; non modò turbas, ac strepitus omnes agricolarum inde remouit;sed etiam vicos duos vnde omnia necessaria peterent,

ad montis radices ædificauit, ſuperumque inferum Sacomotum (id locis nomen) ijſdé- D
que Bonzijs inſuper, tertiam fere partem vectigalium Regni Vomēſis attribuit. Quod
opus ab illo Rege fundatum, poſteri eò impenſius adiuuerunt; quod vniuerſæ Acade-
miæ ſummo cum imperio præponi ſolitus eſt aliquis vel ex filijs regis, vel quàm arctiſ-
ſima certè cum rege affinitate coniunctus. Itaque in tantam amplitudinem excreuerat
olim Academia, tantumque illi honoris, & auctoritatis acceſſerat, non ſolùm vt Meacē
ſis omnis iuriſdictio illorum hominum arbitrio regeretur, ſed etiã vt omnes fermè Ia-
ponicarum ſuperſtitionum interpretes, duceſque ſectarum, inde tamquam ex perenni
fonte, vel ſeminario quodam exiſterent. ſed imminuta paulatim regia poteſtate, rebuſ-
que (vt fit) bellorum iniuria ac vetuſtate labentibus, ingens ille templorum numerus
quæ ſexdecim diſperſa conuallibus, antea viſebantur; ad octingenta vel paulo amplius
redijt. ac ſimul Bonziorũ illa qualiſcunq; diſciplina ſenſim ita ſoluta eſt; vt omni abie-
cto pudore ſeſe turpiſſimis voluptatibus flagitijſque dediderint; atq; ad armorum v-
ſum ac latrocinia ſtudio doctrinæ religioniſque conuerſo; cùm alia multa per vim ne-
faſque patrarint; tum verò annis ab hinc ſeptem & triginta Meacum vrbem, ingenti fa-
cta hominum cæde pæne totam incenderint. Verùm iuſto Dei iudicio, cùm præſertim
allatum ad ſe CHRISTI Euangelium obſtinata reſpuerent mente; contigit anno ſupe-
riore, vt graui bello inter Nechienis Regem, & Nubunangam exorto; illius copias bon
zij tecto & commeatibus iuuerint; Nubunangam verò præter cæteras iniurias etiam E
tranſitu prohibuerint. Qua re ille maiorem in modum offenſus fremenſque pactis cum
hoſte inducijs, in regnum Voaris redijt; ac primùm Bonzios eius regionis Icoxos (qui
dicuntur) caſtellis omnibus exuit; & quotquot viuos vel ex ipſis, vel etiam ex eorum
popularibus capere potuit, omnes cruci ſuffixit: deinde aucto exercitu, victricia ſigna
repente ad Frenoiamam, ira ſtimulante conuertit. Tum primùm temerarios Aca-
demicos, & omnia ſibi ſecunda pollicitos, verus belli terror inuaſit, pœnituitque la-
ceſſiti Nubunangæ; cumque ſe viribus longè inferiores cernerent; miſſis legatis, ma-
gno primùm auri pondere, deinde loci religione, metuque numinum placare co-
nati ſunt Regem: quibus ille cùm reſpondiſſet; nec ſe pecuniæ cupidum, ſed vindicem
ſcelerum, & vltorem iniuriarum adeſſe: nec inanium Deorum vlla terreri formidine;
tum illi vt in re trepida, contra hoſtium impetus omni ratione ſe cõparant. Erat in ip-
ſo montis vertice templũ Quanoni dicatum, quem deum vel dæmonẽ potius miro cul
tu veneratur Iapone toto cœca gentilitas, plurimique mortales votiua peregrinatione
ſuſcepta eodem aſſiduè confluebant, quod perſuaſum haberent ab illo Deo longioris
vitæ ſpatia, bonam valetudinẽ, diuitias impetrari: Frenoiamani verò Bonzij ſacra quo-
tannis eidẽ ac ludos ingẽti apparatu ſumptuq; perſoluere ſoliti ſunt, quibus continuò F
in vrbe Meaco Gibonis ſolennia ſuccedebant eo pompæ ordine, hominũ frequentia,
commentis artificum, vt ſatis appareat æmulum diuinæ gloriæ Sathanam, in ijs locis,
anniuerſariam apud nos corporis Chriſti celebritatẽ effingere voluiſſe. In illud igitur
montis cacumen & Bõzij, & è proximis pagis promiſcua turba ſeſe recipiunt: ſtationi-
buſque diſpoſitis, hoſtem ex eo loco prohibere conſtituunt. At Nubunanga Sacomoto
& Catata vicis cum incolarum internecione incenſis euerſiſq;, montẽ ipſum Frenoia-
mam, ne quis è numero Bonziorum elaberetur, corona circundedit. deinde inſtructũ
exercitum in eos aduerſo cliuo ſubmiſit: reſtitere aliquamdiu è ſuperiore loco Bonzij:
vrgente dein multitudine hoſtium, effractiſque clauſtris, & ſuperata munitione truci-
dati fere omnes: ac ſimul, iniectis maximo ac nobiliſſimo templo facibus, ea tota moles
horribili prorſus incendio conflagrauit: atque id ipſo die feſto Michaelis Archangeli,
3. Cal. Octob. vt ad hoſtes Chriſti delendos, tollendaq; prorſus illa nequitiæ cubilia, &
ſcelerum officinam, princeps militiæ cœleſtis præſenti ope affuiſſe videatur. Poſtridie
verò, qui dies fuit natalis Beati Hieronymi, Nubunanga circummiſſo milite, latitan-
tes ferarũ inſtar Bonzios qui prælio ſuperfuerãt, protractos è dumetis aut ſpecubus in-
teremit. ſub hæc domus eorũ direptæ, fana plus CD. cum omni ſacrorũ inſtrumento pa
riter concremata, ingens omnibus circa nationibus terror incuſſus. Meacũ dein Octo-
bri menſe ineunte victor Nubunãga ſe contulit. Hic ego & Organtinus ad eum officij
cauſſa cùm adijſſemus; non modò comiter ambos accepit; verùm etiã (quod vix credat
quiſpiam) ſeſe in nos peramanter effudit. Quod ſupereſt, te Pater etiam obteſtemur;
vt nos totumque Iaponicum gregem hunc tuis & ſociorum pijs deprecationibus &
ſacrificijs adiuuare ne deſinas. Meaci. Natali die Sancti Franciſci. MDLXXI.

Scriptis

A Scriptis iamdiu litteris necdum datis, alia quædam interim euenêre; quę ego ad Diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ fidem gloriamque deeſſe nolui, quin adſcriberem.


Germani duo fratres erant in vrbe Meaco, tum genere, tum diuitijs clari: ijdemque Xacæ cultores egregij. quorum vterque ſeſe religioni Chriſtianæ in primis acrem aduerſarium aſſiduè præbuit, ijdemque ſuperioribus annis anteſignani fuêre factionis eius, cuius ſcelere noſtri Meaco ſemel iterumque per ſummam iniuriam exacti ſunt. Anno deinde poſt fere ſexto, cùm ego Vatandoni opera ac ſtudio reſtitutus ad Cubum ſalutandi cauſſa de more veniſſem, die quodam accidit vt ex his fratribus natu maior adeſſet, nomine Taquenus Vchiſamidonus. Is, quo erat in nomen Chriſtianum odio ac rabie, non potuit ſeſe continere, quominus corã ipſo Cubo, me ſocioſque maledictis inceſſeret; nobiſque cùm alias calumnias, tum præſertim eſum humanæ carnis obijceret; quæ tamen crimina ab iracundia ac furore profecta, apud Cubum cęteroſque qui aderant, minimè valuerunt. Idem nuper, Euangelij progreſſum, & collabentem Deorum ſuorum exiſtimationem incredibili quodam animi dolore cùm cerneret, fretus tũ ſuis opibus, tum gratia principum, nouam Xacę ſectam condere aggreſſus eſt. iamque repudiata coniuge, mentoque & capite raſo, Bonziorum habitum & cultum induerat; cùm ad illum adiungere ſe dœmonis inſtinctu cæpêre cõplures: quibus ille magno ſumptu amplum cœnobium exſtruebat (numerus enim diſcipulorum ad C D. aſcenderat)

B concionibuſque penè quotidianis populum contra Chriſtiana ſacra legeſq; miris artibus incitabat. ſed cùm illum tantis debita ſceleribus vltio Diuina maneret; accidit aliquando vt intemperantia linguæ prouectus præſente Cubo Nubunangam Regem dictis amaris haud obſcurè perſtringeret, affirmans illum iam ad ſummum potentiæ culmen euectum, diutius in eo faſtigio ſtare non poſſe quin rueret, vel certè quaſi matura vel putris vieta ex arbore bacca decideret. quibus temere iactis; nõ defuere confeſtim, qui ad Nubunangam cuncta deferrent. quibus ille auditis, vniuerſo Bonziorum generi multis iam ante nominibus infenſus, vt diximus, adeò excãduit; vt in regnum ſuum Voaris Meaco decedens, comprehenſum nouum hæreſiarcham, & equo impoſitum, quamuis magnopere deprecante Cubo alijſque proceribus; quindecim à Meaco leucis in ipſo itinere ſecuri percuſſerit. ad hæc, liberi, euerſis & ſolo æquatis domibus eorum, & cœnobio nuper ædificari cæpto, in exſilium acti ſunt. triduo autem poſt (quod mirandum eſt magis) frater ipſius æquè acerbus CHRISTI inimicus, in vrbe Sacaio infixa pedi ſpina dolore confectus, ac miſerabili genere leti defunctus eſt: vt in vtroque euidenti ſignificatione cœleſtis iræ vindicta ſatis appareat.

Franciſcus Capralis ad noſtrorum luſtranda in his Meaci partibus domicilia non

C ita prius acceſſit. eum ego deinde in regna Mini, Ceunoquuni, Cauachiſque deduxi. Paſchal a verò feſta Sangæ peregimus: quo fructu, ex alijs litteris (vt ſpero) cognoſces. Te Pater optime Dominus tueatur incolumem. Meaci. IV. Idus Auguſti. MDLXXII.

EIVSDEM AD FRANCISCVM Capralem.



VLLAM puto regionem ex ijs, quæ Chriſtianorum nauigatione, vel armis apertæ ſunt, in tanta rerum viciſſitudine ac varietate verſari, quantã aſſiduè patitur hæc terra Iaponica. Mitto cætera quæ tibi nota ſunt. Poſt tuum à nobis digreſſum, quot cædes, populationes, euerſiones vrbium, & incendia conſecuta! Cubo enim (vt noſti) Nubunangæ opibus reſtituto, cùm res Meacenſis vtcumque pacata videretur eſſe, repẽte quibuſdam interpoſitis offenſionibus (vt ſunt irritabiles animi Regum, & omnis imperij ſuſpicioſa communio) periculoſum & graue bellum inter eoſdem exarſit, cuius belli initio cùm ſe Cubus, euocatis vndique militibus, in arcem munitiſſimam recepiſſet, & cum hoſtibus Nubunangæ inita ſocietate (qui multi potenteſque ſunt) tantum virium collegiſſet, vt Nubunanga nequaquam è ſuis finibus e-

greſſurus in preſentia crederetur;tum ille nihil hoc apparatu perterritus,preter omniũ D
exſpectationem cum robuſtis legionibus affuit: captuſque miſericordia populi, cùm
fruſtra per interpretes de conditionibus pacis egiſſet, malo cogendum ratus,qui moni
tis non pareret;quamquam inuitus,atque adeo illacrymans tantæ cladi (vt affirmant)
omnibus paſsim tectis agrorum, multiſque præterea idolorum fanis,Bonziorumque
cœnobijs,ad hæc vicis frequentibus vno die centum exuſtis, prædaque ingenti rerum
non modò agreſtium,ſed etiam vrbanarum abacta (quod ciues tumultus initio,veriti
ne Meacum rectà contenderet,pretioſam ſupellectilem cum liberis vxoribuſque in ea
loca raptim auexerant;)rurſus Cubum inſtitit ad pacem inuitare. At ille fœderatorum
copias propediem exſpectans, cùm interim omni ope reſiſtere,& vltima experiri de-
creſſet; tum verò Nubunanga vehementius irritatus vrbem ipſam euertere ſtatuit.Eſt
autem pro ſitu loci diuiſa bifariam,ſic vt altera pars Meaci,ſuperior;altera inferior no-
minetur. Superiorem longè celeberrimam totius Iaponis, præcipua nobilitas incole-
bat.ij direptionis & incendij metum ingenti pecunia conati redimere,nihil profece-
runt.inferioris vrbis exitus felicior fuit:ſiquidem ciues, & in ijs Chriſtiani permulti,
non tam argenti pondere,quàm precibus infimis & humilitate veniam & pacem à Nu-
bunanga impetrarunt:itaque totis caſtris graui pœna propoſita iuſsit edici,ne quis in-
feriori Meaco damni quicquam inferret. Interim in ſuperiori parte conſceleratiali- E
quot, ne in patriæ direptione & exitio nulla ad ipſos prædæ portio perueniret,vltro
ignem tectis inijcere anteuertunt,qui tota ea nocte longè lateque vagatus, tertiam fe-
re oppidi partem abſumpſit.poſtridie verò Nubunanga cum ſuis inuectus, quod erat
reliquum omne combuſsit. eo incendio ædes priuatæ ad octo millia: Bonziorum cœ-
nobia,viginti:& in ijs duo Xacæ,& Amidę nobiliſsima & maxima; minoris verò for-
mæ ad octoginta conflagraſſe dicuntur;quorum in vnum trepida fuga ſe ſe abdiderãt
Bonzię mulieres ad ſexaginta ex ijs, quæ ſtipi cogendæ ad inſtaurationem fani Dai-
bud in regno Thematis religionis cauſſa dabant operam. Non defuit in tam luctuoſa
clade res pæne ridenda. Manibus mortuorum ad inferos primùm, deinde ad beatas A-
midę ſedes,cùm tempus fuerit,deducendis,Ijzum neſcio quem, ferali inſtructum tri-
dente præfecit Iaponica fabuloſitas. Huius Ijzi delubro (quod in Meaco inferiori co-
lebatur)Bonzij metuentes exitium,ſortibus coram ipſo iactis, quæſiere num illud in-
de amoueri expediret.cùm reſponſum eſſet vtique amouendum. idque continuò,ete-
nim loco imminere ſine dubio flammas; antiſtites templi, & vniuerſa vicinitas magna
cum veneratione ac cęremonia ſtatuam in Meacum ſuperius tranſtulere: cumque iam
in tuto rem eſſe putarent, ecce tibi conflato repente, vt dicebamus,ibidem incendio,
ſimulacrum penitus deflagrauit. Interea incluſus arce Cubus nihilomagis flecti, quoad F
Nubunanga,caſtellis circa ipſam arcem quattuor excitatis,obſidione hominem preme
re,& operibus oppugnare conſtituit, minis inſuper additis Imperatoriæ dignitatis ab
ipſo in Dairis filium transferendæ. Quo metu victus Cubus,poſitis tandem ferocibus
animis,præſertim cùm exſpectata dudum auxilia non adeſſent,pacem expetijt:neq; ab-
nuit Nubunanga,quamquam longè ſuperior,& explorata pæne victoria. Scriptis ita-
que conditionibus obſides dati: qui tamen quod non primæ ſunt notæ, negabant ple-
rique Cubum in conditione manſurum; ſed hanc moram interpoſitam, quoad au-
xilium à ſocijs quandoque veniat:adeo gratia quæ Nubunangæ à Cubo pro ſingulari-
bus eius in ſe promeritis maxima debebatur (quæ humani eſt ingenij prauitas)in odi-
um vertit.

Nobis inter hoſce tumultus, quorum vix minimam partem hiſce litteris attigi,ta-
metſi rem Chriſtianam amplificare non licuit,tamen haud omnino ceſſatum eſt. ſiqui-
dem & neophytos exanimatos metu ſolati ſumus, & multos inopia rerum omniũ preſ-
ſos, conquiſitis eleemoſynis recreauimus, & plurimis rebus vicisſim eorum in nos fi-
dem ac beneuolentiam ſumus experti. Qua illi cura ſacrum inſtrumentum,& imagi-
nes,ne quid paterentur iniuriæ,locis idoneis abdiderunt!Quanto ſtudio nos in eas ar-
ces & oppida certatim inuitarunt,quæ maximè remota ab hiſce periculis videbantur!
Quo ſenſu poſt ſedatos tumultus incolumitatem nobis frequentes gratulati ſunt! cùm
quidem præ gaudio pleriq; lacrymas non tenerent.Iam verò illa quoque res magno
nobis fuit ſolatio,quod inter ipſas armatorum cateruas multa militum vexilla ſalutari
ſigno Crucis diſtincta conſpeximus:in quibus Ioannes Naetondonus Tambæ regulus,
idemque rei militaris laude inſignis, in ipſa galeę criſta nomen IESV maioris formæ
litteris

A litteris aureis geſtabat inſcriptum; cuius viri egregia pietas atque conſtantia ſilentio mihi prætereunda non eſt. Primùm enim ethnica matre, cùm tu hic eſſes, ab hoſtibus interempta, anno deinde vertente à ſuis monitus, vt mortuæ ritu Iaponico parentaret, ac Bonzijs de more munera mitteret, illè verò ſeſe paratum inquit iuſta parenti perſoluere; quippè ſi minus illi quę ſua culpa euangelicæ lucis expers, è vita migrauerat, ſibi certè ac fratribus haud dubiè profutura. Confeſtim ergo pauperibus è regno Tambæ inuitatis (conuenere autem circiter mille) ante ipſa arcis mœnia & largum epulum vniuerſis, & certam pecunię ſummam ſingulis prębuit; Chriſtianas inferias ethnicis ingenti cum approbatione mirantibus. Idem, cùm ipſo tumultus initio duo millia lectiſſimorum militum ad vrbem Meacum adduxiſſet (quo maximè præſidio fretus Cubus arcem tueri decreuit) ſacramento rogatus Cubi nomine, verbis ethnico ritu conceptis, quibus ni fidem præſtęt Imperatori, vel Regi, Duces militeſve, ſeſe caputque ſuum æternis inanium deorum ſupplicijs deuouent; negauit ille ſe falſos deos fidei ſuæ teſtes adhibiturum, ſed vnum Deum rerum omnium conditorem; nec alio iureiurando obligari ſe paſſus eſt; eodemque die ſub veſperam venit ad templum Chriſtianis dumtaxat militibus comitantibus. ibi cùm aliquandiu precationi vacaſſet; pœnitentiæ Sacramentũ à me popoſcit ſupplex, & ſimul rationem ac viam confeſſionis bene atque ordi-

B ne peragendæ. Præceptiones igitur illi quaſdam tradidi Iaponica lingua conſcriptas, quibus perlegendis, & notando ſi quid opus eſſet, totam eam noctem nulla capta quietis parte conſumpſit, ac deinde peccata de more confeſſus, arcem introijt. Gerit autem ad aſſiduam mortis recordationem propalam è roſario maiuſculæ formæ cal-uariam, aliaque eiuſmodi religionis inſignia præſefert eò clariore tum virtutis indicio, tum pietatis exemplo, quod idẽ & in ipſo flore iuuentæ nunc eſt, & bellator egregius. Idem in illo Meacenſi diſcrimine veritus templi noſtri direptionem, non modò milites ad eius cuſtodiam, ſed etiam iumenta miſit ad ſupellectilem auehendam, & ſumma cura quotidie ex arce, quo loco res eſſet, per internuntios exquirebat: meque codicillis monebat identidem, vt ex ijs periculis Tambam effugerem ad ſuos, datis ad eos litteris vt me perinde ac ſemetipſum acciperent. Rebus deinde vtcunque compoſitis, vt primùm Nubunanga diſceſſit, confeſtim ſalutandi cauſſa venit ad me, ſuaque mecum aſſiduè negocia communicare non deſinit; ac præter inſignem probitatẽ & fidem tam docili eſt ingenio, vt Luſitanicas notas imitari bis terve dumtaxat aggreſſus, recentiſſimas ad me litteras dederit Luſitanico charactere cõſcriptas. Præterea cum Bonzijs, apud quos diuerſatur, de religionis veritate concertat: refellitque mirum in modum eorum inſanias. quin etiam ſuis militibus pium aliquem librum quotidie lectitat ipſe-

C met, eoſque ad Chriſtianam fidem ſtudiosè adhortatur. In prædijs ac locis, quæ virtutis ac præmij nomine Cubus eidem attribuit, fanum eſt Maſſunogi neſcio cuius, in primis totius Iaponis & ipſo ornatu & genere ſtructuræ viſendum. id ille diſturbare conſtituit, & ex ea materia in oppido ſuo Tamba templũ exſtruere ad populares ſuos Chriſtiana religione imbuendos. & ego ob idipſum, ſedatis motibus hiſce, mittere illuc Laurentium cogitabam. Frater ipſius natu maior, Guembadonus nomine iam triduo pergit noſtris concionibus intereſſe, quæ ter, quaterue ſingulis diebus habentur. alij præterea è Ioannis familia ventitãt, itemque Naitus Ioſadonus ordinum ductor ex eadem regione, in Ienxuana ſecta valde verſatus. is, quindecim concionibus auditis, baptiſmum efflagitat; ſed eum ego, vt cæteros fere candidatos, ad finem vſque catechiſmi reieci. E militibus Naëtondoni diem extremum obijt neophytus, cui nomen erat Romano; huic ego morienti affui in tempore: eundem extulimus publicè magna hominũ frequentia: ſiquidem funus à Chriſtianis omnibus Meacenſibus, & ab vniuerſis commilitonibus non modò fidelibus, verùm etiam ethnicis concelebratum eſt.

In Regno quoque Voaris, quamquam in ſumma operariorũ inopia, feliciter admodum Chriſtiana religio pullulat. Supplet autem doctoris vicem, egregia fide & caritate non ignotus tibi neophytus, Conſtantinus, cuius viri de laudibus mira perferuntur ad me. Domi ſuæ oratorium ornauit, quò Chriſtiani omnes philoſophandi cauſſa conueniunt. in eo cœtu explicat ipſe præcepta Decalogi, ex commẽtarijs quæ habet apud ſe. mortuos etiam Chriſtiano ritu ſepulturæ mandat: baptizat infantes: ethnicis Euãgelium prędicat: redarguit Bonzios: denique puſillum gregem pro viribus tuetur adeò, vt Voarenſes Chriſtiani vulgo Conſtantini diſcipuli nominentur. Conuertit etiã ſubinde (Spiritu Sancto adiuuante) ad CHRISTVM aliquos, è quibus nuper quoſdam du-

xit ad nos eo animi candore, ſummiſsione, virtute viros, vt primitias ſpiritus in ijſdē fa D
cilè agnoſcas. ij, cùm ad obeūda hebdomadę ſacroſanctę ſolennia amplius quatridui iti
nere per infeſta latronibus loca Meacum veniſſent, templū ingreſsi, proſtrauere ſeſe il-
licò ad aram, effuſè flentes, agenteſque Domino gratias, quod ſe ad ſacra illa officia in-
columes perduxiſſet. Singulis ego piacularem globulum Roma tranſiniſſum donaui,
quod illi munus perinde ac theſaurum quempiam ita ſimul & venerabundi, & læti ac-
cepere, vt vel eam vnam ob rem tanti fuiſſe labores itineris omnes, & omnia vitæ peri-
cula dicerent. Conſtantino verò præbui etiam icunculas, & ſtanneas Cruces, Voarenſi-
bus diuidendas; itemque linteum in exſequias defunctorum. Hiſce muniti præſidijs, &
catechiſmo probè iterato, poſt feſta Paſchalia in patriam redire, Meacenſibus Chri-
ſtianis ad ſex millia paſſuum officij cauſſa proſequentibus.

Venio ad res Cauachenſes, quo in Regno complures item numerantur eximia fide
ac probitate neophyti: cuius rei haud obſcurum præbuit documentum Hector ille,
qui ibidem ad te (ſi meminiſti) cum vxore ac liberis adijt. Cùm enim adoleſcentē ethnicum nobilem ipſius curæ concreditum, intemperanter agentem, amicè obiurgaſſet,
vt ſunt iuuenes, diuites præſertim, aduerſus monita contumaces & aſperi, ita offenſus
eſt nequam ille, vt paulo poſt percuſſores ad interficiēdum Hectorem dæmonis inſtinctu ſummiſerit; quos bonus Chriſti diſcipulus vt in ſe repente vidit irruentes, deuexa
iam ætate vir, & inermis, apprehenſo quem è ceruice geſtabat globulo, IESV dulce no-
men implorans, multis vulneribus crudeliter confoſſus occubuit. Eius vxorem quat- E
tuor cum filiolis Chriſtianis conquiſitam recepit illicò in fidem ſuam Iquenda Sangadonus primarius vir è Mioxindoni familia, eiuſque inopiam ac ſolitudinem in oppido Sanga ſuſtentat ſanè quàm inſigni pietate vir, & Chriſtianorum omnium quotquot
in eo ſunt Regno, parens tutorque fidiſsimus. Huncarci Vacaianæ præpoſitū, cæteroſque neophytos commorantes ibidem, ethnici tres cùm occidere ſtatuiſſent, arcemque
hoſtibus prodere; conſcelerata eorum conſilia diuinitus patefacta ſunt in ipſo pæne
articulo aggrediendi facinoris. itaque & Chriſtiani periculum euaſere, & infideles illi
paulo poſt, Mioxindoni iuſſu cogitati ſceleris capite pœnas dedere, cuius euenti felici-
tas iure tribuenda videtur precibus meritiſque Sangadoni.

In eadem loca (vt ſcripſi ad te antea) Organtinus Italus cum Laurentio, & Matthęo
profectus paulo ante natalem Domini diem ingenti Chriſtianorum lætitia acceptus
eſt, cumque in ipſis natalitijs circiter quindecim ſacro fonte abluiſſet pleroſque è Mio-
xindoni domo; redire parantem, Sangadonus vnà cum reliquis Chriſtianis magno ad-
hibito conatu, varijſque rationibus ad vſq; Paſchalia feſta retinuit. Interea quid actum
ſit à noſtris, ex eiuſdem Organtini epiſtola cognoſces, cuius præcipua capita hoc loco
mihi ſummatim addere viſum eſt. Organtinus Brixianus, Ludouico Froio Meacum. „
Dominico die palmarum cùm Sangam vndique Cauachenſes neophyti conueniſſent „
amplius C C. (nam per Quadrageſimæ tempus nonnulli ſe ad CHRISTVM adiunxe- „
rant) eo ipſo die magno omniū gaudio ſupplicantes inceſsimus; in Paſchate verò, ſacra- F
mentum confeſsionis obiere nonaginta quinque; Communionis autem ſeptuaginta. „
quo ne maior eſſet numerus, ſacerdotum inopia factum eſt, ſolus enim eram, ſed in om- „
niū animis vtique poſt illa myſteria liquidò vis gratię cæleſtis apparuit. deinde rurſum „
alternantibus choris, fidibuſque ſubinde canentibus, agmine compoſito proceſsimus „
ad Crucem vſque magna turba ſpectante gentilium. ea cæremonia peracta ego ſacrum „
ritu ſolenni peregi, concionem Laurentius habuit ingenti auditorum tum approba- „
tione, tum fructu; ac ne ſua corporibus quoque refectio deeſſet, quotquot aderāt Chri- „
ſtiani Sangadonus omnes ibidem excepit admodum liberali conuiuio. Sic illi abierunt „
dies. Nunc ego Sacaium parabam excurrere, vt quibus neophytis Sangam venire non „
licuit, eorum ibi confeſsiones audirem. Vale. Sanga. Hactenus Organtinus, qui quoni- „
am Iaponijs iam nūc ſine interprete ipſe per ſe præbet aures, vel inde exiſtimabis quàm
breui quantum in huius linguæ cognitione profecerit.

Ego paucis hiſce diebus baptiſmatis fonte luſtraui Naitum Toſandonum, quem ſupra dixeram concionibus frequentem adeſſe (is Thomam nouo nomine appellari ſe
voluit) deinde Guembadonum Ioannis Naetondoni fratrem, qui hoc tempore in familiaribus eſt Cubi, eritque, vt ſpero, huic Meacenſi Eccleſiæ non paruo adiumento
acceſsit etiam filius ipſius Guembadoni annos natus nouem, quorum alteri Iuliani, alteri Benedicti nomē indidimus. Is deinde Iulianus milites Cubi prętorianos, è quibus

habet

A habet complures amicitia ſibi coniunctos, cæpit paulatim ad noſtras conciones allicere: audiuntque libenter, & capiunt quæ dicuntur, iamque nonnulli ſe ad Chriſtum adiungere decreuerunt.

Organtinus, & Laurētius ante octo dies huc Sanga rediēre, itaq; Laurentiū ce'eriter miſi Tambam, ad Euangeliū promulgandū, vehementer id efflagitante Naetondono.

In Regno Iquendæ vnus dumtaxat eſt Chriſtianus, ſed mirum in modū ſtudioſus fidei propagandæ. Huius adhortatione permotus vnus è triumuiris Regno adminiſtrādo, venit hodie cum aliquot è ſuis ad me, audiendi Euangelij cauſſa; quod hiſce militibus labore & diligentia maxima ab horis meridianis ad veſperam vſq; ſine intermiſſione explicatur ac traditur. Ex ijs multi iam è catechiſmo cùm alia, tum ipſas precationculas chirographo ſuo deſcriptas, admodum facilè memoriter hauſère. Sanè quàm opportunum fuerat nobis, in Iquendæ regionem inferre verbum Dei: gens enim eſt acri in primis ingenio, nec dum nobis ad eam adſpirare licuerat.

Sed paginæ iam nimis multæ procedunt. itaq; modum epiſtolæ faciam, ſi quædam adhuc de Nubananga ſubiunxero. Præter Frenoiamenſem, (quā ille Rex, vt antea ad te ſcripſi, funditus euertit) aliæ ſunt etiam Bonziorum Academiæ. in ijs & longa ſexcentorum annorum pace, & varijs opibus ad omnes deliciarum vſus eò cōgeſtis, in primis
B clara celebriſq; fuit ea, quam patrio nomine Facuſangin appellant. Multa viſebātur ibi cœnobia Bonziorum, & ſeparatæ præterea ipſorum ædes numero mille quàm ornatiſſimæ, cómodiſſimæq;. In horum quoq; Bonziorū perniciē intentus iamdiu Nubunāga, ſuſtinebat tamen ſe, dū aliqua ſe offerret cauſſa probabilis. Ea vt apparuit, quippe prædа quā è regno Voaris quidā ex hoſtibus eius abegerat, apud hoſce Bonzios depoſita & cuſtodita; enimuero ille nihil cunctandū ratus, poſt factas cum Cubo inducias, confeſtim cum exercitu venit illuc: multiſque incenſis ædificijs, & cuncta illa Bonziorū gaza direpta, egregiè ſuas iniurias vltus eſt. Ac vide quàm non diſſimulanter factis dictiſque Iaponicæ ſuperſtitioni, eiuſdemq; cuſtodibus bellum indixerit. Xinguen eſt Rex Cainochuni, qui patre in exſilium pulſo per vim, fratre autem natu maximo in cuſtodiam incluſo, regnum inuaſit; inſano deorum cultui vſque adeò addictus, vt poſt aditam regni poſſeſſionem, barba & capillo poſito, ſe in Bonziorū ordinem adſcribi voluerit: nec ſolùm eo habitu, & ſtola ornatus incedit, ſed etiam ter quotidiè ſacris operatur, ſexcentos ad eam rem ſecum trahens Bonzios. Is per cauſſam inſtaurandæ Frenoiamæ, & diruta Quanonis tēpla reficiendi coacto exercitu, & locis aliquot dolo magis & fraude quàm vi aperta occupatis, antiſtitem ſe, & aſſertorem profitetur auitæ religionis: & ſibi iactat eſſe propoſitum, in ea tuenda colendaque vincere Xacam ipſum, fama ſanctiC moniæ celeberrimum. Idem cùm ante aliquot menſes dediſſet ad Nubunangā litteras cum arroganti inſcriptione, Tendaino, Taxu, Xamon, Xinguen, hoc eſt, ſummus in domicilio Regum, religionumque Xinguen; viciſſim illi reſpondit hic alter cum horrendo plane ſui nominis titulo: Dainoquu, tennomauon, Nubunanga: id eſt, Nubunanga domitor dæmonum, hoſtis oppugnatorq; ſectarum. Nec ſanè falsò: pergit enim diabolicos hoſce ritus, & nefaria ſacra, & omina, quibus Iaponij mirum in modum ducuntur, & ſacrificulos omnes non modò palam irridere atque contemnere, ſed etiam deteſtari, & omni conatu delere: vt non immeritò ab hiſce neophytis flagellum diuinæ iuſtitiæ nominetur. nec deſunt qui eūdem (licet nondum id apertè præſeferat) intimis tamen ſenſibus eſſe Chriſtianum exiſtiment. Quæ cùm ita ſint, pro certo putarat Iaponicum vulgus, Nubunangam religionis tam multis locis tam grauiter violatæ, breui pœnas daturum. Nunc verò contra, cùm videant omnia illi è ſententia cedere, fieriq; potentiorem in dies; valde offendi cæpere in ſuis dijs, & conceptam à pueris opinionem de ipſorum numine ac maieſtate paulatim deponere: quæ res minimè aliena noſtris rationibus videbatur, atque vtinam percrebreſcat.

Hæc ego, Pater optime (quominus œconomiam in ſcribendo requiras) ex interuallis ad te ſere noctu exarabam, erepto è ſummis occupationibus tempore. Si quid proinde acciderit litteris dignum, non deero veſtris omnium deſiderijs. Vos interim iſtic valete, noſtramque imbecillitatem veſtris holocauſtis, pijsque ſupplicationibus fulcire quotidiè pergite. Meaco. xv. Cal. Iulias. M D LXX III.

Selectarum Epiſtolarum ex India Finis.

DE QVINQVAGINTA DVOBVS E SOCIETATE IESV,

DVM IN BRASILIAM NAVIGANT, PRO CATHOLICA FIDE INTERFECTIS,

EPISTOLAE DVAE.

PETRI DIAZII AD LEONEM Henricium Prouinciæ Lusitanæ pro Societate Iesu præpositum.

EXPONAM his litteris felicem exitum Ignatij Azebedij Brasiliæ Præpositi Prouincialis, & comitum. Nonis Iunij, cum Aloysio eiusdem Brasiliæ prouinciæ pro Lusitaniæ Rege præfecto, classe nauium septem, Olisipone profecti, octauo die Materiam hanc insulam prospera nauigatione tenuimus. Nouem circiter & sexaginta in vniuersum è Societate nostra conscenderamus, in tres onerarias distributi. Quę S. Iacobi dicebatur, ea cum Didaco Andradio multisque alijs è nostrorum numero vehebatur Ignatius. Francisco autē Castrio cum fratribus duobus, & pueris orphanis, Ioannis Fernandi obtigerat nauis. Me Socijs cum amplius viginti, eadem quæ Aloysium Præfectum nauis exceperat. Et quoniam certis de caussis in hoc Materiæ portu aliquandiu subsistere decreuerat Aloysius; vectores & nautæ S. Iacobi, quod multa negotia haberent in Palma ex Canarijs, seu Fortunatis insulis vna, magnopere efflagitarunt, vti sibi liceret præire: se expeditis maturè negotijs, aduenienti reliquæ classi præsto futuros. Atque initio quidem recusabat Ignatius, in tanto maris & piratarum discrimine à cæteris digredi periculosum ratus: verùm deinde victus precibus, abeundi veniam ab Aloysio petijt: qua impetrata, quasi diuinaret ea quæ postea consecuta sunt, pridie eius diei qui Apostolorum Principi sacer est, Sacramento Confessionis & Communionis præmuniendos curauit omnes, & simul diuisit ijs Agni cælestis cereas imagines aliquot, à summo Pontifice consecratas, & alia quædam religiosa munuscula, quæ ex vrbe Roma secum attulerat.

Hisce peractis, soluere pridie Kalen. Iulij vento secundo, qui tamen eos in medio cursu defecit. Porro Dominico die proximo, quinto nonas Iulias, allatum huc est, Iacobum Soriam maritimæ rei pro Nauarræ Regina præpositum (is Caluini sectator egregius, capitales inimicitias cum Papistis, sic enim Catholicos per ludibrium hæretici appellant, exercere sese palam profitetur, ac prædicat) stare cum nauibus circiter septem in portu ad quinque leucas hinc sito, cui à Sancta Cruce nomen est. Perturbauit is nuntius

A nuntius vehementer omnium animos, ſtatimque Aloyſius, oppidique præfectus cum populo vniuerſo ad pugnam comparauêre ſeſe. Itaque Sabbati luce quæ conſecuta eſt, cùm ſe Iacobus Soria in conſpectum noſtrum dediſſet, occurrentibus ſibi Catholicis, qui probè inſtructa militibus tormentiſque nauigia decem eduxerant, perterritus ceſſit, fugaque ſibi conſuluit. Hoſtē fugaſſe contenti noſtri poſtridie reuertunturi: ille verò hoc perfunctus periculo, Canarias petijt, ac die Ionis inſequenti ad aſpectū vſq; Palmæ Inſulæ, & onerariæ noſtræ, quæ portum capere nunquam potuerat vento deſtituta, ſanè feliciter eſt prouectus. eo autem ipſo die Ignatius manè cum ceteris fratribus ad Tertiæ cohortis (id loco nomen) vicum à portu leucas quinque circiter, ſcapha contenderat eo conſilio, vt ſi daretur facultas, ad portum terreſtri itinere peruenirent: ſed cùm res exitum non haberet, in nauim ſe denuo recipere ſunt coacti. Vt vel ex hoc ſatis appareat, expetendum id genus mortis paratū illis fuiſſe diuinitus: eoque magis, quòd iter illud leucarum octoginta, vix diebus quindecim ab ipſis emenſum, addo naui minimè impedita, vento etiam initio (vt diximus) valde ſecundo; id iter totum nauibus quinque (& quidem earum nonnullis admodum onuſtis) non plus triduò ab Iacobo Soria decurſum eſt. Poſtridie noſtri eadem malacia nouem fere millia paſſuum à littore detenti, vbi aduentantes Caluinianos aſpiciunt, paucis diſpoſitis tormentis ad defen-

B ſionem extemplò parare ſeſe: Ignatius autem ſumpta MARIAE Virginis imagine, quā Roma ſecum extulerat, prout res & tempus poſtulabat, ad officium, atque ad pietatem cunctos hortari. Interea vnum è nauigijs hoſtes ad noſtram onerariam applicant, in eāque tres primò, in ijs nauclerus magna apud eos exiſtimatione, tranſiliunt. atque ij quidem ſtatim à Luſitanis interfecti: ſed maiore deinde hoſtium irrumpēte numero, diutius obſiſti nō potuit. Tum Iacobus Soria, vbi cognouit noſtræ Societatis homines ibi verſari, omnes ad vnū occidi imperauit, vociferatus: interfice, interfice, quoniā ad praua dogmata diſſeminanda Braſiliam petunt. In eorum numero, qui onerariam occupauerant, erat Iacobi cognatus quidam: qui cùm vitam aliquot Catholicis promiſiſſet, id iuſſit Iacobo renuntiari. quæſiuit ille, cunctine presbyteri (ſic enim noſtros vocabat) eſſent interempti: cùm interemptos eſſe reſponſum fuiſſet, tum ab alijs manus abſtineri non vetuit. quo facto ſanè præclarè ſuum in nos odium exprompſit, præſertim quòd paucis ante diebus, intercepto nauigio, quo Franciſcani concionatores duo, totidemque ſeculares, vt appellant, ſacerdotes in Luſitaniam vehebantur, eorum nulli necem intulit: nactus deinde noſtros magna ex parte adoleſcentulos tyroneſque, nulli pepercit omnino. Mactatus eſt autem omnium primus Ignatius, quem obuiam hoſtibus prodeuntem elata manibus ea quam dicebamus imagine, magnoque

C animo profitentem ſeſe cum ſuis eſſe Catholicum, lanceæ tribus ictibus confoderunt, & ſacram imaginem extorquere fruſtra conati ſunt. tum Didacus Andradius in amplexum ruit Ignatij: atque ita coniuncti ſimul ambo confecti vulneribus præcipitantur in mare vnà cum ipſa imagine, quæ de Ignatij manibus nunquam exciderat. Inde tabulata onerariæ ſubeunt, quo Ignatius in eo tumultu fratres octo & triginta (tot enim erant eum ex hoc portu proſecuti) condiderat: binoſque, ac ternos ordine deinceps eductos ad nauis marginē, ac talaribus tunicis, quam quā exigui admodū pretij, exutos, adacto bis terve ſingulis in viſcera pugione, ſemianimes è naui deturbant: quorundam etiam præcidunt brachia, vt omnem prorſus euadendi ſpem ijs adimant. Atq; hunc exitum felix comitatus ille ſortitus eſt. Poſtea quæſitum de trium illorū cæde, qui ex hoſtium claſſe in onerariam primi tranſcenderant. Eius auctores cædis, onerariæ gubernatorem cum adminiſtris duobus, ad ſe perduci furore percitus iubet Soria. ibi, ipſo non ſolùm imperante, ſed etiam inſpectante, viuentium pectora diſſecantur, & extracta crudeliter inteſtina deijciuntur in pelagus. Iam verò hanc immanitatem Caluiniani illo etiam ſcelere cumulant. in onerariam reuertuntur, ſacroſanctum caput vnius ex vndecim Virginum millibus, quod ſolatium neophytorum Ignatius in Braſiliam afferebat, è carcheſij fune contumeliosè nefarieque ſuſpendūt: deinde arreptam aliam Virginis Deiparæ effigiem, egregio perfectam opere, quam item Roma Ignatius auexerat, cum ſacris alijs imaginibus permultis, in angulo nauis per ludibrium collocant: in eaſque vt in ſcopum ſicas eiaculari laſciuientes incipiunt. Roſaria verò benedicta, ac ſanctorum reliquias, libroſque de religione, & alia ſcripta quædam ad Braſiliæ prouinciæ rem magnopere pertinentia, vt ſibi minus vtilia, vel ſuperuacanea potius, alto mandarunt. Huius rei geſtæ ſeriem totius à Luſitanis duobus accepimus,

qui ſpe-

qui ſpectatores affuerunt, cùm per eos dies à Caluinianis captiui detinerentur. Qui è D noſtris occiſi ſunt, æquè nouitij ac veterani, præclaris erant adiumentis rerum gerendarum inſtructi: itaque ad rem Chriſtianam promouendam valde habebantur idonei.

Obſtupeſco ſanè, mecum ipſe conſiderans mutationes migrationeſque noſtrorum è naui in nauem Oliſipone primùm, deinde in hac inſula Materia: vt felix ille manipulus, ſicuti Gedeonis quondam milites, pæne viritim à Domino lecti fuiſſe videantur. Me in S. Iacobi nauem imponere, ipſe apud Aloyſiũ præfectum remanere Ignatius iam prope decreuerat, ſed mutauit deinde conſilium: partim vt equidem exiſtimo, ne laborem atque periculum ſubterfugere voluiſſe videretur; partim etiam quòd ego tanto indignus bono videlicet fui. Reliqui ſumus nunc è Societate ad triginta. Cæptum iter numinis fiducia perſequi certum eſt: vtrum eodem euẽtu, neſcimus: illud quidem intelligimus: Iacobum Soriam id vehementer expetere, nobiſque tendere inſidias. Sed iam inſtat hora profectionis, itaque finem ſcribendi facio, meque & comites tuis cæterorumque ſacrificijs ac deprecationi commendo. Ex inſula Materia xv. Kalend. Septemb. M. D. LXX.

FRANCISCI HENRICI Præpoſiti Domus Oliſiponenſis ad ſocios, Romam.

EXITVM Ignatij Azebedij, & Sociorum nouem & triginta iam cognouiſtis, vt credimus; qui Braſiliam vnà cum Aloyſio regio Præfecto petentes, vt in ea prouincia, rei Chriſtianæ procurandæ cauſſa, more noſtro collegia inſtituerent, in itinere à Caluinianis oppreſſi, vitam in profeſſione fidei Catholicæ profuderunt. Nunc aliorum XIV. qui anno poſt, in eadem cauſſa parem præſtiterunt animi fortitudinẽ (ad ſeptuaginta enim è noſtris Oliſipone diſceſſerant plures in naues impoſiti) perſequemur eo ipſo ordine, quo rem totam alter duorũ, qui Dei benignitate ſuperfuêre, nobis expoſuit.

Poſt obitum Ignatij, cùm Luſitanicæ naues è Materia inſula curſu in Braſiliam directo ſoluiſſent; aliæ alium euentum ſortitæ ſunt: ea verò, qua Petrus Diazius cum Socijs aliquot vehebatur, ad Cubæ inſulæ portum, cui à ſancto Iacobo nomen eſt, fluctibus & procellis adeò labefactata peruenit; vt eã relinquere planè ſibi neceſſariũ duxerint. F Sed cùm alia eſſet ibi nulla, ad Abanam eiuſdem inſulæ portum, in Orientem procedere ſtatuunt; ac tridui primùm iter emenſi pedibus; & quidé excalceatis, imbreden ſo atq; perpetuo, via teterrima; difficultatibus præterea vt in eiuſmodi regione, maximis; exiguo & aperto ſeſe commiſêre nauigio, ventis pluuiæque adeò expoſiti, vt non commeatus modò corrumperetur humore nimio, ſed & ipſa quibus erant induti veſtimenta pæne putreſcerent. Eo nauigio quattuor & ſeptuaginta leucas Abanam vſq; prouecti, maioris formæ naui in eo portu cõducta, Auguſto menſe denique ad inſulas Tertias, Aloyſium regium Præfectum, & è noſtra Societate Franciſcũ Caſtriũ, & quinque fratres qui anteceſſerant, aſſequuntur. Hic Aloyſius, nauali turba vehementius imminuta, quod & ex oneraria ipſius, in tam difficili ac diuturna menſium quindecim nauigatione viri ſexaginta perierant, & ad Antilias multi ſubſtiterant; multi etiã laboribus periculiſque defatigati, mutato conſilio in Luſitaniam inde reuerterant; cùm ſupereſſet vectorum & nautarum vix quod in vnam ſatis eſſet onerariam (in quibus tamen ipſis fœminæ quinque & viginti, imbelli cum puerorũ grege numerabantur) redactis in vnum omnibus, cæptum iter vnica naui peragere inſtituit; ſoluitque feria quarta, octauo Idus Septembris. Porrò è Societate noſtra (totidem alijs fere tempeſtate diſiectis, de quibus nihil dum certi compertum eſt) quattuordecim aderant, Patres duo, Petrus Diazius & Franciſcus Caſtrius; duodecim fratres; Alfonſus Fernandus, Gaſpar Goes, Andreas Pais, Ioannes Aluarus, Petrus Diazius, alter eodem, quo Sacerdos nomine; Fernandus Aluarus; & ex nouitiorum numero; Michael Tarraconenſis, Franciſcus Paulus, Petrus Fernandus, Sebaſtianus Lupius, Didacus Fernandus, Di-

dacuſ-


A dacuſque Caruallius. Dies octo in altum Oceanum proſpero flatu prouecti, naues quinque ſole iam occidente conſpiciunt, quarum erant Gallicæ quattuor, vna Anglica. Eæ, diſsimulato in noctem vſque conſilio, conuerſis deinde repente proris, vento ſecundo nauem noſtram inſequuntur. Id vt animaduertit Aloyſius, ratus (id quod erat) & hoſtes eſſe, & hæreticos; aduocata ſtatim concione, ſocios nauales ad prælium acriter incundum hortatur, mortemque vt Chriſtianos deceret, pro Catholica religione fortiter oppetendam. deinde arma expediri, culcitras locis opportunis prætendi, ſaxorum vim congeri, ſulphurei pulueris cados promi celeriter imperat: diſpoſitis denique ad pugnam ſtationibus, peccata ritè confeſſus eſt ipſe, & cæteri quibus ea nocte confitendi ſpatium datum eſt. verùm inalbeſcente iam die, roſtrata hoſtium nauis ex earum genere, quos Galeones appellant, ad noſtram appropinquauerat, amplior & eminentior multo; duabuſque tormentorum ſignificationibus, de more, iuſſerat à Luſitanis vela ſubmitti. Cùm illi nequaquam parerent; tum hoſtes facto ter in onerariam impetu, quinque ex eorum numero occidunt, ſeptemdecim, eoſque ferè omnes in cruribus vulnerant, ſic, vt funibus, ne caderent, altera manu apprehenſis, non niſi altera decertare poſſent. Et quamquam hæretici è ſuperiore admodum loco pugnabant; haud tamen incruentum eis fuit certamen: ſiquidem & initio dimicationis de ſuis ferè viginti amisere, vulneratis præterea circiter vndecim; & deinceps tribus bombardæ ictibus læſi grauiſsimè ſunt, quorum vno diffractus ma
B lus & vela proſtrata; altero perforatum carinæ latus non ſine magno eorum diſcrimine aquas accepit; tertio diſcerpti decem ſimul hæretici: quæ tametſi erant omnia non leuia incommoda, nihil tamen hoſtes æquè perturbauit ac vela deiecta, prorſus vt de ſe actum iam arbitrarentur. Tum verò ex ipſa deſperatione omnibus connixi viribus, quartum iam noſtros inuadunt, & minore quàm putauerant negotio ſuperant. decem quippe non amplius propugnatores erant relicti, quorum quinque in prora collocati, primo impetu cecidere. Itaque patefacto iam aditu, hæretici ad ſexaginta vi maxima irrumpunt, quos Aloyſius, cùm duas ferreas glandes alteram accepiſſet in pectore, alteram in crure, quamquam exhauſtis iam corporis viribus, magno tamen animo conſtituit opperiri; gladioque, & ſcuto nunquam abiecto, ad extremum vſque ſpiritum dimicauit egregiè. Eius morte à reliquis deditio facta. quæ tamen ad mitigandam hoſtium crudelitatem minimè valuit. nam diabolicis inſtincti furijs, obuios quoſque obtruncant: Aloyſium, ignari quis eſſet, nudatum, itemque aliorum corpora multis adhuc ſpirantibus, in vndas proijciunt. Verſus deinde in Sanctorum reliquias, & ſacras imagines furor, quarum erat ingens in ea naui numerus. Has hæretici Catholicis per vim extorquere, trahere per tabulata, calcare pedibus, in ignem denique gratulabundi conijcere: ſimul, ore impuriſsimo, in Sanctos quo-
C rum erant illæ reliquiæ, blaſphemias euomentes, quas horret animus ſcribere. quin etiam, repertas vigeſimo poſt die ſtatuas duas, alteram ſacratiſsimæ Virginis, alteram Angeli, elatas in publicum, ſacrilegis fregere manibus, caput Angeli per ludibrium tota naui circumferentes. Tertium & trigeſimum vagati diem, capto etiam Algarbienſi nauigio, prædam expoſuere poſtremò ad Oruium promontorium oræ Callaicę. Claſſi præpoſitus erat Ioannes Cadauilius Gallus, hęreticus vehemens, & Eccleſiaſticorum ordinum inimicus acerrimus: roſtrata vehebatur eadem, qua Iacobus ante Soria Ignatium Azebedium & comites ceperat & occiderat. In Aloyſium verò præfectum incidere Caluiniani, cùm ab inſula Gomera, eam depopulati, ſoluiſſent. atque is fuit Aloyſij & Luſitanorum obitus, cuius viri de fortitudine virtuteque frater noſter ita multa commemorat; vt pro certo habendum ſit, animam eius in cœleſte domicilium commigraſſe. Nunc veniamus ad noſtræ Societatis homines, quod maximè nobis propoſitum eſt. Ij, cùm hoſtes infeſti aduentarent, à media nocte ad lucem vſque expiandis per Confeſsionem criminibus quiſque ſuis vacarunt. Deinde tabulata ſubire iuſsi, non niſi commiſſo prælio aſcenderunt ad animandos milites, cibo recreandos, & curanda vulnera. Sed quo tempore facta eſt deditio, in ſumma naui, præter Caſtrium exſtabat eorum nemo: namque is paulo ante ad excipiendam vnius è gubernatoribus Confeſſionem aſcenderat, ad imam proræ turrim ex vulnere animam agentis. In eo munere occupatum, hæretici vulneribus quàm plurimis punctim cæſimque confodiunt, ira maxima perciti, nimirum eo quod Eccleſiæ ſacramenta miniſtrantem offenderant. Nam in cæteros non adeo ſæuiere: in Caſtrium verò certatim omnes. Sub idem tempus Petrus Diazius, qui ad eam vſque horam Confeſsionibus eorum qui ſub tabulatis erant, operam dederat, atque hilari ſemper ac ſereno vultu animauerat

cæteros;

cæteros, Gaſpare Goe ſequente, in apertum prodijt. Vt primùm apparuêre, vtrunque D
Galli confeſtim occidunt. nec puero quidem ætatis admodum teneræ parcunt, qui à
Petro ægrè ſeſe diuelli patiebatur. Atque hoc maximè modo tres ij primo congreſſu
cæſi ac nudati, deijciuntur in pelagus. Tum vndecim reliqui, ſedato iam pauliſper tu-
multu, ſeſe inuicem plenis pietate ſermonibus adhortati, vltro in editiora nauis eua-
dunt: nec modò, latendi cauſſa, in cæteram turbam ſeſe nõ inferunt; ſed etiam in vnum,
dedita opera, conglobati omnes, apertè profitentur ſe & eiuſdem eſſe religionis cuius
tres modò perempti, & æquè paratos ad mortem communis Domini gratia ſubeũdam.
Quos, circumfuſi confeſtim hæretici, dictis factiſque eo die toto contumelioſè ac pe-
tulanter illudere ac diuexare non deſinunt, cùm illi reſponderent nihil, niſi ſi quid ad
honorem Dei, vel ad dignitatem Eccleſiæ Catholicæ pertineret. Vbi nox adfuit, ma-
nus ad terga religantur infontibus: atque inter vinciendum, accidit vt Michael Tarra-
conenſis è vulneribus, quæ in brachijs principio acceperat, ingemiſceret. Quæ res tan-
tum abfuit, vt hæreticos ad miſericordiam permoueret; vt etiam arreptum furenter
hominem, multa ingerentes probra, è naui præcipitauerint; &, ne incomitatus abiret,
Franciſcum quoque Paulum (nam is erat proximus) eodem impetu deturbarint. Cæ-
teri omnes, vinclis (vt dicebamus) iniectis, in Aloyſij cubiculum detruduntur: adhibi-
tiſque cuſtodibus, totam eam noctem, partemque inſequentis diei, prope per inediam
tranſigunt: cùm interea ſuper alios alij ad oſtium adeſſent carceris, modò læta, modò E
triſtia nuntiãtes: quidam etiam truci obtutu, ſtrictis minaciter gladijs fremerent: Papi-
ſtæ, Latrones, ecquis erit aliquando qui vitam vobis eripiat? & alia eiuſmodi. Interea
noſtri, quaſi futura proſpicientes, magno animo ſeſe ad extrema quæque parauerant:
nec eos fefellit opinio. Nam educti è carcere, damnantur capitis. Iamque parabantur
laquei vt ſuſpenderentur ſinguli è maximo nauis malo; cùm Præfectus, maioris prædæ
ſpe, quòd eos putaret pecuniam, ad templum in Braſilia exædificandum, ſecum attuliſ-
ſe, rem in præſentia diſtulit; ſed eorum comperta denique inopia, Petro Diazio, Dida-
coque Caruallio ibidem relictis, ſeptem reliquos in roſtratam ex oneraria transferri
iubet. Hic eos hęretici denuo circumſiſtere; nec ſolum in fratres noſtros, verùm etiam
in Romanum Pontificem CHRISTI Vicarium, in Eccleſiaſticos ritus, in Sanctos eo-
rumque venerationem, denique in Sacramentum ipſum altaris, contumelioſa atq; im-
pia verba proferre. ad quæ cùm illi fortiter admodum reſponderent, cædebantur pu-
gnis, alapiſque frequẽtibus, defenſores Catholicę fidei: quin etiã exquirebantur diligẽ-
ter in ſummis capitum verticibus, ſacrę quas appellant coronę, quarum hæretici ſi quas
inuenerant, has verò iterum iterumque ſinguli tundere; & ſimul iurgijs & maledictis F
in eoſdem inuehi cùm alijs multis, tum illis præſertim: canes, fures, veteratores; per vos
ſtat quò minus conſpirent vniuerſi mortales atque conſentiant, ſublatiſque diſcordijs
ac tumultibus, tranquilla omnes pace atque otio perfruamur. Veſtro ſcelere non mo-
dò Germania, & Gallia, verùm etiam Braſilia, atque adeo toto terrarum orbe praua
doctrina diffunditur. Erat è nouitiorũ numero Petrus Fernandus, faber lignarius; om-
nium recẽtiſsimus ille quidem; ſed apprimè humilis, & magna virtute vir. Is, initio de-
ditionis, pileo talariq; tunica exutus ab hoſtibus, ne deinde fallente veſtitu pro ſeculari
haberetur, & præclarã pro CHRISTO moriendi occaſionẽ amitteret; aggregabat ſe ad
fratres identidem, vultu oculiſque ad modeſtiæ religioniſque ſignificationem ita com-
poſitis, vt vel ex eo ſatis intelligerent hæretici, hominem eſſe de noſtris. Quo etiam ve-
hementius irritati, caput eius arreptum, vtraque manu ſubrigere, colaphis petere, digi-
tis oculos aperire, palpebraſque diſtendere, paxillos denique mento ſubdere, ne vul-
tum dimitteret. ad hæc illum contumelijs inceſſere eiuſmodi: Canis, attolle faciẽ; fron-
tem exporrige. quæ ille nimirum excipiebat tanta non ſolum animi æquitate, ſed etiam
oris hilaritate, vt eo bono ſe indignum exiſtimans, conuerſus ad Deum, diceret: Quo
meo mihi merito hoc tribuis, vt pro te patiar, Domine? Per hanc ſimul procacitatem
atque ſæuitiam hæretici cùm ſeſe miſeri diutius oblectaſſent, alij demum alio varios in
vſus digreſſi ſunt; ſpatiumque fratribus datum ad inflammandos mutuis cohortatio-
nibus animos, vireſq; recolligendas: quo in genere Petri maximè Fernandi, eius quem
modò dixi caritas ac virtus enituit, cùm in ſingulos congreſſus, lętiſsimo ſemper vul-
tu, cæteros ad conſtantiam ac fidem accenderet, atque ad agnoſcendam inſignem hanc
in ſe Dei beneficentiam, multis rationibus excitaret. Cuiuſmodi ſermonibus dum
ſe inuicem confirmant fratres, magna rurſus circumuenit eos hæreticorum manus.
Inſti-

A Inſtituitur de religione certamen: ex quo, vt genus videatis, vnũ attigiſſe ſat fuerit. Op
pugnabant hæretici ſupplicationes & preces, quibus auxilium à Sãctis more catholico
expoſcimus. qua in diſputatione acrior coortus quidam ex ijs: Nonne, inquit, cernitis,
in noſtra poteſtate vos eſſe captiuos? quin vos igitur Maria virgo, Sanctiq;, quorum o-
pem implorandam affirmatis, è manibus noſtris eripiunt? cui fratres: Si expediat nos eſ-
ſe ſuperſtites; Beatiſſima Virgo Sanctiq́ue, & vitam nobis à Domino, & libertatem obti
neant vtique: ſed quia emori præſtat, idcirco non impetrant. Hæc & alia id genus re-
ſpondebãt fratres: quę illi cùm ferre non poſſent, amentes iracundia & rabie, conſputa
bant ora ſubinde noſtrorum: quin etiam quodam Alphonſi Fernandi reſponſo permo
tus vnus ex ijs, furenſq́ue: ob idipſum, inquit, quòd ita dixiſti, peribis. cui Alphonſus,
vtpote Proministeer: Non ſolus ego, ſed oẽs planè mori parati ſumus. Atqui exſpectate
(ait hæreticus) moloſſi canes, caput egomet vobis pręcidã, voſq́ue (meã fidem teſtor) in
mare proijciam. Hac altercatione in cœnã vſq; ducta, diſcedunt hæretici: fratres verò
tempus nacti rurſus moleſtia vacuũ, de integro adhortari ſe mutuo; diuinam opem in
tali tantoq́ue ſalutis æternæ diſcrimine expetere; Chriſti morte cruciatibuſq; memo-
ria repetendis, ſe ſe ad perſeuerantiã atque ad fortitudinem incitare; Deo denique pro
tam præclara ſibi oblata bene moriendi occaſione gratias agere. Interea hæretici exple
B to epulis ventre, animi quoque feritatem extremo ſupplicio noſtrorum exſaturare cõ-
ſtituunt: nec mora: ſingulos octoni deniue circumſtant, exutoſq́ue tunicis, quanta ma
xima vi, quàm poſſunt longiſſimè à nauibus in altum eiaculantur. Ac Petrus quidẽ Fer
nandus, & Ioannes Aluarus, natandi minimè periti, fluctibus hauriuntur illicò; cæteri
quinque vnum in locum diuinitus congregati, diu ſeſe ſuſtentant, poſtremum vale ſi-
bi dicentes inuicem, ac veniam inter ſe delictorum petentes. Didacus verò Fernandus,
quem vnà cũ Sebaſtiano Lupio (qui deinde ſuperſtites ambo fuere ſub noctem hæreti
ci quidam quaſi diuino iuſſu, cibo potuq́ue refecerant, validus viribus, claſſem, quòd
è repentina pluuia venti quieuerant, tardius eũtem aſſequutus, & neſcio quo pacto in
vnam nauium acceptus, Diuinæ conſilio prouidentiæ manſit incolumis. Luctantur cũ
fluctibus reliqui, & quamq̃ in ſumma difficultate ac defatigatione, Apoſtolico Sym-
bolo, precibuſq́ue fundendis ad Deũ, ſeſe cõtra ſpiritales nequitias cõmunire non deſi
nunt. iamq́ue nox erat media, cũ Alphonſo Fernando in verba præeunte, certos è quin
quageſimo pſalmo verſiculos decantare cæperũt, atque illum pręſertim: Tibi ſoli pec-
caui, &c. Verùm laſſitudine tandem victus, & aquarum vi obrutus Alphonſus extin-
guitur, ſpectata probitate, ac religione vir, cuius præcipuè robur animi ac virtus in hę-
reticis modò refutandis eluxerat. Hunc aũt eo conſilio è Luſitania ſecum abduxerat
C Azebedius, vt Philoſophiã, cui magna cũ laude vacauerat, in Braſilica prouincia pro-
fiteretur. Alphonſum ſecutus eſt mox, IESVM inuocans, Andreas Pais: poſtremus om-
niũ Fernandus Aluarus mergitur. Tum Sebaſtianus Lupius in mari medio, nocte intẽ-
peſta, denſis tenebris, imbre maximo derelictus, elatum ſorte quadã in claſſe lumẽ emi
nus intuens, mille circiter & quingentorum paſſuũ interuallo diſtantes conſequitur
naues; quarũ ad vnam, itemq́ue alteram accedens, & vt admitteretur ſuppliciter poſtu-
lans, cùm acerbè minitantes hoſtes, intentaq́ue in ſe tela ſenſiſſet; quaſi ad extremũ per-
fugium, contendit ad vnam è ſcaphis: cuius ad marginem ſtans fortè quidã hæreticus
paulo mitior, tum Sebaſtiani anguſtijs, tum etiam fortaſſis ab ſe defertæ verę fidei religioniſq́; recordatione commotus, excepit hominem: penulaq́ue contectum, ac furtim
in nauem impoſitum, commentis quibuſdam hoſtium furori atque immanitati ſubtra
xit. Duos autem illos qui in Luſitanica naui relicti fuerant, eodem genere mortis, eadẽ
animi magnitudine defunctos accepimus. Porro nobis hæc omnia Sebaſtianus ipſemet
Lupius expoſuit. nos totam rei geſtę ſeriem his conſignatam litteris eidẽ Sebaſtiano re-
cognoſcendam oſtendimus: cuius ille narrationis veritatem ac fidem ſuo rurſus teſti-
monio comprobauit. Quo etiam ſtudioſius fecimus, vt hanc ad vos mitteremus epiſto
lam, rati eò vobis gratiorem futuram, quò certiora perferret. Quod reliquum eſt, ve-
ſtris omnium ſacrificijs, precibuſq́ue, nos etiam atque etiam Domino commendari per
cupimus. Oliſipone. v. Idus Decembris. MDLXXI.

FINIS.



Alexandri Humii
ex bibliotheca Domini a
S. Cruce.

IGNATII LOIOLAE VITA

abs. 1491. ad 1556.

POSTREMO RECOGNITA.

CLAVDIO AQVAVIVÆ PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV

Ioannes Petrus Maffeius S. D.

QVÆ parens & conditor noſtræ Societatis Ignatius, auctorè ac duce Deo geſſit in terris; ea profectò digna ſunt, in quibus commendandis immortalitati, ſcriptorum omnium certet induſtria. Id ſcilicet fuit cauſſæ, cùm in eo munere alij non ſine pietatis & ingenij laude verſati ſint, cur ego quoq; delatam olim ad me à Patre noſtro Euerardo nonnullam huiuſce prouinciæ partem, neque ita grauatè receperim; & receptam, ſi minus cum apparatu & copia, certè cum fide curaq;, Deo adiuuante confecerim. Nec ſanè dubium, quin, qui talem mihi laborem iniunxerat, huic potiſſimum laboris eius & operæ fructus ac prima libamina deberentur. Nunc, quando, priuſquã in vulgus exirent lucubrationes meæ, ad beatos ipſius Ignatij complexus, vti ſperamus, ille deceſſit; ei nempe qui in vtriusq; Præpoſiti locum & curas nutu diuino ſucceſſit, optimo iure dicandæ fuerũt. Ac tibi quidem, Pater humaniſſime & optime, in præclarum illud exemplar dies noctesq́ue intuenti, minimè dubito quin opus hoc qualecunque, gratum acceptumq́ue futurum ſit. Cæteris vt perinde iucundum ac fructuoſum accidat; nimirum, ab IESV, tuis incenſis officio & caritate precibus & ſacrificijs impetrabis.

IGNATII

A IGNATII VITAE LIBER PRIMVS.

Ortus eius, & educatio. *Cap. Primum.*

B IN ea Hiſpaniæ regione, quæ ad Pyreneum pertinet, ac vulgi ſermone Guipuzcoa nominatur, in primis clara eſt Loioleia familia. Eius familiæ princeps Bertramus, Ognis & Loiolæ dominus, quæ loca ſunt in finibus vrbis Aſpeithię, in matrimonium ducta Marina Sone, æquè clari generis fœmina, quinque ſuſcepit ex ea filias, filios octo: quorum minimus natu fuit Ignatius is, quem Societas IESV parentem agnoſcit; cuius de vita & moribus, quæ nobis fuerint comperta, in vnius Dei gratiam gloriamque litteris mãdare decreuimus. Hiſce ergo parentibus natus Ignatius eſt anno poſt Virginis partum M. CDXCI. regnantibus in Hiſpania Fernando & Eliſabetha, cognomento Catholicis. Ac de prima ipſius pueritia id vnum conſtat, haud ita ſeuera diſciplina educatum à ſuis fuiſſe; atque ab ipſis incunabulis, vt in opulenta domo, profanos admodum hauſiſſe ſpiritus: deinde litteris vixdum à limine ſalutatis, cùm eſſet eximia & animi & corporis indole, continuò in Fernandi regiam à patre miſſum, veteri Hiſpanię more, quo in regno principum liberi ea fere conditione ac iure naſcũtur, vt maximus ætate dumtaxat in patrimonio imperioque ſuccedat; reliqui, ſiue ad acuẽdam gentis induſtriam, ſiue ad familiæ ſplendorem in vno capite retinendum, portiuncula quadam hæreditatis aſperſi quæ tenuem in victum cultumque ſit ſatis, vel ſtudijs doctrinæ militiæve dant operam, vel aulæ regumque præſidio ad opes gloriamque nituntur. Hic ille cùm honorarios inter ephebos aliquandiu apparuiſſet, aulicis imbutus moribus ad Antonium Manricum ſeſe contulit Naiarenſium ducem ex ijs, quos in C Hiſpania magnates appellãt; quo cum Loioleiæ genti neceſſitudo vetus intercedebat. Atque apud hunc domi foriſque in honore habitus, rei militaris tyrocinia poſuit: & quod ijs fermè vſu venit, qui nondum cæleſtes delicias deguſtarunt, id ipſum Ignatio contigit, vt ardenti laudis humanæ ſtudio, & communis conſuetudinis impetu abreptus, cùm eſſet in corporis ornatu elegãtiſſimus, equorumq; & armorũ vſu præcelleret; quod ſibi datũ fuerat tẽporis ad negotiationem ſalutis æternæ, id ille miſerabiliter, vt plerique mortalium, partim in factionum rixarumq; periculis, partim in amatoria veſania, & cætera ſæculi vanitate conſumeret. Verumtamen inter eiuſmodi vitia, & cęcos errores, præclara quædam emicabant bonæ ac religioſæ mentis indicia. Primũ enim in tanta licentia militari; tamque corruptis hominum moribus, quamuis animo conſternatus eſſet interdum, & multis vndique cinctus anguſtijs; nulla tamen ipſius atrocior vnquã audita vox eſt, quales multæ à nefarijs hominibus in Deum, ac Dei prouidentiam vulgo iactantur. Nec ſolùm ab ômni verborum impietate ſemper abhorruit, ſed etiam ſacra omnia ſacrorumque antiſtites naturæ perpetuo inſtinctu admodum religiosè reueritus eſt. Erat præterea intactus ab auaritiæ ſordibus, & à lucri cupiditate vehementer alienus: quod cùm aliâs, tum verò in expugnatione vrbis Naiaræ, quæ in Cantabrię finibus eſt, perſpici potuit: quam iure belli, cùm dux militi diripiendam dediſſet; Ignatius, quamuis ad ipſum victoriæ pars non exigua pertineret, tamen nec preſentis prædæ dulcedine, nec cæterorum exemplo adduci potuit, vt ſeſe alienæ rei contactu pollueret; non Chriſtiano ſolùm, ſed etiam ingenuo homine id indignum exiſtimans. Quę ipſius altitudo animi in priuatis quoque diſſidijs ac ſimultatibus eminebat, vt ſi quando ex certamine dignitatis (vt fit) ad manus pugnamq; veniſſet, ſi locus recõ-

a 1491.

ciliationi daretur, illicò vnà cum armis odium omne deponeret, & cum inimicis in gra- D
tiam plánè bona rediret fide. Neque verò eidem in magnis arduisque negotijs capes-
sendis alacritas, vel gerendis consilium & cautio deerat. quocirca inter quosdam Can-
tabriæ populos graui orta seditione, legatus ad eos à duce Naiaræ, breui controuersias
omnes magno partis vtriusque consensu & approbatione diremit: ac licet iuuenis ad-
modum esset ætate, in agendo tamen, tractandisque hominum ingenijs, iam tum senilis
quædam in eo maturitas apparebat; prorsus, vt negotium nullum fermè susceperit,
quod non ad optatum exitũ sua lenitate ac virtute perduxerit. quamquam ob imperi-
tiam rerum diuinarum, hæc tam egregia animi bona, & quasi talenta non optimè collo-
cabat interdum: ad hominum videlicet gratiam, ac sui ipsius incrementa ijs artibus
vtens, quas ad vnius Dei honorem & gloriam omnino referri oportuerat.

Conuersio eius ad Christum. *Cap. II.*

HVNC maximè in modum adolescentia, atque ipso ætatis flore cõsumpto, cùm annũ ageret iam nonum circiter & vi-
gesimũ, à miserabili errore, certoque æternæ vitæ periculo in rectum salutis iter summo Dei beneficio reuocatus est. Tota autem eius cõuersionis ratio fuit eiusmodi. Ardebat E
eo tempore Hispania intestini belli tumultibus; quam na-
ctus occasionem Franciscus Galliæ Rex, Nauarræ Vasco-
num quæ Guipuzcoam attingit, Henrico Alibreto cogna-
to suo recuperandæ, cuius pater ex eo regno Fernandi Ca-
tholici armis olim exactus fuerat; Andream Foxium, co-
gnomento Alparotum, cum exercitu iussit in eas regiones impetum facere. qui ce-
leritate vsus, cùm aliquot loca improuiso aduentu cepisset; cumque nobilitas Henrici
cupida ad Gallum sese quotidie adiungeret; Naiaræ dux, qui Nauarræ summo cum im-
perio præerat, eius rei fama commotus, in vlteriorem Hispaniam ad auxilia cõtrahen-
da profectus est, Ignatio, paucisque præterea Pompelone custodiæ causa relictis. Ac cæ-
teri quidem, appropinquante Gallorum exercitu, magnitudine pedestrium & eque-
strium copiarum exterriti, & simul diffisi oppidanorum animis, tempori cedere, & vr-
bem relinquere omnino decreuerant: Ignatius verò, multis verbis homines ab eo con-
silio reuocare conatus, vbi se nihil proficere hortando perspexit, ardentibus oculis de-
testatus ignauiam perfidiamque, spectantibus omnibus in arcem solus introijt, paratus
illam cum aliquot in præsidio relictis omni ope tueri. quo virtutis exemplo permotus
alius quidã Ignatij in studio bellicæ laudis æmulus, eandem aleam subijt: reliquis verò
salus, quàm aut fides aut gloria fuit antiquior. Ventũ deinde in consiliũ est à custodibus F
de summa rei: cumque in tanta propugnatorum paucitate contra tantas hostium copi-
as negarent plerique locum obtineri posse diutius, ac seniorum præsertim sententiæ ad
profectionem inclinarent; Ignatius, quo erat animi & corporis robore, quàm acerrimè
sese rursus opposuit, remque disiecit. Interea Galli, resistente nemine, propius ad vr-
bem accedunt, & magna ciuium voluntate admissi, castris ad arcem positis, præfectum
præsidij ad colloquium euocant. Ille accepta fide, cum tribus dumtaxat egreditur, in
quibus erat Ignatius; qui cùm ab hostibus proponi conditiones iniquiores vidisset,
exarsit nimirum, easq; conditiones tam acri ac vehementi oratione cõmilitonibus dis-
suasit, vt ad extrema omnia perpetienda potius, quàm arcem deferendam cunctos ac-
cenderit. Nec mora: Galli omisso colloquio, acrius instare, tormentis mœnia quate-
re, atque diruere; vndique ascensum tentare: Hispani contra, Ignatij præsertim exem-
plo atque adhortationibus incitati, fortiter sese defendere, subeuntem hostem gladijs,
telis, contis arcere; quoad Ignatio ante alios dimicanti, globi vi excussus è muro lapis,
læuam haud ita grauiter læsit tibiam; globus verò ipse quamquam impetu refracto
subsiliens, dextram adeo labefactauit atque confregit, vt è vestigio semianimis alienata
mente corruerit. Tum verò debilitati animis cæteri, & deditio facta. Ignatium porrò
stratum, vel ad colligendam clementię famam, vel etiam virtutem in hoste admirati
Galli benignè suscipiunt, & in vrbem ex arce translatum, in pristino hospitio collo-
cant, medicisque adhibitis, & rebus omnib⁹ necessarijs diligenter curant. Huic Gallorũ
benignitati, pro sua animi magnitudine egregiè respondit Ignatius. quippe tantũ abe-
rat, vt eos odisset, à quibus in illam calamitatem, vitæque discrimen erat adductus,

vt cùm

A vt cùm in lecto decumberet, singulos blandè comiterque compellans, omnia fere sua in eos amoris causſa diuiſerit; atque hunc clypeo, illum pugione, alium thorace donarit. Interiectis deinde aliquot diebus, cùm grauius laboraret quàm vt breui tẽpore ſana ri poſſe videretur; ad cęteram humanitatem illud etiam additum à Gallis, vt Ignatium lectica Loiolam vſque (neque enim longè aberat) deportandum curarent. qui peramãter à ſuis acceptus, cùm ingraueſcente in dies morbo periculoſius ægrotaret, accerſiti confeſtim vndique medici, crure inſpecto, ſeuerè pronuntiant, oſſa illa, ſiue id prioris chirurgi vitio, ſiue itineris agitatione contigerit, nequaquam eſſe bene locata: neque verò, niſi ea coagmentatione denuò reſoluta, fruſtiſque ſuo loco repoſitis, poſſe vllo modo fieri vt coaleſcant. Qua tam acerba denuntiatione Ignatius minimè exteritus, non modò ſtatim æquo animo ſeſe paratum oſtendit ad omnia ſubeunda, ſed etiam inter ipſam curationem, quamuis eſſet aſperrima, nullum aliud indicium dedit doloris, niſi vt coactos in pugnũ digitos valde conſtringeret. Ex eo die morbus maiorem in modum eſt auctus; cumque iam Ignatius omnes fere cibos hauſtuſque ſtomacho faſtidiente reſpueret, aliaque in eo cernerentur lethalia ſigna; ſuorum admonitu, ſacris, quæ ad expiandum animũ pertinent, ritè procuratis, ipſo B. Petri Apoſtoli peruigilio, cunctis mœrentibus, eò deductus eſt, vt medici prorſus actum affirmarent, niſi ante me
B diam eam noctem vis morbi remitteret. Venerabatur iamdudum Ignatius præcipuo quodam cultu principem Apoſtolorũ: quin etiam eius laudes militariter olim carmine Hiſpanico celebrauerat: cuius profectò pietatis fructum non exiguũ tulit. ſiquidẽ illa ipſa decretoria nocte per quietẽ videre ſibi viſus eſt eumdẽ Apoſtolũ, optatam ſibi valetudinem diuinitus afferentem. nec ſanè in irritũ ea viſio recidit: quippe continuò leuari doloribus, ciboque refici eſt cæptus. Iamque Dei beneficio periculum mortis euaſerat, magnaque ſuorũ gratulatione melius habebat in dies: cùm repente animaduertit os quoddam genu ſub ipſo fœdius prominere: quod quoniam præter cætera incommoda impediměto etiam ſibi videbat fore, quominus graphicè quàm ſoleret ac vellet, ocreatus incederet (vt erat idem & patientiæ militari, & vrbanæ munditiæ & elegãtiæ apprimè deditus) percontatus eſt medicos, poſſetne vllo pacto deformitas tolli. qui cũ reſpondiſſent poſſe vtique, ſed dolore omnium quos ad eam diem ſenſiſſet, maximo & acerbiſſimo, propterea quòd in eam ſedem fragmenta iam firmiter coaluerant, non dubitauit Ignatius ingenti omniũ vel admiratione, vel metu, cõcinnum ac decorũ corporis habitum anteferre manifeſto vitæ diſcrimini: ſecarique de ſententia medicorum os iuſſit, clariore etiam, quàm antea, fortitudinis ac patientię documẽto: quandoquidem in ea carnificina (quæ quò lẽtior, eò fuit horribilior) non modò ligari teneriue ſe nõ eſt
C paſſus, verùm etiam, ijs qui aderant, pauore propemodum exſanguibus, ab omni prorſus querimonia gemituque ſe ipſe continuit. Poſt hæc, doloribus magna iam ex parte mitigatis, nondum tamen greſſu recuperato, nec pedibus ad inſiſtendum idoneis, interea dum iacentis corpus terreſtres medici perſanare conantur, eiuſdem animi vulnera curare medicus cœleſtis aggreditur. Cùm enim affixus lectulo Ignatius, fallẽdi temporis cauſſa prophanum quempiam librum popoſciſſet ex ijs, quos antea per otium lectitare conſueuerat; diuino planè conſilio factũ eſt, nullus vt eo tempore domi liber eſſet eiuſmodi: at verò longè meliores alij duo reperti ſunt, Hiſpanico ſermone conſcripti; quorum alterius, Vita Chriſti, alterius (quo ſelecta virtutum exempla continebantur) Sanctorũ flores, erat inſcriptio. Ea videlicet lectio ſalutis initium attulit homini. Dum enim oblatos ſibi libros, varijs locis quaſi aliud agẽs delibat, ſenſim capi cœptus eſt pulchritudine eorum quæ ſcripta reperiebat; atque adeo inter ipſam lectionem, vbi quidpiam inſigne cognouerat, ſubſiſtere, ſecum ipſe deliberans: Quid ſi præclarum hoc ſancti Dominici facinus, quid ſi hoc ſancti Franciſci, Deo fretus aggrediar? Neque verò, cùm hęc & alia ſibi multa proponeret, res occurrebat vlla tam ardua, tamque difficilis, quàm non perficere ſeſe poſſe generoſa quadam alacritate confideret. Quæ cùm apud ſe diutius agitaſſet, emergebant rurſus rerum inanium voluntates, & ſæcularia deſideria: quorum ſeſe nonnullis adeò manciparat, vt dum eorum vel adipiſcendi rationem exquirit, vel potiundi ſpem animo concipit, plures interim horas per imprudentiam in ea cogitatione defixus hæreret. Iamque priora illa propemodum exciderant, accenſoſque nuper igniculos pietatis, voluptatum illecebræ, & pernicioſa rerum fluxarum blandimenta reſtinxerant; cùm periclitanti ſeruulo diuina bonitas opem celeriter afferebat, ex eorum videlicet recordatione quæ legerat, meliorem ei mẽtem,

& consilia saniora submittens. atque in hac item commentatione tamdiu morabatur, D
donec interuentu cuiuspiam, aliò mentem animumque conuerteret. Hac ille vicissitudine, & quasi conflictu dies aliquot mirum in modum exagitatus, cùm in eius pectore voluptas & virtus pæne ex æquo certarent; contrarias in partes magna sua perturbatione distrahebatur, incertus animi, hanccine viam, an illam, cùm primum posset, insisteret. Verùtamen inter alternas fluctuantis animi propensiones illud intererat, quòd blandis illis rerum fluxarum imaginibus, quamdiu præsentes obuersabantur, tamdiu titillabatur Ignatij mens: abeuntibus verò, succedebat illicò amarus quidam torpor, & ægritudo, & sibimet displicentis animi tædium. At contra, præclari illi ad Christianam laudem impetus, cogitationesque de adæquanda vigilantia & sobrietate Sanctorũ, de votiuis peregrinationibus, de victu cultuque in primis horrido & aspero; non modò cùm aderant, animum insolita quadam iucunditate mulcebant, sed in recessu quoque, tristitia subeunte nulla, securum hilaremque præstabant. Sed enim tantùm hoc ille discrimen, sæculi tenebris occæcatus adhuc, hebesque ad subtiliora hominis interni iudicia, quasi ignotum quidpiam præteribat, quoad clariore demum oborta sibi luce, mentis aciem accuratius in eam varietatem cœpit intendere; ac denique non sine admiratione quadam animaduertit, ab illis cogitationibus, vt erant inanes ipsæ, sic se ieiunum & aridum, ab his autem, velut à pabulo salutari, lætum vegetumque discedere: liquidoque perspexit, fucata & insidiosa voluptas quantum à vero & solido E
gaudio ac suauitate distaret. Atque hanc primam de intimis animi sensibus motibusque ratiocinationem habuisse fertur Ignatius: ad quam vbi maior deinde rerum diuinarum vsus accessit, tantam in spirituum discretione (quæ consummatæ sapientiæ virtus est) solertiam atque peritiam est consecutus, vt egregia etiam illius generis præcepta in eo libro, qui Exercitiorum appellatur, posteritati reliquerit. His ergo obseruationibus, & assiduis librorum monitis è lethali animæ veterno excitatus, anteactæ vitæ peccata, & infinitam in se Dei clementiam aliquando cæpit agnoscere; nec solùm de mutandis in posterum moribus, verùm etiã de expiandis omni ratione delictis, placandoq; numine, seriò cogitare. Atque hanc deliberationem ingressus, denuò sese ad Christi domini, Sanctorumque sectanda vestigia occulto quodam instinctu acriter sentiebat impelli, & eorum præcipuè, qui in se ipsi quàm maximè duri ac seueri exstitissent. artium quippe spiritualium, & Christianæ philosophiæ rudis & ignarus adhuc, omnem fere sanctitatis & officij perfectionem in asperitate vitæ, & in voluntaria corporis afflictatione statuerat. quocirca iam tum agitabat animo, simul atque per valetudinem liceret, nudis pedibus Hierosolymam petere, ac frequenti verberatione, longoque ieiunio tantas peccatorum pœnas vltro suscipere, quantas videlicet ab excelso magnoque animo, salutare odium sui, & ardens diuinæ gratiæ promeren- F
dæ studium exigebat. Iamque rectis euntem sensibus, & optima quæque expetentem, longè vehementius incitauit diuina visio. Etenim nocte quadam vigilanti, augustissima specie, ac beatissimo lumine fulgens MARIA virgo vnà cum paruulo IESV, non modò sese palàm ostendit, verùm etiam incredibili benignitate spectãdam aliquamdiu præbuit: quo viso mirificè recreatus Ignatius, tantum repentè odium fastidiumque concepit eorum quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniuncta sunt, vt omnes rerum illarum, quàm diuturno vsu ac vetustate corroboratas imagines, ex hominis memoria confestim aspectus ille deterserit. Accessit ad hæc illud quoque non leue Dei beneficium, quod ei in omnem deinde vitam proprium ac stabile mansit: vt quotiescunque sublatis in cœlum oculis astra suspiceret (quod sanè sæpe faciebat, ac diu) mortalia cuncta illi repentè sordescerent; & miro quodam æternæ patriæ desiderio raperetur.

Ad Mon-

A

Ad Montemſerratum religionis cauſſa proficiſcitur.

Cap. III.

INTEREA ſimul & animo & corpore conualeſcens, è lecto ſurgere, & intra cubiculi fines paulatim crura explicare, atque ingredi cæperat; nihilq; longius ei videbatur, quàm vt de cognatione ſua, & de domo patris exire, & præteritæ vitæ peccata quàm acerrimè vindicare ſibi liceret. Sed quia nondum erat ad iter faciendum idoneus, conſtituit interim præclariſſimas quaſque Chriſti Domini, Sanctorumq; res geſtas memoriæ cauſſa deſcribere: atque ad id ipſum exquiſiti cuiuſdam nitoris & elegantiæ codice cõparato, quæ de virtutum exemplis præcipuè admirabatur, in eũ codicẽ vario picturæ genere quã compoſitiſſimis & quàm clariſſimis litteris ordine referebat. Atq; huic operi dum inſiſtit ardentius, quamquã ſua de inſtituendo nouo genere vitæ conſilia mortalium nulli aperuerat; hæc tamen tãta ſcribendi ac legendi aſſiduitas, cõtemptus corporis, frugalitatis amor & parcimoniæ, ſermo quotidianus non ad vrbani-
B tatem, vel ad ambitionem, vt antea, ſed ad modeſtiam, pietatemq́ compoſitus: hæc igitur, & alia non obſcura immutati animi indicia, celeriter illum domeſticis prodiderunt. In ijs Martinus Garzia frater natu maximus, qui demortuo iam pridem Bertramo in dominatu, reiq; familiaris adminiſtratione ſucceſſerat, ſuſpicatus id quod erat, Ignatium vel morbi vexatione, vel eorũ quæ legerat admonitione compunctũ, ac pertæſum vitæ prioris, nouum aliquid ac magnum moliri, atque etiã fortaſſe nuntium rebus humanis velle remittere; cõmotus animo vehementer, hominem ſeuocat, varijsq; interrogationibus blandè pertentans, ad extremum per cõmunes parentes, perq; fortunas omnes obteſtatur & obſecrat, videat etiam atq; etiã quid agat, quò progrediatur, ne quid nouæ conſilij capiat, quod vel ipſi munitum & exploratũ ad gloriã & opes iter impediat, vel ſempiternã Loioleiæ familiæ dedecoris notam inurat. Ad quæ Ignatius breuiter, quò ſe quàm primum à fratre expediret, ſatis memorem fore ſeſe reſpõdit officii: & ſimul, quoniam de recuperata propemodum eius valetudine ad Naiaræ ducem nuntij venerant, in oppido finitimo, cui Nauarreto nomen eſt, eo tempore commoran-
C tem; veniã à fratre petijt ducis pro amicitia reuiſendi; ac per eam cauſſam, duobus dũtaxat aſſumptis famulis, eques in viam ſe dedit, ac breui Nauarretum peruenit incolumis. Vbi duce amiciſq́ ita ſalutatis, vt arcana conſiliorum ſuorũ quàm accuratiſſimè teneret, ſimul etiam certa pecuniæ ſumma in vſus pios inſumpta, Barcinonem petere, vt Hieroſolymas inde contenderet, famuloſq́ dimittere ſtatuit, quò liberius remotis arbitris in ſuũ ſæuire corpus, & debita vitæ licentius actæ ſupplicia à ſemetipſo poſſet exigere. Solus ergo per ſummam diſſimulationẽ Nauarreto profectus, primùm omnium religionis cauſſa celeberrimam beatæ Virginis ædem adire decreuit, quæ in Mõteſerrato à monachis Benedictinis incolitur, eſtq; Barcinonẽ è Nauarra petẽtibus minimè deuia. Deinde reputans apud animũ ſuum partim voluptates, quibus antea indulſerat, partim etiã periculoſum & graue bellũ, quod ſibi rurſum à carnis illecebris, atque ab interioris animę viribus imminebat; omni ratione ſe cõtra domeſtici hoſtis inſidias muniendũ eſt arbitratus. Ergo non ſolùm inſtitutã, ex quo die Loiola diſceſſerat, conſuetudinem obſirmato retinuit animo, vt ſingulis noctibus pœnę nomine ſe acerrimè verberaret; ſed etiam ratus nullũ continentiæ præſidium poſſe firmius inueniri, quàm Dei matris eiuſdemq; Virginis perpetuæ patrocinium, recẽti præſertim illius in ſe clementia ac benignitate inuitatus; in eius maximè clientelam fidemq; confugit, ac ſtudio virtutis incenſus illicò fecit vt eidem Virgini Beatiſſimæ ſeſe irreuocabili voto caſtitatis obſtringeret. Quod religioſi animi obſequiũ & ſacrificium pro ſua infinita bonitate ratũ & gratum Deus ipſe videtur habuiſſe: quandoquidem ipſa Virgine deprecante videlicet, ex eo tempore ad extremum vſque diem Ignatius planè omni ſenſu libidinis caruit. Cæterùm quò facilius omnes intelligant, quàm ſit periculoſum & anceps, in Chriſtianę philoſophię curriculo ſine rectore ac magiſtro verſari; nõ omittam hoc loco quod ambulanti in ſeruore ſpiritus per eos ipſos dies Ignatio contigit. Erant eo tempore in Hiſpaniæ finibus, Maurorum multæ reliquiæ: quos nefariæ ſuperſtitioni

Maho-

Mahometis addictos, Fernãdus Catholicus haud ita pridem è ſuo pepulerat regno. Ex D
ea igitur fæce quidam inſidens mulo, Ignatium fortè aſſecutus, comitem ſeſe illi adiunxit; ac nonnulla primùm (vt fit) de itinere ſciſcitantur, varijs deinde ſermonibus eò deuentum eſt, vt de ſingulari MARIAE virginitate diſſererent. quam cùm nefarius ille ante partum quidem integram illibatamque fuiſſe fateretur, à partu verò nequaquã; contra Ignatius ab eiuſmodi errore quibuſcunque poterat rationibus hominem reuocare contenderet; poſt multam altercationem magis magiſque obſtinatus impius ille, cùm oblatam ſibi veritatis lucem intueri nollet, repente non ſine rabie quadam ſubditis mulo calcaribus anteceſſit, ſeque celeriter ex Ignatij cõſpectu proripuit. Quo facto vehementius irritatus Ignatius, parum abfuit quin citato greſſu perſequeretur abeuntem, & pugione confoderet; facinus indignum exiſtimans non tam contemptum relictumq; ſuperbè ſe, quàm de ſumma caſtimonia & ſanctitate Reginæ Angelorũ auſum fuiſſe viliſſimũ caput ore polluto detrahere: cumq; militari etiam tum ſpiritu religionis officijq; momenta perpẽderet, ſeſe vix pietati ſatisfacturũ putabat, ſi tantas blaſphemias pateretur inultas, neq; ab impuro dæmonis mancipio pœnas petulantis linguę repoſceret. Verùmtamen incitatum iam generoſi pectoris impetum retardabat ſuſpicio latẽtis in tam ſpecioſa cogitatione piaculi; metuſq; probabilis, ne per hanc animaduerſionem, & cęleſte numen, & eam ipſam quam defendere conabatur, Virginem offenderet. Cùm igitur multa ſecum agitaſſet, motu corporis pariter atque animo varius; adextremum, ſanè quàm præcipiti, conſilio ſtatuit ad biuium vſque procedere, E
vndẽ Maurum ex habito colloquio ad proximum pagum nouerat diuertiſſe. in eo biuio laxatis omnino mulæ, qua vehebatur, habenis, ita de re tota interpretari, vt ſi beſtia ipſa per ſe Mauri veſtigijs inſiſteret, non dubitaret quin accepta futura eſſet vltio Maieſtati diuinæ: ſin minus, pro certo putaret, nequaquam id à ſe officij Deum, Beatamque Virginem poſtulare. Hac ille mente proceſſit ad biuium: cumque pagus ille, quem diximus, abeſſet diuerticulo paſſuum non amplius quadraginta, via facili ac ſpatioſa; planè diuinitus factum eſt, vt ſpontè ſua iumẽtum anguſtiore via Barcinonẽ verſus iter arriperet. Atque hunc in modum Ignatius in re tam graui, nullo pia ipſius ſtudia regente periclitatus, lethalis noxæ crimen felicius effugit, quàm ſapientius. Inde progreſſus ad vicum à Monteſerrato haud longè diſtantẽ, de peregrinatione Hieroſolymitana, deq; aſperiore vita quam primùm ineũda mirè ſolicitus, viatoriũ ibi coẽmit ornatum, ſparteos videlicet calceos, talarem è ſacco tunicam, funemque pro baltheo, tornatilem baculum, & in vſum aquæ cucurbitam. Quę omnia, vt Chriſti paupertatem non erubeſcere, & peruerſam recti verecundiam deponere paulatim aſſueſceret; ſuſpenſa propalam ex ephippijs, ad montem vſque lætus aduexit.

Acta eius in Monteſerrato. Cap. IV. F

QVò ſimulatque peruenit, templum ingreſſus, ac numine ſalutato, nihil antiquius habuit, quàm vt per ſacram totius anteactæ vitæ confeſſionem, contractas animi ſordes eliueret. qua confeſſione in primis fideliter atque accuratè deſcripto peracta per triduum, ſumma deinde cum veneratione ad Sacramentum altaris acceſſit. Contulit etiam cum eodem patre, qui ſibi conſitenti aures dederat, omnia ſua conſilia cogitationeſque de imitatione Sanctorum, quæ ad eam vſque diem prorſus nemini patefecerat. præterea, quidquid habuit pecuniæ, totum id in Chriſti Domini gratiam pauperibus benignè diuiſit. Dein ſilentio noctis eius, cui dies feſtus Angelicæ ſalutationis illuxit, pretioſa veſtimẽta quibus erat ornatus, quàm occultiſſimè potuit, pannoſo cuidam ex infima plebe largitus, confeſtim optato illo ſacco ſeſe alacer induit, ac funę præcinxit; dextro pedi, quòd ex reliquijs morbi ſingulis etiam tum noctibus intumeſceret, calceum induxit è ſparto; ſiniſtrum vtique nudum relinquere, & capite item nudo prorſus decreuit incedere. Sed quia non ignorabat plurimos pallio tenus eſſe philoſophos, veſtemque facilius multo mutari quàm mentem; omni ope ſibi enitendum exiſtimauit, vt illa exterioris amictus inſignia, ad intimos animi ſenſus occulta quadam affinitate pertingerent, cumque accepiſſet in more poſitum

olim

A olim fuiſſe, vt nobiles equites antequam in ordines referrẽtur, in ſacris ædibus noctem vnam armati excubarent (quod in Hiſpania peruigilium armorum appellant) militarem illum ritum ad rudimenta Chriſtianę perfectionis in ſemetipſo transferre conſtituit. Igitur gladio ac pugione, quibus antea mundo meruerat, è tholo ſuſpenſis, nouo inſtructus armorum genere, totam eam noctem peruigilante aram ſanctiſſimæ Virginis, modò ſtans, modò nixus genibus, præteritorum veniã demiſsè precari, diuino cultui deuouere ſeſe, ac beatam prę cipuè Dei matrẽ intenta ſupplicatione propitiare non deſtitit. Atque hunc in modum Chriſtianæ militiæ nomen ex animo dedit Ignatius anno poſt Chriſtum natum M. DXXII. quo fermè ipſo tempore, vt à multis non ſine admiratione quidem animaduerſum eſt, Martinus Luther infamis hæreſiarcha, magnis in Germania motibus excitatis, iuſſus à Carolo quinto Imperatore adeſſe Vormatiæ, malè preſſum ad eam diem virus opinionum ſuarum effudit in illo conuentu palam, Sediq́ue Apoſtolicæ & catholicæ veritati nefarium atque impium bellum temulentus indixit: vt ſatis appareat, cùm maximè furiam illam contra omnia diuina & humana iura, legeſq́ue ſacratas obarmaret Satanas; tum ex altera parte, præter alia militantis Eccleſiæ robora, nouum etiam hũc ducem excitatum diuinæ prouidentię nutu, quem CHRISTVS Imperator, & ipſum, & ſectatores ipſius, obligatos religionis arctiſſimæ ſacramento, adactoſq́ue nominatim in verba Romani Pontificis, furori ac libidini hæreticæ prauitatis opponeret.

B

Ardores eiuſdem in ſtudio pœnitentiæ.
Cap. V.

SACRA igitur vigilia, quemadmodum dicebamus, exacta, quò celebritatem hominum, famamq́ue ſanctitatis vitaret Ignatius nondum certa luce, relicto monachis iumento, pedes ipſe, obuoluto etiam tum faſcijs altero crure claudicans, per ſummum laborem à Monteſerrato diſceſſit, & è via militari paulo poſt deflexit ad oppidũ Barcinonenſis agri Minoreſſam (hodie Manreſam vulgus appellat) nouem fere millibus paſſuum à Monteſerrato: vbi antequam longinquæ & periculoſæ peregrinationi Hieroſolymitanæ ſeſe committeret, ſæuiente præſertim Barcinone per id tempus peſtilentia, deuio & obſcuro loco aliquandiu deliteſcere, & humilitatis Chriſtianæ, quæ cæterarum eſt parens cuſtoſq́ue virtutum, ſolida iacere fundamenta decreuerat. Interea mendicus ille, quem Ignatius pridie ſuis veſtimentis induerat, cùm ex inſolito ornatu in furti ſuſpicionem veniſſet, illicò à loci magiſtratibus comprehenditur, & diuinam humanamq́ue fruſtra implorans fidem in vincla conijcitur. Cumq́ue inter quæſtionem ea ſibi à viro quodam nobili clam donata iureiurando affirmaret, notaſq́ue corporis, ignarus nominis, ederet; conquiritur extemplò diligenter Ignatius. cùm nuſquã appareret, mittitur ad eum inſequendum feſtinè viator; qui ægrè procedentem facilè conſequutus, quærit ex eo, num cui quidpiã in Mõteſerrato donauerit. Ad eam vocẽ, id quod erat, ſuſpicatus Ignatius, ſubſtitit; coactuſq́ue innocẽtis periculo, pauperi cuidam veſtimẽta ſeſe pridie largitũ eſſe confeſſus eſt: cumq́; viator porro inſtaret, quis tu, aut cuias? nullum omnino ad ea verbum Ignatius reddidit. ſed itinere cæpto perrexit tacitus, caſum inſontis apud ſe miſerans, ac ſemetipſum incuſans, qui ne benefacere quidem ſine ipſius cui benefaceret damno, vel certè diſcrimine, didiciſſet. Vt igitur Minoreſſam acceſſit, oppidum ingreſſus quo dicebamus amictu, ad publicum infimæ plebis hoſpitium precario ſeſe contulit; ibiq́ue ſanctæ paupertatis ac pœnitentiæ ſtudio inter egentes ac ſordidos quam exſequemur vitam exorſus eſt. Victum oſtiatim precibus infimis emendicare quotidie: totam hebdomadam, excepto die Dominico, ieiunare; in ipſo cibatu ſimplici pane contentus, atque vbi ſitis vrgeret, aqua profluente; ſomni parciſſimus humo nuda cubare, auctoq́ue ſupplicio, ſingulis diebus ter ſeſe flagellis quàm acerrimè cædere. Ad hæc, horas quotidie ſeptenas genibus nixus in oratione vocali perſiſtere; nam eius quæ mentalis dicitur, vſum & conſuetudinem adhuc ignorabat. Præterea ſacrificio matutino; Veſperarum & Completorij officijs attentiſſima cura ſemper intererat.

C

obibat

obibat etiam octauo quoque die ſacra Confeſsionis & Euchariſtię myſteria. Et quoniam ſuperioribus annis (vt diximus) & humanæ laudis famæque appetentior, & munditiarum ornatuſque fuerat ſtudioſior: vt vitium vtriuſque diligentiæ pari neglectu rependeret, natalium ſuorum generisque ſplendorem, ne quis illi honos haberetur, ſtudioſè celare; & capillum quem pro eius ſæculi more promiſſum impenſius comere curareq; conſueuerat, relinquere cæpit impexum & ſqualidum: quin etiam vngues ipſos excreſcere per diuturnam incuriam patitur: atque in hoc tam aſpero, tamque horrido vitæ inſtituto, conſtanter id omne refugere, quod vllam poſſet afflictæ carni delectationem aut leuamen afferre. Itaque cùm eſſet decoro vultu, & egregia totius corporis firmitate; detractis paulatim viribus, omnis ille vigor acerrimi bellatoris, & forma viridis iuuentæ prorſus elanguit. D

Moleſtiæ ſcrupulorum, ac tentationes eiuſdem. Cap. VI.

IVSMODI vitæ curſum aliquandiu ſecurus Ignatius magno animi fructu ſine vlla offenſione tenuerat, nõdum grauiora prælia & occultas dæmonum artes expertus, quibus incauta mens hominum ad præclara tendẽtium, ſi præſertim ſuis viribus ipſi confidant, facilè in fraudem inducitur; cùm repente quędam illi obijcitur ſpecies, cuius, quãuis identidem apparentis, formam & figuram ſatis explicare non poſſet, multis diſtincta luminibus, & grato quodã ſplendore collucens, quod ſpectrum diabolicum poſtea, vt dicemus, agnouit, ijſdemque ferè diebus cùm ſe illuuie & ſqualore obſitum animaduerteret, atrox illa cogitatio nec opinantem inuaſit: Quæ, malum, ratio te, miſer, impulit, vt relicta patria, cognatis, amicisque potentibus, pedore ac dira macie deformatus triſtiſsimo & obſoletiſsimo veſtitu, vel ſtipem in triuijs corrogares, vel inter infimas plebis minutæ quiſquilias lateres inglorius? nonne intermiſſa militiæ honoratæ ſtipendia, dulciſsimoſque æqualium conuictus, & priſtinę fortunæ cultum victumque, maiore cum tua tuique ſanguinis dignitate repeteres? Hæc, & alia id genus vbi animo vehementer obiecta; auctorẽ ſenſit Ignatius illicò: & quamuis initio pauliſper ea recordatione commotus, tamen vt ſe collegit, illam ita conſtanter ab ſe reiecit ac repulit, vt vltro etiam familiarius quàm antea, ſeſe cœtibus atq; colloquijs egentium & mendicorum inſereret. qua ſubmiſsione victus princeps auctorq; ſuperbię, rurſus Ignatio templum ingredienti ad officia diuina celebranda, quibus mira cum attentione ac perſeuerantia quotidie dabat operam, vt diximus; incæpti operis molem ac difficultatem ita repræſentauit, quaſi eius ærumnas & incommoda miſerans diceret: Hem infelix Ignati, annis vtique ſeptuaginta, quot ætas tua recipit, in tantis tibi laboribus, in tãta vitæ aſperitate degendum eſt: quos tu, præſertim vrgente ſenio, tolerare quî poteris? Tum ille fortiter, nec ſine contemptu: Quaſi verò, inquit, mihi tu vel vnius diei ſpatium præſtare poſsis. Hæc duo prima poſt conuerſionem Ignatius de ſumma rerum certamina ſubijt: quorum vtroque turpiter ſuperatus humani generis hoſtis, vbi ſe irruptione & aperta vi nihil proficere intelligit, longè diuerſa bellandi ratione, dolo cuniculiſque graſſari conſtituit. Neque abnuit Chriſtus, pugnarum eiuſmodi iuſtiſsimus arbiter: qui vt neminem ſupra id quod poteſt, oppugnari permittit, ſic militibus ſuis, quos gratiæ diuinæ præſidio, & liberæ voluntatis arbitrio ad omnem virtutem exercet, ne parta ſemel victoria per otium torpeant, nouam in dies glorioſi triumphi materiam deeſſe non patitur. Eſt igitur in dæmonis artibus, quas ad bonorum perniciem aſsiduè meditatur, illa vel peſsima; vt quos ita videt ſtudio virtutis ac religionis addictos, vt inde terreſtrium vel honorum ſpe, vel commodorum & voluptatum illecebris auelli non poſsint, hos per ſpeciẽ ipſiuſmet honeſti quod adamarunt, ad immoderatam inediam & carnis macerationem acrioribus incitamentis impellat, eoſdemque præteriti temporis piacula reputantes, ac cæleſtis iræ ſeruili metu perculſos, in ſingula momenta miſero quodam angore ſolicitet. id autẽ eo conſilio, vt vel planè defecti viribus, per cauſſam recuperandę valetudinis paulatim ad ſocordiam atq; ad ignauiã delabantur; vel aſsidua ſcrupulorũ agitati moleſtia, dum ſe ipſi calumniari non E

deſinunt,

A desinunt, si minus inertia, certè defatigatione ac lassitudine ab incæpto desistant. cuius vtriusque cladis vtinam ne tam multa nobis quotidie exempla suppeterent. Hæc igitur eadem fraus Ignatium quoque in discrimen adduxit. Obtinuerat ille (quemadmodum dicebamus) ex quo sese ad Christum adiunxit, in summa vitæ austeritate perpetuam animi tranquillitatem atque lætitiam: quam ne ex quotidiana copia vilem duceret, neu suis ipse meritis per insolentiam adscriberet; ab ijs quas diximus, tentationibus cæpit illi pater cælestis vniuersam repente subtrahere, sic, vt interdum cùm maximè gaudens exultaret in Domino, tunc subitò nulla præcedēte significatione, prorsus exui nudariq́ue se omni gaudio & iucunditate sentiret: nec iam in precibus, neque in psalmis, neque in cæteris, quibus assueuerat, pietatis officijs vllam inueniret omnino delectationem aut requiem. idq́ue cùm ei frequenter accideret, attonitus rei nouitate, animo suspenso ac mirè solicito, causas eius varietatis & immutationis inquirere, ac dubitare apud se, rectè ne confessionem in Monteserrato, quam diximus, peregisset? quidquam ne omisisset, quod ad integram criminum accusationem attineret? ac proinde num idcirco fortasse Deum adhuc iratum experiretur? Quæ ille dum anxius agitat, arrepta occasione diabolus perturbandi hominis, deq́ue suo statu deijciendi, hanc ipsam suspicionem atque formidinem institit illi vehementer etiam atque etiam incutere. Ex eo tempore tyro vanis agitari terroribus, dies noctesq́ue fletibus iungere, nullam capere partem quietis. Itaque dum amissam recuperare conscientiæ pacem, &
B hærentem visceribus pestem omni ratione conatur euellere; non satis habuit peccata vetera, quorum de confessione ambigebat, iterum iterumq́ue apud sacerdotem exponere; sed etiam cuiusdam cōcionatoris monitu, qui Minoressæ per eos dies agebat, totius vitæ noxas, quotquot reuocare in memoriam potuit, in libellum relatas, quòd ad Montemserratum antea fecerat, quàm accuratissimè rursus explicuit. Sed (quòd sæpe contingit) quòd sibi adiumēto fore putabat, id erat ei contrarium maximè. si quidem ipsa commemoratione rerum quas aliquando obliuisci oportuerat, fiebat vt etiam si quid ipsa die mitigatum fuerat, recrudesceret. Nec iam tantummodo superiorum annorum delicta occupatum animum amarissima superstitione torquebant, sed etiam præsentis temporis cura pauorq́ue, ne inuisa Christo sua essent studia, neu Dominum suis omnibus dictis, factis, cogitatis offenderet. Quocirca multis iam rebus frustra tentatis, vnum dumtaxat occurrebat illi remedium, nec sanè spernēdum; vt sacerdos pro potestate omninò sibi posthac eiusmodi suspicionibus ac recordationibus interdiceret. Sed id ipsum consilij ad eum deferre non audebat, peruersa videlicet ratiocinatione delusus, ac veritus ne sibi minus ea medicina prodesset, cuius auctor ipsemet exstitisset. Inter has ergo curas, graui pressus mœstitia cùm ita iaceret, vt nulla iam res mitigare dolorem posse videretur; inuasit hominem atrox & sæua cogitatio, vtiad luctus
C miseriasq́ue finiendas è fenestra cubiculi (Dominicanorum hospitio tum fortè vtebatur) semetipse præcipitem daret. Quam ille cogitationem, ope diuina cùm acerrimè repulisset, subijt animum firmitas & constātia cuiusdam anachoritæ, quem in Patrum historia legerat, impetrandi gratia nescio quid quod vehementer optaret, omni cibo tamdiu abstinuisse, quoad per eam abstinentiam propitiato numine, voti compos existeret. & quamquam periculosa admodum ea ratio videbatur, metusq́ue suberat, ne tam audaci incæpto Deum irritaret potius, quàm recōciliaret sibi; tamen tota re apud se diu multumq́ue agitata, ne quid omnino intentatum relinqueret, illum ipsum rigorem perseuerantis inediæ sine vlla dubitatione experiri constituit, atque ita experiri, vt nihil interea de quotidiana precatione, verberibus, & cætera corporis macerationе remitteret. Dies igitur vnus, duo, tres, quatuor, nec tamen aut linqui animo, aut molestia liberari. itaque ad septimum vsque diem obfirmata mēte ieiunium extendit, extendissetq́ue porro, ni sacerdos idem, cui sua non modò vitia, sed etiam bona, & intimos omnes animi recessus ac latebras diuino quodam instinctu nudas & apertas habebat, pro imperio vetuisset eum longius progredi, minis insuper additis, ni paruisset, illum à sacra corporis Christi communione prohibēdi. hac igitur tam seuera denuntiatione deterritus, cibū sumpsit Ignatius, & illo quidem ac postero die fuit illi quies: tertio verò eadem illa peccata rursum occurrere memoriæ. quarum cogitationū initia dum admittit incautius, ac species (vt fit) speciem adducit, sensim in pristinos fluctus, æstusq́ue solicitudinum reuolutus; cùm ex vna parte prorsus instaurandum Confessionis mysteriū iudicaret, ex altera verò id sibi non modò non profuisse, verùm etiam

nocuiſſe antea cerneret; ex vehementi fluctuatione tam graue tædium præſentis miſe- D
riæ mentem eius inuaſit, non quidem vt de morte oppetenda, ſed vt de abijcienda ſe-
ueriore diſciplina, & ſæculi commodis repetendis magno quodam impetu cogitaue-
rit. Verùm in tantis tenebris ac procellis nutanti, & in magnum adducto periculum,
peropportunè radius diuinæ bonitatis affulſit, cuius beneficio diabolica diſcuſſa ca-
ligine, totius tentationis exordia progreſſuſque attentè conſiderans, liquidò compe-
rit, omnes illos conſcientiæ ſtimulos, vanaſque ſuſpiciones, à malo ſpiritu fraudulen-
ter immiſſas, ac proinde ſine vlla dubitatione conſtituit, præteritę vitæ labes, quòd ad
confeſsionem attineret, perpetua obliuione conterere. Atque in hunc modum ſingu-
lari Dei beneficio, non modò infelicé illam ſui calumniandi miſeriam ac pœnam eua-
ſit ipſe, verùm etiam alios curandi, qui eadem ægritudine laborarent, miram à patre
luminum facultatem & ſcientiam eſt conſecutus.

Ignatij profectus in Spiritu. *Cap. VII.*

HIS CE igitur periculis perfunctus Ignatius, ac veluti auul-
ſus ab vbere; maiores quotidie efficiebat in ſolida virtute
proceſſus: & quò acrior ac diuturnior probatio fuerat, eò
magis idoneus euaſit ad noua omnipotętis Dei chariſmata
capiẽda: in quibus fuit illud eximium. Cùm enim religio- E
nis cauſſa ædem Pauli Apoſtoli extra oppidum peteret, &
in ipſo itinere ad Rubricatum amnem, qui Minoreſſam in-
terfluit, conſtitiſſet; nec opinanti repente diuina quædam
oborta lux eſt tanta, tamq́; mirifica, vt momento pæne tem
poris nullo magiſtro quàm plurima clarè perſpexerit non
ſolùm de fidei Chriſtianæ myſterijs, verùm etiam de alijs vel ſubtiliſsimis philoſopho-
rum quæſtionibus atque decretis: quaſi nitidiſſimo quodam in ſpeculo perſpicuè cer-
neret ea, quæ poſt multam accuratamq́; lectionem, maximoſq́ue labores ac vigilias vix
demum ſolent homines intelligentia comprehendere: atq; in eo cæleſti prorſus intui-
tu, non ſine ſumma animi voluptate diutius acquieuit. Quo tanto, tamq́; inſigni acce-
pto beneficio, cùm ad agẽdas Domino gratias acceſsiſſet ad Crucem in propinquo de-
fixam; oranti ſeſe denuo in aere ſpectrum illud obiecit, de quo diximus antea, ſed (quæ
nimirum virtus ac poteſtas eſt Crucis) nequaquam pari ſplendore vel pulchritudine.
itaq; quòd ſuſpicatus pridem Ignatius fuerat, tum denique clarè perſpexit eſſe dæmo-
nium: eodemq́ue deinde ſæpius apparente, tantum abeſt vt moueretur, vt illud etiam
baculo per contemptum abigeret. Atq; eius fere generis per id tempus planè diuinitus
alia multa percepit. Quodam die, dum indicta publica ſupplicatione Minoreſſæ reli-
gioſum agmen inſtruitur; & Ignatius interim beatiſsimæ Virgini pſallit, inſiſtens gra- F
dibus templi Dominicani; ſubitò in Deum ita rapta mens eius eſt, quaſi per appoſita
quædam, & maximè illuſtria ſymbola, Trinitatis ipſius numen auguſtiſſimum cerne-
ret diſtinctum perſonis, vnum eſſentia. Qua viſione tanto gaudio eſt delibutus, vt ne-
que in ipſo mox agmine lacrymis & ſingultui crebrò temperare valuerit, neque verò
totum eum diem alia vlla de re, niſi de ſanctiſsimo illo fidei Chriſtianæ myſterio diſpu
tare: idq́; tanta ſimilium & exemplorum varietate & copia, vt cuncti obſtupeſcerent.
quinetiá per eos ipſos dies non dubitauit homo litterarum propemodum ignarus, li-
brum de Trinitate conſcribere quoquo potuit ſtylo: vſq; adeo cęleſtes typi quos dixi-
mus, in eius memoria atque intelligentia diuinas illas rerum altiſsimarũ notiones im-
preſſerant. Ac licet antea quoq; & monadem in triade, & in monade triadem ſanctiſsi-
mè coleret, ſuaſq́; & naturæ diuinæ communiter, & ſeparatim ſingulis perſonis preces
hymnosq́; perſolueret; ab hoc tamen raptu longè ſtudioſior & ardentior euaſit in eo-
dem officio pietatis; eamq́ue laudabilem conſuetudinem ad extremum vſq; vitæ reti-
nuit, ſic, vt præcipuam caperet voluptatem, & proprio quodã ſenſu rerum cæleſtium
afficeretur, quotieſcunque ſanctiſsimæ Trinitati ſacra perageret. Neque verò fuit hic
finis mirabilium viſionum: ſiquidẽ rurſus per ſignificationes arcanas, & myſtica quæ-
dam exempla, oblatus eſt eius menti modus ipſe, quẽ in huius vniuerſitatis molitione
ſummus ille rerum opifex tenuit: quas illuſtrationes atque doctrinas, vt omnino vires
naturales excedunt, ſic poſtea negabat Ignatius poſſe verbis adumbrari, nedũ exprimi.

Præ-

A Præterea cùm ſacrificio Miſſæ in eodem templo Dominicano intereſſet, dum à ſacerdote de more hoſtia ſalutaris attollitur, apertiſsimè vidit Ignatius illa ſpecie Chriſtũ Deum eundem & hominem veriſsimè contineri. Factum eſt etiam aliquando (idque ipſimet qui interfuere, teſtati ſunt) vt alienatus à ſenſibus, à Completorio Sabbati ad alterum vſque proximi Sabbati Completorium in altiſſimo quodam exceſſu perſtiterit; qua ipſa hora, multis adſtantibus qui rei totius euentum attentè exſpectabãt, quaſi è profundo ſomno excitatus, repente ſuſtulit oculos, IESVM perquàm ſuauiter inuocans. atque interim pij quidam homines mortuum rati, vtique terræ mandaſſent, niſi contemplati omnia diligentius, ac pertentato corpore, latentem in eo vitam ex tenui cordis palpitatione ſenſiſſent. Ad hæc, intento precationi, ſeſe non ſemel tum Chriſtus Dominus, tum Virgo mater oſtendit. quibus, & alijs id genus clementiæ diuinæ ſubſidijs in recta fide vſque adeo confirmatus eſt, vt etiam ſi nulla exſtitiſſent Chriſtianæ religionis monumẽta vel teſtimonia, nequaquam tamen dubitaſſet, ex ijs tantummodo quæ Deo ſibi aperiente cognorat, mortem pro deſenſione catholicæ veritatis oppetere. & qui paulo ante vix vocalis noſſet orationis vſum, paucis menſibus tantam rerum ſpiritualium peritiam, ac tantam Dei familiaritatem eſt nactus, vt quidam, eius omnia vel dicta vel facta curiosè obſeruantes, intempeſta nocte ſupplicãtem animaduerterint (eleuante ſpiritu ſarcinam corporis) quatuor circiter cubitis à terra ſublimem: & quidem ex conſortio ſermonis Domini (quòd de Moyſe ſcriptum legimus)
B tota facie mirum in modum radiante.

De ſtudio collato ad proximos adiuuandos. Cap. VIII.

QVAE omnia, quamquam egregia atque expetenda per ſe, tamen eò pluris erant in Ignatio facienda, quò magis erãt cum aliorum fructu & vtilitate coniuncta. Nam in cæteris ornamẽtis ac beneficijs, quæ in eum Deus plena manu cõgeſſit, illud equidem vel præcipuum duxerim, quòd in tanto perfectionis ardore nõ dedit illi ſpiritũ ſolitudinis, animumve vni ſibi vacantem, ſed Chriſtianę propagandę fidei cupidiſſimum, ac mirè ſtudioſum diuinę gloriæ, ſalutiſque communis. Cùm igitur acta eius in Monteſerrato (quamquã ea ipſe occultiſsima voluerat eſſe inſtitutamque vitæ aſperitatem ac ſanctimoniam vicinis locis fama vulgaret, ac nobilitatem virũ præcipuè, rumor (vt fit) etiam in maius attolleret; ingens hominum concurſus ad eum fieri cæptus partim viſendi gratia, partim etiam conſulendi; quos ille vt omni conatu quàm acerrimè ad Chriſtum adiungeret, neu ſqualor ille nimius, & diutina illuuies ad
C ſe adeuntibus terrorem incuteret; primùm deponere ſordes, & externum corporis habitum cæpit aliqua ex parte componere: deinde cùm intelligeret difficilem in primis & ancipitem eſſe curationem animorum; quò cautius rectiusque in re tanta procederet, ope diuina ſuppliciter etiam atque etiam implorata, ſuæ cõuerſionis originem, ac ſeriem, variasque tentationum procellas ac tenebras, & ſubſequutam mox tranquillitatem ac lucem, quàm accuratiſſimè ſecum expendens, demum ex ijs quæ partim cæleſti magiſtro dictante perceperat, partim etiam ipſemet experiendo cognorat, de fructuoſa ratione meditandi orandique, præclaras obſeruationes & ſaluberrima præcepta conſcripſit: qui liber (vt antea dictum eſt) Exercitiorum ſpiritualium titulo, tempore procedente deinceps ab eodem auctus atque recognitus, & Romani Pontificis iudicio ac teſtimonio comprobatus, ita multos omnis ætatis atque ordinis homines, tum in eligendo genere vitæ, tum in componendis moribus, perturbationibuſque ſedandis, ac præſertim in retinenda conſtantia ſalutari, mirum in modum iuuit, iuuatque quotidie; vt iure optimo videatur hoc non in poſtremis numerandum eſſe remedijs, quæ diuina bonitas hac hominum ætate vel ad corrigenda ſæculi vitia, vel ad renouandam veterem Eccleſiæ diſciplinam clementer adhibuit. His ergo meditationibus, quos ad bonam perfectæ virtutis frugem Ignatius reperiebat idoneos, paulatim, & quaſi per gradus cæpit excolere: cæteros interim precibus monitiſque, prout ſeſe dabat occaſio, à vitiorum fœditate deterrens, atque ad ſtudium æternæ beatitudinis incitans: idque eò libentius atque ſecurius, quòd communicandis ijs, quæ à Domino acceperat, nihil interim ſibi religionis ac ſpiritus deperire ſentiret.

Nec ſolùm veniẽtes ad ſe, benigno excipiebat alloquio ; ſed etiam inuitatus interdum D
ab alijs ad prandium, minimè recuſabat accedere; nimirum eo conſilio, vt ex re & ex
tempore ſumpta occaſione, qui ſe in Dei gratiam terreſtri pauiſſent cibo, eoſdem ipſe
viciſſim ſpiritualibus epulis, & opportuna quapiam adhortatione reficeret. Atque in
hunc fere modum adiuuante Domino permultos ad arctam ſalutis ſemitam, à via lata
& ſpatioſa traduxit.

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

SED in eiuſmodi curam dum incumbit ardentius, nec tamen interea fere quidquam de aſſiduitate precandi, ac de quotidiana vitæ aſperitate diminuit, morbum ex ingenti labore contraxit adeo periculoſum & grauem, vt ſæuiente atrociter febri proximè ad mortem acceſſerit. quo tempore & oppidi magiſtratus periculo viri permoti, publicè diuerſorium illi curarũt neceſſarijs rebus inſtructum: & præter aliam amicorum turbam, honeſtæ matronæ, quę vitandæ peſtilentiæ cauſſa Barcinone ſeſe eò receperant, certatim ægrotãti aſſidere, & nocturnas agere excubias, perinde quaſi in vnius vita ſalus omnium verteretur. Atque his populi officijs, ac pia ſedulitate E
bonorum, ereptus è preſenti vitę diſcrimine, in id ipſum iterũ ac tertiò recidit ob eam cauſſam, quòd nondum planè confirmatis viribus (blandimẽta videlicet carnis, & veteris hominis malitiã veritus) præpropera feſtinatione ad priſtinas occupationes corporis animiq́; redierat: quarum pondere oppreſſus, denique didicit ipſe, alijsq́; deinde pręcipere ſolitus eſt, imbecilla valetudine minuendos labores, curandumq́ue tali tempore, vt quantum de conſuetis exercitationibus infirmitas demat, tantùm ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem æquitas animi, & exemplum Chriſtianæ fortitudinis addat. Vetabat idem etiam corpus debito ſomno ciboq́; fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata ſobrietate vegetatur animus, ſic immodcrata vigilia vel inedia vires adeo frangi ac debilitari, vt mens earũ miniſterio deſtituta, vix munereſuo fungi, aut ad cõtemplationem rerum diuinarum poſſit exſurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculoſa ægrotatione, demum ita conualuit, vt ex reliquijs morbi dolore ſtomachi moleſtiſſimo ſubinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni craſſioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra fæuitiam hyemis munire ſeſe piorum hominum benignitate precibusq́ue coactus eſt.

De inanis gloriæ vitio ſuperato. Cap. X.

ACceſsit ad illa corporis ægrotantis incõmoda, grauis etiam F
animi cruciatus, ab importuna quadam inanis gloriæ tentatione profectus. Dum enim ingraueſcente morbo conſcientiam ſuam diligentius excutit, ſeq́ue ad extremũ comparat mortis agonem; ſubijt illi repente, ſe iuſtum eſſe, neque vllo pacto ſibi de ſempiterna beatitudine dubitãdum. Cui ſuaſioni dum reſiſtere vi ſumma conatur, intelligens vt quiſque ſibi maximè placet, ita Deo maximè diſplicere; diuturnum & anceps intra ſeſe certamen tanta tentatione metuq́ue ſuſtinuit, vt miris modis quotidie torqueretur, maioremq́; ex offenſionis diuinæ formidine, quàm ex ipſa graſſantis morbi vehementia metum ac ſolicitudinem caperet. Verſabat videlicet in omnes partes hominis animum dæmon callidus, Chriſti permiſſu; & quem deſperationis iaculis paulo ante ſuperare nequiuerat, eumdem rurſus nimiæ confidentiæ ac vanitatis elatione ſupplantare & euertere nitebatur. Sed contra eiuſmodi cogitationes Ignatius & in ipſo (vt diximus) morbo, & recuperata poſtmodum valetudine cùm diutius dimicaret; partim agendis identidem Domino gratijs, partim naturæ humanæ fragilitatem apud ſe reputando; denique diuino prędidio deteſtabile hoc ingrati animi vitium ita debellauit, euulſitque radicitus, vt poſtea quotieſcunque ſalus animarum, aut Dei gloria poſtularet, ſua non minus bona, quàm mala ſine vlla prorſus cenodoxiæ titillatione palam & ingenuè expromeret.

A

De profectione Hieroſolymitana. Cap. XI.

INTER hæc anni ſere ſpatio exacto, partim ſpiritualium rerum ſcientia inſtructus, partim etiam arte quadã & conſuetudine regẽdarum animarum imbutus, cùm nihil vulgare aut exiguum agitaret animo, ſed egregia quædam & ardua in Dei gloriam ab ipſo conuerſionis initio concepiſſet; Hieroſolymam, quòd iamdudum habebat in votis, petere omnino conſtituit, non tam vt Chriſti Domini ſacratiſſima incunabula cerneret (tametſi idipſum vehementer optabat) quàm vt in conuertendis ad Euangelij lucem infidelibus qui ea tenent loca; vel operæ pretium faceret, vel certè martyrij palmam, cuius auidiſsimus erat, acquireret. Sed hoc ſuum de prædicando Euangelio conſilium, vitandæ ſcilicet humanæ laudis cauſſa, nemini prorſus aperiebat: peregrinationis verò propoſitum, cùm neceſſariò amicis patefeciſſet, multi primùm id ei multis rationibus diſſuadere, obteſtari etiam & orare ne populum ab ſe nuper è ſomno vitiorum excitatum ad ſtudia virtutis pietatiſque, repente deſereret, neu ſe ipſe, affecta præſertim valetudine, itineri tam longinquo, ac tam periculoſo committeret. deinde cùm nec precibus nec ſuaſionibus eum de ſententia demouere poſſent, inſtare ſaltem & vrgere, ne incomitatus abiret; multa poſſe in tam remotis ignotiſque ſibi regionibus, ac tanta rerum humanarum varietate contingere, quæ præſentem cuiuſpiam fidelis opem ſolatiumque requirerent. Omnino probabilia videbantur afferre, & humano iudicio rem æſtimantibus, etiam neceſſaria: nec verò deerant homines impigri, peritiq; linguarum, qui ſeſe illi comites laborum ac periculorum libenter offerrent. Verùm Ignatius, qua erat animi altitudine, in cælum ſemper intentus, atque à diuina prouidentia vſquequaque pendere mirabiliter cupiens, amicis omnia ſua in eum ſtudia profitentibus ita remiſit, vt diceret, in præcipuis hominis Chriſtiani virtutibus, non modò fidem & caritatem eſſe, verùm etiã ſpem. Eius porrò comparandæ gratia, certum ſibi eſſe non modò ſine viatico, ſed etiam ſine comite iter id ingredi; quòd clarè perſpiceret, ſi, qualia multa poſſunt homini accidere, peregrinanti præſertim, ſibi quidpiam eueniſſet, fieri non poſſe quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret: proinde quidquid in eo ſpei locaſſet, id vtique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in vno Deo clementiſſimo parente ac rectore vellet eſſe repoſitam.

B

Nauigat in Italiam. Cap. XII.

C

HAC igitur mente ſub initium anni MDXXIII. magno omnium dolore Minoreſſa profectus venit Barcinonem, vt in Italiam ex eo loco traijceret. cumque peropportunè paratam ibi nauem offendiſſet, egit cum nauarcho ſuppliciter, vt ſe mendicum egentemque gratis admittere ac tranſportare ne grauaretur. cui naulum quidem ille ſe remiſſurum promiſit; ea tamen conditione, vt nautici ſaltè panis, quod erat neceſſarium, ſecũ inferret. Eo reſponſo cùm vehementer angeretur Ignatius, quòd commeatus copiam quamuis exiguam, cerneret inopię illius quam ſibi ſummam propoſuerat, legibus aduerſari; poſt multas anxiasq; cogitationes totam rem deniq; permittere ſtatuit arbitrio ſacerdotis, quem ſibi paucis illis diebus Barcinone, tum ſuæ conſcientiæ iudicem, tum interpretẽ diuinæ volũtatis elegerat. Ille re cognita, Ignatio reſpondit, æqua poſtulare nauarchum: proinde non reſiſtendum eſſe, nec verò timẽdum, ne ſi cibaria, tam vilia præſertim ac neceſſaria, ſibi parauerit, quidquam idcirco cõtra conſilium perfectæ paupertatis admittat. Tum Ignatius quamquam ſoluto vixdum religione animo, tamen partim ſacerdotis impulſu, partim etiam metu occaſionis eius amittendæ; emendicata de more pecunia, panes in nauẽ impoſuit, & ne quid præterea ſecum inferret, paucos qui ſuperfuerãt nummos reliquit in ipſo littore: deinde ſolutis anchoris die quinta Caietam non minus periculoſa quàm celeri nauigatione delatus, Romam pedibus iter intendit. ac prima nocte diuertit ad villam militibus refertam;

quibus nefaria quædam ac turpia molientibus, tanto animi ardore ac vociferatione ſe D
obiecit, vt illi partim verborum pondere, partim conſtantiæ miraculo obſtupefacti, à
flagitioſo conatu deſtiterint. Inde laboribus maximis, cùm ſæuiente per eos dies peſti-
lentia luridus ipſe ac macilentus, tectis ferè atque oppidis arceretur, denique in vrbem
Romam haud ita acriter cuſtoditam, laſſitudine ac fame pæne confectus introijt ipſo
Dominico die Palmarum. cumq; venerabundus religioſiſsima quæque loca obijſſet,
Adriani VI. Pont. Max. pedes exoſculatur. Mox paranti Venetias ire, vt in Palæſtinam
inde tranſmitteret; rurſum Hiſpani amici nonnulli, qui Romæ eo ipſo tempore verſa-
bantur, profectionem diſſuasêre cùm alijs rationibus, tum præcipuè nauigationis lon-
gæ & infeſtæ periculis proponendis: quippe cùm paulo ante per ſummum nominis
Chriſtiani æquè damnum ac dedecus, Turca Rhodũ inſulam expugnaſſet, quo nuntio
videlicet omnis Italia cohorruerat. Sed cùm Ignatius ab inſtituta peregrinatione nul-
lo terrore poſſet abduci; illud ſaltem hortari & orare inſtiterũt, ne ſe daret in iter eiuſ-
modi ſine pecunia, tum in alios vſus neceſſaria, tum vtique ad naulum pro tranſmiſſi-
one ſoluendum. nam vt Venetias emendicato victu peruenisſet, quæ deinde ratio, quę
ſpes homini externo & ignoto foret, in tam remotas regiones traiectum nanciſcendi
gratuitum? Proinde rectè amiceq́ue ſuadentibus ne reſiſteret, iuuariq́ue ſe in CHRI-
STI gratiam aliquo ſaltem viatico pateretur: Cùm hæc, & alia eiuſmodi aſſeue-
rantes pariter ac miſerantes ingererent; ſæpius eadem iterando, cunctantem, ac ter- E
giuerſantem denique perpulerunt, vt in ipſo diſceſſu aureos aliquot nummos accipe-
ret. quo ille ſubſidio oneratus verius quàm inſtructus, non multum proceſſerat viæ,
cùm rem totam attentè contemplans, ſeq́ue ipſe accuſans grauiter, quòd de fiducia
diuina humano metu ſe deijci, fixumq́ue paupertatis propoſitum oblato auro paſ-
ſus eſſet infringi; parum abfuit quin omnem pecuniam illicò indignabundus abijce-
ret: ſed quia id prodigum, ac Deo ingratum fore videbatur, decreuit certè in ob-
uios pauperes paulatim inſumere. quòd cùm alacriter præſtitiſſet, breui & nummis
omnibus vacuus, & ſtimulis conſcientiæ liber euaſit. Pergẽtem porrò Venetias, eadem
quæ ſupra memorauimus incommoda & difficultates itinere pæne toto vexarunt. Sæ-
uiebat etiam tum locis aliquot fœda lues atque contagio; diſpoſitiq́ue cuſtodes aditus
oppidorum aſsiduè tuebantur. Ignatium verò ex ipſo corporis habitu vel in ſumma
cęli temperie metuiſſes. Obſita erat ſqualore veſtis, & horrida; color exſanguis, cauum
macie caput, conditi introrſum oculi, & inanes faucium ſinus. quocirca fiebat, non ſo-
lùm vt excluſus à diuerſorijs omnibus pernoctare ſæpe cogeretur in publico, ſed et-
iam vt pallore & macie peremptum, rigentemq́ue, prætereuntes aliquando nonnulli
ceu monſtrum quoddam aut triſte ſimulacrum horrerent. Ipſe verò linguæ imperi-
tus, ignarus itinerum, cùm præ defatigatione ſæpe deficeret; ad Foſſam tamẽ Clodiam
Deo adiuuante peruenit, quo ex emporio breuis & quotidianus Venetias traiectus eſt. F
Ibi certior factus à viatoribus, obſeruari Venetijs omnia diligentiſsimè, & è ſuſpectis
præſertim regionibus venientes acceſſu prohiberi; flexit inde itinere terreſtri Patoui-
um, quorumdam conſilium ſequutus, qui idipſum periculi metuentes, faciliorem ſibi
ex ea vrbe Venetias tranſitum fore ſperabãt: ijdemq́; Ignatium adiunctum ſibi comi-
tem, præ imbecillitate haud ita æquantem gradus, in campis circumpadanis repente
deſtituunt, vnius ope CHRISTI ſubnixum: qui ſanè pro ſua infinita clementia laborãti
ſeruulo in tanta ſolitudine minimè defuit, ſed proxima nocte ſeſe illi, quemadmodum
antea ſæpe fecerat, viſendum obtulit; recreatumq́ue mirificè, intra ipſa Patauina mœ-
nia primùm, deinde Venetias ſine vllo errore aut difficultate perduxit. nemo quippe
ex Patauinis cuſtodibus ad portas, nemo ex Venetis exploratoribus ad inſulas frequẽ-
tiores appropinquantem (cùm nauim ingreſsi de more ſingulos vectores diligenter
excuterent) Ignatium nulla munitum valetudinis teſſera, ne appellauit quidem: mi-
rantibus, cognita poſtmodum re, Clodianis deſertoribus illis; quibus per adulterata
videlicet ſymbola introitus in vrbem vtramque non ſine magna vel ſolicitudine, vel
contentione patuerat. Venetiarum vrbis, in receſſu intimo ſinus Adriatici, ea regio ac
ſitus eſt, vt leniter ſtagnantes ex alto aquæ illam ex omni parte circumluant. ea inclytę
vrbi & ad merces copiaſq́ue inuehendas opportuna receptacula, & contra hoſtiles in-
curſus munimenta firmiſſima ſunt. Ex ijs porrò æſtuarijs, maiores minoresq́ue euri-
pi totam vrbem intercurſantes, varijs mæandris ac flexibus ita diſtinguunt, vt, quot in
partes pedibus, in totidẽ fere mari aditus ſit; egregio ſanè vel artis, vel naturæ miracu-
lo. In-

A lo. Inde vicorum, insularum, ac pontium ingẽs numerus: vt qui diutius ibiversati non sunt, viarum locorumq; modò varietate, modò similitudine sæpe fallãtur. Sed contra eiusmodi ambages, certum paratumq; remediũ est maxima multitudo cymbarũ, quæ vsquequaq; dispersæ, nominatim ad omnia & publica & priuata loca quemlibet haud ita magna mercede traijciant. Ignatius naui Patauina, ex ijs quę per Medoacum flumẽ assiduè commeant, in area Marciana sub noctem expositus, cùm neque vias ad publica xenodochia nosset, nec portitori conducẽdo suppeterent nummi; assuetus longo iam vsu malè cubare, sub porticu Procuratoria, quam appellant, intendentibus iam se tenebris, vacuum opificis cuiusdam fulcrum elegit, in quo fessos artus vtcumq; reficeret. Tenet fama, litterisque multorum est memoriæ traditum, dum ille ibi noctem exigit, vicinum senatorem M. Antonium Triuisanum (quem ipsi multo deinde post, eiusdem ciuitatis principem vidimus) cœlesti voce excitatum, increpitumque quòd in multa veste, molliq; strato decumberet ipse, cùm interim Dei famulus peregrinus non longè à vestibulo illius ædium iaceret in publico pauper, & omni humana ope ac solatio destitutus. itaq; ingenti metu & horrore perfusum prosilijsse confestim, & quæsitum diligenter Ignatium excepisse perhonorificè. Sed ille postridie cùm in amicum veterem Cantabrum incidisset, à lautiore hospitio sese ad eum familiariter transtulit.

Nauigat in Palæstinam. Cap. XIII.

B

IBI cùm aliquandiu moraretur, in omnem nauigãdi occasionem intentus; ecce tibi nouæ amicorum pugnæ (quos illi vbiuis breui conciliabat cognita viri virtus atque modestia) eum varijs terroribus ab instituta peregrinatione reuocare conantium; quibus ille, Deo fretus, ita resistebat, vt diceret, pro certo habere se, vt cætera cuncta deficerent, vel vna solum modò tabula quò cupiebat vtique peruenturum. Nec eum fefellit bonitatis diuinæ fiducia. Cùm enim eo anno formidine Turcarum, vt diximus, solito minor esset in Iudæam peregrinantium numerus, & quotquot erant, simul omnes paulo ante soluissent; desperata iam à cæteris re, Ignatius repente fit certior, nauem in Cyprũ parari patricio Veneto, prætori eiusdem insulæ designato: cumque inde non ignoraret breuem atque facilẽ esse traiectum in Palæstinam; nullo adhibito deprecatore, cùm tamen multi nec aspernandi suppeterẽt, ad Venetorũ Ducem Andream Gritum adijt ipsemet, insigni non minus humanitate quàm prudentia principem: ac Deo fauente facile ab eodem impetrauit, vt gratis in Cyprum vsque deueheretur. Sed interea dum prætoria ornatur nauis, in febrim Ignatius incidit, factumque diuinitus est, probandæ scilicet eius constantiæ caussa, vt quo die pharmacum hausserat, eo ipso nautæ signum
C profectionis ediderint. qua re minimè conturbatus Ignatius veniam petit ab hospite; qui pertinaciter ipsum etiam atque etiam retinere conatus, cùm nihil omnino proficeret, consulitur medicus. ille verò sine cunctatione respondet, hominem ad interitum ruere. Attamen Ignatius nihilo magis immutatus, & cælestis nimirum medici ductum sequutus, felici sanè consilio (quòd tamen admirandum potius, quàm imitãdum alijs duxerim) fluctuante etiam tum in stomacho potione conscendit; factumq; est Dei beneficio, vt ora soluta, inter nauigandum, ex ipsa maris agitatione tantam vim pestiferi ac vitiati humoris euomeret, vt morbo planè leuatum sese celeriter senserit. Recuperata valetudine instituit suo more, quoscunque poterat factis dictisque ad virtutem & pietatem adhortari. cumq; in eadem naui per summam impudẽtiam committi grauia quædam flagitia comperisset, non dubitauit apertum dedecus detestari palam; & impuros illos homines tanta orationis acrimonia reprehendere, vt ij facta cũ nautis coniuratione molestum sibi monitorem in deserta quadam insula exponere, atque ab suo conspectu & consuetudine procul amouere decreuerint. quam rem odorati è vectoribus quidam Hispani ad Ignatium pro amicitia detulere, suadentes etiam atq; etiam, vt in loquendo cautior esset, sibique consuleret. sed ille nihilominus turpiter peccantes obiurgare perrexit, diuinæ prouidentiæ ope subnixus: cuius beneficio factum est, vt ad insulam sceleri destinatam appropinquantes nautæ, aduerso repente vento reiecti, volentes nolẽtes Ignatium in Cyprum vsq; peruexerint: vbi cùm stare ad salinas peregrinã nauem, de qua supra diximus, audisset; illuc itinere terrestri se contulit: in eamq; gratis admissus, nihilo plus viatici secum intulit, quàm in priores intulerat, Christo vi-

no videlicet fretus, qui tota illa nauigatione ſeſe illi non ſemel oſtendit; eumque magnopere confirmauit; ac denique incolumem ad portum Palæſtinæ perduxit. D

Palæſtinæ loca ſancta perluſtrat. Cap. XIV.

INDE cum cætera peregrinorum turba progreſſus, vt ad conſpectum ſacratiſſimæ vrbis eſt ventum, incredibilem ex ipſo illius intuitu cepit animo voluptatem; ac deinceps partim in comitatu, partim etiam ſolus, loca illa CHRISTI Domini, MARIAE virginis, & Apoſtolorum nobilitata veſtigijs, eximio quodam animi fructu venerabundus haud ſemel obijt: modò inclyti quondam templi reliquias, modò ſepulchra Prophetarum intuens: hic naſcentis & vagientis; illic docentis, & miracula patrantis filij Dei monimenta conſiderans. Vbi verò ad loca eiuſdem acerbiſſimis pœnis inſignia, & morientis in cruce ſanguine conſecrata, atque ad defuncti ſepulchrum accederet; effuſus in lacrymas, humo pia oſcula imprimere, immortales agere Domino gratias, incredibili quadam ſpiritus dulcedine & ſuauitate compleri. Ad hæc, antiquum beatiſſimæ Virginis domicilium, itemque locum inſtituto primùm Euchariſtiæ myſterio, & ſancti Spiritus aduentu memorandum, & alia eiuſmodi quàm plurima, quæ per otiũ deinde reuiſeret, à myſtagogo quàm accuratiſſimè addiſcere. Erat Ignatio iamdiu deliberatum, vt diximus, in anguſtis illis Iudææ ſedibus pedem figere, atque ad conuertendos ad Euãgelij lucem infideles toto pectore incumbere; quòd non reperiret vel vbi ſanctius in terris vitam degeret, vel in quo munere fructuoſius operam collocaret. Neque, plurimis iam experimentis diuinæ bonitati cõfidere, & in diem paruoque viuere aſſuetum, rerum quæ ad corpus pertinent, habebat cura vlla ſolicitum. Id verò laborabat vnum, fragilitatis humanæ videlicet conſcius, ne ſpiritui quotidie deficienti, & noxarum ſordes aliquas contrahenti, opportuna ſacræ pœnitentiæ ablutio, & cæleſtis panis alimenta deeſſent. Quam ad rem idoneum ratus miniſterium fratrum è Franciſcana familia, qui loca illa religioſa tuentur, & peregrinis aduenientibus præſtò ſolent eſſe; adit ille ad cuſtodem cœnobij, ac litteras ei, quas ex Italia commendatitias attulerat, reddit; &, quòd ad conuerſionem infidelium attinet, nihil ei ſuorum cõſiliorum impertit; voluntatem verò ſuam in eiſdem ſedibus commorandi habitandique demonſtrat: rogat proinde, vti ſe fratres dumtaxat tecto recipiant, ſibique; Confeſſionis & Euchariſtiæ ſacramenta miniſtrent: ſe, quæ ad victum cultumque ſpectent, nullo prorſus eorum incommodo curaturum. Cuſtos, partim commẽdatione amicorum, partim poſtulati moderatione permotus, bene ſperare iubet Ignatium, ita tamen, vt rem in aduentũ Prouincialis Miniſtri differret, qui per eos dies in Bethleem oppido verſabatur. nec dubitauit Ignatius quin æquè facilé Prouincialem eſſet habiturus, atq; cuſtodem habuerat. itaq; cùm reditus iam peregrinorum inſtaret, litteras ad amicos in Occidentem ſcribere aggreſſus eſt, quibus eos de ſuo ſtatu faceret certiores. Cùm igitur maximè ſcriberet, quòd in poſterum diem peregrinis erat indicta profectio; ecce tibi à cuſtode nuntius, adeſſe Prouincialem, & Ignatium accerſere. ad quem bonæ ſpei plenus cùm extemplò adijſſet, collaudat ille primò piam hominis voluntatem: ſed re apud ſe diligentius deliberata, videri ſibi ait ſatius, vt recedat; idque; cùm alias ob cauſſas, tum verò quòd ante id tempus nonnulli eodem ſtudio accẽſi, dum ſecurius vagantur, à Turcis excepti, vel miſerè perijſſent, vel certè in acerbæ ſeruitutis calamitatem incidiſſent, quos deinde propter officium ac vicinitatem Franciſcani fratres non ſine magno cœnobij detrimento redimere cogebantur. proinde ſe in diem inſequentem cum cæteris peregrinis ad iter accingeret. Ad quæ cùm ita reſpondiſſet Ignatius, vt ſibi certum fixumque eſſe affirmaret, Hieroſolymis omnino reſtare; ſimulque modeſtè ſignificaret, ſe, quamuis aliter ſentiente Prouinciali, nequaquam, niſi aliqua oblata religione, à propoſito receſſurum: tum ille poteſtatem ſe à ſummo Pontifice habere ſubiunxit ſacris interdicendi ſi quis inuito ſe ibidem remanere conatus eſſet: iamque poteſtatis eius diploma proferre paranti, confeſtim Ignatius, vt omnia eccleſiaſtica iura, & imperia valdè reuerebatur, nihil prolato opus eſſe reſpondit, credere ſe quæ diceret; & quoniam ita iuberet, dicto audientem fore. E F

Dum

A Dum igitur ad hoſpitium tendit mœrens, vt ſe ad reditum comparet; acris illum inceſſit repẽte cupiditas montis Oliueti illius celeberrimi reuiſendi, quo in ſummo cernuntur adhuc IESV Chriſti aſcendentis in cælum expreſſa veſtigia: ac ne quis fortè in tantis temporis anguſtijs impedimento ſibi eſſet, re nemini patefacta, & (quod periculoſius eſt) nullo propter inopiam Turca ſecum adhibito ex ijs qui mercede conducti peregrinis in ea regione præſidio ſunt; ſolus ad montem excurrit: cumque à cuſtodibus non admitteretur, cultellum è calamaria theca detractũ mercedis loco ijs dedit, ſacri montis cacumen ſubijt alacer, & diuinorũ pedum notas multa cum prece & ingẽti gaudio veneratus, ad Bethphage properauit: vbi dum ſingula curiosè perluſtrat, ſubijt illius animum ſubitò, minus diligenter in Oliueti faſtigio ſeſe animaduertiſſe, vtra ex cæli plaga dextrum, vtra ſiniſtrum eſſet Chriſti veſtigium: qua dubitatione quaſi quibuſdam calcaribus incitatus, illicò ad montem recurrit, adnotauitque intentis oculis vel minutiſſima quæque ſic, vt locus in poſterum dubitationi non eſſet: vſque adeo inexplebile ſtudium ſacroſancta illa redemptionis humanæ monimenta, & incunabula Chriſtianæ religionis penitus etiam atque etiam cognoſcendi recolendique mentem eius inuaſerat. Interea, cùm abeſſet diutius, nec in turba peregrinorum appareret, ad Franciſcanos defertur deſiderari ex eo numero Ignatium. Frãciſcani ſuſpicati id quod erat, ac veriti ne per eam ſolitudinem Ignatius in aliquod vitæ vel ſeruitutis
B diſcrimen incurreret; Armenium quemdam in eo cœnobio miniſtrantem, ad illum perquirendum celeriter mittunt. qui deſcendenti ex Oliueto commodum Ignatio factus obuiam, fuſte primùm, ac truci vultu acriter minitari, ac temeritatem aſperè admodum increpare: deinde immiſſa manu & brachio ferocius apprehenſum, ad diuerſorium trahere minimè ſanè renitentem, quin etiam nouo cœleſtis gaudij rore perfuſum, quòd inter eas contumelias Chriſtum ſibi præſentem, & vſque ad hoſpitium præeuntem, incredibili quodam genere conſolationis aſpiceret.

In Hiſpaniam redit. Cap. XV.

C VT igitur poſtera dies illuxit, cum reliquo peregrinorum agmine Ignatius abijt præ deſiderio triſtior, & relictam prouinciam ſine fine reſpiciens: nec tamen, quoniam præſenti neceſsitate victus inde recederet, de muniendo in poſterum ſibi quandoque reditu ac manſione deſperans. Cumq; primo traiectu Cyprum tenuiſſet incolumis, tres ibi onerarias in Italiam paratas offendit: quarum vna erat Veneti mercatoris, maxima, & omnibus rebus inſtructa; altera minor, ſed bene firma, Turcarum: tertia Chriſtianorum, parua, & malè cõpacta. Ac cæteri peregrini, quòd tempus erat hybernum, & obnoxium tempeſtatibus, pro ſe quiſque tendere, ac certa mercede paciſci, vt in primam aſcenderent: cumque Ignatius propter egeſtatem à nauarcho repudiaretur, ijdem illum enixè precari, vt hominem ſibi notum, probum, atque adeo ſanctum ne recuſaret admittere. quibus ille non minus amarè quàm ineptè facetus: Atqui ſancto, nihil opus eſt (inquit) naui. calcabit æquora multorum exemplo. neque vnquam exorari ſe paſſus eſt: ſed magno ei ſtetit cauillus, & contumacia. Cùm enim Ignatius inde per contemptum excluſus, facilè obtinuiſſet ijſdem deprecatoribus, vt in illam debilem gratis admitteretur: cumque ſimul omnia nauigia vento ſecundo ſoluiſſent; repente cooritur atrox adeo ac ſæua tempeſtas, vt Turcica nauis in omnium conſpectu miſerandum in modum fluctibus hauſta, nullo prorſus euadente perierit; Veneta verò in ſcopulos illiſa naufragium fecerit, ſaluis tamen hominibus: tertia tantùm, qua vehebatur Ignatius, minimè valida, vẽtis ac fluctibus diu multumque agitata, altero denique menſe in Apuliam, lacera ac valde feſſa peruenit: quo ex loco ipſe deinde Venetias petijt, tam longa & periculoſa nauigatione mirè vexatus. Etenim ſtudio paupertatis, quæ fuit illi ſemper omnibus commodis & emolumentis antiquior, nudis cruribus, hyeme ſæuiente conſcenderat, femoralibus tantùm è tela, conciſaque ad humeros aploide, ac ſciſſili tunica breuiore ſemiamictus, cùm è cælo denſa caderet nix, ac triſti gelu cuncta inhorreſcerent. atque ad has cæli iniurias accedebant quotidiana vitæ diſcrimina, vigiliæque, & cætera maris incommoda: quibus

ille

ille pæne confectus cùm Venetias peruenisset Ianuario mẽse anni MDXXIV. ab hospi- D
te Cantabro clementer acceptus, nummisque aliquot ad iter faciendum, atque ad fo-
uendum stomachum nimio frigore languentem panni quodam frusto donatus, Fer-
rariam venit. ibi maximum vrbis templum ingressus, dum religiosè numen adorat,
mendicus quidam ex ijs qui sacrarum ædium vestibula conterunt, precationi appri-
mè intentum intuitus, confestim ad illum accedit, manumque ad stipem porrigit sup-
plex: cui cùm Ignatius ex ea quam habebat pecunia, nummulum hilari vultu dedis-
set, atque is (vt fit) rem ad cæteros pauperes detulisset; alius aliusque deinceps ad Igna-
tium accurrere: quos ille cùm se per Christũ obsecrantes frustrari fas esse vix duceret,
à minoribus nummis ad maiores paulatim progressus, breui totam crumenam ita pe-
nitus exhausit, vt sibi deinde ad cibum illo die capiendum ostiatim emẽdicare neces-
se fuerit. quam rem pauperes ijdem mox cõspicati, & maxima quadam admiratione cor-
repti; sanctum, sanctum illicò exclamant. quibus plausibus vocibusque nequaquam
inflatus ipse, cùm vno bonæ conscientiæ testimonio niteretur, Genuam inde sine vlla
cũctatione profectus est. Graue per id tẽpus inter Christianos Reges vigebat bellum;
& præcipua quæque Cisalpinæ Galliæ loca, vel Hispanicis, vel Gallicis præsidijs tene-
bantur: cumque ob id ipsum valde infesta cædibus ac latrocinijs itinera esse constaret;
admonitus à bonis quibusdam viris Ignatius est, vt per occultos tramites à via regia
declinaret, ni cum ingenti vitæ periculo in manus militũ vellet incidere. At ille, quem E
ardens odium sui, & amor imitandæ Christi patientiæ intrepidum redderet, rectà ni-
hilominus ire perrexit. neque ita multum viæ processerat, cùm ad oppidum nescio
quod in stationes circũsidentium Hispanorũ incurrit, qui tam periculoso ac suspicio-
so tempore exploratorem sine dubio rati, comprehensum Ignatium, & in domuncu-
lam quãdam seductum, blandè primùm interrogant; deinde omni vestimento, & ipsis
denique calceis ferociter exuũt, singulas partes proteruè simul & curiosè pertractant,
numquid ad obsessos vel nuntij, vel litterarum afferat, diligenter exquirunt. cùm ni-
hil eorum quæ putauerant, neque percunctando elicerent, neque perscrutando inue-
nirent; ira commoti, Atqui te Præfecto sistemus, inquiunt, & confessionem quam per-
tinaciter supprimis, exprimemus: cùm nihil recusaret Ignatius, ac tantummodo pete-
ret, vt sua se tunica tectum incedere paterentur; illi verò, ludibrij & ignominiæ caus-
sa brachatum per media castra vulgo inspectante atque irridente perducunt. quam il-
le tam insignem contumeliam excepit ac subijt alacer, cùm alijs nominibus, tum præ-
cipuè quòd interea sibi species quædam est obiecta Christi Domini, cùm à Pilato per
mediam vrbem ad Herodis tribunalia missus esset, ab eo per summam iniuriam atque
indignitatẽ spreti & illusi; & vniuerso irridẽte ac sibilante populo, per hominum ora
semel iterumque traducti: cuius opprobrij se quoque factum esse vtcumque partici-
pem, mirificè lætabatur: sed vbi ad Præfecti diuersorium appropinquauit, repentino F
quodam timore perfusus, cæpit subitò cogitare apud se, quonã modo ipsum alloque-
retur. Etenim Ignatius, quòd olim in regia, sermonis flosculos & verborum elegãtiam
nimium studiosè captasset, ad eam vanitatem expiandam, consulto post conuersio-
nem instituerat rudi & agresti sermone cum ipsis quoque dynastis ac principibus age-
re; & quò magis vulgò contemneretur, omne liberalioris educationis & nobilitatis in-
dicium studiosè cælare. tum igitur subijt illius animum, expediretne tali tempore
quidpiam de susceptа seu tarditate, seu rusticitate deponere. Sed cùm rem totam accu-
ratius intuens, ab humano timore profectam animaduertisset; vsque adeo in semetip-
sum animo concitatus est, vt nulla habita ratione periculi, non modò mutata consue-
tudine, ad orationis lenocinia non descendere, sed nullum prorsus neque gestus, neq;
verborum honorem habere Prefecto decreuerit. Quæ res cuipiam fortasse temeritatis
potius quàm consilij videatur esse: sed vtique seruorum Dei, præsertim in ipso feruo-
re pœnitentiæ, facta vel dicta, ad communem sensum ac normam exigenda non sunt.
Cùm igitur coram illo stetisset; vt erat seminudus & squalidus, ne aperto quidẽ capite,
oculos humi defigit. multa ac varia sciscitanti, nullam omnino reddit vocem. tantùm
ad illam interrogationem: Es ne speculator? non esse, respõdit; idque ob eam caussam,
ne si nihil contradixisset, silentio ipso, quod aiunt, rem affirmasse, & meritò quæsitore
in suam perniciem efferasse videretur. Tum ille insanum ratus Ignatium, acriter mili-
tes increpat, quòd in conspectum suum, non bene cognita re, dementem adduxerint;
& simul, Abigite hunc, inquit, liberumque dimittite. qua reprehensione magis magis-

que

A que irritati, cùm aduerſus Ducem hiſcere non auderent, ſui doloris pœnas ab innocente Ignatio repetunt. nec modò iurgia & probra certatim ingerere, ſed etiam impetu facto, pugnis, cubitis, calcibus hominis latera faciemque contundere, mirabiliter in ipſo verberum dolore lætantis, quòd aliquid innoxio ſibi ad Chriſti exemplum perpeti contigiſſet. Cumque verberando & conuitiando feſsi denique deſtitiſſent, miſeratus alius quidam miles excepit exanimem, ac fouit, ciboque recreatum inſequenti luce tutum abire permiſit. Sed antequam Genuam accederet, rurſus in ſtatiua Gallorum incidit, verùm euentu admodum diſpari. ſiquidem Dux, vt eum in Guipuzcoa natum audiuit Vaſco ipſe eidem regioni finitimus, quaſi popularem clementer agnouit, ac benignè tractari à militibus iuſſum poſtridie dimiſit incolumem. Inde cùm Genuam peruenisſet, Rhotericum Portúdum ibi offendit Cantabrum, Hiſpanienſi claſſi præpoſitum, in Fernandi quondam regia ſibi notum; cuius beneficio dum Barcinonem traijcitur, nihilo pacatiori vſus eſt mari, quàm terra paulo ante vſus fuerat. Etenim à piratis conſpecta nauis, qui valida per eos dies claſſe infeſtum habebant mare Liguſticum, ingenti nautarum labore metuq; manus inſectantium effugit.

Barcinone ad ſtudia litterarum aggreditur. Cap. XVI.

B INTEREA Ignatium Hieroſolymitana commoratione prohibitum, grauis coquebat cura, quid ageret, quodnam potiſsimum vitæ genus eligeret. ac multa ſecũ agitanti venerat illi dudum in mentem, cœnobium aliquod ingredi maximè diſſolutum, vt ibi, dum lapſam religionis diſciplinam, & verbo & exemplo conatur ad veterum inſtituta redigere; & cæteris aliqua re prodeſſet, & ipſe interea (quòd neceſſariò futurum videbat ab ijs qui reſtringi ſe nollent, multa pro Chriſti nomine pateretur. Sed incertus num id maximè ad Dei gloriam pertineret, quam videlicet vnã in omni actione ſpectare cõſueuerat; multa ac diligẽti prece & ieiunio explorat numinis voluntatem: ac diu perplexus, in eam denique mentem ſeſe diuinitus planè ſenſit impelli, vt ſine dubitatione ſtatueret, primùm operam ſuam, qualis qualis eſſet, nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere: deinde, quò latius pateret vtilitas ac fructus animorum, eiuſdem conſilij ac propoſiti idoneos aliquot adlegere ſocios atq; adiutores: poſtremò, vt ſine hominum admiratione verſari in adiuuandis hominibus poſſet, ad Sancti Spiritus vnctionem, doctrinæ quoque ſubſidium, ac litterarum cognitionem adiungere, præſertim quòd ea commendatione facultatem etiam repeten-
C dæ atque obtinendæ Hieroſolymitanæ prouinciæ (cuius illi cura viuebat in pectore) facilè ſe ab eccleſiaſticis magiſtratibus aliquando impetraturum ſperabat. Et quidem, quòd ad litterarum ſtudia pertinet, cùm nõdum intelligeret quàm illa ſibi totum hominem fere vindicent, ratus poſſe interim ſe animis quoque adiuuandis vacare, Minoreſſam ad gregem illum ſuum reuerti decreuerat, vbi & ſparſa in hominum mentibus pietatis virtutiſq; ſemina ad bonam frugem perducere, & Ciſtercienſis cuiuſdam monachi, ſpectatæ ſanctitatis ac doctrinæ viri, tum conſuetudine perfrui, tum induſtria erudiri magnopere cupiebat. Sed cùm illum, contra quàm putarat, demortuũ reperiſſet; Barcinonem ſibi ſtudiorum idoneam ſedem putauit fore, propter eam maximè cauſſam, quòd cùm paupertatem perpetuò colere, nihilque ab domo ſua & cognatis accipere decreuiſſet; in ea vrbe multos habebat ſpirituali neceſsitudine ſib coniunctos: in ijs Ardebalum quẽdam peritum, vt locis ac temporibus illis, ludimagiſtrum; & Eliſabetham Roſellam primariã fœminam, quorum alter operam illi gratuitam in docendo, altera in quotidianos vſus quidquid opus eſſet benignè detulerat. Vt igitur Barcinonem reuertit, ſeque Ardebalo dedit in diſciplinam, repueraſcere in gratiam Chriſti matura iam ætate vir (quippe tertium circiter ac trigeſimũ agebat annum) & elementarius propemodum fieri nõ erubuit. Cæterùm ad illa ſpinoſa rudimẽta grammaticæ capienda, ediſcendaſque verborum inflexiones & nominum, cùm alia erant ei impedimento, tum illud præcipuè, quòd animum ad rerũ cæleſtium ſenſa concipienda longo iam vſu promptum & agilem, ſi amandi vocabulum, vel alia quæpiam eiuſmodi vox admonuiſſet eorum, quæ piè ac religiosè cogitare & cõmentari cõſueuerat,

ſubitò

ſubitò pæne abſtractus à ſenſibus, in contemplationem diuinæ caritatis ac ſempiternæ D
beatitudinis tota mẽte raperetur. Ex quo fiebat, non ſolùm vt nihil noui mãdare memoriæ poſſet, ſed etiam vt ſi quid antea impreſſum eſſet, id ipſum concurſu nouarum & præſtantiorum imaginum illicò deleretur. quam ipſam rem, quaſi futura præſagiens, pro ſua parte adiuuabat etiam vafer humani generis inimicus, eo maximè tempore crebra intelligentiæ lumina eidem offerens, & recondita patefaciens ſcripturæ ſacræ myſteria. Quod ille cùm cerneret, cumque adhibito ſæpe conatu, euagationem hanc fruſtra cohibere tentaſſet; pro ea diſcretione ſpirituum quam diuturna exercitatione parauerat, facilè ſenſit diaboli fraudem ſeſe à litterarum ſtudio reuocare conantis. ac, quo conſilio Barcinonem ſeſe contulerat, id ipſum labore ac diligẽtia conſequi maiorem in modum exoptans, hanc inijt rationem eius abigẽdæ moleſtiæ. Templum erat beatæ Virginis, cui à Mari cognomen eſt, gymnaſio proximum. in id templum fuſis ritè ad Deum, eamdemque Virginem precibus, Ardebalum pro amicitia accerſit; rem illi totam, vt erat, exponit; deinde ſe ad pedes abijcit homini, etiam atque etiam obteſtans, ne ab incæpto deſiſtat; ſe vtique, modò ſibi panis, & aqua non deſit, in proximum biennium, & eò amplius, ſi opus fuerit, ad ſcholas frequentem eſſe venturum, ſeduloque daturum operam litteris: petere & rogare, vt ab ſe quotidie nõ minus quàm à cæteris penſum exigat; ceſſantẽ, quaſi quemlibet vnum è grege puerorum, arbitratu ſuo & verbis & plagis accipiat. Miratus viri humilitatem ac probitatem Ardebalus, bonum animum iubet habere, ſuamque illi operam denuò polliceturAtque hac ſub- E
miſſione victus denique dæmon abſceſſit, & importunis illuſtrationibus Dei beneficio recedentibus, operæ pretium Ignatius facere, & liberius in grammaticæ cognitione cœpit excurrere. Interea diſcendi mirabiliter auido, & omnia ſtudiorum compendia perquirenti, ſuasère nonnulli, ad pietatem videlicet cum elegantiore doctrina iungendam, vt Eraſmi Roterodami, qui ea tempeſtate Latinitatis auctor idoneus habebatur, Enchiridion militis Chriſtiani ſtudioſè perlegeret. quòd ille facere cùm cæpiſſet, celeriter ſenſit ea lectione ſpiritus feruorem in ſe quaſi frigida ſuperfuſa reſtingui: conſultoq; per preces Deo ita librum illum abiecit, vt neq; in manus poſtea ſumpſerit ipſe, & multo poſt, Generalis creatus, omnia ſcriptoris illius opera in Societate IESV legi vetuerit, non quòd ſingula hæretico veneno infecta putaret; ſed ne quis fortè captus facetijs ac dicacitate viri, ſenſim, vt fit, ab incorruptis ad vitioſa deſcenderet. Nec tamen eo tempore Ignatius, quamquam ſtudio litterarum adeo intentus, conſueta caritatis officia & ſtudium pœnitentiæ omiſit. quinimmo cùm Barcinonem valentiore quàm inde abierat ſtomacho reuertiſſet, non ille quidẽ ad ſaccum redijt, neque orationi ita multum temporis tribuit; ſed tamen veſtitu admodum vili vſus eſt, & calceos ad oſtentationem vitandam ita perforauit, vt ſoleis paulatim magis magiſque diſcerptis, hyeme iam ſæuiente, nudis humi plantis incederet: atque etiam ſubſeciuis operis, ere- F
pto è ſcholaſticis exercitationibus tempore, inſtitit pia paſſim colloquia ſerere; plebẽ infimam doctrinæ Chriſtianæ præceptis imbuere; quoſdam etiam ſpiritualibus exercitijs ad virtutem ac perfectionem informare. Quarum rerum admiratione permoti præ cæteris viri quattuor, ſeſe ad Ignatij ductum atque inſtitutum aggregarunt (quibus tamen, vt ſuo loco videbimus, in propoſito conſtantia defuit) Calliſtus quidam, qui auctore Ignatio peregrinationem Hieroſolymitanam nuper obierat; alterum Artiagam cognomento appellabant; tertius fuit è Gotholaniæ Proregis familia, nomine Cazeres: ad quos vltimo loco Ioãnes adoleſcens, natione Gallus acceſſit. His ille ſocijs auctus; tametſi ſtudiorum metam quamprimum attingere optabat, quò liberius omnem curam atque operam in hominum ſalute conſumeret; tamen quòd ſibi nondum ſat firma grammaticæ fundamenta ieciſſe videbatur, numquam adduci potuit, vt ab Ardebali diſciplina diſcederet (quamuis ad ſuperiores artes vulgò idoneus haberetur) quoad inſignis quidam Theologiæ doctor, cui ſeſe excutiendum examinandumque tradiderat, facto periculo, ad reliquorum ſententiam acceſſit. Cuius auctoritatem & iudicium ne contemnere videretur, licet ipſe ſibi haud ſanè placeret, ad grauiora ſtudia Complutum vnà cum ſocijs abijt.

Eiuſdem

A

Eiusdem commoratio Complutensis. Cap. XVII.

IBI cùm ad publicum xenodochium suo more diuertisset: artium, vt appellant, curriculum inijt non admodum felici successu: quippe qui eadē illa præpropera festinatione incitatus, nullo pæne seruato vel ordine vel discrimine disciplinæ, multa & varia vno eodemque tempore aggressus est; & in logicis terminos, quos appellant, in physicis Albertum, in Theologia Magistrum sententiarum (qui maximè libri tum in Hispania terebantur) euoluere, & plures quotidie in scholis audire cæpit interpretes; quæ res in speciem vtilis & compendiaria, vel maximo ei in id ipsum quod properabat, impedimento fuit. Etenim, quod in rebus humanis ferè fit, cùm auidè sequeretur omnia, nihil propemodum assequebatur: & ipsa varietas ac multitudo rerum, tum intelligentiæ tenebras, tum verò memoriæ perturbationem & confusionem afferebat. Ad hæc illud etiam accedebat incommodi, quòd in summa paupertate, non solùm ex emendicato viuebat ipse cum suis, verùm etiam aliorum inopiam ac difficultates, conquisitis vndique eleemosynis, magno labore & corporis & animi subleuabat. Præterea, quòd eius cursum vel maximè retardauit in litteris, tanta cupiditate
B ardebat errantes animas ad bonam mentem atque ad legem Euangelicam reuocandi, vt se, quamuis alieno tum tempore, continere non posset quò minus & in scholasticorum circulis de vera virtute ac pietate sermones inijceret, & in triuijs pueros plebemque fidei Christianæ præceptionibus erudiret, & omnium ordinum homines passim ad cultum Dei, studiumque religionis acri, ac vehementi oratione incitaret. Quibus adhortationibus commoti multi cùm ad sanitatem & officium redirent, & crebris altisque suspirijs veram cordis contritionem ac pœnitentiam testarentur; ab imperitis quibusdam Ignatius in suspicionem & crimen veneficij vocari est cæptus: quasi homines oratione sua cardiacos redderet. Præterea cùm insignes quædam in populo repēte morum ac vitæ mutationes existerent, & maior in dies hominum concursus ad Ignatium fieret; breui rem ad sacros Inquisitores Toletum pertulit rumor. Gliscebat eo maximè tempore apud Germanos Lutheriana pestis, manabatque malum quotidie latius. Quinetiam in Hispania ipsa, insani conatus eorum qui sese Illuminatos ferebāt, paulo ante magistratuū diligentia oppressi fuerant. Quocirca sacri Quæsitores in omne eiusmodi contagionis periculum excubantes animo, atque ex hac hominum frequentia & inusitato agendi genere veriti ne quod nouum incendium existeret, Complutum celeriter aduolant, in Ignatij doctrinam ac mores diligenter æquè ac disimu-
C lāter inquirunt. cùm nihil neque in dictis neque in factis à recta fide alienū inuenirent, Ignatium ne appellant quidem; tota re delegata Vicario Archiepiscopi, Ioanni Figheroæ, qui deinde Regio consilio præfuit, Toletum ipsi ad sua tribunalia reuertuntur. Neque ita multo post, Vicarius ipse, magis vsurpandi iuris causa, quàm quòd rem vlla animaduersione dignā putaret, ad Ignatij diuersorium adit quietè, & pauca quædam ab eo percunctatus, ad extremum exponit, inquisitum in ipsius & sociorum vitam esse acriter, neque inuentum quidpiam vitiosum; proinde more suo animarum saluti operam darent, cum eo tamen, vt non vno eodemque omnes habitu incederent; ne tali tempore nouam aliquam sectam inducere viderentur. Natiui coloris lanea veste cuncti vtebantur. iussit ille Ignatium & Artiagam nigro, Calliſtum & Cazerem rufo colore distingui, adolescentem Gallum nihil mutare. nec recusauit Ignatius, vt erat magistratibus apprimè obediens. Interiecto deinde quattuor fere mensiū spatio, cùm nihil de instituta docendi ratione remitteret, nec persuadere sibi Vicarius posset, homines idiotas, in ijs tractandis quę ad Christianæ fidei dogmata pertinent, nusquam labi; rursus in eos clam instituit quærere. sed cùm nihilominus sana cuncta reperisset, rem totam sine vllo iudicij tumultu suppressit. Nec tamen ita multo post Vicarius idem tertiam in Ignatium quęstionem exercuit, quorumdam calumnijs ac suspicione compulsus. Confluebat ad nouum doctorem audiendum, vt diximus, populi turba promiscua. in ijs fœminæ duæ honesto loco natæ, grādis natu mater, & filia forma elegāti. hæ publicis Ignatij adhortationibus incitatæ, vt est sexus ad pietatem propensus, adeo exarsēre, vt cuncta Hispaniæ valetudinaria peragrare, & in Christi Domini gratiam

toto vitæ ſuæ tempore pauperibus miniſtrare decreuerint. Hoc animi propoſitum Ig- D
natio cùm aperuiſſent; diſſuaſit ille magnopere cũ alias ob cauſſas, tum ne cuius oculos
animumq́ue ſolicitaret aſpectus adoleſcẽtulæ; non deeſſe Compluti pauperes, quos of-
ficij cauſſa, ſi vellẽt, inuiſerent; poſſe etiam operam dare ſacro Euchariſtiæ ferculo pro-
ſequendo, & alia id genus obire permulta, vtriuſque ſexui, alterius etiam ætati magis
congruẽtia. Quibus rationibus, & ſimul auctoritate viri deterritæ, cogitatam quidem
illę depoſuẽre prouinciam; verũtamen eadem agitatæ ſpiritus vi, temperare ſibi poſt-
ea nequiuerunt, quominus inconſulto atque inſcio prorſus Ignatio, pedibus, ac men-
dicantium ſpecie aliud genus peregrinationis longæ difficiliſq́ue ſuſciperent. Gien-
nium in Bætica eſt vrbs, quam nonnulli Menteſam Oretanorum falſo putarunt, ſacro
Sudario in primis viſenda, in quo crucem ſibimet baiulantis expreſſa Chriſti Domini
adoratur effigies. Ad id Sudarium venerandum, pedibus, vt dictum eſt, paucis admo-
dum conſcijs profectæ, duodecim fermè dierum itinere, cùm in vrbe non apparerent,
admiratio primùm affinium ac vicinorum orta: deinde vbi à familiaribus cognitum
eſt peregrinantium habitu petijſſe Giennium, variè pro ſuo quiſque ſenſu rem inter-
pretari. nonnulli probare factum, plerique reprehendere quòd eo loco fœminæ ſine
comitibus, nullo apparatu ſe in iter periculoſum dediſſent. Doctor verò Cirolius, cu-
ius in tutela erant mulieres, auctorem eius conſilij ſuſpicatus Ignatium, vehementer
excanduit, facinus indignum exclamans, hominem externum & ignotum, in aliena E
patria ſuis concionibus cuncta miſcere, & ipſas matresfamilias à cura domeſticarum
rerum auocare, nubiles verò puellas in pudicitiæ diſcrimen adducere. Atque his que-
rimonijs Vicarium perpulit, vt Ignatium in carcerem, miſſo repente viatore, conijce-
ret. Erat æſtiuum anni tempus, & ſatis laxa cuſtodia. itaque ad eum totis iam illis fini-
bus celebrem, vel ſpectandi, vel audiendi cauſſa plurimi ventitabant. quibus ille ſecu-
ritate mirabili tum Chriſtianæ doctrinæ rudimenta, tum etiam, vbi res exigeret, ſpiri-
tualium exercitationum præcepta more ſuo tradebat. Georgius quidem Nauerius, in-
ſignis ea tempeſtate doctor, & magna apud Carolum Cæſarem gratia, cùm ad eum vi-
ſendum acceſsiſſet; animi magnitudinem, & dicendi vim admiratus, vt primùm ad
ſuos domum reuertit. Hodierna die vidi Paulum (inquit) in vinculis. Iamq́ue ſepti-
mumdecimum diem ibi tranſegerat non ſolùm innoxius, verùm etiam prorſus igna-
rus cuius criminis nomine accerſeretur; cùm eius interrogandi gratia (multa quippe
ad eum ab iniquis delata fuerant) Vicarius ipſe cum ſcriba publico in carcerem venit.
At primùm (vt fit) varijs quæſtionibus verſat in omnes partes Ignatij animum: dein
ſciſcitatur ex eodem, obſeruet ne Sabbata. cui ille, Vtique, in honorẽ beatæ MARIAE
virginis (inquit.) nam cæteroquin & Iudaicos ritus ignoro, & verò Iudæum patria
mea fert nullum. Poſtremò, noſtin, ait, mulieres quaſdam duas, matrem & filiam? Cùm F
Ignatius annuiſſet, Numquid auctor illis fuiſti (adiungit) peregrinandi Giennium?
Nihil verò minus, ait Ignatius: quinimmo credas mihi iurato velim, eiuſmodi con-
curſationes & itinera in vniuerſum vtrique diſſuaſiſſe me: &, ſi profectæ ſunt, me ig-
naro, atque adeo inuito profectas. Tum hilari vultu Vicarius, humeros Ignatij leni-
ter apprehendens. Atqui ob id ipſum, inquit, in cuſtodiam te ſcito fuiſſe coniectum.
His ita peractis, ac tota ſerie quæſtionis per ſcribam in commentarios relata, Vicarius
abijt. Interea peregrinatione confecta, ſecundo & quadrageſimo denique die mulieres
reuertuntur. è quibus Ignatij innocentia clarè perſpecta, venit in carcerem ſcriba, &
Vicarij ſententiam Ignatio recitat: qua primùm iubebatur ipſe cum ſocijs cæterorum
ſcholaſticorum habitu incedere; deinde quadriennij perfiniebatur ſpatium ſacræ
Theologiæ cognoſcendæ, ante quod exactum ſpatium, de fidei Chriſtianæ myſterijs
ad populum verba ne facerent. Quibus auditis, quod ad habitum pertinet, nihil ſanè
recuſabat Ignatius, dummodo in idipſum egenti ſibi neceſſaria præberentur: illam
verò temporis finitionem ægrè admodum tulit, quòd ea re ſibi viam ad procurandam
animorum ſalutem obſtrui cerneret. Itaque ſine vlla dubitatione Salmanticam ad ſua
proſequẽda ſtudia migrare conſtituit, cùm ſeſquiannum circiter Compluti moratus,
inter eas ipſas difficultates & occupationes, non nihil tamen è logicis, phyſicisq́ue, &
ex ipſis Theologiæ fontibus deguſtaſſet. Sed interim, ad gloriam Dei, ne quid in do-
ctrina moribuſq́ue ſuis reſideret infamiæ, Toletanum Archiepiſcopum (cuius in dio-
ceſi Complutum eſt) ſibi ex itinere adeundum, totamq́ue ei rem geſtam, & omnẽ con-
ſiliorum ſuorum rationem explicandam exiſtimauit. Is erat Alfonſus Fonſeca, mo-
rabatur-

A rabaturque eo tempore Pintiæ.à quo benignè acceptus,animatusque ad cæpta ſtrenuè promouenda, necnon inſtructus viatico, Salmanticam venit, quò comites iam ante præceſſerant. quorum ille diuerſorium ignorans, primùm omnium ſacram ædem ingreditur,vbi orantem conſpicata pia quædam mulier,inſtinctu videlicet numinis, vltro ad eum acceſsit,& ſciſcitata nomen,ad ſocios iam ſibi notos læta perduxit. Verùm Ignatio ne Salmanticæ quidem quieto eſſe diutius licuit. Cùm enim quod ſupererat à ſtudijs otij, in cohortandis ad virtutem ac pietatem & priuatim & publicè non modò plebeijs, verùm etiam principibus viris inſumeret; neque verò, adiuuante Domino, fruſtra operam collocaret; omnium in ſe oculos repente conuertit, vrbemque totam celeriter eius nominis fama peruaſit. Erat omnino inuſitata res, & ipſa nouitate valde mirabilis;laicos homines, & externa re nulla differentes à cæteris(etenim eos Figheroa ſuo ſumptu Compluti ſcholaſticorum veſtimentis ornarat) Apoſtolico ac paſtorali propemodum munere fungi palam, & ſacerdotes ipſos ad partes ſuas ritè obeũdas accendere.Et cùm eiuſmodi vitæ genus valde probarent, ſuſpicerentque permulti; tum verò non deerant, qui totam rem ſecus interpretarentur, ac diligentius cautiuſque examinandam putarent. In ijs Dominicani fratres è diui Stephani præclaro cœnobio, quamquam eorum pro poteſtate non erat eiuſmodi quæſtio, tamen, quo erant caritatis ardore,ſat ſuum rati quod communem ad rem totius Eccleſiæ pertineret;Ignatium noſcere, ſpiritumque ipſius, & doctrinæ genus, & vitæ inſtitutum expendere omnino
B conſtituunt. Interim ignarus huiuſce conſilij Ignatius confeſſarium ex ipſo cœnobio ſibi delegerat. Is igitur confeſſarius aduenam iuſſu Vicarij (nam Prior, ſeu cœnobiarcha tum aberat) in proximum Dominicum diem ad prandium inuitat, nec renuenti, Fac inquit)paratus accedas;quærenda ex te non pauca. Ac nihilominus, vbi dies aduenit,ſine cũctatione promiſſa fecit Ignatius. Exceptus eſt cum vno è comitibus Calliſto, comiter. Sublatis deinde menſis, vtrumque Vicarius cum eodem confeſſario, & alio è fratribus in ſacellum quoddam ſeducit. conſidẽt omnes. Tum blando vultu Vicarius Ignatium intuẽs,gaudere ſe admodum inquit, ac valde probare, quòd ille cum ſocijs Apoſtolicum in morem peregrinando populos doceat, atque ad cultum Dei, ac ſtudium pietatis impellat. verumtamen auere ſe noſſe quibus maximè litteris operam dederint.Cùm id quod erat,Ignatius,minimè doctos fateretur eſſe: Quid igitur, inquit,expertes doctrinæ, conciones de rebus diuinis habetis? Nos verò nequaquam concionamur, ait Ignatius;verùm de virtutis pulchritudine, de vitij fœditate, cùm occaſio ſeſe dat, familiariter & ex æquo loco diſſerimus,atque homines ad odium peccatorum,amoremque probitatis hortamur. Ad ea Vicarius: Sed vtique de virtutibus vitijſque ſine liberalium artium cognitione diſputari non poteſt, vel à magiſtris & libris accepta, vel infuſa diuinitus: vos verò neque litteris, neque doctoribus operam
C dediſtis,vt ipſi fatemini:reſtat igitur vt Spiritu ſancto vobis hæc tradita ſint.atqui hoc ipſum eſt de Spiritu ſancto, quod maximè quærimus. Tum Ignatius vt peti ſe vidit repentino dilemmate, cùm aliquantulum ſubſtitiſſet: De his, inquit, hactenus. Cùm nihilominus inſtaret ille, ac Spiritus ſancti verbo hominem vrgeret, oppreſſus Ignatius tam perſeueranti interrogatione, in eodem tamen gradu conſtantiæ perſtitit, ſeque nihil præterea reſponſurum affirmauit, niſi quibus legitimè interrogandi ius eſſet. Quo loco Vicarius: Ita ne verò? inquit. Cùm nouæ impoſtorum ſectæ quotidie pullulent, & in errorem ac fraudem ita multos inducant; vos in reddenda veſtræ doctrinæ ratione tergiuerſamini?Atqui efficiam vt omnino reddatis. Triduum deinde in ſacros cœnobij fines detinentur, atque humaniſimè tractantur à fratribus. Eò ſpacio exacto, ecce tibi à Baccalaureo Fria, Vicario Salmanticenſis Epiſcopi, notarius ambos perducit in carcerem, includitque ſeparato à reliqua reorum turba conclaui, mirum in modum ſqualido,ac peruetuſto, odoriſq, deterrimi; cuius tectum medium ſtipes ligneus fulciebat, ac ſtipiti ferrea catena erat affixa dodrantium longitudine circiter nouem, bifida ad extremum ſerie. huic ergo catenæ altero vtrumq; pede adſtringunt, ſic, vt nuſquam alter ſine altero progredi, aut loco pæne mouere ſe poſſet. Igitur tota ea nocte per ſummum corporis incommodum nulla capta quiete, in hymnis & canticis perſtitere. poſtridie, vt per vrbem vulgata res eſt, continuò boni viri complures cum ſtragulis,culcitriſque, & ciborum apparatu adfuerunt,quorum benignitate recreatus Ignatius, ac paulo clemẽtius haberi deinde in ea cuſtodia cæptus eſt. Itaque, vt ante Compluti,ſic eo tempore concurſus ingens hominum ad eum fieri. ad

quos ille admirabili tranquillitate, de contemptu rerum humanarum, de futuro extremo iudicio, deque sempiternis præmijs atque supplicijs differebat. In ijs Francisco Mendozæ (qui postea S. R. E. Cardinalis & Episcopus Burgensis est mortuus) miseranti casum ipsius, & amicè ex eo quærenti, grauiter ne ferret custodiam & vincula: Tantum ne malum tibi videtur esse carcer? inquit Ignatius. atqui, scito, vrbe Salmantica tota nó ita multas esse compedes, manicasve; quin ego plures Christi Domini causa vehementer exoptem. Interea Baccalaureus Frias ad carcerem accedit, Ignatium & Calliſtum diuersos interrogat, ac varijs percontationibus, quales haberi à iudicibus solent, vtriusque sensus & animum diligenter explorat. Cùm illi congruentia responderent, nec modò sibi, sed etiam inter se mirè constarent; denique librum Exercitiorum, de quo inaudierat, poscit: nec recusat Ignatius; quinetiam sibi præterea esse tres in eadem vrbe socios aperit, editque diuersorij nomen, ac notas, quibus inueniri sine errore possint. neq; verò supersedit ille missis lictoribus eos in carcerem tradere inferiorem; ne quod ijs colloquium cum Ignatio, neu qua communicatio consiliorũ esset. Post hæc, ablatum Exercitiorum librum & ipsemet accuratè perlegit, & examinãdum præterea tradidit tribus Theologiæ doctoribus: qui dum singula diligenter expendunt, accidit interea res ad innocentiam Ignatij & sociorum declarandã non leuis momenti. Cùm enim cæteri, qui in vinculis tenebantur, per negligẽtiam custodum effracto carcere omnes repente dilapsi essent; Ignatius comitesque soli in summa fugiendi licentia postridie ibidem inuenti sunt, & cunctis admirantibus, approbantibusque, confestim in amplam domum & commodam inde magistratuum iussu traducti. Citatus præterea Ignatius ad Baccalaureum & reliquos libri sui recognitores, cùm & de Exercitiorũ ratione, & de præcipuis fidei Christianæ mysterijs multa ex eo quærerentur, paucis ac demissè præfatus, neque se vacasse admodum litteris; & quæcumque sentiret, diceretve, Ecclesiastico iudicio & censuræ cũcta submittere; ad singulas quæstiones de sanctissima Trinitate, de Incarnatione Domini, de sacramento Eucharistiæ, aliasque complures ita respondit, vt iudices ipsi pæne obstupescerent. Præterea è iure canonico proponitur ei difficilis quidam nodus, quem ipse, cùm item responsa Doctorum se ignorare dixisset, illicò soluit egregiè. Postremò iussus primum Decalogi præceptum, vti consueuerant ad populum, sic ibidem repente explicare; in eam sententiam vsque adeo variè & copiosè dixit, vt omnem illis præterea interrogandi cupiditatem exemerit. His rebus ita peractis, cùm dies vinculorum esset secundus iam & vigesimus, vnà cum socijs euocatur ad iudicum sententiam audiendam. cuius erat summa, innoxios eos, & ab omni hæretica labe intactos videri, ac proinde posse arbitratu suo in adiuuandos homines ac plebem erudiendam incumbere; tantùm ne intra quadriennium in Theologiæ studio exactum, quæ cogitatio lethali, quæ veniali crimine teneretur (qui locus in toto pæne iure Pontificio ac Theologia difficillimus est) auderent ipsi per se definire, atque statuere: id autem propterea quòd in Exercitiorum libro signa quædam tradita viderant iudices ad peccata capitalia à venialibus dignoscenda: quæ tamen quòd nihil continerent à recta fide alienum, nominatim improbare non audebant. Recitata sententia; cùm honorificè tractatum ab se Ignatium putarent iudices; ille verò suis rebus è conscientia apprimè confidens, vehemẽter indoluit, ab ijs quos veræ & Catholicæ fidei tutores ac præsides agnoscebat, nullo in suis neque dictis, neque scriptis deprehenso vitio, tamen in re tanta tamque necessaria sibi silentium imponi; atque iter ad excolendos ac pro viribus adiuuandos homines impediri. Quæ ipsa res inclinatum iam ante animum eius impulit, vti satius iudicaret ex hisce difficultatibus quas in Hispania obijci sibi subinde videbat, ad scholas Parisienses in Galliam vltrò sese transferre: vbi tum ob suam nouitatem, & eius linguæ inscitiam sibi minus interim negotij putabat fore, tum propter illius academiæ celebritatem atque frequentiam, non defuturos deinde quos ad suum institutum, atque ad Apostolica vestigia sectanda perliceret.

Lutetiam

A

Lutetiam proficiſcitur. Cap. XVIII.

ET quoniam ad iter adeo longinquum & anceps, non idem erat ſocijs animus: atque etiam, vt maximè incolumes eò peruenisſent, incertum erat, apud ignotas nationes quam copiam in ſtudijs litterarum degendi essent habituri; communicato cum ijs consilio ſtatuit Ignatius antecedere ſolus ipſe Lutetiam: & ſiquidem res facultatem habitura videretur, vt eos ibidem alere posſet, ipſos euocare per litteras; ſin minus, tota de re facere certiores; vt quamquam diuerſis locis, eadem tamen coniunctione animorum, emenſo interim philoſophiæ ac Theologię curriculo, intermiſſam ad tempus conſuetudinem, Deo volente deinde repeterent. Rebus igitur ita compoſitis, quamquam è præcipua Salmanticenſi nobilitate multis ægrè ferẽtibus, ac maiorem in modum renitentibus, vigeſimo circiter die quàm è cuſtodia exierat, in viam ſe dedit Ignatius, onuſtum libris aſellum præ ſe agens; ac Barcinonem deuenit. Hic ve-
B rò, vt inter veteres amicos ac familiares, omni ope certandum illi fuit, vt ſe à lacrymis atque à complexu carorum auelleret, etiam atque etiam deprecantium, ne patriã cum externa regione mutaret, neu ſe tali tempore in manifeſtum vitæ periculum vltro demitteret. Vigebat adhuc bellum inter Hiſpanos Galloſq́ue, & circa regni vtriuſque præcipuè limites infeſta latrocinijs loca, & recentes multorum cædes ad metum proponebantur. Sed ille nec terrore, nec precibus de ſuſcepto conſilio demoueri ſe paſſus, certè illud recuſare nó potuit, quominus tum ad ſumptus itineris, tũ ad neceſſaria Pariſijs comparanda, nummorum aliquid partim in numerato, partim in nominibus ab Eliſabetha Roſella, & alijs quibuſdam amicis acciperet. Quibus ille ſubſidijs, ac præcipuè diuinę bonitatis ope munitus, hyeme ſumma, pedibus, vt ſolebat, nullo duce vel comite inde profectus eſt ſub initium anni M D XXVIII. cumq́ue Ianuarium totum in itinere poſuiſſet, Februario menſe Lutetiam ſoſpes introijt. ibi quod ad ſtudia pertinet, reſpiciens perexiguum præteriti temporis fructum, rationibus ſuis accuratè ſubductis ad Dei gloriam ſtatuit in litteras toto pectore incumbere. cumq́ue experiendo iam cognouiſſet, eam eſſe humanæ mentis imbecillitatem, vt in plura vno eodemq́ue tempore vix atque ægrè ſufficiat, damnata priore feſtinatione, in poſterum, compendijs omiſsis, regia via procedere, & ſtudiorum ſuorum nouum initium ordiri decre-
C uit. Igitur ad Montis acuti collegium itare quotidie, ibiq́; inter procacium puerorum greges, matura iam ætate vir, grammaticæ rudimenta repetere non dedignatus eſt. Simul etiam de ſtato precationis tempore, & vexatione corpuſculi, quò plus otij ac virium ſtudio ſupereſſet, multum imminuit, ſic tamen, vt illa præcipuè tria nunquam omiſerit: primum, vt quotidie ſacrificio Miſſæ religioſè intereſſet: alterum, vt octauo quoque die poſt pœnitentiæ ſacramentum cæleſti pane ſeſe reficeret: extremum, vt bis quotidie ſua eius diei dicta, facta, cogitata quàm diligentiſsimè recognoſceret; conferenſq́ue hodiernum cum heſterno die, hebdomadam cum hebdomada, menſemq́ue cum menſe; ſuos in ſpiritu vel progreſſus, vel regreſſus perquàm accuratè exploraret atque perpenderet. Procurationem quoque alienæ ſalutis, & inſtitutam conſuetudinem agendi cum proximis, tantiſper dum litteris, ac præſertim philoſophiæ vacaret, aliqua ex parte remiſit, numquam tamen omnino depoſuit.

Extremæ inopiæ incommoda ſuperat. *Cap. XIX.*

D

IAM verò, ſatis vſu ipſo edoctus, quantum detrimentum ſtudijs afferat mendicitas, & cura tolerandæ in ſingulos dies vitæ; & nihilominus optans CHRISTI Domini & Apoſtolorum exemplo nihil prorſus in hoc ſæculo poſſidere; piorum benignitate ac facultatibus totam rem ita moderari conſtituit, vt neque in diem, vt antea, precario victitaret, & nihil idcirco de voluntariæ paupertatis proposito meritoque deperderet. Sed ea res primis vtique menſibus minimè ceſsit illi è ſententia. Cùm enim ſeſe in Hiſpanorum aliquot contubernium contuliſſet, qui plurimi Parifijs ipſo belli tempore verſabantur, & exactam è ſyngrapha Barcinonenſi pecuniam cuidam ex eadem natione cuſtodiendam dediſſet, eam ille clam ſuos in vſus non optima fide conuertit; cumque poſtea reddendo non eſſet, reliquis iam nummis inſumptis Ignatius, & à locupletibus amicis, quorum ope adiuuari poſſet, longo interuallo diſiunctus, tanta ſubitò rerum omnium inopia oppreſſus eſt, vt ei cibum oſtiatim quærietare quotidie, & in hoſpitalem ſancti Iacobi domum, infimis precibus exorato eius loci præfecto, demigrare neceſſe fuerit graui ſanè incommodo. Quippe Lutetia Pariſiorum, vrbs in primis Europæ totius & magnitudine & celebritate viſenda, triſariam E eſt diuiſa, partem vnam, quam Sequana fluuius inſulam efficit, regia vetere, foro & tribunalibus nobilem, vulgò Ciuitatem appellant. altera, quæ nouam regiam continet, Oppidum dicitur. tertia pars iam inde à Carolo Magno dicata Muſis, Vniuerſitas nominatur. in hac, præter cæteram incolarum turbam, ſcholaſtici maximè inhabitant; ac numerantur ibi collegia permulta libero aditu, cum ſuis vnumquodque liberalium artium diſcipulis & doctoribus, & præfecto collegij, quem Primarium vocant. Igitur ex ea vicinitate in ſancti Iacobi hoſpitium, quod procul inde eſt in ſuburbio, extrema neceſsitate compulſus Ignatius, in tanto locorum interuallo, cùm alijs afflictabatur incommodis; tum verò quòd cùm ante lucem in academia inciperent ſcholæ, nec niſi nocte deſinerent; ipſe, illius hoſpitij legibus, nec manè ante ſolis ortum egredi poterat, & veſpere ante occaſum regredi cogebatur, ſic vt inter eundum & redeundum, quamuis induſtrio ac vigilanti diſcipulo multum & de magiſtri dictatis, & de tota ſcholarum exercitatione deperiret. Cui tanto detrimento cùm in præſentia nullum aliud remedium occurreret, conſilium cepit more ſcholaſticorum egentium ea conditione locandi operam ſuam alicui ex academię Primarijs, doctoribusve; vt quòd ſibi à rebus domeſticis otij ſupereſſet, id totum in ſcholaſtica diſciplina, ſtudijſque doctrinæ conſumeret. Sed magis magiſque probante Deo conſtantiam & patientiam viri, conditionem eiuſmodi, quamuis magna adhibita diligentia, nactus eſt nullam. Itaque deiectus F hac ſpe, cùm id ærumnoſæ vitæ genus aliquandiu toleraſſet; & quos in Hiſpania reliquerat ſocios, de ſtatu rerum ſuarum per litteras monuiſſet, hortatus vt ibidem ex condicto circulum ſtudiorum abſoluerent; rationem inijt multo commodiorem, vt indictis vacationum ferijs, in Belgium, atque interdum etiam in Angliam ſiue Britanniam, ad Hiſpanos negotiatores excurreret: quorum benignitate cùm facilè obtinuiſſet annuam pecuniæ ſummã Lutetiæ toto ſtudiorum tempore certis penſionibus exigendam, commodius multo cæpit in liberalium diſciplinarum cognitione verſari. Cumque octodecim fere menſes Latinæ linguæ tribuiſſet in Montis acuti collegio, in collegium cui à ſancta Barbara nomen eſt, ad philoſophiæ ſtudia tranſijt alacritate mirabili: ac primùm occurſantes denuò rerũ cæleſtium importunas imagines, quamquam eximia cum animi delectatione coniunctas, eadem ſpiritus conſtantia, qua ſuperiores illas, iterum ab ſe reiecit, ac repulit; deinde magiſtris attentè audiendis, multa ac diligenti eorum quæ audierat commentatione, quotidianis denique gymnaſij exercitationibus, triennio & menſibus ſex (quod ſpatium temporis curriculo philoſophiæ in academia illa tribuitur) ita profecit, vt honorifico magiſtri iudicio ac teſtimonio (is erat Ioannes Penna philoſophus) poſt conſueta certamina, ritu ſolemni, laurea, cæteriſque doctrinæ inſignibus decoratus ſit. Poſt hæc in cœnobij Dominicani gymnaſio ſacram Theologiam aggreſſus eſt, ingenti ſanè labore & induſtria, cùm præter cæteras lucubrationes, hyeme ſæuiente, quotidie manè ante lucem ad ſcholas,

quæ

A quæ illa circiter hora ibi habebantur, accederet. atque ex eo ſtudio tantum Deo adiuuante percepit, quod ſatis eſſet ad fidei doctrinæque ſuæ rationem, ſine ſuſpicione vlla nouitatis, ex Patrum decretis atque auctoritate reddendam.

Variè propter Chriſtum exercetur. Cap. XX.

NEQVE verò, quamuis interim à plebis catecheſi atque à publicis actionibus abſtineret, idcirco tamen, quoad per ſcholas licitum eſt, ab adiungendis ad CHRISTVM hominibus, animandiſq; ad ſtudium veræ laudis & gloriæ deſtitit. quapropter multi nec infimæ ſortis viri, priuatis ipſius colloquijs ac monitis incitati, partim caſtigato vetere luxu, Chriſtianæ diſciplinæ ſeueritatem induerunt; partim etiam ſolemni voto varia religioſorum inſtituta profeſsi ſunt; partim deniq; ingenti academiæ totius admiratione, in CHRISTI gratiam pecunia egentibus diſtributa, pauperem vitam agere, atque adeo ad conculcandum penitus omnẽ ſæculi faſtum, & expianda ſuperbiæ crimina, palam per vicos & compita manum ad ſtipem ipſi porrigere, victumque palam emendicare cæperunt. quos tamen amici, rem indignè ferentes,
B cùm neque precibus neque minis à propoſito reuocare valuiſſent, facta manu denique ab hoſpitali domo ſancti Iacobi quò ſeſe contulerant, vi armiſque in priſtinum academiæ diuerſorium ad ſua proſequenda ſtudia retraxerunt. Ignatius verò tantam eiuſmodi rerum inuidiam ſubijt, vt præter cæteras iniurias & maledicta, falſis etiam criminationibus ad ſacrum Inquiſitorem ſemel iterum delatus ſit. Is erat ea tempeſtate Matthæus Ori, ex Dominicana familia Theologiæ magiſter, tum eruditione, tũ probitate conſpicuus; qui accuſatorum fraude comperta, Ignatium non abſoluit modò, ſed etiam miris ornauit laudibus, ipſumque Exercitiorum librum, qui præcipuè in ſuſpicionem crimenq; vocabatur, tantum abfuit vt damnaret, vt ſibi etiam eiuſdem exemplum Ignatij permiſſu deſumpſerit. præterea abſolutionis ac ſententiæ formulam, publici ſcribæ chirographo & ſigno munitam, quam contra iniquorum calumnias, quandocumque opus eſſet, proferret, tametſi minus gratum id potentibus quibuſdam viris fore videbat, Ignatio petenti conceſsit. Neque verò pro CHRISTI nomine ſolùm hac falſæ accuſationis procella defunctus Ignatius eſt; ſed eorum ipſorum opera, qui illum deinde vel maximè dilexerunt, virgarum quoque publicè periculum adijt. Mos eſt Pariſijs in ſcholaſticos improbos ac ſeditioſos, ad ſanciendam academiæ diſciplinam, in hunc fere modum animaduertere. Diſsimulato conſilio, ad condi-
C ctam diem in aulam collegij Primarius, magiſtrique nodoſa inſtructi virga conueniunt: comprehenſumque repente noxium, & in medio confeſſu nudatum, certo plagarum numero ſinguli afficiunt. Id ſupplicij genus cùm ad ſenſum corporis peracerbum eſt, tum verò ad ignominiam ac dedecus longè turpiſsimum, decq; ipſius loci nomine aula vulgò appellatur. Hunc igitur cruciatum ac notam maleficis conſtitutam, Ignatio inſonti, quòd condiſcipulos feſtis præcipuè diebus à ſchola ad oratorium & ſacra myſteria Confeſsionis Altariſque traduceret, vehementer iratus magiſter ipſe Ioannes Penna parauerat, Iacobo Gouea Luſitano collegij Primario in ſuam ſententiam facilè adducto, quippe qui iam ante priuatim erat infenſus Ignatio, quòd familiarem quẽdam ſuum, Amatorem nomine, ſeuerioris vitæ præceptionibus imbuiſſet, atque (vt pietatem fere interpretantur homines) infatuaſſet abductum à curis inanibus, & iucundo conuictu amicorum, atque à priſtina conſuetudine. Vt igitur dicta ſupplicio dies illuxit; aduentans iam ad ſcholas, ab amico fideli maturè monetur Ignatius, ne intra collegij ſepta vtique illo die inferat pedem; concitatos in eum eſſe omnium animos; pœnas aulæ daturum extemplò, ni caueat. Ad cuius rei nuntium ancipiti deliberatione diſtractus Ignatius, quòd & pro CHRISTI nomine verbera & cõtumelias perpeti mirificè optabat, & ſupplicij apud homines adeo turpis infamia, metuebat ne complures è iuuentute, ipſius opera iam ad meliora conuerſos, nec dum in bono ſtabiles, à ſua conſuetudine atque auctoritate auocaret, iterq; ſibi ad alios etiam deinceps CHRISTO lucrifaciendos abrumperet; totã rem ad ipſius Goueæ arbitrium iudiciumque reijcere ſtatuit: quod ille recognita decreuiſſet, id ex diuina maximè

gloria & voluntate futurum. neque de eiusmodi sententia vllis amici denũtiationibus D precibusve demoueri se passus, quamquam horrenti pænę imminentis acerbitatem, & renitenti carni vim fortiter intulit: ingressusque collegium, & rectà Goueam petens nondum è cubiculo egressum, placido ac sereno vultu, & altam animi pacem ac securitatem indicante; Si meæ mihi (inquit) existimationis & incolumitatis, quàm diuinæ „ gloriæ, salutisque animorum cura prior esset ac potior; nequaquam hodierno die pe- „ dem intra fines huiusce collegij posuissem. neq; enim antequam huc venirem, ignarus „ eram Gouea, quãtum è vestra omniũ indignatione dedecoris, quàm acerba tormenta „ me maneant. Sed quoniã nihil omnino mihi vel ad meritum optabilius, vel ad veram „ dignitatem præclarius duco, quàm CHRISTI Domini causſa, tam grauia tamq; mul- „ ta pro me perfuncti, vicissim probra, plagas, mortẽ denique perpeti; idcirco nimirum „ ad scholas accessi, & vltro memet in tantum & corporis & famæ discrimen obieci. Ve- „ rùm enimverò mihi non modò quid votis meis ac desiderio, sed etiam quid proximo- „ rum rationibus, & sempiternæ saluti conducat, caritatis lege considerandum est. Mul- „ tos habeo adolescentes Dei beneficio nuper è cœno flagitiorum emersos, ac vix dum „ auulsos ab improborum pestilenti consortio. hos ego vereor, ne si me in tam honesto „ conuentu publicè vapulasse const terit, à meo sermone congressuque protinus auocet „ infamiæ metus; ac proinde, vt sunt flexibiles hominum voluntates, ad eadem illa saxa „ quibus paulo ante adhæserant, ingenti dæmonum gaudio, & feruor ætatis, & prauæ E consuetudinis æstus abripiat. Simul etiam (verum vt fatear) tui me Gouea, doctoris- „ que mei Pennæ me miseret, qui Christianam pietatem ac fidem sacramento professi, „ cæterisque ad exemplum iustitiæ virtutisque prępositi; CHRISTI famulum, CHRISTI „ causſam agẽtem, adeo acerbè insectamini. & qui, qua pœna lex affici iubet eos qui scho- „ lasticos deprauare, magistris illudere, seditiones conflare voluerint; eadem dignum „ iudicatis eum, qui iuuentutem à vitijs, doctores à iurgijs, academiã à tumultibus vin- „ dicare conatur. quæ quoniam mecum ipse reputans, non leuis momenti ducebam esse, „ quamquam cupidus inimicorum odij vel meo sanguine explendi, tamen pro nostra „ necessitudine deesse nolui, quominus eadem tibi quoque, integra etiamnum re, con- „ sideranda proponerem. Mihi, vt dixi, pro CHRISTI nomine vexari ac torqueri opta- „ tissimum est: iamque si videtur, sponte ad patibulum pergo. tu, Lutetiæ Parisiorum, à „ sanctæ Barbaræ collegio, in eiusmodi causſa tale documentum vel pietatis vel æquita- „ tis dari an expediat, pro tua sapientia ac religione constitue. Vix dum Ignatius dixerat, „ cùm Gouea, vir & ni concitaretur aliunde, suopte mitis ingenio, & tum instinctu diui no valde compunctus; illicò cæpta damnauit, ac maiorem in modum detestatus est; apprehensumq; amicissimè Ignatium deduxit in aulam, quò iam collegæ cum reliqua turba parati conuenerant. Ibi silentio indicto, repente contra omnium exspectationem de Ignatij laudibus orationẽ instituit; viri fortitudinem, innocentiam, caritatem extollens; se ipsum, & cęteros qui innoxio periculũ struxerant, vehementer accusans. F quam in sententiam cùm multa dolenter grauiterq; dixisset, adextremum obortis lacrymis, ad Ignatij genua procidit, precatusque delicti veniam, & apud cæteros illum in admirationem gratiamque restituit, & ipse in omni deinde vita Ignatium & socios præcipuo amore studioque complexus est.

De socijs ad Ignatium adiunctis. *Cap. XXI.*

HASCE igitur, aliasque eiusmodi insectationes atque pericula Ignatius CHRISTI causſa contraxit. attamen idem plurimorum quoque sibi gratiam ac beneuolentiam optimis artibus peperit. Fuit enim in illo, præter diuinitus infusa charismata, mirum etiam atque efficax ingenium & studium ad animos hominum demerendos. In principum amicitias opportunè insinuare sese, easdemque obsequio & submissione tueri; pares facilitate ac suauitate morum allicere; inferioribus, & egentibus, auctoritate, opera, nec- non è suis angustijs etiam pecunia præsto esse; morbo aliquo laborantes vel cum valetudinis & contagionis periculo adire, solarique amantissimè; eorum quibus cum viueret, ageretve, vel difficultatem naturæ, & arrogantiam per-

A perpeti; vel ineptias ac ſtultitiam, quoad ita res ferret, exſorbere diſſimulatione mirabili; ad aliorum arbitrium ac voluntatem, quibuſcunque rebus honeſtè poſſet, ſemper accommodare ſe ac flectere; omnibus denique in CHRISTI gratiam omnia fieri: vbi penitus in hominum ſenſus ac voluntates irrepſerat, tum demum officijs ac beneuolentia comprehenſos occupatosque, pro ſuo quemque captu, ſenſim & cautè progrediens, Chriſtianæ religionis & officij præceptionibus excolebat. Atque his fermè artibus, & ſimul ſanctimoniæ ac frugalitatis exemplo, multos, vt diximus, à turpi ac flagitioſa vita non modò ad ſobrietatem & continentiam, ſed etiam ad cõtemptum rerum mortalium, atq; ad ſalutaria conſilia CHRISTI conuertit. Complures præterea hæreticos, graſſante iam tum peſte Luteriana, tempeſtiuis diſputationibus monitisq; conuictos, ad ſacra Quæſitorum tribunalia volentes adduxit; & cum ſancta Romana Eccleſia in gratiam ſecreta abiuratione reſtituit. Iam verò, quòd ei vel in primis propoſitum initio fuerat, vt aliquos ingenio doctrinaque præſtantes, ad ſuum inſtitutum ac vitæ rationem aggregaret; in idipſum per Theologiæ maximè tempus incubuit; adiũxitque ſibi, Deo bene iuuante, iuuenes nouem ex academia vniuerſa lectiſsimos. quorum primus fuit Petrus Faber Allobrox, pago Villareto Gebennenſis diœceſis humili natus loco, ſed egregiè pius, quippe qui duodecimo ætatis anno per ſummum ſanctimoniæ ſtudium virginitatem Deo vouerat; idemque ad litteras à vita paſtorali tra-

B ductus, tantum ingenio induſtriaq; profecerat, vt eum in locis Ariſtotelis difficilioribus magiſter ipſe Penna conſuleret. Hunc igitur Ignatius & ſtudiorum & conturbernij communione ſibi coniunctum; licet ſocium glorioſi operis ipſo initio deſtinaſſet, non tamen continuò illi rem aperuit, neque ad tantam perfectionem impellere confeſtim aggreſſus eſt. ſed conſcientiam excutere, & in ſe ipſum quotidie diligenter inquirere primùm edocuit, deinde ad totius ante actæ vitæ noxas per ſacram Confeſsionem expiandas adduxit, poſtremò, cùm iam philoſophiæ curriculum exegiſſet, ſpiritualibus exercitationibus perpoliuit; adeo propenſum ad pœnitentiam, tantoq; animi ardore ſuccenſum, vt hyeme ſumma, concretum glacie flumen Sequanam plauſtris impunè prementibus, in ſeparata Iacobæi vici domuncula propoſitas meditationes, & quidem inſidens niui ſub dio peregerit, ſexq; ipſos dies omni prorſus cibo potuq; abſtinuerit, inediam longius vtiq; protracturus, niſi eum, re animaduerſa, conſultoque ſuppliciter Deo vetuiſſet Ignatius. & ſanc reſpondit operi fructus. Cùm enim antea in eligendo certo vitæ genere Faber mira animi ſolicitudine, varijſq; ſcrupulorum moleſtijs adeo torqueretur, vt præ nimio angore ſeſe in auias abdere ſolitudines, ibiq; radicibus herbarum victitare pæne decerneret; ex hac ſpirituali exercitatione vocari ſe vnà cum Ignatio ad animorum ſubſidium non dubiè ſentiens, tantam ipſe pacem ac tranquillitatem conſcientiæ conſequutus, vt ex vehementiſsima tamquam agitatione

C ac ſalo, placidum tutumq; portum ſe deniq; nactum eſſe profiteretur. Ex eodem contubernio Franciſcus quoq; Xauerius nobilis Cantaber, idemq; non vulgari eruditione, quippe qui laurea magiſtrali donatus Lutetiæ poſtmodũ publicus Ariſtotelis interpres exſtiterit; quamquam principio ita non ſtudioſus Ignatij, vt eius pietatem (vt fit) etiam procaciter irrideret; tamen viri tum patientia, tum obſequijs adeo delinitus eſt, vt ad illius ductum arbitriumq; ſeſe omnino contulerit. Hunc & diuitiarum affluentia, & viuido ingenio, & viribus corporis præferocem, admirabili prudentia ac lenitate manſuefecit Ignatius, in eamq; rerum humanaru deſpicientiam, & caritatis ardorem paulatim adduxit, vt inter ipſa Exercitia ſpiritualia, tum ad carnis macerationem quattuor dies ieiunus omnino tranſegerit; tum verò, quòd inter iuuenũ greges deſultor eximius, corporis agilitate ſibi nimiũ placuiſſet; ad eius piaculũ vanitatis, membris valido funè perſtrictis, nõ ſine acri ſenſu doloris dies aliquot in cõmentandi orandiq; labore atq; attẽtione perſtiterit. Hic eſt Xauerius ille, qui non multo deinde poſt, Ioannis Luſitaniæ regis rogatu, ex auctoritate Pontificis Romani miſſus in Orientẽ, plenus Apoſtolico ſpiritu, tota India maritima ſummis laboribus ac periculis peragrata, in vltimas Iaponiorũ terras Euangelij lumen primus intulit, atq; ingenti infideliũ numero ad CHRISTVM adiuncto; multis clarus miraculis, in ipſo aditu Sinarum exceſsit è vita. Porrò Xaueriũ & Fabrum imitati ſunt Iacobus Laines Segũtinus, qui deinde Societati noſtræ proximus ab Ignatio præfuit, vir de Chriſtiana repub. in primis optimè meritus; & Alfonſus Salmerõ Toletanus, Græcis & Latinis litteris admodũ eruditus: vterq; confecto Cõpluti philoſophiæ curriculo, Pariſioſq; partim Theologiæ cauſſa, partim

etiam

etiam Ignatij noſcendi gratia profecti, cuius de laudibus iam tum in Hiſpania, conſtanti hominum ſermone multa cognouerant. Acceſsit ad hos etiam Nicolaus Bobadilla Palentinus, doctus iuuenis, & philoſophiam publicè profeſſus in oppido Hiſpaniæ Pintia: itemque præſtanti indole Simon Roterigius Luſitanus. & poſt aliquanto, Claudius Iaius Gebennenſis, & Ioannes Codurius Ebredunenſis, Paſchaſiuſque Broetus Ambianenſis, Fabri præcipuè (cuius iam erat nomen Pariſijs celebre) monitis & exemplo permoti. Hi omnes, impulſu planè diuino, cùm alter alterius conſilium ignorarent, poſt exactiſsimam totius vitæ confeſsionem ſpiritualibus exercitijs ab Ignatio perquàm diligenter exculti, vehementi quadam ſpiritus motione ſeſe non quidem in vmbrā ac ſolitudinem, ſed in ſolem ac puluerem euocari ad prælia Domini præliāda ſenſerunt. nec fuit è nouem vllus fere, quin ad propitiandum cæleſte numen, eiuſque voluntatem ſuppliciter exquirendam; præter cæteram abſtinentiam, & incommoda volūtaria, tridui, vt minimum, totius inediam ſponte pertulerit, nimis audaci fortaſſe conſilio; niſi eos & multorum exempla, & feruor ſimul ætatis ac pietatis excuſet. Hoſce igitur ſocios Dei beneficio nactus Ignatius (quorum tres erant ſuperſtites hæc ſcribente me, Salmeron, Roterigius, & Bobadilla) quòd iam diu moliebatur & agitabat animo, re ipſa aggredi primo quoque tempore ſtatuit; vt Hieroſolymā Pontificis maximi permiſſu repeteret, gentesque finitimas Chriſtiana quondam religione præſtantes, deinde Mahometis nefaria ſuperſtitione deceptas, vel à miſerabili errore ad veritatem Euangelij reuocaret, vel certè (quod erat proximum) ſanguinē ac vitam in cauſſa tam pia, tamque glorioſa profunderet. Neque ſanè difficile fuit, cæteros iam ſponte currentes, & Dei amore incenſos, in eandem ſententiam & propoſitum adducere. & quia plerique Theologiæ ſtudia nondum abſoluerāt; ne interim conceptus ardor animi refrigeſceret, & ſimul vt ipſorum eò gratius diuinæ maieſtati obſequium eſſet, quò maiorem ſibimet ipſi neceſsitatem ſeruitutis ac religionis impoſuiſſent; implorato beatiſsimæ Virginis patrocinio, ac ſancti Dionyſij Areopagitæ, cuius in tutela Pariſij ſunt; in æde ſuburbana, quæ Mons martyrum dicitur, ſub Confeſsionis & Euchariſtiæ myſteria ſeſe voto obſtrinxēre ſinguli, emenſis Theologiæ ſpatij cōtinuò mortalibus rebus nuntium remittendi, atq; in paupertate perpetua ſeruiendi gloriæ diuinæ, ſalutiq; animorum: ac nominatim, ad conſtitutam diem Hieroſolymam eo conſilio nauigandi, vt in conuerſionem infidelium toto pectore incumberent; palmamque martyrij ſtudioſè captarent. id conſilium ſi qua re impediretur, anni circumacto ſpatio denique Romam adirent, ſuamque operam ſummo Pontifici CHRISTI Vicario ad ſpirituale proximorum auxilium ſine vlla vel præmij pactione, vel temporū aut locorum exceptione deferrent. Id votum in eo templo vouēre ingenti conſenſu & alacritate, anno poſt CHRISTVM natum M.D.XXXIV. decimooctauo Kalen. Septembris, quo die Aſſumptionis MARIAE Virginis anniuerſaria gratulatio celebratur. idemque votum eodem loco dieque pariter anno proximo ac tertio renouarunt, atque ea res tum ad conſpirationem ac vinculum animorum, tum ad confirmandas in ſuſcepto conſilio mentes omnium mirificè valuit. Incendebant præterea ſtudium alter alterius omni genere officij & caritatis, duce ac moderatore ſimul Ignatio, quem omnes vt parentem eundem & vnicè diligebant, & valde reuerebantur. ac primùm ſpirituales modò apud hunc, modò apud illud agitare cœtus; ibique ſuauiſsima de rebus diuinis habere colloquia, & ſeſe mutuo ad Chriſtianam laudem & decus hortari; deinde in ſtudiorum difficultatibus, lociſque obſcurioribus adiuuare inter ſe; & lucubrationes quiſque ſuas, lumenque doctrinæ & ingenij, cùm res exigeret, in commune conferre; præterea inuicem ſibi omnibus in rebus adeſſe certatim; denique à frequenti ſacramentorum vſu, & aſsiduitate precandi meditandique, nullo pacto recedere. quibus rebus & varias dæmonum inſidias tentationeſque, conantium eos ab incæpto reuocare, vicerunt; & breui tanta coaluēre concordia, vt quamquam è diuerſis, nec non infenſis inter ſe orti nationibus, gratia tamen ſuperante naturam, intra eoſdem alti paietes, atque adeo ex vno propemodum omnes vtero in lucem editi viderentur.

LIBRI PRIMI FINIS.

IGNA-

IGNATII VITAE LIBER SECVNDVS.

Æger Hiſpaniam repetit. Cap. I.

INTEREA Ignatius graui morbo partim è maximis laboribus vigiliſque, partim etiam è Pariſienſis cæli grauitate contracto; vexatuſque ſubinde ſtomachi iam pridem affecti doloribus acerbiſsimis; poſt multa remedia incaſſum adhibita, iubetur à medicis ad patrium ſolum & incunabula ſe referre; quod vnum ad inueteratas corporis ægritudines certiſsimum perfugium vulgò arbitrantur. B Nec recuſauit ille, non tam valetudinis ratione, vel deſiderio ſuorum adductus, quàm duabus alijs maximè cauſſis: primùm, vt quibus olim in regionibus, malo publico, iuuenilis licentiæ ac vanitatis ipſemet ſpecimen exſtitiſſet, ibidem ad ſpiritualem ædificationem viciſsim aliqua Chriſtianæ humilitatis atque modeſtiæ documenta præberet; populareſque ſuos & verbo & exemplo ad ſtudium pœnitentiæ ſalutaris accenderet. deinde, vt, quoniam ſocijs aliquæ erant in Hiſpania rei familiaris tricæ; eas eodem itinere atque opera ipſe expediret; neque per eam cauſſam illi vel auocarentur à ſtudijs, vel recenti etiam tum vocatione, & expeditionis tam arduæ, tamque laborioſæ conſilio, patriæ dulcedinis, ac domeſticæ tentationis, qua nulla fere periculoſior eſt, aleam ſubire cogerentur. Simul etiam, è relictis olim in Hiſpania ſocijs, cogitabat, ſi quem in propoſito conſtantem inueniret; ſecum in eandem expeditionẽ educere. Cæterùm ne quid è ſuo diſceſſu res Pariſienſis caperet detrimenti, primùm commilitones ad perſeuerantiam ac fidem paucis adhortatus, Petrum Fabrum & annis & vocatione antiquiſsimum, illis præpoſuit; cui interim obtemperarent, quem parentis ducerent loco. C deinde tempus certum edixit ijſdem approbantibus, quo tempore cuncti, rebus omnibus præter viaticum & neceſſaria ſcripta ex voto abdicatis, nauigaturi Hieroſolymas Italiam peterent, ſeque iam antegreſſum Venetias conuenirẽt. Dicta profectioni dies eſt viij. Kalend. Februarij, anno MDXXXVII. ineunte, qua die Apoſtoli Pauli conuerſio beata recolitur. His ita conſtitutis, anno MDXXXV. per autumni tempus ipſe non ſine lacrymis, mutuique amoris magna ſignificatione ſingulos in digreſſu complexus, cùm vellet de more pedibus quamquam ægro corpore proficiſci; coempto à ſocijs equo vti coactus eſt: breuique partim ex ipſa vectatione, locorumque mutatione, partim etiã è ſtudiorum intermiſsione morbo leuatus, Pyreneo ſuperato Guipuzcoam prouinciam attigit. Eius de aduentu propinqui feſtinè præmoniti ab ijs qui hominem ad Aquas Auguſtas, quam hodie Baionam appellant, in tranſitu agnorant; extemplò, quòd regni limes latrocinijs infeſtus eſſet, armatos homines ad eum excipiendum tuendumque dimiſerant: atque hos primùm Ignatius in Guipuzcoæ finibus, deinde etiam, quæ iam tum erat fama de ſanctitate viri, clericos omnes agmine compoſito ad oppidum Aſpheithiam honoris cauſſa obuios habuit. cumque ab ijs, & ab ingenti præterea gratulantium turba deduceretur ad ædes paternas; ille, vt oſtenderet quantopere ab eiuſmodi faſtu pompaque abhorreret; vt primùm potuit, ex eo comitatu ſeſe proripiens, ad publicam hoſpitalem domum diuertit, victumque continuò emendicare oſtiatim cæpit; fremẽtibus videlicet cognatis, eamque rem (vt fere depraua-
tæ ſunt Chriſtianorum quoque iudicia, & pauci ex animo crucẽ amplexantur) ſummi dedecoris atque ignominiæ loco ſibi ducentibus. Deinde quamquam inuitis ijſdem, inſtitit plebem Chriſtianę doctrinæ rudimentis imbuere, priuatiſque colloquijs eos qui ad ſe veniebãt, è peccatorum veterno excitare; feſtis verò diebus etiã conciones ha-

nes habere tanta hominum frequẽtia, vt cùm eos templa non caperent, in agrum prodire necessario cogeretur, vulgoque arbores audiendi causſa conſcenderent. Et ſanè operę fructus egregius Dei beneficio conſtitit. Complures ad virtutem ac Dei cultum à vitæ prauitate conuerſi, multæ ſublatæ diſcordiæ, & odia inueterata reſtincta, contra aleatores lata publicè lex, pœnæque propoſitæ; inſtitutũ præterea, vt preces pro ſalute quotidie funderentur eorum omnium, quibus lethalis noxæ piaculo obſtrictis, in ſingula momenta exitialis exitus immineret: itemque vt ex Eccleſiæ Romanæ conſuetudine, ſalutationis Angelicæ ſignum daretur manè, meridie, & veſpere. iam verò grauia quædam vitia, quæ non in populum modò, ſed etiam in ſacerdotes irrepſerãt, magna ex parte correcta. denique morbo incurabili affectis, & extrema preſsis inopia, ne vel oppido errarent, vel ſtrati paſsim in compitis cælum miſerabili queſtu complerẽt, publico ſumptu conſultum. Atque haſce leges moreſque cuſtodiẽdi, ne (quod fere fit) bene cæpta propediem obſoleſcerent; curã & munus Loioleia familia, placata poſtmodum Ignatio, ſibi deſumpſit. qui cùm in eo xenodochio aliquandiu ita verſatus eſſet, vt ſatis appareret ipſum exemplo CHRISTI Domini laboribus & paupertate multo magis, quàm otio & rerum affluentia delectari; ad extremum quotidianis propinquorum precibus exoratus, ne cognationi aut nihil omnino dediſſe, aut etiam inimicitias palam denuntiaſſe videretur, in paternam domum ex hoſpitali ſe tranſtulit; ibique aliquot moratus dies, reſtituta domeſtica diſciplina, cunctis ad officium ac pietatem animatis; valentior multo quàm Lutetia diſceſſerat, ad ſociorum expedienda negotia proficiſci conſtituit. Atque hic nouum ecce tibi certamen Ignatium inter & cognatos exoritur; cùm ille pauperis habitu prorſus, & pedes iter facere deſtinaſſet animo: illi contra, quoniam quidem eum apud ſe diutius retinere non poſſent, certè non niſi bene comitatum, & pecunia inſtructum abire permitterent. Verùm certaminis denique is fuit exitus, vt Ignatius ne fruſtra diutius tenderet, ad viæ modicum in ſpeciem deduci ſe paſſus, breui domum & famulos & cætera cuncta remiſerit, pedibuſque porrò perrexerit; Gallicano equo miniſtris valetudinarij iam ante relicto, quem illi deinde in Ignatij memoriam, veluti ſacrum & immunem ab opere, vagari in paſcuis ad extremum vſque ſenium permiſêre. Ignatius igitur Nauarra primùm, deinde Caſtella peragrata, mandatiſque recentium ſociorum exhauſtis, de veterum ſtatu ac voluntate cognoſcere nequaquam omiſit: verùm illi partim exſpectationis ac moræ tædio victi, partim etiam aſpero virtutis itinere fatigati, in alia fere omnia dudum abierant. Ioannes tantùm Gallus, ne de animi ſalute periclitaretur, monaſticę ſe addixerat vitæ. Calliſtus ab animorum cura, ad pecuniæ lucrum ſtudio repẽte conuerſo, in Indiam nauigauerat, vnde aliquanto poſt bene nummatus ingenti omnium admiratione qui eum antea norant, Salmanticam redijt. Cazeres cùm Segouiam patriam petijſſet, mollioris vitæ commodis, & domeſticorum conſuetudine delinitus, otio ac voluptati ſeſe dediderat. Artiaga verò, curriculum honoris & ambitionis ingreſſus, & è Commendatario factus Epiſcopus, cùm aliquandiu in eo dignitatis gradu vixiſſet, ad extremum ægrotus, epota per imprudentiam veneni laguncula (cùm duę ſtarent, altera ſalubris aquæ, altera ſublimati, quòd appellatur, medicamenti) miſerabili genere leti defunctus eſt.

Venetias ingenti labore contendit. Cap. II.

IGNATIVS ergo cùm in Italiam properaret, & hoſce quos dixi ſocios tam longè lateque diſperſos in vnum redigendi, atque ad priſtina reuocandi conſilia ſpes nulla ſe oſtenderet; occulta Dei iudicia ſecum expendens, fuſis pro ipſorum ſalute ad ſuperos precibus, Valentiam venit, vbi videlicet nauem ſtare paratã audierat. Ibi diſſuadentibus multis ne ſe tali tẽpore mari cõmitteret, quòd præter cæteras difficultates, etiã nobilis archipirata Aenobarbus, loca opportuna, & littorum flexus valida obſideret claſſe; nullis terroribus de ſententia deceſsit Ignatius. & nauis põdones quidẽ effugit, verũtamen fœdiſsima tẽpeſtate coorta, clauo diffracto, fuſiſq; armamentis, cũ iã de ſalute vectores nauteq; omninò deſperaſſent, lacera & quaſſata fluctib⁹

Genuen-

A Genuenſem portum ægerrimè tenuit. Atque hæc tanta maris incommoda, non ſanè leuius terreſtris itineris diſcrimen excepit. Cùm enim ſolus, ignarusque regionum Ignatius per Apennini tramites Aemiliam peteret, viam ingreſſus initio ſpatioſam, ſed in arctum deinde magis magisque coeuntem; ſtudio procedendi, ſenſim in eas penetrauit anguſtias, vnde ſeſe expedire humana ope vix poſſet. Primò igitur ſolicitè veſtigium fà cere, deinde cùm neque progredi, neque iam regredi tutum eſſet, in exilitate ſalebroſa, & horrenda crepidine, torrente rapido minaciter ſupterfluente; hęſit aliquantiſper ſtupenti ſimilis, vbi repente ſeſe tot periculis cinctum animaduertit. Sed ad extremum ſidenter implorato diuino auxilio, quod vnum reliquum eſſe videbatur, humi procubuit; & genibus manibusq; reptando, quadrupedis inſtar, ac prominentia modò ſaxa, modo è ſaxis enata virgulta prenſando, tandem euaſit labore, quos ad eam diem pertuliſſet, omnium maximo. inde per immenſæ altitudinis inuias rupes ac ſolitudines diu errabundus, cùm ad radices montium denique deueniſſet, omnia rurſus offendit partim niuium tabe, partim etiam hybernis imbribus impedita. Cumque nihilominus vrgeret progrediendi neceſsitas; via teterrima (& eſt mollis & cretoſus ager, ac ſemitę per horum temporum incuriam exiguo munimento, nec vllis, vt olim, ſtratæ lapidibus) cùm profundo ac tenaci limo diu multumq; luctatus, ad Bononiæ portas tandem ali-

B quando peruenit. Atque hic, ne quid deeſſet ad probandam æquitatem ac patientiam viri, ad cæteras miſerias illud etiam ludibrium acceſsit; vt in ipſo vrbis introitu, è ponticulo in foſſam, limo cœnoſo margine lubricante decideret, emerſusq; luto deformatus ac madidus, ab ijs qui tum aderant, non ſine ioco & facetijs (vt ſunt procacia in alienis malis hominum ingenia) rideretur. Sed ille nimirum identidem exerceri ſe à patre cæleſti prudenter intelligens, & in gratiarum actione perſiſtens, ſole ſiccatis vtcumq; veſtibus, laſsitudine ac fame confectus cùm vrbis magnam partem fruſtra emendicando perambulaſſet, in collegium Hiſpanicæ nationis demum exceptus, ibique dies aliquot clementer eſt habitus. Inde cùm itinere iam facili & certo Venetias peruéniſſet, exacta pecunia quam illi per trapezitas eadem Eliſabetha Roſella benignè curauerat; interea dū ſocios è Gallia præſtolatur, in varia pietatis opera ex inſtituto cæpit incumbere. Nec ſanè fruſtra: ſiquidē complures omnium ordinū homines partim Chriſtianę doctrinæ præceptionibus imbuit, partim ab impura & flagitioſa vita ad caſtum Dei timorem, ſtudiumque virtutis eodem Deo adiuuante conuertit. Quibuſdam etiam primarijs viris tum patritijs indidem, tum externis, praua animi affectione ac vitio laborantibus, non ſine copioſo fructu, ſpiritualium exercitiorum expertæ virtutis medicinam adhibuit. In ijs Didacum Guiam, & Stephanum germanos fratres è præcipua

C nobilitate Cantabriæ, ſibi quondam Compluti familiariter notos, ac tum Hieroſolymis redeuntes, earumdem commentationum beneficio tantam ad rerum diuinarum intelligentiam, & humanarum contemptum adduxit, vt omnibus diuitijs & honoribus abdicatis, CHRISTI conſilia omnino ſequi decreuerint. Atque hos imitatus eſt poſtmodum Baccalaureus Hozius, item Hiſpanus, Theologiæ peritus: qui cùm ad eaſdem commentationes peragendas valde propenſus eſſet, verumtamen ex quibuſdam iniquorum ſermonibus haberet ſuſpectam Ignatij doctrinam ac dogmata; demum ſe Ignatio exercendum atque colendum ita cōmiſit, vt multos in cubiculum quo ſeceſſit, ſecum afferret libros, quibus Ignatij dicta ſcriptaque ad ſanctorum Patrum & conciliorum trutinam expenderet. Sed vbi appoſitas ab Ignatio epulas deguſtauit; tantum abfuit vt in ijs veneni deprehenderit quidquam, vt etiam ardenti quodam rerum cæleſtium amore inflammatus, mortalibus commodis nuntium ſponte remiſerit, atque vltro ad Ignatij voluntatem & vitæ rationes adhæſerit. Ex Veneta verò nobilitate in primis eo feceſſu ac meditatione profecit Petrus Cōtarenus Zachariæ filius, is qui multo poſt, magna cum integritate ac ſanctimoniæ laude Paphenſem Epiſcopatum adminiſtrauit. Sed & aliorum ex Ignatij conſuetudine inſignis vitæ morumque mutatio eſt conſecuta. Quæ quoniam nec ab obſcuris hominibus, & in oculis celeberrimæ ciuitatis fiebant, breui vt alijs locis antea, ſic tum Venetijs Ignatij pietas in crimen inuidiam que vocari cæpta, non ferente diabolo, tantam ſibi prædam è faucibus eripi: ſtatimque vulgatum ab eiuſdem emiſſarijs eſt, Ignatium prauitatis hæreticæ ſemel iterumq; conuictum in Hiſpania, elapſum è cuſtodia, in Galliam profugiſſe; ac proinde eius effigiem ab Hiſpanis Inquiſitoribus ignominiæ cauſſa publicè concrematam. eundem Pariſijs nouas molientem res, inficientemque pernicioſæ doctrinæ labe ſcholaſticos; vbi

delatum ſuum nomen ad ſacra tribunalia odoratus fuiſſet, fuga præuertiſſe lictorum D
manus,& conſilia magiſtratuum. Quas criminationes Ignatius cùm non modò in vulgus,iniquorum opera ſparſas, verùm etiam ad Legatum Apoſtolicum Hieronymum Verallum, qui deinde S.R.E. Cardinalis fuit,delatas inaudiſſet; non tam de ſua, quàm de ſociorum exiſtimatione ſolicitus, vltro ad Legatum adijt, & acriter inſtitit, vt eorum criminum quæſtio exerceretur. quod ita factum,& veritate comperta, honorificè à Legato eſt abſolutus,incumbente in eius cauſæ cognitionem Gaſpare Docto Legati aſſecla;qui ex eo tempore Ignatiũ vnicè dilexit,ac ſacratiſsimæ domui Lauretanæ dein de præpoſitus, in Societatem vniuerſam plurima egregiæ voluntatis officia contulit.

Venetias ad Ignatium ſocij veniunt. Cap. III.

DVm hæc in Italia gerit Ignatius, interim bello inter Chriſtianos ingraueſcẽte Reges,cum exercitu formidabili Cęſar per Inſubrum & Allobrogum fines in Galliam irruperat.Ea fuit ſocijs Ignatij cauſſa & profectionis maturandę, & itineris per Thulingiam,ſeu Lothoringiam atque Germaniam, ſanè incommodo anni tempore faciendi. Igitur pecunia rebuſque omnibus, præter viaticum & ſcripta,in CHRISTI Domini gratiam diſtributis, mẽſe Nouembri, E
anno circiter poſt diſceſſum Ignatij, ſuo quiſque baculo innixi pedites viam capeſſunt,& quidem tanta cum alacritate ac feruore ſpiritus, vt ne à Iacobo quidem Laine, viribus nondum è recenti morbo recuperatis, extorqueri potuerit,quominus & pedibus ambularet vt reliqui, & inter ambulandum inſuper inualida membra diſcruciaret hiſpido in primis & horrenti cilicio. Veſtitus erat omnium, vt peregrinorum & pauperũ, nequaquam elaboratus,& ad modeſtiam ſubmiſsionemque compoſitus.pendebat è ſcapulis mantica ex corio,in qua ſacra Biblia,& Breuiarium aſſeruabantur,& ſcripta,quæ diximus.Roſaria verò ad catholicam fidem vel inter ipſos hæreticos profitendam, palam geſtabant è collo ſuſpenſa.Hoſpitium ingreſsi, primùm omnium, nullo adſtantium reſpectu,nixi omnes genibus Deo gratias agebant; eundem in egreſſu pariter ſibi propitium precabantur. Sobria & frugalis erat menſa; oratio ac meditatio non ſolùm in diuerſorijs, verùm etiam in ipſo itinere plurima.ſacerdotibus,qui tres erant,ſacrificantibus, cæteri quotidie cæleſti reficiebantur pane.ſermo niſi de rebus diuinis aut neceſſarijs ferè nullus. in decernendo ſi quid in deliberationem incideret, mira concordia:in ſuperandis viarum difficultatibus periculiſq́; , ſumma cõſtantia & æquitas animi. Autumnales pluuias tota ferè Gallia pertulerunt:occurrere mox Alpes pæne obſtructæ niuibus: multa fuere F
ſubinde famis,frigoris, defatigationis incommoda ſubeunda: nihil ſe illis obiecit tam arduum,aut tam extimeſcendum, quod eorum quemquam à concepta religione, officioque deduceret. Atque hac diſciplinę paciſque cuſtodia, cùm omnibus,per quorum fines tranſierant, populis, bonus odor in CHRISTO fuiſſent; cunctis non catholicis modò,ſed etiam hæreticis nouum ac religioſum agmẽ magna cum approbatione mirantibus, ad tertium Idus Ianuarias anni MDXXXVII. Venetias ingenti omniũ gaudio,& mutua gratulatione ſoſpites ad Ignatiũ peruenerũt. Atque vbi paululũ è longa contentione ac laſsitudine quietis eſt captum;ſtatim Hieroſolymitanę prouinciæ cõſilia renouãtur.primùm omniũ,rati gratiora ſuperis fore ſua ſtudia,ſi ad ea ſummi totius Eccleſię Paſtoris auctoritas & cõſenſus accederet; ſimul atque hyems remitteret, tũc vel maximè ęua, Romã ire cõſtituunt,& à Põtifice maximo ius tum ad ſacros ordines, titulo volũtarię paupertatis; tum ad manſionẽ Hieroſolymitanã,& prædicationẽ Euãgelij ſine vllo interdicti metu ſuppliciter petere.Interea Venetijs ne ceſſarẽt,atque adeò vt quędã quaſi rudimenta futurę militiæ ponerent;publicis valetudinarijs inter ſe diſtributis,ægrotos ac pauperes omni ope adiuuare inſtiterũt: Cõfeſsionis & Euchariſtię ſacramẽta gratis miniſtrare qui per ſacerdotium poterant:cæteri ſolari iacentes; afflictos mœrẽteſq́; ſpe cæleſtiũ bonorum erigere; adeſſe animã agentibus; cunctos denique ad patientiã,fidemq́; adhortari:nec modò ſpiritualibus officijs fungi certatim; ſed ne viliſsima quidẽ ac ſeruilia corporibus pauperũ curãdis,defugere miniſteria;ſternere lectulos;euerrere ſordes;purgare ſchaphia;cadauera defunctorũ ritè curata humi condere;interdiu pariter noctuque omnibus pręſto eſſe tãta cum alacritate ac diligẽtia; vt cuncti obſtupeſcerent, vulgatoque rũmore,principes etiam viri ad ſpectaculum

conueni-

A conuenirent. Qnibus in officijs cùm aliorum omnium, tum Xauerij præcipuè caritas ac virtus enituit. Is cùm in quendam incidiſſet morbo Gallico miſerè deformatum, atque ad eius aſpectum exhorruiſſet, vt ea re infringi ac debilitari ſenſit caritatem in proximum, ita repente in ſemetipſum excanduit egregius CHRISTI miles, vt manantem ſaniem ex vlceribus purulentis (cuius rei vel mentionem aures delicatæ refugiant) obfirmato animo, ſemel iterumque non dubitarit exſugere. qua re non modò ſe ipſum in præſentia præclarè vicit, ſed etiam in omne tempus propriam quandam atque perpetuam in elephantiacos atque vlceroſos clementiam & miſericordiam eſt conſecutus: quam deinde, vbicumq; terrarum fuit, quotieſcumque ſe dedit occaſio, diligenter exercuit. Quidam etiam è ſociorum numero, pauperem lepra toto corpore cooperтum cùm præfectus noſocomij non admitteret, in ſuum lectum accepit ipſe: cumque manè ſurrexiſſet cunctis ingemiſcentibus eadem ipſe quoque morbi fœditate correptus; poſtridie nõ ſine miraculo prorſus illeſus atque intactus apparuit. Hęc & alia ciuſmodi veræ pietatis & officij documenta cùm in ea vrbe dediſſent (quorum ibi grata in multos annos deinde memoria viguit) appetente iam vere, vti condixerant, Romam cuncti fere præter Ignatium, diſceſsêre. Ipſe tum ad parta in Domino retinenda, tũ ad expedienda quæ ad nauigationem pertinerent, ibidem interea ſubſtitit. Atque illi quidem eadem fere diſciplina quam ſupra diximus, ijſdemq; imbriũ difficultatibus, iter
B ingreſsi; ad ſuperiorem parcimoniam ac frugalitatem illud etiam addidêre, vt neq; vllo prorſus viatico, diuinæ tantùm prouidentiæ bonitatisque fiducia, Romam vſque cõtenderent: & quia tum Cineralium, ſeu Quadrageſimæ tempus erat; quotidie, quamquam in tantis laboribus, ritu catholico ieiunarent. Nec ſanè defuit illis & exercendæ ſpei, & CHRISTI Domini inopiam ac perſeuerantiam aliqua ſaltem ex parte imitandi materies: acciditque aliquando, vt cùm panis dumtaxat fruſtulum ſinguli manè ſumpſiſſent, imbre denſiſsimo ſtagnantibus latè campis, vt alicubi pectore tenus aqua pertingeret, nullo præterea cibo, millia paſſuum fermè triginta nudis pedibus vno die peregerint, & quidem incredibili non modò tranquillitate animi, ſed etiam hilaritate pſallentes. Diuerſorijs verò cũ propter inopiam excluderentur, & ad publica xenodochia de more confugerent, quamuis oppido laſſi, tamen ijs quæ ſupra diximus, caritatis muneribus fungebantur: ſeque ipſi domare ac vincere magis magiſque nitebantur in dies. Sanè Rauennæ quidam ex ijs cum hoſpitalis lectuli ſordes, ac manantia tabe ſtragula nauſeabundus vitaſſet; quæ prima deinde occaſio data eſt ſuimet puniendi, nõ prætermiſit. in pago neſcio quo pauper phthiriaſi conſumptus è vita migrauerat. cùm in eum pagum noſtri veniſſent, diſtributiſque cubilibus nullũ iam ſupereſſet, niſi quod phthi-
C riacum fouerat; Pater ille amiſſam nuper palmam recuperare vehementer exoptãs, nudus illico per ſummum animi ardorem eaſdem ſubijt lodices, ibique ſeſe identidẽ verſans, cùm ingentes animalium greges ea tota pauiſſet nocte; ad ſudorem vſq; defatigatus, non leues ab ſe prioris faſtidij ac deliciarum pœnas exegit. Denique ſanctam Vrbem ingreſſi, vt ſacra Apoſtolorum limina, & præcipuæ religionis templa caſtè obierunt; à Petro Ortizio Hiſpano Cæſaris procuratore ad Pontificẽ maximum introducuntur. Is erat eo tempore Paulus III. è gente Farneſia, cuius nomini plurimum vtique noſtra Societas debet. Conſueuerat autem ſuper menſam non fabulatores aut mimos inducere, ſed præſtantes philoſophos atque Theologos; & ipſemet, veritatis indagandæ atque illuſtrandæ cauſſa ponere de quo inter ſe diſputarent. ea erat grauiſſimi ſenis & prudentiſſimi Principis oblectatio. Ad has ergo diſputationes poſt pedũ oſcula Patres adhibiti, cùm egregium qua Chriſtianæ humilitatis atque modeſtiæ, qua eruditionis & ingenij ſpecimen præbuiſſent; non modò quæ volebant de ſacerdotio, deque Hieroſolymitana prouincia, libente atque approbante Pontifice impetrarunt, ſed inſuper pecunia ab eodem inſtructi, & fauſta cum prece dimiſſi ſunt. Ad quam deinde pecuniam cùm è nationis maximè Hiſpanicæ collatione acceſſiſſet quod aureorum amplius ducentorum ſummam expleret; ſocij ne quid ex eo viatico præterquam in vſum votiuæ nauigationis attingerent, apud menſarios pecunia omni depoſita, & Romæ victum emendicantes, admirabile dedere ſpectaculũ ijs qui coram Pontifice diſſerentes illos audierant: & deinde quemadmodum venerant, ſic Venetias prorſus egentes ac vacui reuerterunt.

Sacris initiatur Ignatius: & de rebus ab eodem & ſocijs in Veneta ditione geſtis. Cap. IV.

POST hæc, diligenti adhibita præparatione, cùm ad eiuſdem Legati Veralli pedes perpetuæ paupertatis & caſtimoniæ nuncupaſſent vota, diuini amoris igne ſuccenſi, mirante, ac maiorem in modum approbante populo, ſeſe denuò ad priſtinos illos labores, & aſſidua pauperum miniſteria rè tulerunt. Deinde in exitu menſis Iunij, Diui Ioannis Baptiſtæ die natali, Ignatius, & reliqui laici per omnes ordinum gradus ad apicẽ ſacerdotij à Vincentio Negoſantio Fanẽſi, Arbenſium Epiſcopo euecti ſunt, tanta non modò ipſorũ, ſed etiam ipſius Epiſcopi lætitia & animi voluptate, vt ſeſe inter eiuſmomodi cæremonias nihil vnquã ſimile ſenſiſſe affirmaret. Interea Patribus neque in eam diẽ vlla fuerat in Palæſtinam tranſmittendi facultas; & eo ipſo tempore cùm graue bellum ex fœdere Chriſtianorum principum, Venetos inter & Solymanũ Turcam exarſiſſet, ſublato repente commercio, omnis non modò peregrinorum, ſed etiam inſtitorũ nauigatio cõquieuit. vt ſatis appareat, cæleſte numen iratũ gentibus ijs quæ creditum ſibi regnũ Dei per ſummum olim ſcelus negligentiamque amiſere; Apoſtolicũ hunc, deuotũque ſibi manipulum, in alias longè nationes atque prouincias iuſto iã ante iudicio deſtinaſſe. Itaque propter eam quã dixi cauſam, ſpe traijciendi ſublata, quamquã voti religione ſoluti videri propemodum poterant, tamẽ ne quis omni no ſcrupulus animis inſideret, finem anni vertentis, vti Pariſijs ante decreuerant, prorſus exſpectare, ſeque interim tũ ad ſacerdotij primitias diuinæ maieſtati libandas omni diligentia comparare; tum etiam poſt multam precationem & abſtinentiam, proximis operam ex inſtituto nauare conſtituunt. Id quò liberius atque cõmodius facerent, è tantæ vrbis celebritate ac frequẽtia, in finitima eiuſdẽ ditionis oppida aliò atque aliò recepere ſeſe: vt ſi fortè (quod tamen in præſentia vix fieri poterat) bello ſedato præter opinionem tranſitus patuiſſet, è propinquo Venetias cuncti ſimul accurrerent. Franciſcus ergo Xauerius, & Salmeron, ad montem Celſum (id vico nomen ab vrbe Patauio millibus paſſuum fere quindecim) ſeceſſere, Ioannes Codurius, & Hozius, Taruiſium: Claudius Iaius, & Simon Roterigius Baſſanum, oppidum agri Patauini; Paſchaſius & Bobadilla, Veronam, Ignatius verò, Faber, & Laines cùm Vicetiam petijſſent, hanc vitæ rationem iniere. Erat extra vrbem domuncula ruinoſa & deſerta nullis foribus aut feneſtrarum obicibus, vento cuilibet peruia. id ſibi diuerſorium, ne cui moleſtiam exhiberent, atque vt ab vrbano ſtrepitu remoti liberius vni Deo vacarent, memores inſuper ſtabuli quod Regem ipſum Angelorum noſtra cauſſa naſcentem olim exceperat, vnanimes delegerunt, quotidianis muneribus ita inter ſe diſtributis; vt vnus ad cuſtodiã diuerſorij, & paucula victus miniſteria remaneret (qui fermè erat Ignatius, quòd propter nimiam lacrymarum copiam grauiter ex oculis laboraret) reliqui duo vrbem ingreſſi, cibum in ſingulos dies emendicarent: quod ab ea functione ſupereſſet otij, totum id omnes cœleſtium rerum contẽplationi tribuerent. In hoc vitæ genere cũ quadraginta iam dies nõ minori cæleſtium donorũ copia, & animorum voluptate, quàm corporum vexatione, & carnis incommodo perſtitiſſent, quanto nimirum ſpatio temporis, Chriſtum ipſum Dominum ac magiſtrum, ante quàm turbæ ſeſe cõmitteret, abſtinuiſſe cibo, & in eremo cũ beſtijs latitaſſe meminerant; ad eos reuiſendos Taruiſio repente Codurius aſſuit. cuius acceſſu læti, cùm ſpiritus vehemẽtiam ex ea ſolitudine, aſſiduitate precandi, ieiunijſq; conceptam diutius cohibere nõ poſſent; ad CHRISTI gloriã ex vmbra in arenã prodire, & quæ diuinitus acceperant bona, cum proximis cõmunicare conſtituunt. Nec mora: Vicetiã ingreſſi, deſcriptis inter ſe celeberrimis oppidi partibus, eadẽ omnes hora de rebus diuinis ad populũ dicere incipiũt, nullo prorſus aut loci apparatu, aut pompa verborũ. In triuijs plateisve, prout cuiq; locus obtigerat, deſumpto ex aliqua fortè officina ſcamno pro ſuggeſtu vtebãtur. populũ elata voce, & in gyrum acto ſupra verticem pileo, ad concionẽ inuitabant. ſermo, vt peregrinorũ & hoſpitũ, ex varijs linguis fere miſtus, ac minimè propri⁹. Verũtamen is erat orationis impetus, adeo graues ac veré ſententiæ, tãta in omni geſtu atq; habitu pietas, deniq; is ardor

A is ardor in oculis emicabat, vt peritiſsimus quiſque rerum æſtimator hos demum eſſe Chriſtianos concionatores, germanoſque præcones Euangelij dictitaret: multi etiam qui rei nouitate illecti cum cęteris initio per iocum laſciuiamque ludibundi confluxerant, prudentiſsimis eorum præceptis, & dicendi grauitate permoti, depoſita paulatim petulantia longè alij atque acceſſerant, dimiſſa concione recederent. Quòd ſi quis deinde ſeorſum ad Patres adiret, veritatis & officij ſtudioſior; hunc verò humaniſsimè acceptum, pro ipſius ingenio priuatis inſtitutionibus ad omnem virtutem ac religionem informabant. Illud verò præcipuè rem adiuuabat, quòd neque inanes plauſus, vt diximus, fucata oratione captarent; neque inter ipſam concionem, aut vbi peroratum eſſet, quamquam in ſumma rerum omnium inopia, quidquam à circumfuſa multitudine vel peterent ipſi, vel etiam vltrò delatum acciperent. breuique conſtare cæpit, paupere tecto ciboque contentos, & ab omni auaritia & vanitate abhorrentes, non aures populi ſcalpere, ſed vulneribus omni ratione mederi; nec ſuum potius, quàm Dei proximorumque negotium agere. Atque haud ſanè diſsimilis fuit cæterorum Patrũ in ſua cuiuſque prouincia probitas & induſtria; vt etiã aliqui ex magnis laboribus & incommodis extremum adierint vitę diſcrimen. Neque ita multo poſt, cùm euocati ab Ignatio vt de rebus communibus agerent, cuncti Vicetiam conueniſſent; tanta animorum
B inclinatio, ac beneuolentia populi Vicetini erga peregrinos apparuit, vt qua nuper in vrbe, tribus duntaxat, cibarij panis, ac ferè mucidi, quotidiana vix circuitione colligebatur quod ſatis eſſet ad vitam ægerrimè tolerandam; in eadem, ipſis iam vndecim, ex voluntarijs ciuium eleemoſynis omnia ad victum cultumque neceſſaria largè ac benignè ſuppeterent. Ibidem igitur primas diuinæ maieſtati hoſtias immolauere noui ſacerdotes, vno Ignatio excepto, quippe qui ad ſe comparandum amplius adhuc temporis ſibi ſumpſerat, & Romæ poſtea ſacrificandi fecit initium ad ipſum Præſepe & incunabula CHRISTI Domini, quæ in æde ſacratiſsima beatæ MARIAE ad Niues religiosè coluntur.

Ignatio Romam appropinquãti CHRISTVS *apparet: & vnde Societati* IESV *nomen inditum fuerit.*

Caput. V.

C IT quoniam expeditioni tranſmarinæ præfinitum anni ſpatium erat in exitu; & infeſtum adhuc claſsibus mare; quid proinde agendum eſſet, Patres inter ſe deliberant: nec dubiũ fuit, quin, vti Lutetiæ vouerant, cuncti ſeſe ad fidei catholicę propagationem, & animarum auxilium, Sedis Apoſtolicę cultui, & Romani Põtificis obſequio manciparent. Cuius officij procuratio (quoniam ſatis id eſſe videbatur) Ignatio, & duobus primarijs patribus Fabro & Laini mãdata eſt; Romam adirẽt, & (quod bene verteret) CHRISTI Vicario hęc ſociorum ſtudia ac vota quàm primùm exponerent. Interea reliqui, ne cõceptus è diuturna meditatione & ſacrificijs feruor ac ſpiritus euaneſceret, non modò ſe ipſi diligentiſsimè cuſtodire, ſed etiam præſidij diuini fiducia proximis omni ratione opitulari decernunt. ac præcipuis vrbibus inter ſe deſcriptis, præſertim in quibus litterarum ſtudia florere, & frequentiſsimam iuuentutem verſari cognouerant; Codurius Hoziuſque Patauium, Roterigius & Iaius Ferrariam, Xauerius & Bobadilla Bononiam, Paſchaſius & Salmeron Senas profecti, eadem fermè ratione quam paulo ante Vicetiæ adhibitam diximus, & priuatim & publicè cum hominibus agere, eoſq; è lethali flagitiorum veterno excitare, atq; ad contemptum rerum mortalium, & cogitationem futuri ſæculi omni conatu atq; artificio impellere atque adhortari cæperunt. Cumq; ipſa nouitate rei omnium in ſe oculos atq; ora vertiſſent, paucis menſibus, Deo aſpirante, non modò id effecere quod maximè optabant, vt magni animorũ motus, & inſignes ad CHRISTVM conuerſiones exiſterent; ſed etiã, quod minimè laborabant, vt ipſorum nomen ac fama Italiam ferè totã ingenti cum admurmuratione peruaderet. At Ignatius Romam duobus quos dixi comitibus rectà contendens, & ab eorũ altero quotidie corpus CHRISTI religiosè caſteq; ſuſcipiens; MARIA virgine potiſsimum præſide, atque adiutrice, ſeſe ad ſacrum ſuo tempore faciendum, ac multa pro

CHRISTI nomine ſubeunda, dies noctesque ſimul intenta quadam animi cura, ſimul inæſtimabili ſpiritus dulcedine, & noua diuini luminis copia præparabat. Etenim ex quo primũ Hieroſolymis rediens ad litterarum ſtudia in CHRISTI gratiã animum adiecerat, de rerum cœleſtiũ contemplatione, vt diximus, non ſine magna difficultate remiſerat multũ, ſeq; ipſe Domini caritate, ſpirituali conſolationi delicijsque ſponte ſubduxerat. Sed ſtudiorum exacto curriculo, deinceps & Venetijs, & in Vicetino ſeceſſu, & in hoc de quo dicebamus itinere, tam crebra diuinitus lumina, tã liquidas animi voluptates, eadẽ ſcilicet Virgine fauente percepit, vt in antiquum ſtatũ illum Minoreſſanum, quẽ poſtea ob ſingularem & eximiam illius temporis in ſe Dei benignitatem religioſo ioco primitiuam ſuam Eccleſiam appellare conſueuerat) non ſolùm ex integro, ſed etiã cum fœnore ſibi reſtitutus eſſe videretur. Sed præter cætera, quę quòd mortalem naturam exſuperant, verbis exſequi difficillimum eſt; quo die Romam acceſſit, res ei contigit vel ad memoriã poſteritatis inſignis, vel ad confirmandum in propoſito Ignatium cæteroſq; haud mediocriter efficax. Etenim orandi cauſſa non longè ab Vrbe templũ ingreſſo, qualia paſſim impoſita militari viæ cernuntur, ſtatimque vt ſæpe ſolebat, abſtracto à ſenſibus, atq; alta quadam animi contemplatione defixo, clariſſima in luce per ſpeciem illi ſeſe Deus pater oſtendit, IESV filio baiulanti crucem, & crudeliſſimis affecto ſupplicijs, præſentem Ignatium ſocioſq; commendans; quos ille cùm in fidem ac patrocinium libentiſſimè recepiſſet, ad Ignatium placido & ſereno vultu conuerſus, hæc ipſa effari verba dignatus eſt: EGO VOBIS ROMAE PROPITIVS ERO. Quo tanto tamque diuino ſolatio mirum in modum erectus & confirmatus Ignatius, ac ſocios deinde compellans: Quid nobis, ait, Romæ futurum ſit, fratres; in crucem ne, an in rotam agi nos velit Deus, ignoro. vnum ſcio, quidquid eueniat, IESVM Chriſtum nobis propitium fore. ac ſimul totius viſionis ordinem expoſuit. Quæ res non in præſentia tantùm illos inſolita quadam lætitia & voluptate perfudit, ſed etiam in poſterum contra omnes difficultates atque pericula magnopere corroborauit, ac munijt: atque idipſum vel in primis fuit cauſſę cur Ignatius cõfirmatę poſt modum Societati ſalutare potiſſimum IESV nomen indiderit. quam tamẽ deinde verbo ſcriptoque minimam vocare ſolitus eſt, quòd reliquis religioſorum familijs (quas item ſocietates IESV licet optimo iure appellare) cunctis omnino tum de ſplendore, tum de antiquitate concederet.

Ignatius Romæ Chriſtianæ rei dat operam: in Caſinati monte animam Hozij cælum intrantem videt.

Cap. VI.

ITVR tam ſecunda numinis voluntate, tamque liberali promiſſo mirum in modum læti, ſic tamen vt non ſine myſterio Chriſtum Dominum crucifixi maximè habitu apparuiſſe apud ſe reputarent, cum gratiarum actione ac prece ſanctam Vrbem ingreſſi, nihil antiquius habuêre quàm vt viatici nomine ſibi numeratam anno priore pecuniam, quoniam quidem nauigationis cõſilia in irritum cecidiſſent, prorſus ad nummũ ijſdem à quibus acceperant, redderent; quæ, vtpote ſacra, in alios pietatis vſus & opera expenderetur. Deinde, quemadmodum ante conuenerat, ſuam & reliquorum operam Pontifici maximo in Apoſtolicis præcipuè functionibus, citra honoris titulos, & dignitatis inſignia, detulere. Neque aſpernatus eſt pia Patrum ſtudia Chriſti Vicarius: atq; in præſentia, donec eiuſmodi aliqua ſe ſe offerret occaſio, iuſſi Faber & Laines in almo Sapientiæ Gymnaſio ſacras litteras profiteri. quo munere dum alter in Biblijs explicandis, alter in ſcholaſtica Theologia, vt appellant, pari cum erũditionis ac pietatis laude perfunguntur, atque etiam ſæpe coram ipſo Pontifice de grauibus rerum diuinarum quæſtionibus diſputant; interim Ignatius proximorum ſaluti de more operam nauabat cùm alijs artibus, tum verò ſpiritualibus præſertim exercitationibus, quippe ad curandas perturbationes admodum efficaci, virtutiſq; iam pridem expertæ remedio: quibus ille per eos dies, præter cæteram turbam, inſignes aliquot

A aliquot viros diligenter excoluit. in ijs Gasparem Contarenum Cardinalem, grauissimum Senatorem, eumdemque temporibus illis (quod eius varia monimenta præclarè testantur) ingenij & doctrinæ facilè principem. Is Ignatij prudentia & consuetudine vsque adeò captus est, tantumque eius præceptis consilijsque profecit, vt quoiusdam dum optauerat animi regendi moderandique magistrum, denique sese Dei beneficio nactum esse affirmaret. idemque tradita sibi Exercitia (quod exemplum apud heredes hodieque asseruari perhibent) sua ipse manu perquàm accuratè descripsit. Hunc in ita tus Cæsaris procurator (de quo supra dictum est) Petrus Ortizius Theologiæ doctor insignis; easdem exercitationes ad Christi Domini gloriã, & suam salutem omnino experiri constituit. Id quò liberius simul & fructuosius faceret, procuratione interim vicarijs delegata, cum paucis quotidianæ vitæ administris, & Ignatio præceptore in mõtem Casinatem secessit, quo in monte antiquissimum & nobilissimum cernitur sancti Benedicti cœnobium. Ibi, remotis arbitris, maxima diligentia dies ipsos quadraginta piæ meditationi ex Ignatij præscripto vacauit; idque tanto cum animi fructu, tantaq; accessione virtutis, vt quamquam Christianam philosophiam multo ante professus, tamen se tum demum verè philosophari cæpisse fateretur. ac parum abfuit, quin grandis iam natu vir, & Imperatoris legatus, illico mortalibus rebus abiectis magno animo se
B se ad laboriosum Ignatij vitæ genus adiungeret. sed cùm id neque per ætatem liceret, neque per suscepta negotia; certè quod proximum fuit, egregiè præstitit, vt & sanctimoniæ ac pietatis exemplo in posterum sui ordinis hominibus præluceret, & Societatem deinde nostram quibuscumque posset rebus, perquàm studiosè ornaret, atque defenderet. Non omittenda videtur hoc loco res memorabilis, quæ Ignatio in illa Casinati commoratione diuinitus accidit. Dum enim pro salute Baccalaurei Hozij quem graui ter ægrotare cognorat, Domino supplicat, repente vidit in spiritu (quod ipsum ibidem D. Benedicto fertur olim in obitu Germani Episcopi contigisse) animã socij luce clarissima radiantem, deducentibus Angelis in sublime ferri, atque ipsi demũ cæli beatissima regna conscendere. eidemq; Ignatio, paulo post, dum ad rem diuinam accedit, in ipso Missæ introitu, Sanctis omnibus ritè appellandis, lucidissimum cælestium agmen subitò apparuit, sic, vt in ijs Hozium eximio fulgore micantem sine vlla dubitatione dignosceret. Qua ex vtraque visione tãto est gaudio delibutus, vt multos dies præ dulcedine lacrymis temperare nequiuerit. Huic Hozio Patauium (vt diximus) prouincia nuper obtigerat. vbi dum in officio, singulari cum industria & fide versatur, ex ipsa rei nouitate suspectus, & coniectus in carcerem ab Antistite Patauino, moxque ab eodem dimissus perhonorificè fuerat. cum que acrius deinde in proximorum salutem in-
C cubuisset, è magnis diurnis nocturnisque laboribus lethali morbo correptus, ex hac vita migrauerat, cùm alijs miræ cuiusdam sanctimoniæ relictis indicijs, tum verò quòd qui ante obitum subniger fuisset, ac vultu deformior, in eiusdem demortui facie tantus repente nitor ac venustas apparuit, vt eo spectaculo Codurius consors prouinciæ animum exsaturare, & præ lætitia fletum cohibere non posset. Huius igitur tam felici exitu maiorem in modum gauisus Ignatius, è Casinate Romam vnà cum Ortizio peracta commentatione regrediens; obuium habuit in itinere Franciscum Stratam Hispanum, præclaræ indolis iuuenem, sibi antea non ignotum: qui cùm è cuiusdam principis viri familia, pertæsus aulicæ vitæ, militandi causa Neapolim peteret, vno Ignatij congressu atque sermone (quæ hominis erat in dicendo vis) à sæculi stipendijs ad Christi vexilla facili negotio traduci se passus est: ac varijs deinde locis, eiusdem Ignatij missu, & Societati nostræ, & rei Christianæ vniuersę concionator egregius haud mediocriter profuit. Hoc igitur auctus commilitone Romam Ignatius reuertit: ad quem deinceps aliquot etiam alij rebus gerendis idonei diuino impulsu paucis diebus adiuncti sunt.

Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudiendæ morem, & frequentem vsum Confessionis & Eucharistiæ restituunt.

Cap. VII.

QVAE dum ardens Christi amore diligenter agit Ignatius, interim Patres cæteri, sua quisque prouincia bene gesta, Romam (vti decreuerant) circa mediam Quadragesimam cõuenêre. Is fuit annus post Christum natum MD XXXVIII. Tecto recepti sunt à Quirino Garzonio ciue Romano, ad villam Minimorum fratrum cœnobio proximam. Ibi in summa omnes egestate precario victitantes, communi cõsilio ad rem Christianam pro viribus adiuuandam aggressi, permissuque Antistitum varia Vrbis templa sortiti, concionibus primùm ciuitatem ad omne officium atque virtutem vehementer accendere; deinde etiam veteri Ecclesiæ instituto plebem puerosque Christiana catechesi (quæ iamdiu obsoleuerat) vicatim erudire institerunt. Ac licet pijs eorum studijs dæmon omni conatu se opponeret; tamen partim exemplo vitę, partim assiduitate dicendi hortandique cùm alia multa propediem assecuti sunt, tũ verò præcipuè, vt sacræ Confessionis & Eucharistiæ frequens vsus (quo nihil est humano generi salutarius) diaboli fraude iampridem extinctus, magno vtique Christianę Reipub. commodo in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia reuiuisceret. ex quo deinde paulatim effectum est, ijsdem scilicet adiutoribus, non solùm vt in Italia, Gallia, Hispania, cæterisque Catholicis Europæ regionibus, verùm etiã vt in ipsa India, atque adeo in vltimis terris, vbi paulo ante ferales dæmonũ dapes & nefaria sacra vigerant, iam nunc, ingenti bonorum gaudio, per pœnitentiæ sacramentum frequenter eluti animi sordibus, diuina passim conuiuia celebrentur.

Falsis criminibus circumuenitur Ignatius, & absoluitur.

Cap. VIII.

QVAE nimirum satanas futura præsagiens, ipsis rerum initijs per se suosque satellites obuiam ire non distulit. Augustinus quidam erat ex Eremitana familia concionator; prorsus indignus eo nomine atque ordine. Is Lutheri, impij sectator occultus, per ambages identidem pernicioſa dogmata spergebat è pulpito: ac miris artibus auditores à recta in Deum fide atque à Romani Pontificis auctoritate sensim abducere conabatur. Id autem eò fidentius, quòd per eos fortè dies Pontifex aberat, maximis de rebus quæ ad salutem Ecclesiæ pertinebant, in fines Galliæ Narbonensis, Nicæam vsque profectus. Hanc rem odorati è Patribus quidam; ne ad perniciem animorum latius manaret; communi consilio totam ipsi cognoscere atque inuestigare non dubitant. ad eum concionatorem audiendum cum cætera multitudine semel iterumque conueniunt; quæ ratio disputandi sit, qui scopus totius orationis, diligenter attendunt. ne que verò, peritos dogmatũ quæ per id tẽpus in controuersiam vocabantur, diabolici ministri fefellit astus, ac latens lupi sub ouis pelle rapacitas. Itaque satis iam comperta atque explorata re, primùm ex Euangelij præceptis priuatim ad hominẽ adeunt; quid ad se delatum, quid auribus ipsimet suis deinde perceperint, ijs potissimum verbis exponunt, quibus non de populi modò salute sese, verùm etiam de ipsius qui populum pestifera contagione inficeret, pro Christiana caritate solicitos esse demonstrent: rogant, hortantur, denuntiant, praua dogmata corrigat, ambiguè dicta, quæque ad contemptum Sedis Apostolicæ, & Ecclesiasticarum traditionum ac rituum facilè trahi possint,

A hi possint, ad conciliorum decreta, normam que syncerae fidei quàm primum interpretetur: vtique à deprauanda Romana ciuitate, atque à perturbando ipso veritatis fonte in posterum abstineat. Ille (qui fastus haereticorum est) homines nimirū idiotas ex habitu ratus, eorum dicta primò eleuare, & eludere; deinde vbi se varijs vrgeri ac premi argumentis & rationibus vidit, versante animum simul ira metuque, pauca praefatus quae ad occultandam in presentia improbitatem valerent; cum inanibus promissis Dei famulos ab se dimisit. Deinde vt se à timore collegit; diabolicis actus furijs, & amicorum opibus fretus, quos ille sibi multos potentesque parauerat, ad institutam agendi consuetudinem pari scelere atque impudentia redijt. Quod vbi sensêre Patres, in re tã atroci, tamque periculosa nequaquam lenibus rati opus esse remedijs; consilium cepêre dignum hominibus diuinae gloriae studiosis, dignum sacrae Theologiae doctoribus; vt improbi concionatoris mendacia palam, & ex superiore loco suis ipsi concionibus refutarent. Id ergo cùm facere instituissent, bonis maiorem in modũ approbantibus, cognita re Lutherianus vehementer excãduit; vocatisq; ad se confestim amicis rabiem doloremq; suum impertijt, etiam atque etiã obtestans, ne tantã ac tam insignem iniuriam inultã esse paterentur. Illi, & eadem laborantes opinionum insania, & magistri ignominia valde commoti, facta conspiratione, Ignatium & socios omni dolo per fas ac nefas

B euertere, nec modò fama, sed etiam, si res procedat, vita spoliare constituunt. Primũ igitur tota Vrbe fictis criminibus dissipãt, Ignatium socios q; omni scelerũ genere cooperatos, tum in Hispania, tũ in Gallia, quin etiã nuper Venetijs, falsae religionis, & probri flagitijq; damnatos; & elapsos è iudicum manibus, ad corrumpendam iuuentutẽ specie pietatis Romã se contulisse; ibi, quod bonis artibus nequeant, id, alios criminãdo ac cusando que, per summã iniuriam quaerere, vt sibi apud imperitum vulgus famã sanctitatis eruditionisq; concilient. Cùm aures nacti secundas, haec & alia id genus quàm appositissimè ad veritatis imaginẽ & per se ipsi, & per emissarios oppido sererent; tantam in inuidiã & odium breui seruos Dei adduxerunt, vt eos multi iam quasi facinorosos ac fugitiuos horrerent; ipsorumque congressum & consuetudinẽ vulgo refugerent. Cumque iã res è sententia flueret, laeti successu aduersarij, praeterea promissis ingẽtibus onerant subornantque qui ijsdem ferè nominibus quae sparsa in vulgus fuerãt, apud Vrbis Praefectum insontes accuset. Has verõ partes inexpiabili scelere sibi desumpsit Michael Hispanus quidã, qui iam ante Parisijs in Ignatium debacchatus, ac deinde singularibus ab eodẽ Ignatio lucrandi fratris mirabiliter cupido prouocat' officijs, egregiã viri beneficentiã (vt fere fit) minimè vulgari perfidia atq; impietate rependit; atque vt Ignatiũ & socios familiariter nouerat, confictis quàm maximè ad similitudinem veri criminibus, apud Praefectum sanè magnam in suspicionem cunctos adduxit. Omnino res erat

C insigni infamia; nec modò in Vrbe vulgi sermonibus terebatur, sed apud exteras quoque nationes atque prouincias aduersariorum nuntijs ac litteris precrebuerat, Ignatianos cum suo capite, denique manifestorum scelerum, haeresisq; conuictos teneri: videlicet, vt quas noxij varijs locis effugissent poenas, eas iusto Dei iudicio Romae in celeberrimo totius orbis terrae theatro persoluerent. Interea Ignatius totius machinationis nequaquã ignarus; fretusque tum praeclaro conscientiae testimonio, tum etiam CHRISTI promissis, qui se illi Romae propitium spoponderat fore; omnes inimicorum impetus, totamque belli procellam inuicto animo sustinebat; Deumq; vnà cum socijs pro aduersariorum salute precabatur assiduè. Iamq; causae dicendae tempus appropinquabat; cùm incidit in eius manus epistola, quam antea Michael, recentibus quibusdam Ignatij meritis delinitus (quippe vel ferrea pectora interdum patientia & caritate flectũtur) ad amicum nescio quem summa cum Ignatij & sociorũ laude perscripserat. Ea videlicet epistola, delatoris causam iugulauit. namque vbi iudicij aduenit dies; citato ad tribunal Ignatio, multa in eius vitã ac mores improbè mentitus est Michael. ad quae cùm Ignatius admodum sedatè respondisset, prolata ad extremũ epistola ac recitata, in stitit ab aduersario quaerere, numquid earum rerum meminisset? num chirographum agnosceret? Tum ille re inopinata perculsus, victusque conscientia, repente pallescere, titubare, frigido sudore perfluere. quod vbi animaduertit Praefectus (is erat Benedictus Conuersinus, vir prudens, & in causis cognoscendis apprimè versatus) confestim suspicatus coitionem ac dolum, data opera Michaelem diligenter interrogat: cumque nõ obscuris vestigijs ad ipsa fraudis cubilia peruenisset, seuerum calumniae vindicem se se praebuit: ac multis verbis increpitum calumniatorem (quamquam Ignatio pro ipsius

periculo

periculo deprecante) insuper multa vit exsilio. Post hæc Ignatius flagitare & vrgere, vti D
conspirationis nefariæ principes, quæ priuatim in circulis cœtibusque iactarant, eadem coram Præfecto palam ac legitimè exponerent, vt sibi diluendi crimina, & se sociosque purgandi copia fieret. Missio igitur viatore, vadimonium obire coguntur. At illi, veteratores & callidi, & cùm in foro iudicijsque diu multumque versati, tum etiam recenti Michaelis malo facti cautiores, vbi ad tribunal adfuere, per summam dissimulationem se de Ignatio ac socijs & sentire quàm optimè, & ad eam diē sensisse respondent: neque vllum esse crimen, quod ipsi quidem in eorum vitam moresque conijciant. Atque hæc, & alia eiusmodi coram iudice: rati nimirum fore, vt Ignatius præclarè secum actum existimans, quòd imminens calūniæ periculum euasisset; tā eluſtri præsertim accepta satisfactione proinde quiesceret. At ille multa ac magna quę ad iuuandam Ecclesiam pertinerent, mente ac cogitatione complexus; veritusque ne si quid suspicionis incommodæ, aut si qua dedecoris nota nascenti Societati adhæresceret, vel omnes in posterum ipsius conatus irritos redderet, vel certè magnum rebus gerendis impedimentum afferret, à Præfecto etiam atque etiam postulare, ne fictæ aduersariorum palinodię fidem haberet: eos quippe alia tum sermonibus, tum per epistolas lōgè lateq; vulgasse, ac quæ tunc ad tempus accommodata, iudicij metu perterriti dixerint. quæ nisi à magistratibus ritè cognita & quæsita publicè coarguantur, malo videlicet publico per summum nefas hæsuram in Societate magnam infamiam. proinde iure se postulare, vt in E
sua dicta vitamque omnem diligenter inquirat; se suosque ad causſam vsque cognitam in vinculis habeat, ac pro vt re ipsa compererit, ita pronuntiet. Hæc igitur, & alia id genus, Ignatius. Contra, aduersarij, veriti ne si quæstio perageretur, ingenti suo periculo ac damno paterent ipsorum artes atque mendacia; per se suosque omni ope contendere ac niti, vt Prefectus ab instituta cognitione desisteret. Iamque vtpote qui plurimum opibus & gratia poterant; in suam sententiā non modò Prefectum, sed Legatum etiam, qui Vrbi pro Pontifice summo cum imperio præerat, Cardinalem Neapolitanum adduxerant. quinetiam ex ipsismet Ignatij socijs non deerant, qui, aduersarijs iam à suscepta actione deterritis, & sponte cedentibus, non vltra instandum, vitandas lites, paci & quieti consulendum esse censerent. At verò Ignatius in posterum longè prospiciens, eoque iudicio non tam suam, quàm CHRISTI Domini causſam agi prudētur animaduertens; nullis neque minis, neque promissis, nec suasionibus de sententia deduci se passus est. cumque omni ad eam rem conatu non semel adhibito, propter aduersariorum gratiam atque potentiam nihil planè proficeret; non dubitauit, consulto per sacrificia precesque Deo, ad ipsiusmet Pontificis maximi fidem opemque confugere, qui Nicæa per eos dies, adulta iam ætate redierat, & in Tusculano secessu valetudinis causſa morabatur. Facili ergo ad principem aditu, quo die venit, admissus Ignatius, Latino sermone (quippe qui nondum satis Italicè nosset) eidem ex fide retulit, quo consilio à militari vita se se ad animorum auxilium, atque ad litterarum studia transtulisset: ac dum rem Christianam pro virili parte administrat, quoties, quot locis, quibusve nominibus accusatus & absolutus fuisset. Nuper etiam ab Hierosolymitana peregrinatione bello prohibitum (quod Pontifex ipse non ignoraret) se, ceteroſque eiusdem instituti laborisque socios, qui se vitamque suam ad Christianæ religionis amplificationem Sedi Apostolicæ mancipassent, cùm maximè in vrbe Roma populum docere insistunt, paratique in omnem quamuis arduam atque longinquam expeditionem, eiusdem Pontificis reditum nutumque auidè præstolantur; circumuentos repente iniquorum insidijs, & summam in inuidiam non modò in Vrbe, sed etiam apud remotas nationes adductos, ne id quidem à magistratibus obtinere posse, vt iacta in suos mores vitamque crimina in cognitionem vocentur. Sibi quidem propriæ vtilitatis & nominis rationem (quamuis ea per se negligenda non sit) minus antiquam esse: sed quoniam eodem iudicio & ipsorum existimatio, & animarum salus agatur (omnium enim qui ad rem publicam accedant rationes, non veritate solū, sed etiam fama niti) petere se & orare, ne grauetur pro sua sapientia ac potestate perficere, vt Præfectus Vrbis inchoatam quæstionem primo quoque tempore peragat; ne in Vrbe totius æquitatis parente, contra paucorum factionem opesque nullum inopiæ ac solitudini præsidium fuisse videatur. Sub hæc audita Pontifex bono esse animo iubet Ignatium; & collaudata (quod antea fecerat) ipsius & sociorum industria & pietate, Præfecto per codicillos imperat, iudicium vtique reddat Ignatio, causſam ritè cognoscat, feratque pro veritate sententiam. Et quidem hoc

loco

A loco adeſſe mihi animis velim eos, qui Deum res humanas negligentem circa cæli cardines otiari, non minus ineptè, quàm impiè fabulantur. ex ijs quippe quæ conſequuta ſunt, nemo ſanus, paternam cæleſtis numinis curam ac prouidentiam in ſuos, non clarè perſpiciat. Cùm enim tota aduerſariorum actio ea maximè calumnia niteretur; Ignatium ſociosque varijs locis iure damnatos, ambuſtosque iudicij flamma per dolum effugiſſe; cumque longum & operoſum eſſet, nemine præſertim neceſſaria in eam rem impendia ſubeunte, ex tam remotis diſiunctisque prouincijs rei geſtæ ſeriem litteris conſignatam, teſtibusque firmatam ex forenſi formula petere; planè diuinitus factum eſt, vt quotquot in Italia, Gallia, Hiſpania Ignatij iudices extitiſſent, ſub ipſum ferendæ ſententiæ tempus Romam ferè omnes alius alia de cauſſa conuenerint. Ioannes Figheroa, quondam Archiepiſcopi Toletani Vicarius, is qui Compluti primùm de Ignatij fama capiteque cognorat, grauibus de cauſſis Neapolim à Cæſare miſſus, in reditu commodum Romæ ſubſtiterat. Venerat eodem è Gallia, Pariſienſis Inquiſitor Matthæus Ori, Dominicanus, apud quem Ignatius, vt ſupra dictum eſt, ſemel iterumque ab improbis fuerat accuſatus. Denique in tempore Gaſpar etiam Doctus à Venetijs adfuit, qui habitæ in ea vrbe in Ignatium quæſtioni præfuerat. Hi omnes in iudiciũ adducti, aduerſariorũ commẽta detexere, cum ſumma teſtificatione virtutis ac pietatis Ignatij.

B Præterea litteræ ciuitatum, apud quas Italiã totã Patres aliquandiu vixerant, per idem tempus allatæ, magnum pondus ad illuſtranda ipſorum merita, & refellendas iniquorum calumnias attulêre. Iam verò Hercules quoque, ſecundus hoc nomine, Dux Ferrarienſium, qui Patribus familiariter vſus, ijſdemque peccata ritu Chriſtiano confeſſus, ex eorũ etiã manibus corpus Domini ſumpſerat; libentiſsimè fecit nõ modò vt per epiſtolam, ſed etiam vt per legatum, perſpectę ipſorum innocentiæ ac ſanctitati debitu teſtimonium laudesque tribueret. Quibus rebus adductus Vrbis Præfectus, vrgente præſertim Pontificis iuſſu, quamquam aduerſarijs omni ſtudio contra nitentibus, denique ſua ſententia Ignatium & ſocios omni non modò culpa, ſed etiam culpæ ſuſpicione liberauit verbis ampliſsimis, eiuſque ſententiæ, ad vindicandam inſontium famam, varias in prouincias teſtato deſcripta exempla dimiſſa. quibus ex rebus dici vix poteſt quantum Patribus vbique honoris & exiſtimationis acceſſerit. Atque hac maximè ratione diu ſuppreſſa atq; occultata veritas extulit aliquãdo ſeſe, ac malitia ſuperata, proceſsit in medium: quæque machinamenta diabolus ad teneram adhuc Societatem deformandam atque adeo prefocandam artificiosè parauerat, ea ipſa, moderante rem numine, in eius maximè decus & incrementa ceſsere. At verò inſidiatorum longè diſſimilis fuit exitus. Namque adminiſter conſceleratæ calumniæ Michaël, fraude pateſa-

C cta (quemadmodum dicebamus) in exilium actus eſt: E ducibus verò (quos nominare hoc loco neceſſe non eſt) vnus paulo poſt iudicium graui correptus morbo, ſemet acriter ac dolenter incuſans cum inſigni facinoris deteſtatione diem obijt. alter, cùm deinde manifeſtis hæreticarum opinionum indicijs teneretur, maturè ſibi fuga conſuluit, effigiemque ſuam pro ſe iudicibus cremandam reliquit. tertius eodem nomine comprehenſus, & cognita cauſſa perpetuo addictus carceri; ad extremum tandem morte iam imminente reſipuit; eidemque animam agenti quidam è Societate ad vltimum vſque ſpiritum aſſedit; quæque illi tempori tribui ſolent, pietatis & caritatis officia præſtitit. Porrò Lutherianus ille concionator, qui totam conſpirationem ſceluſque conflarat, intra catholicorum caſtra per fraudem aliquandiu verſatus, cùm religionis ac pudicitiæ ſimulationem vltra ſuſtinere non poſſet, larua depoſita, palam fidei & continentiæ bellum indixit, atque ad optata hæreticorum luſtra popinasque ſe contulit.

Ignatius & cæteri Patres de conſtituenda Societate deliberant. D

Caput IX.



Ac igitur falſæ accuſationis procella Ignatius ſocijque defuncti, primùm omnium (vt æquum erat) ingentes & vniuerſi communiter, & ſinguli priuatim egêre diuinę clemẽtiæ gratias: deinde, partim quòd aliqui ſubinde ad Ignatij inſtitutum aggregabantur; partim etiã quòd inaudierant, aliquot è ſuo numero varias in vrbes atque prouincias iam tum rogatu Principũ à ſummo Pontifice deſtinari; viſum eſt faciendum, vti de ſtabilienda quàm maximè ad Dei gloriam, ſalutemque animarum Societate primo quoque tempore inter ſe conſulerent. ad eam quippe diem, communi tantum officio ac pietate ducti, ſine certis & proprijs legibus ac magiſtratibus vixerant. Ergo precationibus, ieiunijs, & ſacrificijs in eam rem quàm accuratiſſimè adhibitis, quotidianæ vitæ munera laboreſque ita partiti ſunt, vt diurna tempora Dei verbo, conſuetiſque functionibus; nocturna verò priuatis inter ſe colloquijs, & neceſſariæ conſultationi darent. Prima igitur nocte quæſitum eſt, vtrum Pontificis iuſſu digreſſi, prout ſe daret occaſio, ſuam quiſque ſine aliorum conſenſu vel reſpectu rem agere; an potius, quamquã corporibus locisq; diſiuncti, animorum tamen conſpiratione, & meritorum communione, vt adhuc fuerant, ſic in poſterum coniuncti eſſe deberent. Dictiſque ſine variatione ſententijs, nullum fuit dubium, quin tam ſuauis, tamque arcta ſocietas, Dei prorſus munere ex tam diuerſis moribus linguiſque coalita, omni conatu ſtudioque retinenda foret, tum ne qua Spiritui ſancto iniuria fieret, à quo diuinitus fuerant in eam cõſenſionem adducti; tum verò, ne concordiæ atque vnitatis bonũ amitteretur, quo nihil eſt ad res magnas atque arduas moliendas, & obſtantia quæque perrumpenda, valentius. Cùm hæc & alia multa in eam ſententiam ingenti alacritate & gaudio ſpirituali pro ſe quiſque dixiſſet, magnopere incenſis ad mutuam caritatẽ & beneuolentiam animis, cœtus ille dimittitur. Proximo deinde conſeſſu de religione relatum eſt, placeret ne ad vota duo Paupertatis Caſtitatiſque ritè ſuſcepta, tertium perpetuæ item Obedientiæ adiungere, & è ſuo corpore eligere, qui cæteris ampla cum poteſtate præeſſet. In eam rem, quod maioris momenti videbatur eſſe, diem proferri placuit, ſpatiumque ſeorſum ſingulis ad deliberandum dari, atq; interim inſtauratis precationibus & ſacrificijs, diuinæ ſapientiæ lumen opemq; diligenter expoſci. Vt igitur eius conſultationis dies aduenit, omnium in vnũ congruere ſententiæ, quandoquidẽ Chriſtum Dominũ ac magiſtrũ ſibi pro viribus imitandũ cuncti ſuſceperãt, quoniam ille ſeſe perfectum atque integrũ holocauſtũ Deo parẽti pro ſalute humani generis obtuliſſet, prorſus oportere vt ipſi quoq; pro ſuo modulo Chriſtum effingerent: ac quẽadmodum ſingulorum corporis bona per voluntariam inopiam, corpus ipſum per caſtimoniam Deo immolatum eſſet; ſic animus quoque ante cæleſtes aras per obedientiam ſpiritualis victima caderet, præſertim cum hoc ſacrificio nullum diuinæ maieſtati gratius aut ſuauius eſſe conſtaret. Ergo ſine cõtrouerſia deligendum videri, cui omnes in terris tanquam Chriſto parerent; cuius in verba iurarent; denique cuius ſibi nutum ac voluntatem inſtar diuini cuiuſdam oraculi ducerent. Hiſce ita conſtitutis, deinceps quæſitum de huius ipſius poteſtate, vtrum certo dierum ſpatio definitam, an verò perpetuam eſſe oporteret. Perpetuã eſſe placuit omnibus, idque cùm alias ob cauſſas, quas commemorare hoc loco neceſſe nõ eſt, tum verò vt negotia grauiora, quæ ad conficiendum non modò plenæ libertatis, verùm etiam longi fere temporis indigent; leniter, & ex animi ſui ſententia poſſet ad exitum ſine vlla trepidatione perducere. Additum ad hæc, vt Societatis candidati, cùm alijs experimentis, tum verò præcipuè ſpiritualibus exercitationibus, peregrinatione, & infimis publici alicuius valetudinarij miniſterijs probarẽtur. Itemque, vt qui Societatis inſtituta profiterentur, ij ad tria ſolemnia vota, quæ nobis cum alijs dicatis Deo familijs fere communia ſunt, quartum nominatim adiungeret; quaſcunque ad fideliũ vel infideliũ terras Chriſtianæ rei cauſſa Pontifici maximo ipſos mittere placuiſſet, eò ſine vlla tergiuerſatione, atque adeo ſine vlla

E

F

non mo-

A non modò mercede, sed ne viatici quidem petitione proficiscendi: ac simul, concepta verborum formula sese obstringerent, puerili ætati per catechesim erudiendæ; quòd eo remedio nullum fermè efficacius foret ad intemeratam fidem tuendam, ac prauæ religionis prohibenda contagia. Hæc igitur & alia id genus nonnulla per eos dies ab Ignatio patribusque decreta sunt: eidemque Ignatio negotium datum, vt ea in summam redacta, Pontifici maximo primùm Apostolica auctoritate sancienda atque approbanda proponeret; deinde vt eadem ipse postea per otium fusius explicaret ordinaretque, & quàm accommodatissimas ad Societatis vocationem & spiritum leges canonesq; perscriberet.

Patres in varia loca Pontificis iussu discedunt.

Cap. X.

B VB hæc fermè decreta, Pontifex maximus aliquot operarios ab Ignatio in varias agri Ecclesiastici vineas postulauit. Id nostræ Societati fuit Apostolicę peregrinationis exordium. Ennio Verulano, S.R.E. Cardinali per eos dies cũ amplissima potestate legatio Parmensis obuenerat. Huic, Pontificis iussu, legationis comites, & rerum spiritualium administri duo, Petrus Faber, & Iacobus Laines ab Ignatio dati: Senas verò in Etruriam, Paschasius ad instaurandam sacri cuiusdam cœnobij disciplinam ab eodem Pontifice missus est. In Aenariam seu Inarimem insulam, pacificationis gratia non leuis momenti, Nicolaus Bobadilla: Brixiam in Cenomannos ditionis Venetæ, Claudius Iaius grauibus item de caussis abijt. Ac per idipsum tempus etiam in extremas terras primùm Societati patuit aditus. Brasilicã oram, & præterea quidquid inter inaccessum olim Bonæ spei promontorium, vltimosque Sinas interiacet maritimi tractus, Indo & Gange superato, Lusitani, armatis classibus; ante annos aliquot ingenti ausu & labore, æquè fortiter ac feliciter aperuerant. neque Ioannem hoc nomine tertium Lusitaniæ Regẽ insigni virtute ac pietate virum, vlla magis angebat cura, quã vt barbaras illas nationes à misera dæmonum seruitute ad vnius veri Dei notitiã cultumque traduceret: atque ob idipsum, quos in ea mitteret loca præcones Euangelij, & moribus & eruditione præstantes, tota Europa impendio conquirebat. Eius rei conscius Iacobus Gouea, is qui Parisijs in ipso virgarum periculo singularem Ignatij fi-
C dem virtutemque, ingenti cum admiratione cognorat, proculdubio statuit, illum & socios ad Indicam expeditionem fore quàm accommodatissimos, quoniam quidem ab Hierosolymæ accessu bello impediti, quemadmodum audierat, in Italia substitissent. Neque tamen quidquam eius consilij ratus impertiendum Regi antequam ipsius Ignatij voluntatem explorasset; pro amicitia ad illum scribit, quàm libente Lusitaniæ Rege, quàm spatiosus bonorum industriæ pietatique campus in India pateat. sibi quidem, quando illum & socios ab Hierosolymitana curatione arceat bellum, sanctissimis ipsorum studijs prouinciam in primis aptam videri. Si conditio placeat, vltro semet apud Regem totius negotij fore interpretem pollicetur. Ad ea, cum gratiarum actione rescripsit Ignatius, neque se, neque socios esse iam sui iuris, quippe qui summo Christi Vicario semetipsi perpetuo nexu Obedientiæ mancipassent. proinde agẽdum esse cum Romano Põtifice. quidquid ille iussisset, id verò sine mora facturos. Quo accepto responso Gouea, cùm facilè speraret à Pontifice impetrari posse; rem totam Regi suo per litteras aperit, ipsumque exemplar epistolæ Ignatij ad eum mittit cum summis illius & sociorum laudibus, etiam atque etiam suadens, vt eiusmodi virorum opera potissimũ vtatur, neu tam præclaram occasionem elabi patiatur è manibus, cui similem fortasse nullam sit in posterum habiturus. Haud incassum adhibita hortatio. quippe Rex & sua sponte iam incitatus, & Goueæ talis viri monitis & auctoritate permotus, cõfestim Petro Mascareniæ, suo apud Pontificem maximum Oratori mandat mox in Lusitaniã redituro, det operam vt quàm plurimos ex Ignatij disciplina secum deducat, Euangelij caussa mittendos in Indiam, eaque de re cum Ignatio quàm primùm agat: si res cum illo minus procedat, omni conatu cum ipso Pontifice transigat. vtique, ne sine tali comitatu reuertatur ad se. Hoc tam seuero mandato legatus accepto, sine cunctatione

Ignatium conuenit, ac pauca præfatus (vt fit) conciliandæ beneuolentiæ; mandatum D
sui Regis exponit, Patresque minimum sex in missionem Indicam postulat. Ad quem il
le submissa oratione, tam honorifico Regis de se iudicio gratias cùm egisset, eadé fermè
quæ ad Goueam respondit: quod ab se petatur, totum id è summi Pontificis voluntate
imperioque pendere. qui tamẽ, si, quid ego sentiam quæris (inquit Ignatius) vnum aut
alterum fortasse tibi concesserit, plures verò nequaquam. At ille cùm nihilominus in
eodem postulato persisteret, Dei fidem & hominum testans, nusquam operam colloca
ri fructuosius posse; tum Ignatius, quasi futura præsagiens, familiari ac placido vultu:
Deus, inquit, meliora, clarissime orator. quippe si è tam exiguo numero, sex vnam dũ-
taxat in prouinciam demas, quantulum, quæso, reliquo terrarum orbi supererit? Ne-
que tamen idcirco ille ab incæpto desistit. quoniam Ignatium flecti posse diffidat, ad
ipsum adit Pontificem, narrat quid sibi ab Rege mandatum sit, suppliciter etiam atq;
etiam obsecrans, ne in tam honesta caussa, tamque pia, frustrari se, Regemque suum cõ-
cepta peropportuni subsidij spe patiatur. Hic Pontifex, quamquam lætus ab vrbe Ro-
ma potissimum, vt par erat, peti sacri Euangelij nuntios, & insuper, tanto Regi, tamque
de Romana Ecclesia bene merito gratificari vehementer exoptans; tamen, vt in tali ne
gotio, ne videlicet seruis Dei ad omne paratis obsequiũ abuti pro potestate videretur
(qua erat lenitate ac sapientia vir) audito legato, rem ipsam probauit, de numero ad ar- E
bitrium reiecit Ignatij. Is proinde (sanè quàm ægrè ferente Mascarenia, neque tamen
aspernante quod datum est) post multas in eã rem fusas ad superos preces, quemadmo-
dum antea significauerat, duos dumtaxat glorioso muneri destinauit; Simonẽ Roteri-
giũ Lusitanum, & Nicolaum Bobadillam, qui cùm idcirco Romam euocatus, grauiter
ischiade laboraret, neque legatus Regius maturo iã reditu exspectare diutius posset; æ-
gro Bobadillæ, sibiq; vicem ereptam dolenti, Frãciscus Xauerius repente sufficitur. E-
rat omnino laboriosa prouincia, iterque longinquum: &, cùm ferè nullam in spem re-
ditus, tum verò in apertum pæne quotidie vitæ discrimen. Sed quæ alios ab ei⁹ modi
consilio retardassent, ea ipsa incitamenta fuere Patribus, cùm se quisque tali sorte præ
cæteris beatum existimaret. Ac Simon quidem parata in Lusitaniam naui celeriter an-
teces⁹it. ac deinde Regis Lusitaniæ iussu, procerumque rogatu, quamuis inuitus, in ea-
dem prouincia substitit. Xauerius autem, vti delatum ad eum est, confestim exsiluit
gaudio, datoque sibi tempore vix quod satis esset ad laceram attritamque tunicam re-
sarciendam, & salutandos fratres; cum legato postera die profectus est, immortales a-
gens Domino gratias, quòd se denique voti compotem effecisset. Perpetuas quippe
clades pereuntium ex ignoratione Dei, in vltimis regionibus, animarum, iam ante mi-
serari, & messis potissimum Indicę magnitudinem crebris consueuerat vsurpare sermo
nibus. Quin etiam per quietem non semel erat sibi visus Aethiopem in humeros sustu- F
lisse vsque adeo ponderosum, vt ipsa oneris magnitudine excitaretur è somno mirè de-
fatigatus, membrisque omnibus dolens: continuoque rem omnem Iacobo Laini patefa
ciebat eiusdem cubiculi socio. Hæc igitur fuere nostris hominibus Pontificiæ mis-
sionis initia: Patresque in varia deinceps loca profecti, maiorem in modum
aucta Societate, institutisque supplementi caussa tota ferme Europa
collegijs, domibusve, res eas Deo duce atque adiutore ges-
sere, quæ proprio, & quidem iusto volumine ipsæ
per se ad enarrandum indi-
geant.

Ignatius

Ignatius plebi fame periclitanti ſuccurrit. Cap. XI.

NEQVE verò Ignatio & cæteris qui remanſerant Romæ, negotium defuit. Erat annus à Virginis partu MDXXXVIII. inſignis annonæ caritate, ac per hyemem præcipuè tanta frugum inopia, vt paſſim iacentes in publico pauperes frigore fameque confecti, miſerandum in modum exſpirarẽt. Quo ſpectaculo commotus Ignatius, tantæ calamitati ſibi omni ope ſubueniendum putauit. Iamque è Garzonij villa, cum ſuis in Vrbis frequentiora loca migrauerat, laxiore ſibi ab amicis domo conducta ad circum Flaminium, in ea regione quæ ſancti Angeli ad forum Piſcarium hodie dicitur. In eius igitur domus ampla cœnatione fœno ſtraguliſq; diſpoſitis, & in pauperum alimẽta eleemoſynis vndique corrogatis in omnes partes dimiſit qui in id hoſpitium, vt quemque periclitantẽ extrema inopia inueniſſent, vel inter manus, prout res ferret, vel geſtatoria ſella deueherent. Cùm ſtrenuè curaretur, adhibitis etiam vbi opus eſſet, adiutoribus baiuliſque, breui numerus decũbentium ad quadringentos aſcendit. Hic verò, eodem Ignatio præſide ac duce, Patrũ fratrumque ſeſe caritas ac virtus exeruit.

B Diluculo quotidie linteati oẽs ad imperia accipienda præſto aderant. Inde ad ſua quiſque officia diſcurrere ſine vlla perturbatione vel tumultu; alij recens illatos pauperes clementer exuere, & calida elutis corporum ſordibus in lectulo collocare; alij aſſidere languentibus, eoſdemque amiciſſimis conſolari verbis. hi cibos aut domi excoquere diligeter, aut aliunde miſſos inſtruere, illi fercula inferre, & lõga inedia propemodũ enectis pretioſos liquores inſtillare: hi cubilia ſternere, illi ſcopis pauimẽta purgare: deniq; certatim omnes munere ſuo ita fungi, vt præclarè teſtarẽtur, in minimis illis agnoſcere ſe Regẽ regum & dominu dominantium. neq; verò corpora ſolùm egentiũ, ſed animi quoque eadẽ opera curabantur. Plurimi quippe rudes, Chriſtianæ doctrinæ præceptis probè inſtituti, multi à turpi quæſtu, fraudibuſq; deterriti, & quod caput eſt, ſacra omnes confeſſione expiati, ac pane cæleſti longo interuallo refecti ſunt. Deinde, vt aliqui cõualuerant, ſuccedentibus inuicem alijs, cum tegumentis ad frigus arcendum, & certo pecuniæ ſubſidio mittebantur. Ea res per Vrbem vulgata, magnã populi bene uolentiam conciliauit Ignatio: atque ad eam Chriſtianæ humilitatis caritatiſque officinam viſendam interdiu promiſcua turba, noctu verò etiam viri principes vẽtitabant: ac tanta fuit exempli vis, vt quidam, cùm præſentes non ſuppeterent ſibi nummi, depoſitis illicò in vſus pauperum veſtimentis, domum ſeminudi reuerterint. Alij etiam ſancta æmulatione incitati, eiuſdem conditionis homines, quorum non deerat paſſim co-

C pia, hoſpitio ſuſceptos benignè curarũt. Multi prẽterea proceres, in glorioſi operis perfectionẽ, Ignatio pecuniæ ſummã vltro detulere non leuem. Qua in re Margaritæ Auſtriacæ Caroli V. filiæ, Octauio Farneſio nuptæ, Placentinorũ & Parmenſiũ hodie Duci, pietas ac beneficentia vel in primis enituit. Atque eius pecuniæ, cùm Ignatius intelligeret, ſe vel maxima eorum qui contulerant voluntate, partem aliquam in ſuas & ſuorum neceſſitates erogare poſſe; tamen tanta fuit religione vir, vt ne obolum quidẽ niſi in externorum pauperum commoda inſumpſerit, relatis in codicem accuratè nominibus, vt omnium prorſus ratio conſtaret. Atque hunc maximè in modum labor ad exactam vſque hyemem ſecunda ciuitatis admurmuratione perductus. ac vere demum ineunte, frumenta partim ab ijs qui ſuppreſſerant, ſponte prolata; partim à magiſtratibus aliunde conuecta ſunt. Ea re non mediocriter annona laxauit; grauiſque perfuncta periculo plebs, Deo adiuuante, ad ſolitos quæſtus & opificia redijt.

D

Confirmatur à Pontifice maximo Societas.

Cap. XII.



INTEREA, cùm ad Ignatium ſtudio religionis aliqui ſubinde ſe adiungerent; nequaquam immemor ille, quod ad Societatem confirmandam attinebat, negotij paulo ante ſuſcepti; quidquid à publicis occupationibus otij datum eſt, in eam ipſam rem diligentiſſimè contulit. ac primùm totius inſtituti formulam (fuſius poſtea explicandam) ad certa capita dilucidè redegit, ac breuiter. deinde nactus opportunitatem, quòd Pontifex maximus per autumni ferias è turba negotijſque Tibur ſeſe receperat; eam formulam auctoritate Apoſtolica ſanciendam eidem Pontifici ſuppliciter obtulit per Gaſparem Contarenum Cardinalem, de quo ſupra dictum eſt, ob egregiam virtutem ſapientiamque Principi in primis acceptum, noſtriqúe ordinis amiciſſimum. quam ille vbi perlegit; confeſtim: Spiritus, inquit, Dei eſt hic. ac multa præterea in eam ſententiam adiunxit, quare confideret recentem huiuſce manipuli ardorem, tali tempore diuinitus excitatum, afflictis Eccleſiæ rebus non leui tum præſidio, tũ ornamento futurum. Verumtamen, vt in tanta re ne minus conſultè quidpiã ſtatuiſſe videretur, totum negotium delegauit tribus viris è ſacro Collegio Cardinalium, apud quos minimum loci fore putauit gratiæ. In ijs fuit Barptolemæus Guidicionius Lucenſis, vir diuini humaniq́; iuris apprimè peritus, idemq́; nouarum religionum adeò nõ amicus, vt de ijs ad certum numerum redigendis librum etiam conſcripſiſſe dicatur. Is, præiudicata iam cauſſa, collegas nequaquam propenſos in Ignatium, facile in ſuam ſententiam adduxit, certamque propemodum confectamque rem, conſilio & auctoritate ſua pæne diſcuſſit. Quod vbi ſenſit Ignatius, parum præſidij ratus in hominibus eſſe, ad opem diuinam de more confugit. ac præter ieiunia, ſupplicationes, cæteraque ad numen propitiandum adhiberi ſolita, cæleſtes inſuper hoſtias eo tantùm nomine per ſe & per amicos immolauit ad tria millia. qua procuratione, intra finem anni vertentis, cùm cæterorum, tum præcipuè Guidicionij ita immutata voluntas eſt, vt cùm de multitudine religionum cohibenda idem quod antea omnino ſentiret, huic tamen refragrari ſe vltra negaret poſſe, diuino videlicet monitu, & occulta ſpiritus operatione vehementer inſtinctus. Ita, qui diu valde anxios habuerat Patres, eorumque ſpem varijs fruſtrationibus propemodum extinxerat, idem vnà cum cæteris collegis repente placatus ac fauens, rem vltrò ſuſcepit, commendauitque Pontifici, Tibure denuò commoranti; qui libentiſſimo animo & Societatem ipſam, & Societati inditum nomen ritè ſancteque approbauit V. Non. Octobris, anno MDXL. idque teſtatum voluit eſſe publicis litteris eodem die locoque datis; cum eo tamen, vt in vniuerſum ſocij ne plures ſexaginta numerarentur. Ea videlicet fuit nouellæ Societatis quædam quaſi probatio. ſiquidem triennio poſt, cùm varijs locis atque prouincijs Deo aſpirante conſtaret egregius opere fructus; ab eodem Pontifice limes ille omnino ſublatus eſt, liberumque Ignatio & ſucceſſoribus relictum, cuilibet petenti Societatem dare. quod item apparet diplomate dato pridie Idus Martias anno MDXLIII.

Præpoſi-

Præpositus Generalis creatur Ignatius. Cap. XIII.

IGITVR post multas difficultates approbata denique Societati gratiæ primùm (vt æquum erat) actæ superis, quorum benignitate res bene feliciterque vertisset; deinde, quoniam in dies à Pontifice missio Patribus imminebat; è suo corpore Præpositum Generalem (sic enim qui cũctis præesset appellare placuerat) primo quoque tempore deligere visum est. Societatis autem status per id tempus erat eiusmodi. Frãciscus Xauerius & Simon Roterigius in Lusitaniam erant profecti. Petrum Fabrũ Cæsaris legatus Ortizius ad Vormatiensem conuentum Pontificis permissu in Germaniam adduxerat. Iacobus Laines Parmæ, Claudius Iaius Brixiæ, Senis Paschasius agebãt. In Brutios Nicolaus Bobadilla discesserat. Cum Ignatio Romæ duo dumtaxat è Patribus versabantur, Salmeron, & Codurius. tyrones verò qui nomen dederant Societati, partim apud Ignatium erant, partim studiorum caussa ab eodem Parisios missi, necessaria ad bellum spirituale arma enixè parabant. quidam etiam ad res domesticas componẽdas in Hispaniã profecti; & concionibus iam tum, & colloquijs, ingenti hominum approbatione, Societatis nomen longè lateque vulgauerant. Hoc Societatis statu, cùm Præpositi eligendi tẽ-
B pus adesset, Patres, qui quidem in Italia erant, per litteras moniti, quod rei Christianæ commodo facere possent, creandi Præpositi caussa ad Vrbem accederent; sub initium Quadragesimæ anni MDXLI. conuenêre omnes, vno dempto Bobadilla, quem in oppido Bisiniano tum maximè res gerentem, abduci rursus ab opere Pontifex noluit. Is & cæteri qui longius aberant, suum quisque in schedula suffragium ritè obsignatum, partim in discessu reliquerant Romæ, partim deinde misêre inclusum epistolis. Ac primũ tridui supplicatio indicta, vetitumque inter ipsos de Præpositi electione colloquium est. deinde coniectis in vrnam schedulis, triduum insuper continuatæ preces: ac septimo denique die legitimè extractis recitatisque suffragijs, Præpositus declaratur Ignatius, nemine præter ipsum Ignatium discrepante: namque is consulto, ne vnum nominatim ex omnibus deligendo, cæteros quodãmodo notasse videretur; in schedula scripserat, se ad eum accedere, in quem plurima suffragia conuenirent, vno se dumtaxat excepto. Igitur explorata iam numinis volũtate, ad Ignatium venerabundi accurrunt Patres. at ille, parendi nimirum longè quàm imperandi cupidior, seuero vultu iubet eos absistere, negatque se munus viribus impar suis vlla ratione subiturum: multaque seriò disputat, cur alium potius quemlibet sibi sufficere debeant. Sed videlicet quibus re-
C bus putabat voluntates Patrum aliò posse transferri, eæ ipsæ vel maximè studia eorum incendebant. nihil enim ad conciliandos homines æquè valet, atque animi moderatio atque submissio. quo factum est, vt nihil eorum quæ ad munus detrectandum Ignatius afferebat, aliquandiu non modò ad animum admitterent, sed ne ad aures quidem. Sed post multam denique altercationem ægrè Ignatius tenuit, vt amplius in tertium diem obsecratione protracta, rursus in suffragium iretur. quo die cùm idẽ prorsus omnium
„ cõsensus exstaret, neque iam locus tergiuersationi videretur esse; tum Ignatius: Quan-
„ doquidem vos in me potissimum eligendo perstatis, inquit, ego autem, meæ conscius
„ infirmitatis, vestro iudicio salua religione assentiri nequeo; reliquum est, vt huiusce
„ controuersiæ arbitrum deligamus eum qui mihi à confessionibus est; quoque, vt scitis,
„ vtor diuinæ voluntatis interprete. (is erat ante conditã Societatem frater quidã Theodosius ex ordine Minorũ, cœnobij quod ad sancti Petri in Monte aureo, qui fuit olim Ianiculus, appellatur.) Quod, ne frustra diutius tenderẽt Patres, eò facilius concessere, quòd minimè dubitabant, quin ipsorum suffragij prærogatiuam ille quoque sua sententia comprobaturus esset. neque eos fefellit opinio. Cùm enim rem totam ad eum detulisset Ignatius, imbecillitatem suam corporis animique commemorans, dein etiam atque etiam obtestans, vt se tanto onere leuatum vellet; ille cognita re tantum abfuit vt precibus Ignatij cederet, vt etiam obiurgauerit hominem, quòd, tam explorata diuina volũtate, Spiritui sancto diutius restitisset: & simul, ne dissimulationi esset locus, vltro adijt Patres, ac de suo respõso certiores fecit. Quibus reb' denique victus Ignatius, omni spe in vno Deo rei bene gerendæ reposita, dedit manus, diemq; constituit x. Kal. Maij, quo die ad auxilium diuinum implorandum, præcipua septem Vrbis templa simul omnes obirent, & in diui Pauli potissimum (quoniam eius maximè Apostoli vesti-

gia ſequerentur) ſolemni profeſsione ſuæ religionis vota ſuſciperent. Vt igitur ea dies D
adfuit, in eo tẽplo ad ſacellũ beatæ Virginis, vbi tum Euchariſtia cuſtodiebatur, quod
ſacellum ad imos gradus eſt aræ maximæ, ſub ipſam cæleſtis panis communionem; ipſe
primùm qui ſacrificabat Ignatius, tum cæteri ſua quiſque vota clara voce de ſcripto ex
Apoſtolici diplomatis formula nuncuparunt. deinde ſumpto ex Ignatij manibus cor-
pore Domini, poſt gratiarum actionem, ſacratiſsima eius ædis loca religiosè cùm adijſ-
ſent, circa aram maximam ſub qua Petri, & Pauli Apoſtolorum oſſa condita ſunt, cun-
cti conſiſtunt, flenteſque præ gaudio, & ſuauiſsimè amplexantes inter ſe, gratulantur
denuo ſuperis, quòd cæptis adfuerint, ſuamque Societatem arctiori vinculo colliga-
rint: deinde reliqua templa pari lætitia ac pietate circũeunt. Quibus rebus ingenti om-
niũ conſenſu & conſpiratione peractis, magiſtratũ Ignatius inijt. ac primùm omnium,
ad conſtituendam domeſticam diſciplinam adiecit animum, quæ digna tali inſtituto,
digna Chriſtianæ Philoſophiæ profeſſoribus haberetur. Itaq; ad cæteros prouocãdos,
atque ad iacienda in tyronũ animis verę humilitatis fundamẽta, in ſordidis culinæ mi-
niſterijs aliquandiu verſatus eſt ipſe, tanta cũ alacritate ac diligẽtia, quaſi tum primùm
ad ſuam ipſius emendationẽ, vitę ſpiritualis curriculũ eſſet ingreſſus, neq; tamen inter-
ea grauioribus negotijs deerat, tẽporibus ita diſtributis, vt quantũ liceret, vtrique mu-
neri ſatisfaceret. accedebat adhęc, ſummus paupertatis amor, ſumma in victu cultuque
frugalitas: præterea in ſingulorũ officijs exigendis, erratisq; puniẽdis admirabili miſta E
lenitate ſeueritas: in ſubleuãdis verò omniũ & animi & corporis neceſsitatibus, cura &
vigilantia pluſquã paterna. cũque ad ea caritatis officia, prout res poſtulabat, opportu-
nas inſuper adhortationes & publicè & priuatim adhiberet; haud ſanè difficilè fuit, in
animos, recentiſsimo tũ Societatis ſpiritu, ſponte incenſos officio ac religione, eos mo-
res eamq; viuendi rationem inducere; vt (ſi cæleſtibus terrena cõparare fas eſt) intra il-
la tecta parietesque, angelorũ in humanis corporibus quidam conuictus videretur eſ-
ſe, nullæ tum querimoniæ, nullæ detractiones, nulli ſuſurri quibus incommodæ ſuſ-
piciones excitantur, & diſiunguntur animi; ſed acerrimum ſui cuiuſque deprimendi
ſubmittendique certamen; in ſuperiorum iuſſis excipiendis exſequendiſque alacritas
ingens; mirus in communicando interpretandoque candor atque ſimplicitas; oculo-
rum ac ſenſuum intenta cuſtodia; ſtudium precationis ac ſolidæ virtutis ardens; quæ-
que ex his rebus neceſſariò prouenit, admirabilis in magna nationum, ætatum, ingenio
rũ varietate concordia. Itaque coniectis, vt fit, omnium oculis in ordinẽ nouum; breui
non ad noſtros tantũ, verùm ad exteros etiam, ſalutaris exẽpli manare vtilitas cæpit. A-
doleſcens quidã, egregijs naturæ adiumentis, è Septentrionali plaga Romã aduenerat,
non modò Lutheriana tabe infectus ipſe, verũ etiam mirè cupidus eiuſdẽ longè lateq;
vulgandę. Is cũ ex occaſione ſeſe in hominũ cœtus inſereret, verbisque venenatis cleri- F
corũ vitam ac mores ſummam in inuidiam vocaret primùm, deinde abductis à ſacerdo
tum reuerentia mentibus praua dogmata ſenſim inſtillare quotidie pergeret; patefacta
re, iuſſu magiſtratuũ comprehenditur. qui cũ & ipſi per ſe, & ſacrę Theologiæ magiſtris
adhibitis, illum ab opinionũ inſania reuocare fruſtra conati eſſent; ne quid intentatũ
relinquerent, ætatem & ingenium miſerati, prius quàm in eum lege ageretur, accerſito
Ignatio rem totam exponunt. quoniam ipſorum neq; adhortationes, neque minę pro-
ficiant; habeat illum aliquandiu apud ſe, videat etiã atque etiam vt errantem ouiculam
ad Eccleſiæ caulas aliqua ratione traducat. Ille clemẽter acceptum hæreticum domum
adducit. neq; verò ſapiẽtes iudices fruſtrata ſpes eſt. ſiquidẽ adoleſcẽs ab Ignatio ſocijſ-
que amiciſsimè habitus; eorũ dictis, factis, & inſtitutis accuratè obſeruãdis paulatim af-
fici atq; immutari Dei beneficio eſt cęptus; & quam antea reſpuerat medicinam, liben-
tius in dies accipere: ac demu perſeuerantibus Patrũ officijs, & diligẽtiſſima curatione,
eò proceſsit res, vt euulſis lethalium dogmatũ fibris, priorem pertinatiam gemebun-
dus agnoſceret: nec ante à ſalutari incępto deſtitit, quàm volũtaria abiuratione deteſta
tus errores, ingẽti bonorum tum admiratione, tum gaudio, cum Eccleſia ſancta in gra-
tiam redijt. Is deinde, quærentibus viris grauibus cur qui antea tot machinis oppugna-
tus peruicaciſsimè reſtitiſſet, Ignatij deniq; & Patrũ hoſpitio & conſuetudine vinci ſe
paſſus eſſet; ſine cunctatione reſpondit, ſe illorũ non tam diſputationibus argumentiſ-
que (licet in eo quoque genere valerent plurimum) quàm ſpectatæ ſanctitati virtutiq;
ceſsiſſe: quòd ita apud ſe propè neceſſariò ſtatuiſſet: à tam incorruptis moribus, tanta
pace atque concordia, tam bonis operibus rectam in Deum fidem abeſſe nullo modo
poſſe.

A posse. Quæ res documento erit hominibus nostris; licet ad conuertendas ad Christum animas ingenij ac doctrinæ præsidia requirantur, tamen conspecta vitæ morũque innocentia plus multo quàm litteris aut concertationibus profici. Alius quidam filius familias, desertis liberalibus studijs, ac repudiata omni disciplina, prorsus indomitus & effrænis, cùm neque à parentibus iam, neque à magistris regi vllo modo posset: Ignatio traditur. cuius lenitate, itemque cæterorum Patrum præceptis atque institutis accuratissimè excultus, posita paulatim ferocia petulantiaque, cunctis admirantibus ita pudicos modestosque induit mores, vt vix minimum in illo vitium reprehenderes. Multi præterea omnium ætatum, atque ordinum, quos præceps in omnem licentiam natura cupiditasque corruperat, Ignatij consuetudine exemplisque incitati, collegere sese, atque ad bonam frugem Deo adiuúante rediere.

Generalis Ignatius denuò Catechistæ munere fungitur. Cap. XIV.

B PER eos dies nomen Societati dederat è Pontificia familia Petrus Codatius Laudensis, vir honoratus, & opulento sacerdotio præditus. Is, diuino prorsus instinctu, diuitijs & commodis omnibus propter Christũ abdicatis, Marthæ munus in Societate sibi vltrò depoposcit, & egregiè præstitit; in alimenta Patrum (erat autem Vrbe tota notissimus, & apud principes gratiosus) eleemosynis vndique corrogãdis. quæ res Ignatium & socios magna molestia liberauit; quippe quos in spiritualem proximorũ salutem omni studio intentos, temporariæ curæ ad eam diem valde impedierant. Eiusdem Petri opera templum etiam proprium Societas nacta est sanctæ MARIAE à Strata, non satis amplùm illud quidem, aut commodum, sed tamen in celeberrima Vrbis regione, & ad Societatis functiones in primis idonea: cuius loco, dum hæc scriberemus, Alexander Farnesius Cardinalis, Pauli III. Pontificis maximi nepos, ædem nomini IESV magnificentissimam regio sumptu exstruebat. Ei templo deinde adiuncta domus est, quam hoc tẽpore Patres incolunt, Philippi Archinti beneficio, Salassiorum Episcopi, qui tum Pontificis vices in diœcesi Vrbana gerebat, viri de Societate vniuersa in primis optimè meriti. In eo igitur templo Ignatius, professionis lege, sex & quadraginta diebus Christianæ catecheseõ operam dedit è loco superiore, magna & assidua non modò plebis, verùm etiam præstantium virorum frequentia: prorsus, vt quidam ex optimatibus palã gloriarentur, beatosque se ferrent, quòd nullam omnino ex Ignatij concionibus omisis-
C sent. Agendi autem rationem sequebatur eiusmodi. Fidei præcepta, & mysteria cognitu necessaria, primùm ad vulgi captum explanabat, iterabatque, vbi opus esset, eadem sæpius: deinde opportunis digressionibus certos interim locos tractabat fusius, nõ tam ad ingenij vel doctrinæ ostentationem, quàm ad pietatem excitandam, populumque permouendum accommodatos. idque tam veris grauibusque sententijs, tam ardenti vultu oculisque, vt diuini amoris ignem vndique spirare videretur, minimè fucatæ eloquentiæ vir, nec in singulas voces numerosque solicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulerat, sua sensa prosequentis. Itaq; perorationem eius, non ineptus populi plausus, aut stulta facundiæ commendatio sequebatur, sed alta suspiria gemitusque, & anteactæ vitæ detestatio salutaris: vt vel defixis humi oculis; tristes ac sibimet irati discederent, vel etiam illicò sese ad sacerdotum pedes abijcerent confitendi caussa, tanto cum fletu atque singultibus, vt linguam soluere, aut vocem in verba formare vix possent.

Societas augetur, distribuuntur prouinciæ.

Cap. XV.

INTER hæc Societas maiorem in modum crescere, sublatisque Pontificis decreto cancellis quos initio idem Pontifex (vt dictum est) illi probandæ præfixerat, multi certatim ad militiam spiritualem Ignatio dare nomina. Cumq; noui ordinis fama, bonusq; odor instituti operis manaret quotidie latius; Patres varijs orbis terræ locis vehementer expetebantur. Itaque ab Romana domo tamquam à metropoli, disiunctissimas in regiones, ciuitatum Regumque inuitatu missæ coloniæ; domusque vel collegia ingenti approbatione constituta: primùm omnium in Lusitania, atque adeò in ipsamet India, sumptu ac munificentia Regum Lusitaniæ; tum aliorum pietate in Hispania, Gallia, Germania, Italia. sed cùm aliæ pleræque nationes auidè Societatem amplexæ sunt, tum verò Sicilia & inuitauit perhonorificè, & permissu Pontificis maximi acceptam, in primis copiosè ac benignè tractauit; adnitente præsertim Ioanne Vega Hispano (qui regnum illud pro Cæsare administrabat) præstanti non minus religione, quàm prudentia viro; cuius, etiã antea, dum Romæ legatus Cæsaris ageret, plurima & maxima in Ignatium & socios egregiæ cuiusdam beneuolentiæ documenta cõstiterant. Itaque tam latè iã fusa Societate, nõ modò collegijs domibusve rectores præficere, vt antea, sed etiã Prouinciales præpositos quos appellãt, cum ampla potestate in singulas nationes describere coactus Ignatius est. Ac primùm Lusitaniæ præposuit Simonem Roterigium, deinde Hispaniæ Antonium Araozium Cantabrum, Italiæ Iacobum Lainem, Indiæ Franciscum Xauerium, Germaniæ Petrum Canisium, Galliæ Paschasium Broetium, alijsque deinceps alios. Nam vrbanam prouinciam, nisi si quando grauiori valetudine premeretur, ad extremum vsque ipse administrauit. Interea de Societatis vniuersæ progressu mirè solicitus, à singulis Prouincialibus per litteras pẽsum exigere; vnicuique mandare diligentissimè quæ è re cõmuni essent: Romæ verò, præter domesticæ disciplinæ curam, de qua dictum est, cæteraque functiones, multa & grauia quæ ad incrementum ac defensionẽ catholicæ fidei pertinerent, partim cũ summo Pontifice, Cardinalibus, Legatisque Principum coram, partim etiam cum ipsis Regibus atque Principibus per epistolas interpretes agere. Accedebat ad hæc, solicitudo ingens, atque indefessus labor in subleuandis pauperum difficultatibus; orborum orbarũque educatione ac pudicitia procuranda tuendaque; & perditis mulierculis à turpi quæstu ad frugem & continentiam traducendis.

Variæ in Ignatium tempestates excitantur.

Cap. XVI.

QVIBVS ille rebus dum CHRISTI causſam agit intrepidè, multorum, vt fit, odia simultatesque contraxit. In ijs aulicus quidam (cuius nomini parcitur) eo tempore potens & gratiosus, cùm abductam à se mulierculam, quam miserè deperibat, & in malè nuptarum, vt appellant, cœnobio collocatam ferre non posset: sæuiore in dies concepta rabie, quam libido & amor incendebat, ita demũ exarsit: vt pæne furere videretur. Ac primũ, facta manu, fenestras cœnobij lapidibus petere, custodes infestare, minari: deinde in Ignatium auctorem, & socios, in circulis cætibusque omnia maledicta conferre, quin etiam ex occursu probris & contumelijs eosdem incessere: denique ad eos funditus euertẽdos improbissimas in ipsorum vitam calumnias dissipare: quæ domos primùm nobilium circumlatæ, celebratæque sermonibus (quos partim prona in deterius persuasio, partim væsani illius artificium dolorque excitabat) ad Cardinales etiam, atque adeo ad ipsum Pontificem peruenerunt.

A nerunt. Igitur vulgus, vt est pluma & folio leuius, quos nuper summa cum approbatione suspexerat, eosdem repente contemnere, & acerbiore in dies odio exsecrari, & singulorum caput dira imprecatione defigere; prorsus vt iam non modò cum proximis agere, sed ne pedem quidem ianua tuto efferre possent. Principes verò, licet magna ex parte fictas criminationes putarent, tamen rati subesse profectò nescio quid, quod tantæ inuidiæ flammam foueret; vel immutata, vel certè labefactata in Ignatium volũtate videbantur. At Ignatius, quamuis à sua suorumque consuetudine multos abduci nón sine rei Christianæ iactura cerneret; tamen ratus mitigari hominis ferociam posse, primò rem dissimulare, atque adeo officijs cum improbitate certare: deinde vbi malum serpere quotidie latius, & ipsa patientia corroborari audaciam sensit; non tam priuato dolore, quàm rei publicæ detrimento permotus, ad Summum Pontificem adijt, ab eoque suppliciter impetrauit, vt criminum, quæ sibi suisque denuo objcerentur, acre iudicium exerceretur ab Archinto Vicario, & Francisco Michaelio Vrbis præfecto. Ij, citatis omnibus ad quos criminum vel suspicio vel conscientia pertinebat, ac per diligentem inquisitionem calumniatoris fraude comperta, Ignatium & socios non modò absoluerunt lata sententia, sed etiam debitis laudibus & honore verborum extulerunt,

B increpito valde aduersario, pœnaque proposita non leui, nisi à petulantia maledictisq; desisteret. nam, ne grauius in eum animaduerteretur, Ignatio in primis deprecatore perfectum est. ita, quod anteà semper, tum quoque Ignatij sanctitatem illustrauit hominum iniuria: & Deo duce, virtus ac veritas, dum violatur, effulsit. Ijsdem ferè insidijs postmodum appetitus Ignatius est à sacerdote quodam, qui cùm domum catechumenorum administraret, ferre non poterat in ea regenda familia maiorem à loci præsidibus Ignatij rationem haberi, quàm sui. Sed miser, Ignatio silente ac pro eodem orante, breui perfidiæ pœnas dedit. atrocibus enim anteactæ vitę sceleribus iusto Dei iudicio patefactis, quæ ad eam vsque diem astutè suppresserat; sacerdotio spoliatus, & perpetuo carceri addictus est.

Regimen fœminarum à Societate depellit Ignatius. Cap. XVII.

C INTEREA Elisabetha Rosella Barcinonensis, quæ Ignatij prima litterarum studia fouerat, Societatis IESV coalitæ, & confirmatæ fama cõmota, Romam ex Hispania contulit sese, partim vt Ignatium longo interuallo reuiseret; partim etiam vt vnà cum quibusdam alijs pijs fœminis ad normam illius atque præscriptum ageret vitam. Atque Ignatius quidem, sospitem aduentum mulieri de se optimè meritæ gratulatus est, & omnia officia detulit quæ saluo religionis instituto præstare posset: curam verò fœminarum suscipere sese negauit posse, plurimis grauissimisque occupationibus impeditum. At illa nihilominus instare; sanctissima veteris amicitię iura testari; postulati æquitatem obtendere: denique vbi magis magisque obfirmatum vidit Ignatium, ad aulicas confugit artes: atque vt erat nobili nata loco, per viros principes facile tenuit vt Pontifex maximus Ignatio munus idipsum quod recusabat, iniungeret. Sed ea res magnum in Societatis commodum vertit, præter spem: ac nostros, non solùm in præsens, verùm etiam in posterum à tam periculosa prouincia liberauit. Etenim Ignatius, Pontificis iussu ea procuratione suscepta, paucis diebus tantam difficultatem ac laborem sensit, dum querimonias mulierum audire, superstitiones euellere, inanibus & curiosis quæstionibus respondere identidem cogitur; vt pæne plus ei negotij paucæ fœminæ, quàm Societas vniuersa faceſſeret. Itaque licet Elisabethæ, pro eius in se promeritis gratificari admodum cuperet, tamen reputans apud se, quantum ex huiusmodi tricis detrimenti respublica pateretur, simul etiam cogitans fore vt harum exemplo aliæ deinceps religiosæ mulieres virgineſve idem à Societate in posterum expeterent; nequaquam ignarus quàm periculosa, & suspicionibus plena sit ea consuetudo; priuati officij rationem posthabere communi vtilitati, ac totum hoc genus administrationis à Societate prohibere omni ratione constituit. Igitur adhibita (quod in omnibus grauioribus caussis faciebat) præparatione diligenti;

diligenti,imploratoque per iteratas preces & hostias cælesti præsidio, ad Pontificem D
accessit,verbisque supplicibus demonstrauit, ex onere sibi nuper impositò, quàm exiguo cum fructu quantum laboris ac molestiæ pertulisset.ea ipsa re monitum quàm aliena sit à Societatis instituto eiusmodi præfectura, petere se & orare, vt non ab illis modò,sed ab omnibus in perpetuum fœminarum collegijs gubernandis immunem Societatem esse iubeat;non defuturos aliorum ordinum idoneos homines, qui id munus libenter & cum fide obeant:sibi quidem & suis,prouinciam videri minimè accommodatam.neque verò æquum esse,qui sese ad omnium gentium auxilium,sine vlla regionum aut locorum exceptione, CHRISTI Vicario mancipauerint, eorum operam & industriam,non sine graui communis rei damno,paucis regendis mulierculis implicari.Quibus rationibus ita permotus est Pontifex, vt supplicanti omnia largè ac prolixè concesserit.Itaque Societati ab eiusmodi munere vacatio in perpetuum data,eiusque vacationis auctoritas testata est trinis deinde litteris Apostolicis, quæ tempore procedente magno vsui fuere nostris hominibus ad eius generis pericula & molestias abigendas.

Honoribus in Societatem nostram Ignatius aditum obstruit. Cap. XVIII. E

AT QVE ijs difficultatibus perfuncta Societas, prosperũ Dei beneficio cursum tenere videbatur, cũ noua rursus in eã coorta tẽpestas est,eò quidẽ grauior & periculosior,quò in spe ciem lenior blandiorque. In ijs, qui per Germaniam varijs locis Domini vineam excolebant, Claudius Iaius è primis Patribus vnus,virtutẽ & sanctitatem suam cũ genti vniuersæ,tum Romanorũ Regi Fernãdo ita probauerat, vt eo Rex nullum prorsus ad curãdas animas, atq; ad pastorale munus aptiorem existimaret.Is pro sua sapiẽtia cùm præclarè intelligeret,regni caussam cùm caussa religionis ita esse coniunctam,vt quantum de catholica religione detraheretur,tantum de obsequio multitudinis,& de imperij maiestate decederet; contra sæuientem eo maximè tempore Luthenianam pestem,velut vnicum remedium,quàm optimos animarum pastores & Episcopos omni diligentia conquirebat.Igitur vita functo per eos dies Tergestinorum Epi- F
scopo, quæ ciuitas est Istriæ(cui tum prouincię, quam dixi lues, propter vicinitatem Germaniæ imminebat) circumspectis diligenter omnibus & personis & rebus,deniq; ecclesiam illam Claudio Iaio perspectæ sibi virtutis & doctrinæ viro tradere ac demandare constituit. Sanè,vt vulgo expetuntur huiusmodi sacerdotia,minimè timendum videbatur esse, ne delatum vltro præsertim honorem Claudius repudiaret: siquidem Tergestina cathedra cùm in primis eius regionis ampla & honorifica est, tum verò (quod potissimum hodie quęri solet)vectigalibus haud sanè contemnendis instructa. Verumtamen Rex,ne quid inscio Claudio cum Pontifice maximo ea de re transigeret; primùm omnium litteras ad ipsum Claudium dat, Tridenti per id tempus rei Christianę caussa commorantem,ac nihil cogitantem minus. quarum erat sententia, Tergestinum gregem orbum spirituali custode, circumquaque frementibus lupis, in maximo versari discrimine; dignam esse vigiliam caritate Iaij, studioque hominum seruandorum;petere se,vt si à Pontifice maximo id ei muneris onerisve imponatur, ne recusset subire; & populo vtilem, & sibi gratam operam vehementer fore. Perculsus inopinata re Iaius, primò cohorruit: non quòd detestandum quid sibi oblatum putaret,sed quòd Episcopus, qua curam gerit animarum,diuinam pæne virtutem, & omnibus numeris absolutam postulet sapientiam:qua gradus honoris est (& quidem ad continendam in officio multitudinem fermè cum splendore opibusque coniunctus) à spiritu humilitatis ac paupertatis, quem profitetur Societas IESV, vehementer abhorreat.deinde, vt se se ex pauore collegit, fusus in preces lacrymasque, etiam atque etiam obtestatus est Deum, vt ab se tantum discrimen auerteret; neu se primum quasi ianitore specioſos titulos honoresve in Societatem ad id tempus intactam inuehi sineret. tum rescripsit ad Regem, multis rationibus ei suadens, vt tam honorifico iudicio decoraret ali-

A ret allum digniorem;lõgè imparem ſuam imbecillitatem eſſe oneri: ac demum ita con cluſit epiſtolam, vt omiſſis ambagibus, quod petebatur,præcisè negaret. Quæ res iam ſatis incenſum ſtudium Regis, multò vehementius inflammauit, quòd ita ſtatueret, tantam in ſumma virtute & eruditione modeſtiam,nequaquam priuatæ vitæ quaſi tenebris deliteſcere,ſed in editiſsimo faſtigio, vt luceret omnibus, collocari oportere. Ergo cùm ex litteris Claudij diffideret, vllis aut precibus aut promiſſis flecti eius animum poſſe; per Pontificem ipſum,inconſulto vltra Claudio,rem conficere ſtatuit. Ad eum igitur quàm accuratiſsimè ſcripſit,quanto in periculo Tergeſtina ciuitas verſare tur Epiſcopo deſtituta:ſe quidem pro ſua parte diligenter circumſpexiſſe, quem nominaret aptum ei muneri; nec vllũ inueniſſe aptiorem Claudio Iaio, Societatis Iesv presbytero, cuius innocentiam doctrinamque exquiſitam plurimis rebus eſſet expertus; ſed fruſtra per litteras tentaſſe eius animum, in ſtudio Chriſtianæ humilitatis ita defixum, & ab honorum inſignibus admittendis vſque adeo alienum, vt niſi pro poteſtate cogatur, nulla ſit ſpes laborantis illius eccleſiæ tam opportuno præſidio ſubleuandæ. proinde ſuppliciter ſe etiam atque etiam orare & obſecrare, vt Claudium pro imperio iubeat, delata ſibi gubernacula munusque ſine tergiuerſatione recipere,quoniam vt quiſque de ſe ipſe minimè alta ſentiat,ac proinde ſtudiosè lateat, ita eccleſiaſticis functionibus & ipſo epiſcopatu digniſsimus ſit. Hæc igitur,& alia id genus mul-

B ta, ad Pontificem.& ſimul Didaco Laſſo mandat oratori ſuo, vt idipſum & cum Pontifice,& cum quibus opus fuerit,quàm diligentiſsimè curet, prorſusque conficiat. Eius rei fama cùm per aulicos quoſdam ad Ignatium perueniſſet;primò haud ita ſanè commotus eſt.nam & Claudij conſtantiæ, & Pontificis æquitati ac ſapientiæ confidebat;& eiuſmodi petitiones iam ante Societas, Deo adiutore, non ſemel illuſerat. Verũtamen vt quid eſſet rei clarius cerneret; continuò Bernardinum Maffeium (qui tum erat Pontifici ab epiſtolis,ac poſtea in Cardinalium numerum cooptatus eſt) vltro conuenit,ac tota de re familiariter pro amicitia ſciſcitatur. Ille haud ſanè grauatè ipſam epiſtolam Regis oſtendit,ad Pontificem ſummis cum Claudij laudibus & vehementi contentione perſcriptam. qua lecta confeſtim Ignatius eadem de cauſſa ad Regis oratorem Didacum Laſſum adit; qui litteras item ad ſe propriè datas demonſtrat, & quidem magna ex parte ipſius Regis chirographo, etiam atque etiam poſtulantis mandantisque, det operam, vt Epiſcopatus ab ſe in Claudium collati primò quoque tempore auctor fiat Pontifex maximus,eiuſque auctoritatis diploma ritè confectum ad ſe tranſmittat.His cognitis Ignatius, vbi tam iniquo loco rem vidit eſſe,pertimuit; ſed ita, vti nequaquam animo caderet.ac licet ſe talibus aduerſarijs longè imparem ſciret eſſe, tamen fiducia numinis omni ope ſibi contra nitendum exiſtimauit. atque in

C præſentia Didaco ſuadere conatur, vt ab actione rationi Societatis tam aliena deſiſtat ipſe,& ſimul ab ea mente Regem aliquo pacto deducat.quibus verbis cùm nihil proficeret,quin potius ab homine rideretur,domum regreſſus quàm intentiſſimas preces & ſacrificia de more ſuis indixit:deinde nactus opportunitatem, facilemque aditum, Pontifici demonſtrauit quanto res ea damno eſſet futura & Societati noſtræ priuatim,& Eccleſiæ vniuerſæ communiter. non quo dignitatis gradus ac tituli ipſi per ſe mali atque improbandi ſint,quippe ad Eccleſiam regendam & ordinum diſcrimina retinenda inducti diuinitus:ſed quod & perfectos viros requirant,quales pauci admodum omnibus ſæculis exſtiterint, & inſuper ab huius minimæ Societatis inſtituto valde alieni eſſe videantur.Etenim quibus artibus,quove ſpiritu excitata & conflata ſit, eodem profectò alendam & conſeruandam eſſe:non amplitudinis & ſplendoris nimirum,ſed humilitatis & parcimoniæ. Quòd ſi aditus in Societatem honoribus pateat; multum vtique de vera caritate imminutum iri, quæ nihil omnino habet in vita propoſitũ,niſi vnius gloriam Dei. nam (vt ſunt hominũ ingenia) & complures fortaſſe ad hãc religionẽ acceſſuros opũ cupiditate magis,quàm diuini obſequij ſtudio:&qui nuper adſcripti ſint,magnitudine laboris, & diſciplinæ aſperitate defatigatos, vt primũ prẽsẽtis prẽmij commodũ affulſerit,mutato repẽte curſu,nouæ ſpei velificaturos.atq; vt maximè in officio cũcti perſiſtãt;tamen niſi præſenti iacturæ eatur obuiã,ſine dubio Societati exitialem (quod Deus auerteret)exitũ imminere.Id adeo vel inde facilè perſpici poſſe,quòd paucis illis annis,quattuor viris ex ea familia p̃cipuis totidẽ Epiſcopatus delati ſint,quos niſi fortiter ab ſeſe Patrũ virtus & cõſtãtia reieciſſet,videlicet alio deinceps atq; alio dilabente,breui miſeram Societatem ipſis luminibus carituram

fuiſſe.

fuisse. Atque hæc, quod priuatim ad conseruationem ipsius religionis attineat. Iam, si communem spectemus vtilitatem, nemini dubium esse quantum ex ea re detrimenti res publica perceptura sit. nihil enim omnibus ætatibus æquè deplorandum fuisse, atque in tanta messis copia tãtam operarum inopiam: atque ex ea ipsa paucitate, qui vni cuipiam agro addicti affixique sint, longè minus vtique perficere, quàm qui Apostoli co ritu soluti ac liberi omnes ecclesias peruagentur, ad eamq; potissimum reipublicæ Christianæ partem subleuandam accurrant, quam maximè laborare cognouerint. Præterea, ad faciendam, populis fidem, & animos permouendos, nihil esse efficacius vitæ ac morum exemplo. itaque adhuc Societatem (absit verbo inuidia) Ecclesiæ non mediocriter profuisse propterea quòd minimè ab eius dictis facta dissenserint. nunc autem, si ad id fastigiũ extollantur Patres, quomodo fieri posse, vt apud multitudinẽ insciã arcanorũ, ambitionis ac leuitatis crimẽ effugiant? qua porrò fronte, quo vultu, repẽte aucti ac decorati ipsi honorum insignibus, de imitatione CHRISTI, de fugienda gloria, de voluntario sui contemptu ac submissione verba facturi sint? Hisce, alijsque de causis Pontificem maximum etiam atque etiam obtestari atque obsecrare, vt quam Societatem primus auctoritate & benignitate sua cõfirmauerit, ornauerit, auxerit, eamdem ab omni suspicione incommoda velit esse liberam, suaque in eam beneficia tam periculoso præsertim tempore tueatur. Audijt Ignatium Pontifex perbenignè, vt solebat; sic tamen, vt integritatem hominis admiraretur potius, quàm consilium approbaret. Itaque collaudata initio ipsius fide ac probitate, sensim flexit orationem, & contra sententiam Ignatij cùm alia multa disseruit, tum verò ex veteri oraculo: Cor, inquit, regis in manu Domini: quasi diceret, in Claudio eligendo tantam Fernandi Regis contentionẽ plane diuinitus exstitisse; ac proinde clariorem esse numinis voluntatem, quàm vt obsisti vltra oporteret. Quæ cùm Ignatius grauiter ac dolenter accipere videretur; Pontifex, qua erat lenitate, ne Dei famulum tristem ac mœrentem ab se dimitteret, ad extremum iubet illum super ea re amplius consultare, precesque ad Dominum fundere; se quoque idem esse facturum. Interea Didacus orator negotium vrgebat acerrimè. iamque instabat dies, quo die in Senatu de Tergestina ecclesia referendum erat. qua re Ignatius cognita, confestim Cardinalium pæne omnium domos, quarum erant multæ longis interuallis inter se disiunctæ, ingenti diurno & nocturno labore circumijt, singulis eadem illa ferè proponens, quæ paulo ante Pontifici maximo. Sed videlicet eorum mentes iam ante occupauerat orator. Itaque mirè obfirmatos offendit in Claudij electione approbanda; partim quòd tanti Regis voluntati fauerent; partim etiam quòd vigiles & custodes Claudij maximè similes, tam formidoloso tempore, in Ecclesiæ propugnaculis atque speculis ipsimet collocandos putarent. Hac quoque spe deiectus Ignatius, vnum reliquum videbat esse remedium, si Fernandum ipsum Regem à suscepto consilio per litteras auocaret, quem pro ipsius pietate virtuteque ita in se suosque animatum nouerat, vt minimè dubitaret, quin cognita re salutem Societatis, Tergestinorũ rationibus antelaturus esset. Sed ne illa quidem ratio habebat exitum: quippe insequenti luce de Tergestina cathedra Senatus erat futurus. Ignatius igitur exclusus angustijs temporis, numquam intermissis ad Deum precibus, quasi ad extremũ in rebus humanis perfugium sese contulit ad Margaritam Austriacam Cæsaris filiam, de qua supra dictum est, fœminam per id maximè tempus gratia & opibus florentissimam. Hanc pro spiritali necessitudine (erat enim illi à confessionibus) edoctam quanto in periculo Societas esset, infimis precibus obsecrat, vti Societatis causam in se recipiat; & imminentem relationem auctoritate sua interposita tamdiu differat, quoad Regem ipse per epistolã alloquatur, & ab eo responsum accipiat. Fecit illa quod rogabatur, & illicò datis ad Pontificem codicillis, optatam dilationẽ impetrauit. ea demum res aliquid laxamenti dedit Ignatio. etenim spatiũ nactus, ad Regẽ scripsit litteras, deprecationis & querimoniarum plenas; illum etiam atque etiam per Christũ obsecrans, ne Societatem nuper ad gloriã Dei tanto labore conflatam, sine causſa perditũ iret; non ita de ipsius maiestate, regnisque & se & socios esse meritos, vt ab eo nulla eorũ existimationis, famæ, salutis deniq; ratio habenda esset. non defore idoneos viros, qui rẽ Tergestinam capessant, sineret modò sui ordinis homines qua cæpissent paupertatis & humilitatis via, ad Christi gloriam, & salutem animorum sine offensione pergere. id si (vt sperabat) permitteret; sese & socios immortali beneficio Regi obstrictos fore, precesque pro ipsius maiestate saluteque numquam intermissuros. Hisce alijsque id genus incensis officij

religione

A religione rationibus precibusque minimè restitit Rex: & quamquam inuitus, tamen suis rationibus amicorum vtilitati posthabitis, quod vix fieri videbatur posse, per epistolam iussit oratorem suum ab instituta, vel potius pæne confecta actione desistere. Quæ res vulgata, & Pontificem maximum facilè in Ignatij sententiam adduxit; & Ignatium ipsum ac socios affecit ingenti lætitia. Itaque & in posterum supplicationes decretæ, & in præsentia solemnis hymnus in gratiarum actionem publicè persolutus est. Ac pari deinde constantia sese Ignatius idem opposuit, cùm nostris hominibus pinguia sacerdotia, quibusdam verò Cardinalatus etiam deferretur, ac nominatim Francisco Borgiæ Hispano dynastæ, qui amplissimis in eo regno perfunctus honoribus, diuino instinctu post vxoris obitum rebus mortalibus valere iussis, & sponte deposito Gădiensi Ducatu, magna hominum admiratione Societati se addixerat. Quamquam in Aethiopica legatione, quæ postmodum Lusitaniæ Regis rogatu à summo Pontifice nostris iniuncta est; cùm ad eam functionem Ecclesiasticæ dignitatis insignia, & honorũ tituli necessario quærerentur, imperanti pro potestate Vicario Dei, resisti non potuit: præsertim cùm periti rerum æstimatores argutè cõijcerent, nouam hanc manum, non ad opes & copias, verùm ad labores & aperta vitæ pericula destinari.

B

Confirmatur à Iulio III. Societas.

Cap. XIX.

POST hæc, Paulus III. Pontifex maximus, senio curisque confectus, è vita migrauit, comitiaque nouo creando Pontifici, in magna studiorum ac voluntatum varietate in aliquot menses extracta sunt. Quo ipso tempore cũ Vrbs, vt in diuturno interregno, annonæ difficultate vehementissimè laboraret, nostrisq; numero in dies auctis, extrema fames adesse videretur; Ignatius cùm aliorum, tum præcipuè sacri Collegij Cardinalium eximiam in se, suosque benignitatem expertus est. quippe in summis occupationibus Patres augustos pia nostrorum hominum recordatio subijt: communique consilio ad eorum inopiam subleuandam non leuis pecuniæ summa ex ipso Conclaui transmissa est: enixè in primis fauente atque adiuuante Rodulpho Pio Carpensi, quem Ignatius iam ante sibi socijsque patronum ac protectorem, vt appellant, è summi Pontificis auctoritate delegerat. Ac rebus diu multumque
C agitatis, Pontifex denique declaratur Iulius eo nomine tertius, qui quòd in Synodo Tridentina Legatus Fabrum, Lainem, & Salmeronem Theologos Apostolicos familiariter nouerat, multaque tum ex ijs, cùm ex alijs de Societatis instituto didicerat; Ignatio supplicanti multa in societatis incrementum ac rem, admodum liberaliter tribuit; nec enim solum prioris Pontificis de ordine nostro iudicia & acta, firma rataque voluit esse; verum etiam eumdem ordinem nouis insuper ipse testimonijs atque decretis ornauit. Cuius rei publica diplomata exstant verbis amplissimis.

D

Magiſtratu ſeſe abdicare conatur Ignatius.
Cap. X X.

HIS CE rebus ita peractis, cùm ſatis in præſentia communi rei conſultum eſſe videretur; Ignatius qua erat humilitate, vigiliam ſuam alteri tradere, ſeque Generalatu omnino abdicare conſtituit. Igitur Patribus quotquot communis rei cõmodo potuit, Romam euocatis; cùm in conſilium conueniſſent; ne, vt olim, ſibi fortè coram dicenti reclamaretur, per epiſtolã diſertis verbis expoſuit, ſe, qui vitia noſſet ſua, & initio inuitum, atque adeò coactum, Societatis gubernacula recepiſſe; & nunc grauiore etiam valetudine ętateque, multo minus idoneũ eſſe tanto muneri. proinde per Chriſti Domini ſanguinem petere atq; obteſtari ſeſe, vt ſine vllo ſui reſpectu, cõmuni vtilitati proſpiciant, & quamprimùm ſibi ſufficiant virum & animo & corpore firmiorem. Id quò liberius faciatis, inquit, Ego in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, v- « nius Dei ac creatoris mei, depono Generalatum ſimpliciter & abſolutè, meque abdico « hoc munere, priuoque; & omnibus animæ meæ viribus obſecro tum profeſſos omnes, « E tum ſi quos profeſſi adhibere ad hanc deliberationẽ volent, vt huic meo tam iuſto de- « ſiderio faueant, piamque oblationem libenter admittant. Hac epiſtola recitata, mag- « nus animorum motus eſt factus, cùm partim viri modeſtiam ac ſubmiſſionem ſatis admirari non poſſent, partim etiam pro ſe quiſque metueret, ne quis alius fortaſſis Ignatij voluntati aſſentiretur. Verùm vt ad ſuffragia ventum eſt, idem planè conſenſus omnium in eo retinendo exſtitit, qui olim fuerat in eligendo: & enixè petenti, præcisè negatum. Denique per internuntium iuſſus Ignatius alia omnia cogitare: etenim ſe quidlibet potius, quàm alium gubernatorem ipſo viuente paſſuros. Atque hæc communiter dimiſſo deinde cœtu, priuatim ſinguli cum eodem expoſtulare, quòd ab inceptis deſiſtere, quòd vixdum conſtitutam Societatem, omnique cuſtodia egentẽ, quaſi durus pater teneram adhuc filiam deſerere conaretur. Pergeret porrò, & publicam rẽ ordinaret, legeſq; perſcriberet: Deum, cuius manus alligata non ſit, in poſterum quoq;, ſicut antea, pijs ipſius conatibus adfuturum. Itaque Ignatius, quamquam inuitus, & religioſæ quietis, vitæque priuatæ auidiſſimus, tamen ne minus dicto audiens videretur eſſe, Patrum auctoritati ac precibus denique ceſſit, ſeque ad inſtitutum opus legum ſcribendarum quàm diligentiſſimè retulit. Ac primùm, vnius Dei gloria, ſaluteque animorum ſibi propoſita, Societatem vniuerſam, quò facilius adminiſtratio tota F conſtaret, certas diuiſit in claſſes: prouiditque quãtum ingenio & cogitatione aſſequi valuit, cùm vt cæteris vitijs, tum verò vt ambitioni & auaritiæ, quæ duæ pernicioſiſſimæ ſunt mortalium peſtes, omninò obſtrueretur aditus: veræque humilitati & paupertati, quàm maximus & maximè diuturnus honos ab omnibus haberetur. Ad hæc, rationem Præpoſiti Generalis creandi, necnon priuatam ac publicam diſciplinã, quæque alia cœtibus hominũ regendis vſui ſolent eſſe, præſcripſit. Nec modò maiora, ſed minora quoque miniſteria curationesve, certis legibus ac præceptis quàm accuratiſſimè perſecutus eſt. Has deinde leges, quamquam longo tempore, ſummaque cura elaboratas & conditas, non tamen continuò pertulit, ſed per idoneos homines tota Societate promulgandas curauit, vt vſu ipſo, & magiſtra rerum experientia probaretur, ſatis ne ad Societatis propoſitum, atque ad Apoſtolicam inſtituti formulam conuenirent. neque ante ratas fixaſque voluit eſſe, quàm in proximo conuentu Patrum tota re agitata & planè perſpecta, legitimè ſancirentur. ijſdemque Patribus deinceps addendi, moderandi, immutandi, ac demendi prout expedire videretur in Domino, plenum ius ac liberam poteſtatem reliquit.

Societa-

A

Societati in Hiſpania valde laboranti ſuccurrit.

Cap. XXI.

PER idem tempus Societas, videlicet ne lætiore ſucceſſu intumeſceret, vel ad otium ignauiamque delaberetur, varijs in Europæ regionibus diuino permiſſu vehemẽter exercebatur, idque partim ab inuidis & obtrectatoribus, partim etiam ab ijs, qui temporibus ita periculoſis tã inſolitam concionum frequentiam, tam aſsiduam Sacramentorũ administrationem, & reliqua inſtituti noſtri munera, genusque doctrinæ ſuſpectum haberent. Quo in numero in alijs prouincijs alij, ſed in Hiſpania vel acerrimus noſtrorum inſectator exſtitit Ioãnes Siliceus Archiepiſcopus Toletanus. Is cùm à cæteris Societatis noſtræ miniſterijs valde abhorreret; tum Exercitiorum ſpiritualium, quibus noſtri eo tempore vel maximè in erudiendis hominibus vtebantur,
B nomen ipſum pati non poterat. Compluti verò, in ſua diœceſi, piorum ciuium liberalitate Collegium Societatis IESV repente excitatũ, quò academia illa pæne tota confluere, ita ægrè ferebat, vt de noſtris è ſua ditione pellendis, toto animo dies noctesque cogitaret. Sed cùm in ipſos palam impetum facere vereretur, partim ſpectata vitę innocentia, partim etiam virorum principum gratia, & ſummi (quod caput eſt) Pontificis auctoritate ſubnixos; iracundiæ ſuæ fulmina in populares ſuos, familiares noſtros, apertè contorquet. Ac primùm, quod è ſuo clero complures noſtra diſciplina ac meditationibus imbutos eſſe cognouerat; edicto minaci, iuris in Eccleſia Toletana dicundi poteſtate priuat ſacerdotes eos, qui è noſtra formula ſpiritualibus exercitationibus operam dediſſent. deinde, præſenti anathematis pœna propoſita, vetat in academia Complutenſi omnino quemquam à noſtris hominibus Eccleſiæ ſacramenta ſuſcipere. Quæ res, vtpote inſigni infamia, varios illicò rumores hominum Hiſpania pæne tota commouit: cùm alij noſtrorum acta, mores, inſtituta defenderent; alij contra, non ſine graui aliqua certaque ratione tantum Antiſtitem ita de Societate ſtatuiſſe diſputarent. Noſtri, quamuis Dei clementia, & conſcientiæ teſtimonio freti, re tamen tam atroci, tamque inopinata perculſi, angebantur animo; neque tam ignominia ſua, quã Eccleſiæ damno permouebantur, quod ex tanta hominum alienatione, tantisque calumnijs imminere neceſſariò videbatur. Itaque cùm obſecrationibus & ſacrificijs, & voluntaria corporum caſtigatione cæleſte numen de more propitiaſſent; per communes amiC cos Archiepiſcopum docent, nihil ab ſe vel contra Eccleſiæ rẽ, vel contra ipſius Archiepiſcopi dignatatẽ eſſe cõmiſſum, cur in rebus diuinis occupati, & nihil niſi Dei gloriam, & proximorũ ſalutem ex Apoſtolica auctoritate quærẽtes, tantis iniurijs affici, præſertim indicta cauſſa, debuerint. Si quid ſecus ab inimicis ad eum delatum ſit, ſe ad purganda crimina, atque ad omnẽ ſatisfactionem in Domino paratos eſſe: tantũ ab eo ſuppliciter petere, vti conceptã iram, ad cauſſam vſque cognitã, pro ſua ſapientia ac pietate ſuſtineat. Cũ ille nihil idcirco de acerbitate remitteret, ſatiſque appareret, noſtri nominis odiũ altius in eius animo inſediſſe, quàm vt euelli, aut mitigari vlla ratione poſſet; Ignatij voluntatem atque conſilium per litteras quàm primùm exquirunt. Ille, circumſpectis rebus omnibus, Deumque per ſe ſuoſque enixè precatus, vt ea res ad ipſius gloriam, ſalutemque animarũ, bene ac feliciter eueniret; ſine vlla dubitatione, ſi Archiepiſcopus in incæpto perſiſtat, iubet noſtros ad conſilium Regium prouocare; litteras Apoſtolicas proferre: Societatis cauſſam cum Chriſti cauſa coniunctam æquè moderatè ac fortiter agere. ipſe interea ad Pontificem adit ſupplex; Archiepiſcopi factum exponit, ſummi tribunalis opem & auctoritatem implorat, ſine vlla tamen grauiore querimonia vel exaggeratione verborum. Ac noſtri quoque in Hiſpania ex Ignatij præcepto rem ad conſilium deferunt: Pontificia diplomata, & iura Societatis legitima oſtendunt: obſeptum ſibi aditum ad proximos adiuuandos expoſtulant. Quæ cùm nulla ipſorum culpa ab Archiepiſcopo acta eſſe conſtaret: eum denique exitum habuit res, vt & Regij conſilij decreto, & acri Pontificis obiurgatione, Archiepiſcopus edicta ſua reuocare, noſtroſque omni moleſtia atque ignominia liberare coactus ſit. Quæ res læ-

titiam bonis omnibus attulit eò maiorem, quò magis de noſtra exiſtimatione ac fama ſoliciti fuerant. Atque haud ita multo poſt; Archiepiſcopo vita functo, noſtri à Toleta na ciuitate benignè inuitati, & in ijs ipſis ædibus publicè collocati ſunt, quas idē Archiepiſcopus paulo ante clericis quibuſdam ædificauerat. vt ab ijs qui diuinam prouidentiam ex rerum humanarum euentis obſeruāt, non ſine cauſſa animaduerſum fuerit, omnes tanti Præſulis in Societatē impetus & conatus eò denique recidiſſe, vt cùm maximè noſtros, opinionis errore deceptus, ex vniuerſa Hiſpania pulſos cuperet, tūc ipſum in ſua Toletana metropoli domū illis exſtrueret, ornaretque. Eiuſmodi fuit igitur Hiſpanienſis illius procellæ tranſitus. Ac pari felicitate in alijs quoque prouincijs coortæ in nos tempeſtates, Ignatij lenitate prudentiaque ſedatæ ſunt: ac Dei beneficio vbique fere Societas maiora in dies incrementa capiebat.

De Iulij III. obitu; & de Marcelli II. in Ignatium noſtroſque beneuolentia. Cap. XXII.

INTER hæc Iulius anno Pōtificatus quinto demoritur: cui Marcellus Ceruinus Politianus ingēti bonorum omnium gaudio ſuffectus eſt. quidquid enim erat ſpei de publicis rebus, id pæne totum eius Pontificatus annis vulgo deſponderant. Ad hunc Ignatius pro veteri familiaritate cùm adorandi & gratulandi cauſſa veniſſet; arctè amplexatus hominem Pontifex, & ſuauiſſimè exoſculatus, multa cum eo inambulans de fidei Chriſtianę propagatione, deque reſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina ſeriò contulit: atque ob idipſum nonnullos ab eo petijt viros, quos haberet apud ſe conſilij cauſſa. Cæterùm in primis dilexit Iacobum Lainem, & Martinum Olauium, quorum videlicet vtriuſque virtutem ac ſapientiam optimè nouerat. nam de Franciſco Xauerio, cuius fama, rebuſque geſtis valde permouebatur, iam ante exorauerat, vt illū omnino Romam ex India reuocaret: quòd tanti viri videndi, ruēdique in eius amplexum miro quodam deſiderio teneretur. quinetiam noſtros quotquot ea tēpeſtate Romæ verſabantur, ad ſe in palatium adduci iuſſerat: quòd haſce copiolas recenſere, & ſingulos coram quaſi bonus Imperator milites vellet inſpicere. denique multis de noſtra Societate verbis vltro citroque habitis: Tu bellatores (inquit Pontifex) confice; nos vtemur. Cùm ab eo congreſſu, alijſque deinde colloquijs lætus admodum diſceſſiſſet Ignatius, & optima ſpe Societatem impleſſet, breui ea lætitia cunctis euanuit. ſiquidem Marcellus altero & viceſimo die quàm Pontifex declaratus fuerat, febri extinctus; ingenti omnium luctu Chriſtianā rempublicam orbā ac debilitatam reliquit.

Ignatij obitus. Cap. XXIII.

SUCCESSIT Marcello Paulus eo nomine quartus, qui cùm propter nonnullas interpoſitas offenſiones acerrimus noſtri ordinis inimicus fore putaretur, hominum opinionem longè feſellit. Nam & in Ignatium ipſum, cunctis admirantibus, perhonorificum ſeſe præbuit; & Societatem multis rebus decorauit, auxitque: & noſtrorū hominum opera maximis in rebus Eccleſiæ plurimum vſus eſt: & de fundando collegio ſeu academia, quam in Vrbe Ignatius magno reipublicæ Chriſtianæ bono inſtituerat, ſeriò cogitauit. Hunc Pontificem inter & Philippum Catholicum Regem exorto graui & periculoſo bello, quod breui deinde compoſitum eſt; cuncta miſceri; compleri armatis Vrbs; tympanorum, ac tormentorum horrifico ſtrepitu omnia perſonare; pacis artibus parum admodum loci eſſe. Quocirca Ignatius pertæſus temporum, & Societatis rebus vtcumque compoſitis, contemplandi ſtudio receſſit in villam, quam non longè ab æde ſanctæ Balbinæ, ad Thermas Antonianas, in vſum præcipuè Romani Collegij, amicorum benignitate nuper exſtruxerat. Ibi, vel tectorio noui operis malè acceptus, vel vrgente iam ſenio, lethalem in febrē incidit; ſic (vt cū eius intima vrerētur præcordia, nullus in facie pallor, nulla in toto corpore ſigna mortis exiſtē-

A tis exisſterent. tantùm inſolita quędam laſſitudo in membris ac motu apparebat. Itaque domum relatus, in lectulo collocatur. accerſiti confeſtim medici bono animo iubent noſtros eſſe. At ille cùm ſibi vltimũ diem inſtare ſentiret, mirantibus cæteris, miſit qui à ſummo Pontifice ſibi decedenti ſalutarem expiationem & indulgentiam ritu catholico precaretur. deinde cùm ad multam noctem de more vigilaſſet, quinetiam nonnulla cum domeſticis in rẽ Collegij trãſegiſſet; ſopori ſe dedit: itemque qui aderant, cubitum diſceſſere, nihil admodum periculi ſuſpicantes. at ecce manè poſtridie duo è fratribus, eius vitæ quotidianæ adminiſtri cubiculum viſendi Patris cauſſa introeunt; ad lectulum ſenſim accedunt, ac præter omnium opinionem vitali ſpiritu pæne defectum offendunt. Accurritur illicò ad ſocios. alij ad medicum aduolant: alij interea ad refocillandas vires (vt aſſolet) iuſculum porrigunt: quibus ille cùm nihil iam opus eſſe dixiſſet, IESVM intermortuis vocibus identidem appellans; placidiſſimè efflauit animam hora poſt ſolis ortum prima, feria ſexta, pridie Kalendas Auguſti, anno poſt CHRISTVM. natum MDLVI. Qui verò ad Pontificem pridie ſub veſperam fuerat deſtinatus, quòd nihil tale metueret, re in proximam lucem dilata, cùm quod volebat, ſtatim impetraſſet libente Pontifice, & verbis amiciſſimis Ignatium proſequente; grauiter deinde ſemet incuſans, tempori non occurrit. Defuncti corpus tum inſpiciendi, tum exenterandi cauſſa diſſectum, ſummam viri abſtinentiam & ſobrietatem liquidò cõpro- 1556.
B bauit. ſiquidem & ſtomachus, venterque prorſus inanis, & præ ſiccitate diuturna mirè contractus apparuit: & iecur ea ipſa de cauſſa ita obduratum aridumque, vt pæne lapideſceret. Sanè Realdus Columbus, egregius ea tempeſtate ſector, qui aperiendo interfuit, in hepatis vena, quæ Porta dicitur, lapides tres ſeſe inueniſſe teſtatur in ſuo de Anatomia libro. vt pro miraculo non leui habitum ſit, vitalibus adeò affectis, ac propemodum exuſtis, hominem tamdiu viuere potuiſſe, præſertim hilari ſemper eodemque vultu exſequentem Præpoſiti Generalis officia & munera. Mortuus eſt autem anno ætatis quinto & ſexageſimo, ſuæ conuerſionis fermè trigeſimo quinto, confirmatæ verò Societatis ſextodecimo. quam ille tam exiguo temporis interuallo tam longè late que propagatam reliquit; vt iam tum ab ipſo conſtitutæ numerarẽtur prouinciæ duodecim, & in ijs varia noſtrorum domicilia fere centum. Vulgata eius morte, ingens cõfeſtim hominum concurſus viſendi cauſſa domum eſt factus, atque hi manus, hi pedes certatim exoſculari: alia roſaria quæ vocantur, applicare corpori, multi etiam pilei, veſtiumve, quibus vti conſueuerat, fruſtulum aliquod enixè rogare: quibus tamen modeſtiæ gratia nihil à noſtris eſt datum. Corpus in eodem cubiculo vbi exſpirauerat, biduo fermè ſeruatum, ſabbato ſub veſperam incluſum arcæ, poſt exſequias mira populi frequentia celebratas, in templo noſtro ad dextrum latus aræ maximæ humatum eſt. ac ſtatim præſentem opem ex Ignatij patrocinio noſtri ſenſêre. Non
C enim, vt multi putarant, orba tali parente Societas mœrori ſe dedit, aut concidit: quinimo ſtetere animis Patres; perque omnes ordines inſolita quædam ſuauitas ſpiritus, & mentium vigor ad ſubeundos CHRISTI cauſſa labores, & cæpta ſtrenuè promouenda peruaſit.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IGNATII VITAE LIBER TERTIVS.

HACTENVS Ignatij toto vitæ cursu proposito, nunc præcipua quædam de ipsius factis, dictis ac moribus, & quidem quo magis in promptu sint, per species exsequemur. Ac primùm de studio precandi meditandique, qua laude in primis Ignatius floruit.

De orandi assiduitate, & studio pietatis.

Caput I.

INITIO conuersionis, vt ante diximus, precandi contemplandique caussa magnam sibi vim intulit, partim in rerum caducarum, quibus assueuerat, vitanda recordatione; partim etiam in scrupulorum molestijs abigendis. Procedente deinde tempore, cùm magis in dies à contagione corporis, Deo adiutore, se abstraxisset, tantam eius generis facultatem adeptus est, non modò vt è cæli, siderumque aspectu, quo maximè capiebatur, sed etiã vt ex intuitu floris, aut herbę, aut leuissimę cuiuslibet rei, confestim in Dei cogitationem amoremque suauissimè raperetur. Idque nostris hominibus cupiebat esse familiarissimum, vt in singulis creatis rebus, quoad eius fieri posset, creatoris potentiam, sapientiam, bonitatem agnoscerent. Eosdem monebat, vt contra quotidianas dæmonum insidias, ne circumuenti repente in fraudem inducerentur; vel instructo, quod aiunt, agmine semper incederent, vel certè dissipatis in varias curas & negotia viribus animi tamquam receptui canerent statis horis diei; & in semet ipsi descenderent, suaque omnia dicta, facta, cogitata, coram Deo quàm diligentissimè reputarent, adhibito etiam monitore, si opus esset, vel memoriæ, vel etiam notitiæ caussa: denique omnia probè contemplati, contra id vitium maximè pugnam capesserent, quo vitio se præcipuè vrgeri & laborare sentirent; nec ante desisterent, quàm Deo duce debellatum esset. Sanè ipse, quamquam se habebat semper in potestate, & ex diui Bernardi præcepto, non se rebus tradere, sed commodare consueuerat; tamen, qua erat diligentia, in singulas horas vltrò inquirebat in se: idque, propter diuturnam exercitationem, nullo negotio; magisque ac magis in spiritu proficere nitebatur, diem cum die, vt supra diximus, hebdomadam cum hebdomada conferens: qui cursus ad candorem animi ac perfectionem certissimus est. neque id solùm, sed etiam statis quotidie temporibus, erepto ex summis occupationibus otio, contemplationi vacabat. quam ad rem aliquoties à domesticis clam obseruatus est hoc maximè modo se comparans. Vt enim superiorem ascenderat ædium partem, vnde liber esset prospectus ad sidera: stabat aliquantisper oculis in cęlum defixis: tum prouolutus in genua, totius huiusce pulchritudinis conditorem suppliciter adorabat; deinde propter imbecillitatem, humili scabello simul atque consedisset, continuò ex oculis vberes lacrymarum riuuli profluebant; idque nullo prorsus vel singultu, vel strepitu. Atque in hunc fere modum, æquè animo & corpore immotus, excipiebat diuini luminis radios; ac patri cælesti mira quadam spiritus dulcedine iungebatur. Neque verò ad beatos hosce cõgressus, tantummodo sub orationis horã componebat ille sese, verũ in perpetua quadã erat vigilia contra omnes rerum mortaliũ illecebras, & otiosam mentis euagationẽ. nec minus accuratè animum ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornati vestibus, via lutulenta coguntur incedere. intenta erat custodia sensuum; quotidiana

A diana cuiuſlibet omiſſionis confeſſio; iugis recordatio beneficiorum Dei: in aliorum factis dictiſque interpretandis nulla temeritas. denique ſumma obſeruabat cura quid quid ad Chriſti gratiam vel tuendam, vel augendam quoquo modo pertinere intelligeret. Mortalium rerum curas, ac præcipuè quæ ad affines cognatoſve pertinerent omninò refugit, illud Apoſtoli dictum reputans apud ſe: Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. Erat ei proneptis ex fratre, virgo, quæ deinde Ioanni Borgiæ nupſit hodie Philippi Regis apud Cæſarem legato. de hac in matrimonio collocanda cùm ad eum ſubinde referretur; totam ille rem ſemper ad cognatos reiecit, nec adduci vmquam potuit, vt vel minimam eius negotij partem attingeret. Oranti aliquãdo per hyemẽ clauſo cubiculo, allatas è Guipuzcoa litteras ianitor feſtinè reddidit; ratus gratiſſimas fore, quòd nimirum longo & locorum & temporum interuallo afferrentur. at ille faſciculum, vt erat ligatus, illicò in ignem abiecit, re ipſa ianitorem admonens, qui ſeſe cæleſti militiæ addixerit, huic eſſe mortalia negligenda. Peregrinis hominibus, conditionem, ipſo interprete (quòd multum apud principes auctoritate valeret) in aula quærentibus, negabat ſibi niſi cum ſummi Regis aula rem eſſe: ad eam ſi aditum optarent, daturum ſe operam, quantum labore ac precibus aſſequi poſſet, vt eſſent in intimis Regis amicis ac familiaribus. quo reſponſo vulgato, minus multi iam

B in eo genere moleſtiam illi exhibebant. Nihil maioris momenti aggrediebatur vmquam, niſi attentè conſulto ac propitiato Deo. nec vllum quamuis leue religionis obibat officium, quin eius animi ardor, ex toto corporis habitu, ac præſertim ex fronte atque oculis emicaret. ex quo facilè exiſtimari poteſt, qualem ille ſe in horaria precatione pſalmiſque, & in ſacrificio Miſſæ præſtiterit. Sanè, cùm initio ſacerdotij, in medio Lateranenſi templo, Chriſti natalitia celebraret ad aram ſacris Apoſtolorũ Petri, Pauli, & Andreæ reliquijs inclytã, tanta eſt repente ſpiritus dulcedine delibutus, vt inter diuinam rem peragendã lacrymas tenere nulla vmquam ratione potuerit. Quo tã inſolito ſpectaculo commotus è circũfuſa multitudine quidam, ac rem longè ſecus interpretatus, Franciſco deinde Stratæ Ignatij adminiſtro in aurem inſuſurrans: Facinoroſum nempe virum, inquit, ſacerdotem iſtum tuum, & omnibus flagitijs coopertum, qui conſcientiæ ſtimulis agitatus, crimina ſua toto pæne ſacro defleuerit. Viſionum præterea exſtat libellus, ac luminum, quæ illi fermè ſacrificãti obuenere, quo maximè tempore Societatem ordinabat: quas viſiones ipſemet pietatis & memoriæ cauſſa in ephemeridem retulit. Eum libellum qui attentius legat, clarè perſpiciat, qua præparatione, quo ſpiritu ad Sacramentum altaris accedere conſueuerit. Septem etiam Vrbis templa, & religione & Pontificũ indulgentijs celeberrima, certis anni temporibus diligenter & caſtè viſebat pedes; & quidem per hyemem lacernatus, haud ſine mãtelo: nec

C vlla corporis laſſitudine, aut cæteros exemplo ſuo deſtitui, aut ſe tantorum bonorum communione fraudari patiebatur. Piacularia verò grana quæ dicuntur, & cereas agni cæleſtis effigies, pictaſque Sanctorum icunculas, & alia id genus quæ ab impijs irridentur, ita ſtudioſè tuebatur, & caras habebat, vt in eius ſcrinio poſt mortem nihil fere aliud apparuerit. Pro Eccleſia catholica, ac nominatim pro Chriſtianis Regibus atque principibus, quotidie ardenter orabat: pro ſummo verò Pontifice numquam ſine vberrimis lacrymis. Et quoniam denuo lacrymarum incidit mẽtio; non omittenda videtur hoc loco res memoratu digna. In cæteris ornamentis ac beneficijs, donum etiã lacrymarum Ignatius à Chriſto Domino acceperat, ſic, vt in ſingulas preces illicò fletus erumperet. qua conſuetudine eò denique adductus eſt, vti propter acrimoniam humoris paulatim exeſa luminis vi, aciem oculorum pæne amiſerit. hac ille iactura, quod ad ipſum priuatim attinebat, non ſanè mouebatur: quinimmo triumphabat ſe in obſequio Chriſti oculos perdere. Sed quoniam id fieri ſine magno communis rei detrimento non poterat; ſuorum præſertim accedente impulſu, precari Dominum inſtitit, vt ſibi liceret interdum à lacrymis temperare. nec fruſtra. ſi quidem ex eo tempore tantum in lacrymas ius & arbitrium obtinuit, vt earum quaſi habenas, prout vellet, adduceret idem atque remitteret. Quæ res cuipiam fortaſſe veritatis fidem excedere videatur: ſed nobis vtique in tam recenti memoria mentiendi cauſſa non eſt.

Quod eius fuerit de perfectione iudicium.


Cap. II.



AC licet precationi vsque adeò deditus esset, tamen eo studio, se vel à publica re administranda, vel à caritatis cæterarumque virtutũ officijs minimè patiebatur abduci, & quãquam certum vnicuique spatium temporis quotidie necessarium esse dicebat ad se colligendum, vires que diuinitus impetrandas; tamen eos non ita laudabat, qui dulcedine solitudinis, & diuinæ familiaritatis illecti, in arenam descendere, & sua primùm vitia euellere, deinde etiam proximos adiuuare negligerent. quinimmo, pluribus doctus experimentis, aiebat, qui minus in eo genere sibi temperant, eorũ plerosque (nisi periti cuiuspiam ductum sequantur, vel præcipuo Dei fulciantur auxilio) partim dæmonum illusionibus obnoxios esse, partim etiam contumaces, & sibi placentes, & in sua sententia mirè obstinatos ac peruicaces euadere: qua peste nulla propemodum esset hominum cœtibus capitalior. itaque suorum ille profectum, non tam ex E continuata precatione, vel diuturno secessu, quàm è solidæ virtutis officijs, ac præsertim ex mansuetudine atque animi æquitate spectabat. Cùm è familiaribus nescio quis, fratrem præstanti religioni collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: En hominem iugiter precationi vacantem: immò verò, mutata voce, en, inquit Ignatius, hominem sibimet acriter imperantem. Aliũ quempiam, quòd stomachosior esset natura, & subinde in amara verba prorumperet, sese fratrum consuetudini alieno tempore sub trahentem, Ignatius blandè compellans: Quin te, inquit, statutis horis in fratrum consuetudinem das? cùm ille iracundiã naturæ, bilemque prætenderet; Næ tu vehementer erras, ait Ignatius: etenim hęc & huiusmodi vitia, non fugiendo, sed resistendo vincuntur. Denique licet piæ precationis laude præcelleret ipse, vt dictum est, semper tamen spiritum, quem vocant mortificationis, spiritui speculationis antetulit. nam vt in eloquentiæ studio, cùm & ars, & vsus ipse sit necessarius, longè plus tamen à sapientibus viris vsui quàm præceptioni tribuitur; sic in parandis virtutibus cùm & commẽtatio, & actio requirantur; multo plus tamen agendo & pugnando, quàm speculando vel cogitando proficitur.

De caritate ipsius in Deum. F

Cap. III.



CARITATE in Deum fuit, quanta par est eum esse, qui ipsius Dei gratia rebus humanis nuntium sponte remiserit. neque solum eatenus Dominum amabat, vt præ illo reliqua omnia nihili duceret, quæ virtutis huiusce præcipua est pars; verùm inerat in amore voluptas mira: prorsus vt quantislibet pressus curis, ac molestijs fatigatus, in vnius Dei recordatione, & quasi amplexu, per summam delectationem acquiesceret. CHRISTVM verò Dominum ac liberatorem videndi sicuti est, tanta flagrabat cupiditate, vt eam ipsam ob rem solui corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque si quando grauiorem incidisset in morbum; concepta migrãdi spe, abstrahebatur illicò à sensibus non sine magno valetudinis detrimento; quocirca mentem à cœlestibus rebus interim auocare etiam atque etiam iubebatur à medicis. & quoniam acerbissima CHRISTI mors pro salute humani generis obita Ignatio semper obuersabatur; vicissim ille pro Christo per summos cruciatus quotidie cupiebat emori millies. Quoties verò ingesta in illum conuitia & ludibria reputaret apud se; non modò rei atrocitate permouebatur vt multi, sed etiam accendebatur generoso quodam imitandi studio; atque in semetipsum quasi tanti sceleris auctorem acerrimè exardescebat: ac nisi eum cohibuisset existimationis ratio propter salutem aliorum, simulata

A simulata dementia, ad plebem in se concitandam, nudus onustusque cornibus, aut alio fœdo corporis habitu prodire non dubitasset in publicum; & incessentes cœno vel stercore pueros, vocesque improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias libentissimè pertulisset. Sed quoniã eiusmodi nulla se dabat occasio; certè quod erat proximũ sedulò faciebat, vt immortalia Domini beneficia in se, memoria coleret sempiterna; & in eiusdem vel indaganda voluntate, vel gloria quærenda, suas omnes curas cogitationesque consumeret. cuius rei vel hoc satis magno argumento sit. Inter ipsam negotiorum molem perditas meretriculas tanto studio conabatur ab impuritate auocare, vt si qua ex ijs resipiscceret, seque intra pudicitiæ septa recipere vellet; grandis iam natu vir, & Præpositus Generalis, antecedere ipsemet, ac perductoris quodammodo munere fungi, Christi causſa nõ erubescceret. In quo cùm admoneretur à quibusdam, frustra tempus ac laborem insumi, quippe insanabiles esse eiusmodi fœminas, ac licet in præsentia pœnitentiam ostenderent, breui tamen ad ingenium redituras: Ego verò, inquit ille, cuiuslibet istarum, vnius dumtaxat noctis impediſſe flagitia & iniurias in Deum, omnis operæ ac vigilantiæ pretium duxerim.

De caritate in proximos. Cap. IV.

B EX hoc tam incenso in Deum amore, egregia nimirum illa caritas in homines redundabat. quos quoniã pretioso eiusdem sanguine redẽptos, ac proinde carissimos illi sciebat esse, quidquid in Deum non poterat nullius egentem rei, omne id, ipsius gratia in proximos cõferebat. Vt primùm è peccatorum cœno emersit, confestim ad cæteros ex eodem cœno extrahendos incubuit. atque ob id ipsum (vti supra dictum est) ingenti labore & incommodo litteris operam dedit; & in Societate instituenda nihil spectauit aliud, nisi vt errantes animos ad rectum salutis iter omni ratione reduceret. Barcinone, cùm in grammaticæ studio versaretur, eodemque tempore, animorum quoque salutem acerrimè procuraret; virginum quoddam collegium, cuius nomen consultò reticeo, soluta admodũ disciplina corruptisque moribus, ad veterem sanctimoniam ac sobrietatem omni studio reuocare nitebatur; suadebatque illis præcipuè frequentem vsum sacræ Confessionis, & Eucharistiæ. Quam ad rem, temporibus illis insolitam, quò facilius eas adduceret, præire ipsemet illis palam decreuit, adhibito ad id Pualto sacerdote; quo ipse ad confessiones vtebatur, spectatæ virtutis ac sanctitatis viro. Igitur ex eius manu corpus Domini cùm subinde sumpsisset, fœminis ex odæo spectantibus; tam præclaro exemplo & assiduis hortationibus incitatæ, plerèque ad salutarem pœnitentiam officiumque traductæ sunt. quod nefarij quidam amatores vbi sensêre, aditumque sibi ad optata flagitia magis in dies obseptum videre; in
C extremam efferati rabiem, Ignatium & Pualtum ex insidijs adoriri constituunt: ac die quodam è templo redeuntem vtrumque fustibus ita malè acceperunt, vt Pualtus paulo post è vulnerum dolore sit mortuus: Ignatius verò dies aliquot in lecto iacuerit. sed vixdum receptis viribus, nec alterius nece, nec suo malo perterritus, ad instituta caritatis officia redijt alacer. cumque eum vulgo monerent, ac per Deum obtestarentur amici, ne denuò in capitis discrimen daret se: Quid mihi optatius, inquit ille, quã pro Christo Domino, meisque proximis emori? Parisijs, amicum à turpi cuiusdam fœminæ consuetudine frustra sæpe reuocare conatus, cuius ille flagitij causſa vicum subinde petebat, non longè ab vrbe positum, denique egressus hominis & itinera dissimulanter explorans, deterrendi eius consilium tale commentus est. Stagnum erat propter viam qua transeundum erat illi de more; eò maturè præuertens Ignatius, tempestate perfrigida se nudus aquis collo tenus immersit; ibique salutares amico tetendit insidias. nam vt appropinquantem aspexit, Deum precatus vt ea res vtrique feliciter eueniret, horribili repente in aduersum intonuit voce; Quò, quò miserrime properas? non intelligis in quanto versere periculo? nonne intentum in te diuinæ iustitiæ gladium vides? Perge porro, perge nefariam istam explere libidinem. Ego me hic tãdiu tua causſa macerabo, quoad cælestes iras meo malo auertam abs te. At ille subita voce perculsus, atque ad Ignatij aspectum veluti deprehensus, obstupuit: demiratusque caritatem viri, nec dubio pudore concepto, retulit pedem, & in posterum Deo adiuua-

adiuuante ſeſe ab illa peſtifera familiaritate continuit. Alius quidam Ignatij alumnus, D
præſtanti vir ingenio, magnos in virtute proceſſus effecerat, ac deinde (quæ humana
fragilitas eſt) labore victus, dæmone ſolicitante, circumſpiciebat fugam. quod vbi ſen-
ſit Ignatius, varijs ad eum retinendum hortationibus monitiſque incaſſum adhibitis,
eò denique deſcendit, vt pro diſcipuli ſanitate totum triduum omni cibo potuque ab-
ſtineret, preceſque cum lacrymis ad ſuperos funderet, qua pœna, tamquam remedio, lã
guenti animo applicito, reſipuit ille, ſuumque errorem gemebũdus agnouit; ac deinde
in ſuſcepto genere vitæ cum laude perſtitit. Pariſijs, vt antea dictum eſt, depoſita pecu-
nia fraudatus à contubernali, ſic, vt ad ſeſe alendum ſtipem emendicare deinde cogere-
tur magno ſtudiorum detrimento; non modò iratus amico non eſt, verùm etiam inſi-
gni beneficio rependit iniuriam. Cùm enim fraudator ille poſtea Hiſpaniam repetens,
graui morbo ex itinere implicitus, Rhotomagi ſubſtitiſſet (quæ vrbs tridui fermè iter
diſtat Lutetia) ingraueſcente valetudine paulatim ad omnium rerum inopiam eſt re-
dactus, cumque vt ignotus in alieno ſolo, ſpem nullam ſubſidij cerneret, licet præteri-
ta meminiſſet, ac præclarè ſibi eſſe conſcius, quàm malè de Ignatio meritus fuiſſet; ta-
men tantam opinionem de eximia viri bonitate conceperat, vt non dubitauerit illum
de ſuo caſu per litteras facere certiorem: & aliquid opis ab eo ſuppliciter petere. Tum
Ignatius, quaſi hæreditas aliqua ſibi obueniſſet, ſic alacer nulla interpoſita mora ſe in
viam dat; Deum pro amici ſalute etiam atque etiam obſecrans: quinetiam (quod longè E
mirabilius eſt) ad propitiandum illi numen, iter illud totum pedibus nullo prorſus ci-
bo potuque, ingenti celeritate confecit. Vrbem ingreſſus, conquiſitum hominem ami-
ciſsimè inuiſit, affectum ſemianimemque ſedulo miniſterio recreauit. atque vbi mor-
bo leuatus eſt, litteras ei commendatitias ad amicos in Hiſpaniam dedit; & mendicato
ab ſe viatico inſtructum in nauem impoſuit, cùm ille ſimul pudore gaudioque confu-
ſus, dexteram Ignatij tenens, Deum ſuperosque omnes inuocaret ad gratiam illi pro ſe
referendam, ſatiſque mirari non poſſet, ſeneſcente iam mundo, tantum caritatis exem-
plum in terris exſiſtere. Per idem ſtudiorum tempus, tametſi multum de ſpirituali fun-
ctione remiſerat, numquam tamen potuit ſe continere quominus ereptum ex littera-
rijs occupationibus quotidie tempus aliquod in proximorum ſalute conſumeret. ita-
que & condiſcipulos ad virtutem ac pietatem ex occaſione incitabat: & ex collatitia
pecunia multorum ſubleuabat inopiã, & ægrotos viſendo recreandoque humaniſsimè
ſolabatur. In ijs cùm ad quemdam adijſſet, graui & contagioſo vlcere laborantem:
& miniſtrandi cauſſa, vt fit, decumbentem ſubinde attrectaſſet: in diſceſſu metus Ig-
natium ſubijt, ne ex eo contactu dextera peſtilentiam contraxiſſet: quæ ſuſpicio
cùm ſolicitaret hominem vehementius, eumque ab huiuſmodi caritatis officio in po-
ſterum auocaret: ille cognita fraude confeſtim in ſemetipſum exarſit: dexteramque in
os identidem inſerens, increpuit vltro: Qui de vna manu tam anxius es, quid vniuerſo F
corpori facies? Aque hac fortitudine & præſentem depulit metum, & ad eadem porro
exſequenda pietatis opera ſeſe vegetum atque hilarem præſtitit. Atque hanc ægro-
tos adiuuandi conſuetudinem non modò priuatus, vbicumque terrarum fuit, ve-
rùm etiam Societati Præpoſitus diligentiſsimè tenuit. Nam è noſtris vt quiſque in
morbum inciderat, cuiuslibet eſſet ordinis, & extemplò acciri medicum imperabat,
ac nihil prorſus omitti eorum, quæ is præſcripſiſſet, oppigneratis etiam, diuenditiſ-
que, ſi opus eſſet, lancibus, ſtragulisque, & cætera ſupellectili. Sanè, cùm ex laicis ad-
iutoribus quidam ſæua conflictaretur febri: ad eumque refocillandum delicatiori
cibo opus eſſet, quidquid nummulorum domi erat, denarios tres eam vnam in rem
inſumi iuſsit. ac reſiſtenti pauliſper obſonatori, nihilque præterea pecuniæ ad cæ-
teros alendos ſupereſſe dicenti: Atqui nos quidem, inquit ille, valemus: arido pane
contenti eſſe poterimus. atque ita languenti coëmptum obſonium eſt. Ipſos verò de-
cumbentes inuiſebat ſubinde ipſemet, confirmans vnumquemque verbis planè diui-
nis atque cæleſtibus; dabatque operam, vt omni depoſita ſolicitudine, ſuperioribus
eſſe curæ ſe ſuamque ſalutem, ſine vlla dubitatione ſentirent. Homines vel de ſe ip-
ſo priuatim, vel de Societate communiter bene meritos diligentiſsimè coluit, nullum-
que in eos neque viuos neque mortuos grati ac memoris animi officium prætermiſit.
quippe non modò pro ipſorum ſalute Dominum per ſe ſuosque precabatur aſsiduè:
ſed etiã, dum viuerent, ſæpe domum veniebat ſalutandi cauſſa, eoſdemque adeuntes ad
ſe quanquã alieno tempore, accipiebat in primis hilariter: deq; Societatis progreſſu, ac

rebus

A rebus præſertim Indicis, quarum ipſa longinquitas habet delectationẽ, pergebat amiciſſimè facere certiores: atque etiam, cùm opus eſſet, quibus rebus poterat, benignè adiuuabat. Hieronymo quidem Arzio, Hiſpano doctori (quicum erat ei magna neceſſitudo) non modò grauiter ægrotanti frequens adfuit ipſemet, ſed etiã fidelibus famulis deſtituto, probos & induſtrios è Societate viros miniſtrãdi gratia ſubmiſit. Andreas Lipomanus patritius Venetus, quem Trinitatis Priorem appellabãt, vir nõ pietate minus, quàm genere nobilis, Collegio noſtrorũ hominũ conſtituendo Patauij, opimum ſacerdotium eiuſdem vrbis addixerat, dimidia tantùm parte vectigalium, ſibi quoad viueret reſeruata. At verò Ignatius, ne ſe vinci pateretur officio; patentibus litteris eum vltro perpetuum ſacerdotij adminiſtratorem declarauit; neque è vectigalibus attigit quidquam, niſi quod ab ipſo Priore quotannis ad paucos è noſtris alendos per eleemoſynam præberetur. quinetiam eius fratris filio penſionem decreuit annuam aureorum ad quadringentos: quam tamen bonus ille Prior nequaquam admiſit. ac cæteros item, quorum beneficijs prouocatus eſſet, eximio quodam ſtudio & obſeruantia proſequutus eſt.

Manſuetudo eiuſdem, & comitas. Cap. V.

B 

Omni faſtu & moribus imperioſis vehementer abhorruit. veſtigium in eo cõtumaciæ cerneres nullum. &, quod difficillimũ eſt, lenitatem ita cũ grauitate miſcebat, vt neq; facilitas de auctoritate, neq; ſeueritas quidquam de ſuauitate detraheret. Pariſijs per iocum inuitatus à nobili quodã, vellet ne trudiculis ludere (quibus in oblõga menſa per anguſtũ fornicem, eburnea pila traijcitur) Ego verò ludã, inquit Ignatius. At enim qua ſponſione, ſubijcit ille, qui pecunia careas? Tum Ignatius: Hac ſponſione, reſpondit, vt certo vtique dierũ numero tibi deſeruiã: verùm tamẽ, arbitratu tuo, ſi viceris tu; meo, ſi ſuperior ipſe diſceſſero. Cùm ea conditio placuiſſet: Age ſanè. in certamẽ deſcenditur. cumq; nihil minus calleret Ignatius, diuinitus factũ eſt, vt in ſingulos omnino traiectus victor euaderet: ſubinde exclamante aduerſario, ſe meritò plecti, qui Ignatiũ prouocaſſet: ſeque diuinũ iudicium prorſus agnoſcere. Peracto deinde certamine, victũ victor ab inanibus curis & occupationibus, in aliquot dies abductum, è ſpõſione, ſpiritualibus exercitationibus diligenter excoluit: torpentemq; ſitu ac delicijs animũ ipſius, ad ſalutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitauit. Venetijs Patauium pedibus cùm iter haberet,
C domeſtica, eaque admodũ attrita lacerna ob inopiã indutus, Iacobo Laine comite; pecuarius quidã puer, qui à via non longè armenta paſcebat, conſpectis eminus peregrinis, ad eos repẽte propius aduolat: habitusq; fortaſſe nouitate permotus, defixis procacitèr in Ignatium oculis, cachinnos tollere, eidemq; licentius cæpit illudere. cumq; Ignatius vultu placido ſubſtitiſſet; conuerſus ad eum comes: Quin, ait, acceleras gradum pater, teque iſtius pueri petulantiæ ſubtrahis? Immo verò, inquit ille, cur puerum oblata ſibi præter ſpem hac tanta oblectatione fraudemus? Itaq; conſulto etiã diutius hæſit in ijſdẽ veſtigijs: ac ſe curioſius intuendũ ridendumq; affatim proteruo adoleſcentulo præbuit: plus nimirum ex hoc qualicumq; ſui contemptu ac ludibrio hauriens voluptatis, quàm alij ex vulgi plauſu fauſtaque acclamatione percipiunt. Atque hunc manſuetudinis tenorem diligenter in omni vita ſeruauit: ac ſatis conſtat, annis ipſis triginta, quibus CHRISTVM ſequutus eſt, neminem prorſus ab eo fuiſſe non modò contumelioſè tractatum, ſed ne appellatum quidem acerbius. Si quid præciperet; roganti erat proprior quàm iubenti. Alloquendi verò eius cauſſa, nihil erat neceſſe tempus opportunum, aut molles captare aditus: qualibet adijſſes hora, ſiue corpore melius haberet, ſiue deterius; proſperis æquè atque aduerſis in rebus, & accipiebat benignè, & patienter ad finem vſque ſine interpellatione audiebat: ac nullum quamuis infimæ ſortis hominem ſtare coram ſe, nedum aperto capite patiebatur eſſe, nec modò ex deſtinato congreſſu, verùm etiam ex occurſu fortuito, fratres ita lætis intuebatur oculis, vt vel ex hoc, inſitã animo in omnes beneuolentiã ſatis oſtenderet. Amicos preterea, tum domeſticos, tum externos interdũ ad prandiũ aut cœnam, ſiue, vt

appella-

appellabat ipſe,ad pœnitentiam inuitabat;nec repudiabat ſi quis vltro ſe offerret:quin D
etiã interuenientes cœnæ, vel in ipſo iã exitu,nihilominus iubebat accũbere, & fruſtu-
la panis ipſe carpendo,& ſimulanda appetentia,conuiuium cõſultò extrahebat,quoad
nouiſſimus quiſq; ſine rubore aut ſolicitudine, per otiũ abſolueret.Si quis ab eo quid-
piam,ſibi alijſve peteret;vel dabat hilare,verbis etiam, quod aiunt, munus exornans;
vel ſi abnueret,cauſſas afferebat eiuſmodi;vt ille ſeſe contemptum nullo modo exiſti-
mare poſſet.ac tantaipſius erat in eo genere vel efficacitas,vel ſuauitas,vt qui ad eũ lega
ti à quopiam venerant, cùm id quod volebant,minimè impetraſſent, Ignatij rationi-
bus interdum ita victi pacatiq́ue diſcederent,vt vltro ipſi mutata ratione, apud eos à
quibus miſſi fuerant,ipſius cauſſam pertinaciſſimè tuerentur.

Grauitas eiuſdem,& in cuſtodia diſciplinæ ſeueritas.

Cap. VI.

AB hac porrò comitate,quemadmodum auſteritas, ſic etiam
leuitas omnis aberat & ineptiæ.Ita enim cõpoſitus fuit mo-
ribus,vt neq;manum,neque oculum membrum ve aliquod E
ſine cauſſa & ratione moueret; & in ſtatu, inceſſu,accuba-
tione,ſeſſione,decorum teneret.Iam in loquendo fuit adeò
conſideratus & parcus,vt nullum planè verbum niſi cõſul-
tò ac meditatò proferret.neque figuris vel amplificationi-
bus vtebatur,ſed rei geſtæ ſeriem,& rationum momenta ſi-
ne fuco exponebat.qua ſimplicitate plus valebat in perſua-
dendo,quàm alij calamiſtris & lenocinijs.De ſe ipſo,deque
ſuis rebus,niſi neceſſitas cogeret,vel Dei gloria poſtularet, nihil dicebat vmquam. ab
aliorum verò factis dictiſue exquirendis,niſi ad ſuam curam ſpectarent, omnino abſti-
nebat.Conſueuerat etiam eos reprehendere, qui de ſoluta Eccleſiæ diſciplina,deque e-
mendandis Principum moribus temere diſputarent: quam tentationem ſe fugaſſe di-
cebat conſideratione extremi iudicij, & eorum quæ tali tempore à ſemetipſo propriè
exigenda forent.quæ ſi pro ſe quiſque reputaret,haud ita facile homines in aliorum vi
tam inquiſituros.Denique tanta inerat in eius ſermone prouiſio, tarditaq́ue longo v-
ſu parta,vt cùm bilioſus ac præferuidus eſſet, natura,pituitoſus ob id ipſũ ac lentus ha-
beretur à medicis.Atque hi mores, cum admirabili vitæ ſanctitate coniuncti,incredi-
bile eſt,quantum illi conciliarent venerationis.nam vt quiſque intimus erat Ignatio, F
ita ſuſpiciebat eum maximè.Ludouicum quidem Conſaluum Luſitanum, qui domus
Romanæ miniſter aliquandiu vixit,magno rerum vſu,magna prudentia virum, dice-
re ſolitum accepimus:antequam cum Ignatio coram egiſſet, præclarè ſeſe vtique de il
lo exiſtimare ſolitum,qui tali Societati præeſſet.at verò, poſtquam ipſo familiariter v-
ſus eſt;Societatem magnificere cæpiſſe,quam Deus tali præſide ac moderatore donaſ-
ſet.Iacobus verò Laines, qui proximus ab illo Societatis gubernacula tenuit, cæteriq;
Patres, quamuis humaniſſimè cum illis Ignatius ageret , tamen eximiam viri virtu-
tem ita reuerebantur, vt bene moratos vel parenti liberos, vel magiſtro diſcipulos,ad-
ſtare diceres.Quod ſi quando(quod tamen perraro fiebat)rei neceſſitate coactus, vul-
tum indueret ſeueriorem,& aliquem increparet aſperius;tanta erat vis põduſque ver-
borum,vt contra ne hiſcere quidem auderet quiſquam.idq́ue præſertim in cauſſa viri
cuiuſdam inſignis apparuit;qui cùm turbulentior eſſet,quàm vt eum diutius ferri o-
porteret;cumq́ue eius animum Ignatius blandis monitis præceptiſq́ue nequicquã ſa-
nare tentaſſet;ad extremum oratione conuerſa,diuinam teſtatus iuſtitiam,ac cœleſtis
iræ minas intentans,tantum ardorem ſpiritus præ ſe tulit,ipſi vt parietes tectaq́ue non
dubio motu nutare & concuti viderentur.quo terrore perculſi qui aderant,illicò pro-
cumbentes,Dei pacẽ precibus ac votis expoſcere.ipſe verò qui accuſabatur, exanimis
ad pedes Ignatij ſeſe confeſtim abiecit,ac ſupplex confuſa voce, culpæ veniam petijt,
ſeq́ue poſthac in officio fore pollicitus eſt.Continebat autem in diſciplina cùm cæte-
ros omnes, tum eos maximè qui vel inſigni eruditione, vel generis nobilitate præſta-
rent:quippe quorum dicta factaue ad exemplum in omnes partes valeant plurimum.

Otium

A Otium verò, vt omnium vitiorum fomitem ac ſeminarium, in primis oderat: itaque duos tresve rei familiaris adiutores, cùm ad ianuam alieno tempore confabulantes è ſuperiore loco aſpexiſſet, illicò iuſsit aceruum lapidum in proximo ſitum, in ſummam ædium contignationem ſine cunctatione transferre. eoſdem tertio poſt menſe cùm ibidem iterum otiantes animaduertiſſet, illam ipſam lapidum congeriem, vt in eumdem locum referrent vnde aſportauerant, imperauit: amicè inſuper admonẽs, nihil in Dei famulatu periculoſius eſſe deſidia. Cùm quẽdam in tradito ſibi munere valde remiſſum atque oſcitantem inueniſſet; quæſiuit ex eo, cuinam in tali miniſterio daret operam, Deo ne, an hominibus? cùm ille ſe Deo vtique deſeruire dixiſſet: Plecteris igitur, inquit Ignatius; nam in rebus humanis minus accuratè verſanti, iure forſan ignouerit quiſpiam; at immortali Deo miniſtrari negligenter, id verò nullo pacto ferendum eſt. Spectaculis publicis, quamuis alioqui licitis, vel etiam ſacris, adeſſe noſtros non ita facilè permittebat. quòd ſi qui, facta poteſtate, ſe ad ea conferrent; eos etiam atque etiam iubebat, ſine vllo arrogantiæ ſeu leuitatis indicio modeſtiam ac ſubmiſsionem tenere; cedere omnibus; & infimum ſemper locum (niſi aliter à circumſtantibus cogerentur) eligere. Cùm è Romano ab ſe nuper inſtituto Collegio, adoleſcẽtes quoſdam ſolutius in publico ambulantes vidiſſet; caſtigandos curauit palam, hortandoſq; graui oratione, vt quem haberent inſitum animis pudorem ac verecundiam, eum externo item corporis habitu præferrẽt: & quoniam Apoſtolo teſte ſpectaculum facti
B eſſent omnibus, cauerent etiam atque etiam, ne ſuperuacanea locutione, curioſo oculorum obtutu, aliove incondito geſtu motuve corporis, quemquam offenderent; preſertim cùm eo de genere toto, multa cum precatione lacrymiſque conſcripta pulcherrima ipſe præcepta paulo ante edidiſſet. Nihil noui moris in Societatem induci ſe inſcio eſt paſſus: principijſq; vigilanter & acriter obſtitit: quippe qui exempli vim noſſet, & rerum incrementa fallentia. Quoſdam, qui ad vineam iniuſſu luſerant pila, laicum etiam ſapone manus lauantem, haud impunè abire permiſit. ſeditioſos verò, & alienæ laudis obtrectatores, & rerum nouarum cupidos, non diu tulit: ſed omnia experſus, quæ ad reuocandam dubiam indolem, & peiore loco poſitam facere viderentur; ſi parum proficeret, ad extremum è Societate pellebat. neque per ea tempora carcerem compedeſve in Societatis mores induci permiſit, negans, qui vinculis conſtringendi forent, eoſdem eſſe ad noſtrum inſtitutum idoneos. itaq; cuſtodiæ loco ianuam oſtentare conſueuerat. acciditque aliquando, vt iuſta de cauſſa complures adoleſcentes exauctoratos vnà dimiſerit. atque huiuſmodi fere (quòd ſilentio prætereundum non eſt) è Societate pulſi homines, exitialem exitum ſortiti ſunt, ſatiſque conſtat, alios inter ſymphoniam laſciuè ſaltantes repente occidiſſe, alios contracta rixa interfectos,
C alios denique alio miſerabilis lethi genere perijſſe. In puniendo autem id ſequebatur in primis, vt noxæ reſponderet animaduerſio, & in ſuo quiſque vitio plecteretur: ſuperuacanea verba ſilentio; ignauiam labore; honoris cupiditatem ignominia lueret. ac fermè animaduerſionum Ignatij genus erat illud: circulum humi deſcribere, ex quo noxij ne iniuſſu excederent: colloquijs certorum hominum nominatim interdicere; verberationes ad præfinitum temporis ſpatium iniungere: & alia eiuſmodi. Noxas autem leuiores & quotidianas intelligo; cuiuſmodi in homines etiam ſtudioſos perfectionis cadunt: nam grauiores Ignatius minimè toleraſſet. Solebat etiam ſontibus, ad humilem menſam in triclinio accumbentibus, obiurgatorem inducere, infimæ plerumque conditionis hominem, ſed ingenioſum & acrem; qui cunctis audientibus, vitia reorum increparet, exprobraretque religionis annos, & negligẽtiam: idemq; cæteros carptim nec opinantes repente perſtringeret; nimirum edomandæ ſuperbiæ cauſſa, mentiſque è pigritię veterno excitandæ. Sed qui deliquerant, priuſquam ex conſuetudine punirentur, quàm leniſsimè operam dabat, vt ſuam ipſi culpam agnoſcerent; atque vltrò ſibimet mulctam irrogarent: quæ tamen ſi grauior videretur, confeſsione contentus; ita moderabatur, vt multum ſæpe de acerbitate minueret.

Eiuſdem animi ſubmiſſio, & quidnam de virtute Obedientiæ ſenſerit. Cap. VII.

D

NEGABAT, ſuo quidem iudicio, quemquam probè intelligere quàm vehementer in ſe quiſque diuinæ bonitatis operationem impediat: quantaue illius beneficia & dona per ſocordiam ignauiamque corrumpat. quo crimine ſeſe accuſabat in primis. atque ita de ſuis demiſsè & humiliter ſentiebat, vt ſe mortalium omnium infimum, & opis diuinæ maximè egentem putaret: ſibique cæteros omnes ad virtutem pietatemque & exemplo & incitamento fateretur eſſe. Priuatæ verò vitæ quanto deſiderio teneretur, & initio declarauit in recuſando magiſtratu; & deinde, cùm vt redigeretur in ordinem, aliuſque ſibi ſuccederet, omni ope contẽdit. quòd tametſi conſequutus non eſt; tamen obedientiæ ſtudium quibuſcunque rebus potuit, ſemper oſtendit. Romano quidem Pontifici, cuius in verba præcipuo ſacramento iurauerat, ita erat præſto, vt ad ipſius nutum ſeſe paratum exhiberet confecta iam ætate, vnius baculi adminiculo, pedibus quocumque opus eſſet, peregrè proficiſci, vel etiam nauigium aſcendere planè exarmatum, ſeq; eodem Pontifice iubẽte, mari ventiſq; E
vlla dubitatione committere. Quem ipſius animum vir quidam primarius cùm haud ſatis probaret, & in eiuſmodi re conſilium prudentiamq; requireret; prudentiam quidem, non obedientis, verùm imperantis eſſe, reſpondit Ignatius. Et ſanè cùm in Societate noſtra virtutem hanc cæteris omnibus anteferret; tum nihil huic laudi tam contrarium dicebat eſſe, quàm in ſuperiorum iuſsis & conſilio examinando moram, vel potius arrogantiam. negabatque obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo ſuperiori non cum voluntate iudicium quoque ſubmitteret. Id enim demum eſſe Deo gratiſsimum holocauſtum, cùm omnes animi vires, ac præſertim intelligentia & mens, quæ ſummum in homine obtinent locum, in obſequium CHRISTI coguntur. qui verò inuiti ac diſſentientes, actu exteriore dumtaxat, iuſſa præpoſitorum exſequerentur; hos inter viliſsima mancipia, vel pecudes potius numerandos aiebat. Exſtat eius epiſtola ad ſocios Luſitanos in hanc ſententiam ſcripta, (qua nihil ego quidem in eo genere vidi ſubtilius) quam qui accuratè perlegerit, facilè intelliget, quàm iure Ignatius tantum huic vni mentis & rationis obſequio tribuendum putarit. Quinetiam in ſermone quotidiano ſæpiſsimè vſurpare conſueuerat; qui ad ſuperioris nutum, voluntatis propenſionem ſolummodo, non etiam iudicij conſenſionem accommodarent; eos altero tantùm pede intra religionis ſepta verſari. Neque verò eiuſmodi F
præcepta verbis tantùm explicabat ille, ſed, quantum ei res & perſona concederet, etiam factis. Medico quidem, quoties ægrotaret, ita ſe dicto audiẽtem præbebat, vt eius monita pro oraculis duceret, ac quodammodo prudentiam penitus exuiſſe, & omnem ſuæ ſalutis curam & ſolicitudinem in eundem proiecisſe videretur. Cùm ſtomacho grauiſsimè laboraret aliquando, ex nimio videlicet hepatis calore, vt ſupra diximus; adhibitus medicus, quo domus eo tempore vtebatur adoleſcente nec peritiſsimo; frigidæ corporis conſtitutioni cauſſam illicò tribuit. nec mora. quidquid excogitare potuit ad corpus & præcordia calefacienda, præſcripſit. ac primùm feneſtras, foresq; cubiculi, ne quid afflaret auræ obſerari diligenter iuſsit; deinde languentem multa ſub veſte continere ſeſe; poſtremò quàm calidiſsimo cibatu, & exiguo mero, ſed quàm auſteriſſimo refici. quæ omnia Ignatius licet ſibi, non leuibus argumentis, minimè accommodata ſentiret, ac medicum ipſum nec litteratiſsimum, neque exercitatiſsimum ſciret eſſe; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo, contra eius edicta nihil vmquam effatus eſt. Aeſtas erat ſumma: calores, vt in Vrbe maximi: ingenti ſtromatum pondere premebatur Ignatius: manabat è membris omnibus tanta ſudoris copia, vt culcitræ ac veſtes maderent; ac nihilominus ex præcepto ſe intra calida fomenta cohibebat ægrotus. ardebat ſiti; nihil omnino poſcebat: diſcruciabatur doloribus acerbiſſimis, nullam edebat vocem; linquebatur animo interdum, neque tamen ſignificabat; denique peruerſa curatione eò adductus eſt; vt cùm vltimum ſibi diſcrimen adeſſe intelligeret, Societatis adminiſtratione Patribus delegata, aditu cubiculi domeſticos

prohi-

A prohiberet omnes, vno excepto valetudinarij curatore: atque id demum exstitit signum, desperata iam valetudine, se ad vitæ exitum comparantis. Itaque Patres in re tam subita consilio habito, cùm non deessent qui medici præsertim iunioris placita reprehenderent; Alexandrum Petronium, ætate prouecta virum, & medicæ artis laude præstantem, extemplò acciri iubent. Is vt inspexit Ignatium, genuscq; & ordinem adhibitæ medicinæ cognouit; per summam indignationem vociferatur, hominem calore necatum esse: pandi confestim fenestras & ostia; leuari stragulis lectum; frigidæ haustus affatim dari æstuanti imperat: quæ res prioris medici insciti am planè coarguit; siquidem refrigerato hepate, ventriculi tormina quieuere; & obedientiæ meritis Pater auctus, pristinam insuper valetudinem breui recepit. Rursus, cùm ieiunia cineralia, seu Quadragesimam quamuis affecto corpusculo perseueranter nihilominus obseruasset; ipsa denique feria quarta sanctioris hebdomadæ, febri correptus est; nec dubitauit idem Alexander, quin totum id ex imbecillitate nimia proueniret; quocirca pulli gallinacei esum ad vesperam illi præscripsit, abijtque admodum incertus animi, vtrum Ignatius tali tempore iussa facturus esset. redit deinde postridie, queritque solicitus, num se refecerit pullo. cùm annuisset Ignatius: Fatebor, inquit Alexander, ingenuè id quod res est. Complures non custodita solemni abstinentia, nihilominus hoc triduo in morbum incidere. quibus ego cùm accersitus, carnium cibatum indixerim, vix ægreque ab ijs impetraui vt obtemperarent, propterea quòd per hos dies carnibus

B vesci, nimis graue piaculum ducerent. tu contra, peracto iam pæne curriculo, ad ipsas metas meo monitu non recusasti desistere. hoc ego, Pater, satis mirari non possum. Ad ea Ignatius serena fronte, quæ animi tranquillitatem indicaret: Atqui obediẽdum est, inquit. nec plura in eam sententiam effatus est. quo responso mirificè delectatus Alexander, & sanctitatem viri magis magisque suspiciens, totam rei gestæ seriem ipsemet mihi deinde narrauit. Atque ad sapientem hanc sanctamque stultitiam cœcę, vt ipse appellabat, obedientiæ; suos, vt essent ad subita ac seria promptiores, interdum fictis etiam in rebus erudiebat. Sacerdos quidam, edito iam signo, paratus ad sacrificium, & calicem tenens, cùm è vestiario pedem efferret, per nuntium ab Ignatio qui totam rem è propinquo obseruabat, repente iubetur, sacro deposito ornatu, pallium sumere prodeundi caussa. Paruit ille sine tergiuersatione, ac palliatus Patri confestim apparuit. Tum Ignatius quęrit ex homine; sit ne ægrè passus, in procinctu iam ad immolandum, subitò se iuberi sacra deponere vestimenta, remque diuinam omittere? Cùm ille, se, ne tantulum quidem esse commotum affirmaret: Atqui me, scito (inquit Ignatius) non quò te in præsentia opus habeam, sed periclitandi tui obsequij gratia id feciſſe de industria. & sic habeto; plus te sacrificio deferendo esse meritum, quàm si id ipsum, vt

D destinaueras, illicò peregisses: nam & si altaris mysterium tanti apud Deum est, quanti profectò est; tamen, vt scriptum legimus, melior est obedientia quàm victimæ. Quemdam etiam, cùm maximè confessionem nobilis cuiusdam exciperet, consultò vocari ad se iussit. cùm ille se peracto mysterio mox affuturum dixisset: accersit eum denuo: at ipse nihilominus confitentis rogatu hæsit paululum. ac venienti demum Ignatius: Ita ne verò? iterum, inquit, euocandus es? Et grauioribus verbis accepit hominem: non quò illius tum quidem opera egeret; sed obseruantiam & agilitatem experiri voluerat. Sic enim aiebat: cupere se, quemadmodum cæteræ Deo dicatæ familiæ, ex instituto aliæ paupertatem, aliæ silentium, aliæ psalmodiam, aliæ denique aliud præcipuo studio colerent: sic in Societate nihil haberi prius aut potius alacritate amoreque parendi: & maximè proprium insigne nostrorum hominum esse Obedientiam; quippe quæ, diuo Gregorio teste, virtus vna, cæteras omnes animo virtutes inserat, insertasque custodiat. Hisce ergo artibus, & huiusmodi, subinde alumnos exercere consueuit: vt ad quamlibet præfecti vocem, aut significationem parati, vel inchoatum apicem in scribendo relinquerent: seque expeditos vbi opus esset, illicò sisterent.

Paupertas eius, & castimonia. Cap. VIII.

VOLVNTARIAM paupertatem (quam ille religionis murum appellabat) ad extremum vsque cõstantissimè coluit; nec modò ipse proprium habuit nihil, sed ne alios quidem, quâuis genere nobiles, ac delicijs olim assuetos, quidquã habere permisit. quinetiam quemquam è professa domo apud Germanicum, Romanum ve Collegium nisi admodum rarò & iusta de caussa prohibuit vesci: quò nimirum, si opus esset, iurare verius posset, nihil omnino ad ipsam domum ex Collegiorum fructibus peruenisse. Pauperem autem spiritu eum sibi denique aiebat videri, qui erga ea quibus vtcretur, ne esset affectus animo, vt instar statuæ cuiusdam videretur esse, quæ nullo pacto resistit recusatve, quominus omni quamuis pretioso amictu & ornatu consestim exuatur. Castitatis verò laudem Dei beneficio tantam adeptus est, vt ex quo die sese in beatæ Virginis fidem ac patrocinium cõtulit voto: nullam, vt initio dictum est, deinde quamuis præferuidus natura, carnis tyrannidem senserit. Porro in Societate nobilissimam hanc virtutem tanto studio custodiri volebat, vt nihil omnino neque in dictis neque in factis lasciuum aut petulans appareret: ac quoad fieri posset, nostri cælestem vitam in terris agerent, ab omni corporis contagione seiuncti. Quinetiam in scholis Terentium explicari (ni perpurgatus esset) quamquam optimum Latinitatis auctorem, & Romanæ comœdiæ principem, vetuit nominatim, quòd eum videlicet parum verecundum ac parum pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectione puerorũ animos imbui; ne plus moribus noceret, quàm prodesset ingenijs. ex quo facilè existimari potest, in cæteris rebus quàm acer & vigilans custos pudicitiæ fuerit.

Aequitas animi, & constantia eiusdem. Cap. IX.

ADVERSVS ea quę videntur acerba, & contra omnes varietates quæ in vita versantur, animo fuit semper ita præsenti, vt nunquam vel à statu naturæ, vel à religiosi dignitate discederet. Romæ cùm apud nobiles quosdam, vt solebat, de rebus diuinis familiariter ageret, instituto iã sermone, trepidus ab domo nuntius ei repente in aurem insusurrat, lictores in domesticam supellectilem à creditoribus immissos, cuncta miscere & euertere: vix ab eis impetratum sustinerent tantisper dum ipse tota de re certior fieret. His auditis Ignatius: Bene habet, inquit: & inchoatã disputationem admirabili tranquillitate animi absoluit. Quærentibus dein amicis quid subitæ rei accidisset: Noster, inquit, œconomus ad necessariam ædificationem ęre alieno contracto, in præsentia soluendo non est. impatientes moræ creditores ad auferenda pignora ministerium forense miserunt. ij perturbare dicuntur omnia. sed me res non mouet. nam strata si abstulerint, humi pro nostra paupertate cubabimus. vnum vereor, ne inter tumultum, commentarij de religione pereant, magna cura & labore confecti. hos ego sanè velim saluos: cætera negligo. Tum ij qui aderant, Patris patientiam admirati, facinus indignum exclamant; domum nostram aduolant; prædesque pro Ignatio facti, satellitum proteruitatem magno conuitio cohibent. neque ea res cuiquam amicorum fraudi fuit: siquidem aureis ducentis ab Hispano doctore, cuius modò meminimus, Hieronymo Arzio, & quidem quid accidisset ignaro, postera die submissis, nullo ipsorũ incommodo æs alienum est persolutum. Suscepta negotia in finem vsque perseueranter vrgebat; neque verò, quos sibi socios expeditionũ assumpserat, torpere patiebatur. Vbi necessariũ iter, vel quid aliud grauioris momenti destinasset in diẽ certã, præsertim si postularet occasio, nulla vi tempestatis, aut alia quauis difficultate deterrebatur, quominus ad constitutũ tẽpus cogitata perficeret. In adeundis principibus viris, quod ille necessariò & sæpe faciebat; cũctas aulę molestias, & indignitatẽ, & aulicorum contumaciã deliciasq; vorabat alacritate mirabili. accidit q; aliquãdo, vt aditu exclus⁹, commo-

A commodam admiſsionem horas ipſas quatuordecim ieiunus obſederit. Si quid, re bene perſpecta, conſiliarijs etiam adhibitis, decreuiſſet; haud ita facilè ſe ab eo deduci patiebatur. Ad Eccleſiaſticam diſciplinam pro ſua parte adiuuandam, ſtatuerat ne quis ex alijs ordinibus, quamuis eruditione, aut eloquentia, aut alia qualibet laude clarus, in Societatem admitteretur. quinetiam ſi quis per imprudentiam irrepſerat, qui vel diem vnum in alienis caſtris fuiſſet, contra nitentibus interdum aduenæ propinquis, amiciſque gratioſis, remittebat ad priſtina ſigna, vel ſi minus pareret, certè è Societate pellebat: ne cęteri nimirũ ordines de nobis conqueri poſſent; aut Societas quaſi quoddam perfugium deſertoribus eſſe putaretur. Neque minorem animi fortitudinem prę-ſtitit in ijs tuendis, quos, probato ipſorum ſpiritu & vocatione, in Societatem adſcri-pſiſſet. quorum conſtantia cùm à parentibus (vt fit) per ampliſsimos etiam viros acerrimè interdum oppugnaretur; Ignatius, vbi opus fuit, coram ſummo ipſo Pontifice, ſuorum cauſſam contra opes & gratiam, diuino fretus auxilio, ſine vlla dubitatione metuve, non ſolùm defendit, ſed etiam obtinuit. Itaque principes etiam viros Iulius III. Pontifex maximus feſtiuè admonebat, ne cum Ignatio contenderent; vtique ni vellent è certamine victi diſcedere. Cùm lege cauiſſet, ne quis è noſtris vel exſequiarũ, vel ſacrificij, vel cuiuſpiam omnino miniſterij nomine pecuniam aut eleemoſynam vllam acciperet, nedum cogeret; eam ipſe legem diligenter ſanctęque in omni vita ſeruauit; neque commiſit vnquam, vt fidem ſuam, in rebus præſertim ſacris, temerè obli-

B garet; vel (quod vitandũ eſt maximè) ſpecie pietatis quæſtum facere videretur. quo in genere illud inſigne memorant. Grauiter ægrotabat ætate iam deuexa, idem Hieronymus Arzius. ad hunc, viſendi cauſa (fuit enim in colendis amicitijs diligentiſsimus) cùm veniſſet Ignatius, hominemque benigno & ſpirituali alloquio recreare conatus eſſet; ille de futura vita ſolicitus, aureos ducẽtos ad piacularia ſacra pro ſe facienda ſudario inuolutos inſtitit Ignatio obtrudere. quos cùm obfirmato animo reiecisſet Pater, quòd diceret ſe alieno periculo doctum, ab huiuſmodi conuentis iam pridem abſtinere, neque plus oneris velle ſuſcipere, quàm quantum præſtare cum fide poſſet; admiratus ille ſanctimoniam & integritatem viri, eam ipſam ſummã paulo poſt ad eumdem ſine vlla conditione tranſmiſit. Tum Ignatius ſponte complures hoſtias ad expianda amici peccata decreuit; neq; in officij & caritatis certamine vinci ſe ab laico paſſus eſt. Pacem & concordiam (quoad officium & Dei gloria pateretur) non modò cum ſuis, verùm etiam cum alienis omni cura ſtudioq; retinuit ſemper; & cauit, ne, aut per ſe, aut per ſuos facto dictoue quemquam offenderet. Cùm Martinus Olauius, qui collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti vir ingenio doctrinaque, theſes aliquot de more propoſuiſſet, in quibus erat caput de Immaculato, vt appellant, Conceptu beatæ Virginis; licet ea de re Ignatius pro ſua egregia in Deum &

C Virginem pietate minimè dubitaret, tamen ne Fratres Dominicani qui ad diſputationem inuitabantur, id ægrè ferrent, ſeq; nominatim prouocari putarent, (contrariam enim ſententiam auctore D. Thoma tuentur eorum plerique) eam theſem induci tolliq; omnino imperauit. Anno Christi nati MDLIII. cùm Societas in Hiſpania, Deo adiuuante, maiorem in modum creſceret; grauia in noſtros crimina repente conficta ab iniquis, & Exercitiorum ſpiritualium præcipuè liber in ſuſpicionẽ apud ſacros Inquiſitores magno apparatu artificioque vocatus eſt. quo nuntio Romam allato, multi auctores Ignatio fuere, vt ſe ſuoſq; omni ope tueretur; accuſatorum calumnias & improbitatẽ in tanto præſertim ſuæ exiſtimationis ac famæ periculo redargueret. At ille, conſciẽtiæ teſtimonio ac Dei bonitate ſubnixus, nihil extimuit, remq; totam ſine vllo tumultu magiſtratibus cognoſcendam reliquit. quorum opera, & veritas breui patuit omnibus, & ex eo tẽpore Societas in ijſdẽ prouincijs feliciores in dies habuit progreſſus. Nec minor anno inſequente in noſtros qui in Gallia verſabantur, procella deſæuijt. Siquidem graui ab aliquot illuſtribus Theologiæ doctoribus, decreto propoſito, vſque adeo lacerata ac tantam in inuidiã adducta Societas eſt, vt eam non modò profanum vulgus, verùm etiam concionatores ipſi quotidianis probris & conuitijs è ſuperiore loco proſcinderent. Ei decreto criminibuſque ſcripto refutãdis cùm ſe aliquot è noſtris Ignatio paratos offerrent; ac res indigna, minimeque toleranda cunctis videretur eſſe; verbis ex Euãgelio deſumptis Ignatius: Pacem, inquit, do vobis: pacem meam relinquo vobis: neq; certamẽ cum aduerſarijs vllo pacto ſuſcipi eſt paſſus, quòd diceret, proculdubio fore, vt ipſa dies & noſtrorum innocentiam ſatis probaret, & inimi-

eorum cogitationes & consilia frangeret: id quod nõ ita multo post, Dei beneficio est D
factum: nam & accusatio tota breui consenuit, & ipsis criminationibus illustrata Societas radices in ijs regionibus egit altiores. Admirabilem verò facilitatem, vel potius animi altitudinem Romæ ostendit Pater in acerbissimis vicini cuiusdam iniurijs perferendis. namque is, vt nostros in proximam sibi domum immigrasse cognouit; cùm Ignatium sociosque, vt alij multi, sine caussa pessimè odisset; vna re valde lætatus est, quòd vendendi suas ædes, quippe nostris valde opportunas, & conficiendæ pecuniæ præclaram sibi occasionem oblatam putaret. Ergo, vt peregrinum ad conditiones quamlibet iniquas cogeret, varijs artibus patientiam hominis exercere constituit. ac primùm in atrij cuiusdam interiacentis, quod finibus nostris contineri constabat, possessionem impudenter inuasit: neque tamen Ignatius eam rem iudicio persecutus est. In id atrium deinde pauones, & alia demisit altilia; quæ obuersis in eam partem cubiculis nostris molestissimo clangore diu noctuque obstreperent: nequaquam expostulauit Ignatius. eidem, triclinij parietes in eam partem luminis caussa perforare volenti, per summam contumeliam restitit ille: nihilominus quieuit Pater, atque ob id ipsum cœco aliquot annos triclinio est vsus. Cùm hæc maximè ageret vicinus, vltrò Ignatium ac socios tota Vrbe instituit criminari, bipedumque nequissimos & cupidissimos dicere, qui in alieno solo, non contenti malè parta ingenti pecunia, domibusque per falsam religionem occupatis, possessiones in dies continuare, seque ipsum patrijs ædibus pænè per vim exturbare contenderent. Quæ res cùm delatæ ad Ignatium essent, E
non modò sedato animo tulit, vt cætera, sed etiam ex eo die Dominum deprecari pro aduersario cæpit ardentius. Denique cùm ille diuturna importunitate nostros ad quamlibet iniquum pretium perduxisset, & piorum subsidijs domus tandem esset coëmpta; ita ex ea migrauit, vt, quasi mox æquãda solo esset, sic omnia inde ferramenta, fores, fenestrarum obices, atque adeo elaborati lapidis quidquid potuit, secum asportauerit. neque tamen grauius ea de re questus Ignatius est. neque tali homini, aut vlli omnino mortalium vllo vmquam nomine litem intendit. Neque verò ab hominibus tantùm, sed etiam ab ipsis pæne temporibus, inuictum animum præstitit. siquidem nulla vmquam vel domestica inopia, vel publica annonæ caritate adduci potuit, vt contra CHRISTI consilium de crastino solicitus esset; aut, qui nomen Societati profiterentur, modò ad institutum idonei forent, eos, quamquam ingenti pressus familia, repudiaret. Atque hoc, eò magis homines mirabantur, quòd illo ipso tempore viri locupletes ac principes, inopiæ metu, multos è domesticis conuictoribus non sine rubore dimitterent. Itaque cùm ex Ignatio quidam è familiaribus pro amicitia sciscitaretur, quid ita alij diuites & pecunioſi, in tantis annonæ difficultatibus familiam sumptusque minuerẽt; contra ipse nullis vectigalibus, nullo certo reditu fultus, eamdem augeret? Non satis attendis, inquit ille, quæ sit vis ac natura virtutis illius, quam F
in Theologicis virtutibus secundam Apostolus numerat; cui, certis & exploratis in rebus locus esse quî potest? Spes enim, vt idem ait, quæ videtur, non est spes. nam quod quis videt, quid sperat? Neque verò timendum esse, ne qui aues cæli pascit, & agri lilia splendidissimo vestit ornatu, quæ neque serunt, neque nent, neque in horrea congregant; idem suis operarijs in Ecclesiæ vinea nullo stipendio laborantibus, necessaria ad exigendam vitam alimenta deesse patiatur. Quod ille videlicet cùm iam inde ab ipsa conuersione multis documentis præclarè didicisset; tum verò post susceptа Societatis gubernacula, magis magisque experiebatur in dies. quo in genere, ne sim longior, nonnulla subnectam. Cùm in sumptus quotidianos aliquando esset opus præsenti pecunia; atque ad nescio quid coëmendum Ioannes Cruceius rei domesticæ curator exisset, incerta etiamtum luce quidam ei repente sacculum auro plenum obtulit, ac nihil effatus, illicò sese è conspectu proripuit. Ioannes verò, qua erat simplicitate, vt auri speciem vidit, illusionem ac præstigias diaboli suspicatus, in proximam ædem beatæ Mariæ supra Mineruam sese recipiens, diuinam opem suppliciter implorauit. domum deinde regressus, pecuniam inspectam, & forma & materia probam repperit: Deique clementiam ac benignitatem admirans, in ea quę destinauerat, sine cuiusquam damno vel molestia insumpsit. Idem, cùm in magnis rei familiaris angustijs Deo superisque in Laterano supplicasset; in reditu ad Colossæum theatrum illi si bitò vir quidam ignotus aureos centum in manum dedit, ac statim apparere desijt. Quare Ioannes

non

A non tam lætitia quàm horrore perfusus, pecuniam domum attulit. Ignatius verò gratias quidem egit Domino, sed talibus iam pridem assuetus, nihil rei nouitate commotus est. Rursus nostris pecuniæ inopia laborantibus, quidam è Patribus dum nescio quid exquirit in arcula tomento scrutisque vilissimis plena; nihil minus opinanti venit in manus chartaceum inuolucrum aureis refertum ita nitidis atque micantibus, ac si tum primùm ex officina prodirent: quo tam insperato subsidio præsenti egestati peropportunè subuentum est. Quodam die sub vesperam, cùm domi panes, vinum, ligna penitus defecissent; postridie manè, præter omnium exspectationem, à nobili matrona vehes lignis onusta submittitur. ea ligna dum in cella vinaria, vt fit, condit ianitor; ianuam domus patentem reliquit imprudens: recordatus deinde, cùm ad occludendum accurrisset, repente modios aliquot frumenti, & vini cados in ipso vestibulo reperit: neque adhibita quantauis diligentia vmquam rescire potuit, quis ea dona misisset. Hæc igitur & alia eiusmodi subinde accidebant, quæ politico supercilio rem æstimanti, friuola cuipiam fortasse videantur, sed certè & paternam in famulos, Dei prouidentiam satis declarant; & Ignatij securitatem atque fiduciam ab omni stultitiæ, vel temeritatis infamia vindicant.

Eiusdem ratio gubernandi. Cap. X.

B IN consilio capiendo, & rebus gerendis, cùm Deum semper, vt dictum est, accurata supplicatione consuleret, tum verò (quòd mirum fortasse cuipiam videatur) non pietatis gustum, sed rationis ductum præcipuè sequebatur: vt non rationem spiritus dulcedo præiret, sed dulcedinem ratio. Hoc enim aiebat vno maximè belluis homines antecellere, quòd hi ratione vtantur, illæ nequaquam. Idem ad exsequenda consilia, quoad fas esset, omnes artes & humana præsidia sic adhibebat, quasi omnem spem in ijs repositam haberet; rursus ita Deum orabat, & ex eo pendebat vno, ac si nihil omninò in rebus humanis opis aut perfugij collocaret. atque hoc pacto (quod longè optimũ ac perfectissimum est) prudentiam cũ pietate iungebat, ipsaq; negotia tanquam onera paribus examinata ponderibus, quãuis difficili ac lubrico itinere ad optatos plerumque exitus perducebat. Ad consultandum autem, illud obseruabat in primis, vt in quaque re semper eius rei peritissimos adhiberet. qua communicatione ac lenitate nimirum assequebatur, vt & rationes iniret optimas, neque in arte sua se quisquam ab eo vel præteritum, vel contemptum, iure conqueri posset. Ac cæteris etiam in rebus, videbat etiam atque etiam, vt vniuscuiusque dignitatis, ætatis, ac meriti ratio haberetur. Petronius erat Pisaurensis, qui ante aliquot annos mortuus
C est, egregia pietate & virtute presbiter. is, cùm tres minores natu germanos fratres ad Societatem suis adhortationibus perduxisset; eum semper Ignatius adolescentulis loco parentis ac præsidis voluit esse: neque de ijs grauius quidquam, nisi ex illius auctoritate ac sententia statui passus est. Ad officia vel negotia, quæ per se obire non posset, cum viris principibus transigenda, viros eligebat, rerũ vsu ac dicendi copia præditos, atque ijs ita vel scripto, vel verbis mandata dabat, vt liberum ijs omnino relinqueret, cùm in rem præsentem veniissent, suo ipsorum arbitratu cuncta ex re, & ex tempore moderari. Idemque sub vesperam ad se redeunti cuipiam ex ijs, cùm rei gestæ rationem ab eo reposceret, primùm omnium: Satin' (aiebat) ex animi tui sententia? quæ liberalitas hominis, & ipsi caussæ proderat multum; & suorum illi mirè deuinciebat animos: & eosdem ad exequenda negotia perquàm alacres promptosque reddebat. Anno post CHRISTVM natum MDLIII. cùm ad res in Lusitania componendas Michaelem Turrianum legaret, haud ita pridem in Societatem admissum; licet ei varias præceptiones ac monita ediderit consignata litteris; tamen cùm probè nosset fidem ac prudentiam viri, non modò permisit, vt cùm in prouinciam perueniisset; suo arbitratu consilia rebus aptaret; sed etiam permulta ei dedit folia pura, suo munita chirographo, quibus ille prout opus esset, quidquid videretur, inscriberet, ac deinde obsignatas epistolas cuicumque expediret, ipsius nomine redderet. atque hanc consuetudinem laxè cum procuratoribus ac nuntijs agendi, semper magno cum emolumento retinuit. Quin etiam præfectis inferioribus minimè malignè suum cuique ius ac

poteſtatē impertire conſueuerat: cauebatque diligenter, ne, quæ per eos agenda forent, D
vſurparet ipſe; vel ea re quidquam omnino apud ſubiectos de illorum auctoritate vel
exiſtimatione minueret. Verùm tamen ijs ita laxabat habenas, vt eaſdem adduceret
quoties vellet; nec non in eorum inſtituta, moreſque & adminiſtrandi genus diſsimu-
lanter inquireret. Exſtat epiſtola ipſius ad Præpoſitum prouinciæ Luſitaniæ, in hanc
ſententiam ſcripta; cuius mihi partem hoc loco inſerere viſum eſt: Neque verò Pro- „
uincialis aut Generalis Præpoſiti officium eſt, inquit, minuta quæque, ac temporaria „
præſertim, in adminiſtrando ſectari: ſed cùm ad perſonæ dignitatem honeſtius, tum „
ad tranquillitatem animi tutius eſt, ea præfectis inferioribus delegare, & rei confectæ „
rationem ab eis deinde repetere. Equidem in meo fungendo munere id ipſum ſequor: „
atque huiuſce conſilij maiorem in dies fructum capio, quippe cùm & labore & ſolici- „
tudine leuari me magnopere ſentiam. ac tibi quoque valde ſum auctor, vt curas & co- „
gitationes tuas defigas in cōmodis & ſalute potiſsimū vniuerſæ prouinciæ: & in rebus „
quidem ſingulis ordinandis ac diſponendis, cùm opus eſt, & ipſe verſare, & hominum „
tuo iudicio peritorum ſententiam exquiras; cæterùm ab ijſdem rebus per te curandis „
tranſigendiſque vt plurimum abſtineas, ſed inſtar excelſi cuiuſdam motoris, orbes ti- „
bi ſubiunctos æquabiliter & cum grauitate ciere pergas: à quibus deinde, vt à proxi- „
mis cauſsis, propria cuiuſque effecta proueniant: quòd ſi feceris, & plura, & magis tuo „
muneri conuenientia, ſine tumultu ac trepidatione confeceris. Præterea illud eſt in „
hac ratione commodi, quòd ſi quid in agendo peccetur, eius peccati præſtat in tuis ad- E
miniſtris, quàm in te reſidere culpam: ac multo magis decet, quidquid ipſi delique- „
rint, corrigi abs te, quàm ſi tu erraueris (quod perfacilè eſt ſingula curioſius perſequē- „
ti) te ab inferioribus emendari. Quod reliquum eſt, nobis Dominus IESVS CHRI- „
STVS, ad ipſius voluntatem & clarè intelligendam, & ritè exſequendam pro ſua be- „
nignitate lumen ac vires impertiat. Romæ XI. Kalend. Ianuarias MDLII. Hanc igitur „
Societatis gubernandæ regulam inſtinctu planè diuino tenebat Ignatius, eamque in
omnes partes plurimum aiebat valere. Primùm, quòd inferiores præfecti, quò plus cre-
di ſibi, & quò liberalius tractari ſe vident, eò libentius, ne videlicet humanitate vin-
cantur, vltrò ipſi cum ſuperiore communicent. deinde, quòd multo acrius ac ſtudio-
ſius verſentur in opere: nam vt quiſque maximè ſuum habet negotium, ita ſummam
in eius procuratione vigilantiā præſtat. accedit, vt maior ſit in diſpiciendo ac ſtatuen-
do claritas, maius auxilium Dei, quippe ſicut in rebus communibus, cum vniuerſali
præpoſito numen cæleſte præcipuo fauore conſpirat; ſic idem proprijs cuiuſque præ-
fecti muneribus, ſuo quodam ac peculiari munere aſsiſtit. quorum ſi facultas & aucto-
ritas à ſuperioribus nimis arctè circumſcribatur, & quæ per hoſce tractanda ſunt, illi
ſuſcipiant; primùm ipſa diffidentia odioſa eſt, &, vt in alienis quodammodo rebus,
continuò langueſcit induſtria. deinde per eam cupiditatem & ambitionem, peculiaris
ille, de quo dictum eſt, diuinæ gratiæ quaſi concurſus amittitur. præterea, cùm ad rem F
bene gerendam, & facultas & ſcientia neceſſariò requirantur; ſcientia plerumque in-
eſt ei, qui rem ipſam ex officio tractat, habetque ſubiectam oculis. huic ſi minuatur ius,
& ſuperior ipſe, cauſſa non æquè bene cognita, rei tranſigendæ ſe immiſceat; ingenti
prorſus malo poteſtas à cognitione ſeiungitur: atque hinc nimirum in omni cœtu ſu-
ſpiciones, diſcordiæ, rixæ, cùm rectores & curatores non contenti ſuo munere, alter
in alterius partes inuadunt: perque ſummam confuſionem tollitur diſcrimen officio-
rum, & ordo ille, quo nihil eſt in hac rerum vniuerſitate præſtantius. Ad hæc, vbi is
qui deſtinatus eſt quopiam, certis alligatur præceptis, rarum eſt vt quidquam è ſen-
tentia poſsit efficere. magna enim conſilij pars eſt in tempore, & nouis quotidie caſi-
bus interdum ipſa negotiorum ſpecies immutatur: quibus in rebus dum religione oc-
cupatus animus hęret, dum fluctuat apud ſe, dum cogitur ad abſentes referre; interim,
irreparabili ſæpe damno videlicet, occaſionis præteruolat opportunitas. Quæ cùm
præclarè Ignatius noſſet, cum ſuis adiutoribus procuratoribusve, niſi ſi res aliter po-
ſtularet, ea quam dixi facilitate vtebatur. Itaque & in magnis & arduis plerumque a-
ctionibus voto reſpondebat euentus; & tanta erat ipſo regente concordia, is ordinum
conſenſus, vt ſocietas tota vno eodemque ſpiritu ductuque agi videretur. Beneuolen-
tiam & caritatem ſuorum erga ſe, non ſolùm affabilitate, manſuetudine, cæteriſque
virtutibus, verùm etiam induſtria quadam alebat: cauebatque, diligentiſsimè, ne quid
admitteret, cur eorum quiſpiam ab illo ſe minus vel diligi, vel probari putaret. quòd
in crean-

A in creando primùm Generali Præpoſito ſeruauit, vt dictum eſt; ac deinde retinuit in ſufficiendo ſibi, cùm ægrotaret, Vicario Generali: nec non in eligendis, qui Marcello Pontifici maximo, vt item ſupra dictum eſt, Pontificis ipſius iuſſu, in Palatio adſiſterent. quam nominationem ad ipſorum Patrum conſilium reiecit; ne certos ipſe appellando, cæteros ad eiuſmodi munera minus idoneos iudicaſſe videretur. Præterea, ſi quid pro imperio aſperius exſequendum eſſet; eius inuidiam ad inferiores adminiſtros reijcere ſolitus eſt, ipſis videlicet non inuitis; communemque parentem piè ac religiosè tuentibus. Qui hominibus cum poteſtate præſunt, hos cùm aliæ fraudes & mala circumſtant, tum illud in primis, de quo ſanctus Bernardus ad
» Eugenium: Eſt item vitium, inquit, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes qui cathe-
» dras aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius, quia veraciter ſingulariterque leuaſti te
» ſupra te, iuxta Prophetam. Facilitas credulitatis hæc eſt: cuius callidiſsimæ vulpecu-
» læ, magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias. Ab hoc igitur ſcopulo, ſicut à cæteris, magnopere Ignatius declinabat: quippe ſatis ad omnē animaduertionem ipſa varietate ſuorum temporum eruditus. ac delatoribus ita vnam aurem præbere conſueuerat, vt ſemper alteram reo reſeruaret abſenti. Quin etiã accuſatoris ipſius, inter dicendum, geſtus, oculos, vultuſque omnes attentè obſeruabat: crebriſque ac minutis interrogationibus, veritatis eliciendæ gratia fatigabat hominem: totam deinde rem, ſi o-
B pus eſſet, per ſe & per idoneos viros omnibus veſtigijs indagabat leniter ac ſine tumultu: cauebatq; non modò ne quemquam damnaret indicta cauſſa, verùm etiam vt ne quid omnino præiudicati ad cauſſæ cognitionem afferret. Illud etiam, in rebus præſertim grauioribus, obſeruabat interdum; vt accuſatorem iuberet ſua manu ſcribere, quæ deferret: primùm quòd hominum naturam pronam eſſe ad maledicendum intelligeret, & ſtylum quàm linguam longè facilius contineri: tum etiam, vt ſi quod mendacium, vt fit, tempore procedente exſtitiſſet, id, ipſo delatoris chirographo teneri & coargui poſſet. atque hoc temperamento fiebat, vt neque ſi quid grauius accidiſſet, ignoraret Ignatius, neque innocentes per calumniam aut per factionem circumueniri vel opprimi ſineret. Idem omnes reipublicæ partes vigilanter curabat; neque committebat (in quo grauiter à magiſtratibus fere peccatur) vt dum vnã amplecteretur, deſereret alteram. Verùm tamen præcipua quadam fuit obſeruatione in hominibus ad Societatem adſcribendis. quam ille rem tanti momenti ducebat eſſe, vt cùm alioquin è cuſtodia corporis euolare quàm primùm optaret, hanc vnam ob cauſſam in aliquot annos propagari ſibi vitæ ſpatia cuperet; quoad nimirum tyrocinij formula ac diſciplina, ad Societatis vſum & inſtitutum probè conſtituta foret. Tyrones autem ille non à naturali quadam bonitate, vel potius tarditate; ſed à vigore magis ingenij, & rerum gerendarũ adiumentis, legebat: negabatque, qui ad populi negotia factus non eſſet, eumdem eſſe ad miniſteria Societatis idoneum. Quòd ſi quis bardum quempiam eo nomine obtru-
C deret, quòd ipſum vtique è ſæculi naufragio diceret euaſurum; nihilominus recuſabat Ignatius, neminem affirmans è Societate IESV dicendum eſſe, qui ad ſuam vnius, non etiam ad aliorum ſalutem, & acriter & ſcienter poſſet incumbere. Quos autem ad probationem admiſerat, eorum ſpiritum dabat operam vt quàm plurimis experimentis cognoſceret penitus: neque illos tantùm ad ſuauem quemdam ſenſum pietatis (quo imperiti omnia metiuntur) ſed ad veras ac ſolidas virtutes erudiebat: ac præſertim (quod ſæpe iam diximus) vt ad nullius rei quamuis cæteroqui laudabilis amorem tamquam ad ſcopulum adhæreſcerent, ſed ab omni alia cupiditate, vel etiam propenſione ſoluti ac liberi, ex vno tantùm ſuperiorum nutu ac voluntate penderent: neque aſſueſcerẽt abditos eorum ſenſus exquirere, vel imperitia ſciſcitari; vel quem, quibuſve de cauſſis, ijdem aut ſupra cæteros tollerent, aut etiam infra, ſuo arbitratu deprimerent: ſed illis omne iudicium & conſilium à ſuperis datum; ſibi ſimplicitatis & obſequij gloriam eſſe relictam putarent: eſſentque proinde ad omnia quamuis ardua & abſurda & ſubita paratiſſimi. Omnes omnium querimonias perbenignè audiebat: ac ſolabatur verbis humaniſſimis. atque etiam diligenter curabat, vt ſalua religionis diſciplina, & Præfectorum dignitate, vnicuique ſatisfieret. Neque verò minori vigilantia & ſeueritate Præfectos ipſos quàm reliquos omnes in officio continebat; quinetiam tanto plura maioraque ab illis, quàm ab his exigere ſolitus eſt, quanto ſuperiores inferioribus, gradus & virtutum inſignibus antecellunt. Idem, in reſpondendo agendoque, ſimplicitatem ita cum cautione coniunxit, vt ſatis appareret, alteram

alteri non

alteri non modò impedimento non esse, verùm etiam ornamento atque præsidio. Suspensa, vel ambigua, vel obscura verba, perplexum de industria incertumque sermonem; vti barbaras artes; & subdola mendacij tegumenta, fideique ac societatis humanæ perniciem, semper est detestatus: ac suo monstrauit exemplo veritatis cultor eximius, quantum inter prudentiam & calliditatem intersit.

Eiusdem ratio proximos adiuuandi.

Cap. X I.

IRAE fuit solertiæ in solicitandis mortalibus, & à diaboli seruitute ad Christi Domini obsequium traducendis. ac quibus artibus dæmon ad animarum perniciem vtitur, easdem ipse (quoad liceret, ac fas esset) ad hominum salutem ac beneficium transferebat. Voluntates ac naturas eorum quibus cum ageret, festinè odorari; ambitiosis splendida, auaris vtilia, voluptuosis iucunda proponere; & suo, quod aiunt, hamo vel esca quemque piscari. Iam in congressu, maximè Principum, id obseruabat in primis, vt sermonis initia illis daret, extrema reseruaret sibi: cauebatque ne de rebus etiam diuinis ineptè vel ad satietatem ac fastidium ageret. Tristem verò & horridam sapientiam (vtique postquam in lucem hominum prodijt) semper vitauit: cumque philosophiæ nomen ipsum, intelligeret, etiam si modestè tractetur, tamen satis odiosum esse per se; nihil in habitu suo, vel in genere vitę, rarum aut notabile conspici voluit: ac semper sese, quibus rebus honestè ac religiosè potuit, ad communem consuetudinem accommodauit; neq; commisit, vt quòd ipse non faceret, id in alijs reprehendere putaretur: prorsus, vt eius mores prima fronte, vel eminus intuenti, vnus aliquis è populo videretur esse: verùm quò propius illum inspicetes, quò diutius ac familiarius vterere; eò magis præstãtiam virtutesque viri, tanquam odorem ex affrictu sentires. atque id ipsum est causſæ, cur nostris nullam in vestitu ornatuve, religionis iniunxerit notam: sed quò facilius in hominum cœtus & consuetudinem irreperent, ac tempestiuis colloquijs vnumquemque adiuuarent; vbicumque gentium versarentur, quàm modestissimo eius gentis habitu iussit incedere: neque vllum dare signum animi à sensu communi vel ab humanitate abhorrentis. Idem valde vituperabat moderatores animarum eos, qui vel vna eademque via, ac fermè quam ipsi tenuissent, cæteros etiam ad studium virtutis conarentur adducere; vel, dumtaxat si quis ad pietatem esset sua sponte propensus, formandum regendumque susciperent: sed ipse nimirum vel feros & barbaros homines non dubitabat aggredi, sic, vt à singulis quod dabatur acciperet: & quos ad consilia Christi prouehere non posset, certè ad præcepta sensim allicere nitebatur. atque vt bonus agricola non tantũ rectas & fructuosas arbores, sed etiam deprauatas, neque ita fertiles colit; easque vel adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat, vel sub aliena latentibus vmbra cælum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; sic ille, rerum difficultate nequaquam exterritus, dispiciebat in primis quod ingenium qua ratione tractãdum esset; ijsdemque sæpe morbis, pro varietate naturę, non diuersas modò, sed etiam contrarias inter se medicinas adhibere consueuerat. Quòd si quem, omnia expertus, tamen è cœno peccatorum extrahere nequiuisset; non ideo contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset; sed conscientiæ & officij fructu contentus, acquiescebat in alto Prouidentiæ diuinæ consilio. De spirituum discretione (quam ille scientiam habuit maximam) deque moderandis affectibus, multa præcepit egregiè: quæ quoniam exstant scripta (quemadmodum initio diximus) nihil est quod à nobis hoc loco ingerantur.

Vita eius

A

Vita eius quotidiana, & domestica.
Cap. XII.

SOCIETATI Præpositus, deuexa iam ætate; viuẽdi priuatim hanc fermè normam tenebat. Manè, vt primùm euigilasset, certum tempus dabat precationi, & contemplationi bonorum cœlestium; deinde, si sacrificandum illi esset (quod munus propter summam animi attẽtionem, & corporis imbecillitatem, sæpe intermittere cogebatur) sacro, sub vesperam pridie, ad Vrbis consuetudinem ordinato, & accuratè præcognito, rem diuinam faciebat: quæ recitanda forent, vel in priuato sacello, nemine præter administrum adstante, contra morem Hispanicum elata pronũtians voce. vsque adeo Ecclesiæ Romanæ ritus omnes & cæremonias adamauerat. A psallendo, quamquam inuitus abstinebat, quòd ei propter vim lacrymarum, & frequentem ecstasim qua corpus mirè affligebatur, eiusmodi officio summus Pontifex nominatim interdixerat. A sacro, si cuius negotij caussa prodeundum esset, comite v-
B no prodibat: si minus, admittendis audiendisque vel domesticis vel externis operam dabat, serena pariqué semper, vt diximus, fronte: minimè suspicioſus ille quidem, aut timidus; attamen apprimè circumspectus ac prouidus; vt illi non facilè quisquam posset imponere. Actiones autem omnes, è diui Basilij præcepto condiebat tacitæ precationis sale: seque ipsum, vt dictum est, excutiebat subinde, ne quid labis ex quotidiano mortalium rerum vsu contraheret. A prandio, post gratiarum actionem, remissionis caussa, de rebus haud ita serijs molestisve sermones habebat iucundos; qui tamen, vt plurimum, ad agendi & gubernandi scientiam facerent. Inde vel actibus publicis, vel subscriptioni lectioniqué epistolarum, tempus dabat. ac multá etiam, prout res exigeret, sua manu exarabat ipse. tum, si hora suppeteret, suorum acta recognoscebat. à cœna verò, insequentis diei negotia disponebat; accersitisque administris, vel procuratoribus, sua cuique seorsim dabat mandata: deinde cum eo quem sibi à secretis elegerat, per otium agebat: eo dimisso, ad multam noctem solus inambulabat innixus baculo, maiorem in modum attentus meditansq; apud se: postremò, quod supererat temporis, necessariæ tribuebat quieti; id erat spatium horarum circiter quattuor. Cubiculo vsus est perangusto ac tenebricoso; cuius formam nec successores quidem adhuc, religionis, vt puto, caussa mutarunt. cibi potusque fuit adeo parcus, vt gustatum funditus perdidisse videretur; nisi si quando pauculis vescerétur castaneis, quibus patrio more puer olim assueuerat. nulli vmquã ferculo quamuis famelicus ac ieiunus, arrisit;
C nullum edulij vel condimenti genus cuiquam indixit; nihil vmquam inter edendum est questus; licet per adiutorum insciti am incuriamve cibaria malè cocta conditaque; vinum etiam fugiens aut acidum prẽberetur. nihil denique sibi propriè apponi voluit vmquam: & grauiter administrum aliquando punijt, quòd vuæracemum vni sibi præter cæteros attulisset. quæ sanè peritus rerum æstimator haud ita leuia duxerit, si hominis vel ætatem ipsam, cui multa dantur, vel infirmitatem valetudinis plura imperantem, vel denique summam inter suos potestatem & licentiam, vt ita dicam, suo arbitratu viuendi, consideret. Munditias in victu cultuque dilexit; sed faciles, & nequaquam exquisitas; cuiusmodi & viatorem, & CHRISTI famulum decent: placuitque ei semper, ad alliciendos præsertim homines, vt dictum est, non incompta frugalitas. Ac de Ignatio quidem (quòd me non fugit) alia id genus multa narrantur; verùm singula persequi necesse non est. tantùm ad viri mores virtutemque intelligendam, hæc pauca libauimus.

Pieta-

Pietatis opera publicè per eum inſtituta. *Cap. XIII.*

D



NTER ipſam Societatis adminiſtrationem, cui potiſsimum inſeruiebat, nõ exiguam partem curarum alijs quoque rebus impertijt, atque ijs maximè, quæ ad ſalutem & commodum populi, atque ad ſplendorem ac dignitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinerent. De curandis ægrotis, & pœnitentiæ ſacramento, Innocentij tertij Papæ lex eſt: Aegrotos niſi peccata ritè confeſſos, à prima inſpectione medici neve adeunto, neve curanto. Ea lex cùm ipſa deſuetudine propemodum antiquata eſſet, perfecit Ignatius vt ſalutaris illa conſuetudo, longo interuallo reuocaretur; viſendi tamen ſpatio in alteram vſque vicem extracto: qua moderatione videlicet, ſimul & publicæ exiſtimationi, & ſingulorum animis corporibuſque conſultum eſt. Mulierculas à maritis cum pudicitiæ capitisve periculo diſſidentes, matronis ditioribus in officio continendas ac ſuſtentãdas diuidere conſueuerat: ſed cùm creſceret numerus; ne cui grauior eſſet impenſa, locum ijſdem recipiendis alendiſque publicè parare conſtituit; ſuumque conſilium impertijt primoribus ciuitatis. quibus rem ita E probãtibus, vt nemo tamen ſe profiteri vellet tam glorioſi operis principem, hanc rationem Ignatius inijt rei ad exitum perducendæ. Ex area templi noſtri Petrus Codatius procurator lapides ingentes effoderat, cuiumoſdi multi ruinis veteribus continẽtur. hos igitur lapides, in magna rei familiaris inopia vendi, & ſummam ex ijs confici aureorum centum Ignatius imperauit: eam pecuniam cùm ad opus inchoandum primus in medio poſuiſſet, tantum reliquis ardorẽ iniecit (inſita mortalibus natura propere ſequendi quæ inchoare piguit) vt ex voluntaria collatione inſtitutum ſit cœnobium, quo eius generis fœminæ ſeſe reciperent; ibiq; ſecũræ tamdiu deliteſcerẽt, quoad compoſitis controuerſijs in gratiam cum maritis redirent: atq; idcirco cœnobium (vt ſupra diximus) Malè nuptarum vulgò appellatum eſt. Ad eius autem loci cuſtodiã atque adminiſtrationem Ignatius piorum hominum ſodalitatem adhibuit, prudenti ſanè conſilio. Etenim in communem vtilitatem intẽtus, ne vno dumtaxat munere implicitus teneretur, vt quodq; opus abſoluerat, confeſtim eius operis procuratione certis atque idoneis hominibus demãdata, ipſe animum & cogitationem ad alia deinceps atque alia trãsferebat. Parthenonem etiam ſanctæ Catharinæ, cui à Funarijs vel à Roſa cognomen eſt, Ignatius idem inſtituit. quo in Parthenone puellæ forma eleganti, quarum pudicitia periclitaretur ob anguſtias rei familiaris, magna prẽfectorum diligẽtia conquiſitæ, interdum etiam pro poteſtate, ſi res exigat, è complexu parẽtum abreptæ, F hodie ad centum & quinquaginta ſub clauſtris, & ſanctimonialium fœminarum diſciplina, magno labore & impenſa educantur: eẽdemque, ſimul atq; maturum eſt, vel perpetuæ religioni & caſtitati ſponte ſe conſecrant; vel idoneis viris dantur nuptui, dote à loci prẽſidibus perſoluta. Non minus laudabile quod ſequitur. Cùm plurimi bonæ interdũ indolis pueri & puellæ, vt in Vrbe plena peregrinis & aduenis, deſtituti vel orbi parentibus, miſerandũ in modum per plateas & compita ſeminudi & egentes errarent; vtriuſque ſexus & commodis & ſaluti, eodem Ignatio ſuadẽte, prouiſum eſt. Itaque ex eo tempore duabus in ædibus, hoc eſt ſanctæ Mariæ in Aquiro, & ſanctorum quattuor Coronatorum, maſculi ſeorſum ac fœminæ, & gratis aluntur, & rudimentis Chriſtianæ fidei, ac partim litteris, partim etiam neceſſarijs ad vſum reipublicæ artibus atque opificijs imbuũntur. Vtriuſque autem ſexus eſt hac tempeſtate numerus capitum amplius ducẽtorum; quorum illi præter domeſticas exercitationes, ad funera quoq; proſequenda pſallentes & candidati procedunt; hæ, vbi adoleuerint, vel maritãtur, vel in ſacratarũ virginũ collegia ſeſe conferunt. Quinetiam, quòd olim in patria ſua perfecerat, idipſum Romæ quoq; molitus eſt: vt vlceroſi ac mẽdici per compita miſerè quiritantes, vnum in locũ coacti, publica impenſa ex cenſu & collationibus alerentur. eamq; rem ingenti ciuitatis approbatione ad exitũ perduxiſſet, ni pauci potentes, neſcio quo ſpiritu impulſi, huic tam præclarę actioni obſtitiſſent. Ad hęc, è quiſquilijs Hebræorũ li cũpiã Euangelij lumen affulſerat, hunc hoſpitio confeſtim acceptũ Ignatius pro ſua tenui-

A tenuitate liberaliter ac benignè tractabat, quoad Christianis præceptionibus eruditus baptismatis fonte renasceretur. neque à procurandis neophytorum commodis ante destitit, quàm ex auctoritate summi Pontificis ædes paratæ sunt, quas Catechumenorum appellant: quibus in ædibus hodie masculos seorsum ac fœminas, cùm aliorũ, tum præcipuè Gregorij XIII. Pontificis maximi munificentia largè sustentat. atque etiam (quod expressius caritatis argumentum est) baptizati ex eo loco non ante mittuntur, quàm aut litterarum præsidio quas interim edocentur, aut artis cuiuspiam, necessaria sibi in reliquam vitam adiumenta parauerint. quo pietatis officio multi ex eadem secta permoti, magno bonorum gaudio, sese quotannis ad CHRISTVM adiungunt. Illud verò optimum, quòd ad Catholicæ fidei reliquias in Septentrionali plaga fouendas, augẽdasque, auctore atque adiutore in primis Ioanne Morono Cardinali amplissimo, Seminarium clericorum in Vrbe condidit, dato negotio nostris hominibus, qui conquisitos bonæ indolis adolescentes Romam ex ijsdem regionibus mitterent. atq; id Seminarium, siue collegium Germanicum, vt appellant, acerbissimis deinde tempestatibus, ingenti labore ac perseuerantia tutatus Ignatius est; præstantissimis è tota Societate doctoribus ad eam iuuentutem & litteris & moribus instituendam adhibitis. quòd opus & Ecclesiæ Romanæ ornamento, & Germaniæ magno adiumẽto & fuisse, & esse hodie vel maximè constat, cùm in eius pæne collapsi instaurationem & amplificationem, idem Gregorius XIII. pro sua præcipua in eas nationes clementia &
B voluntate vehemẽter incubuit. Nec Germanicæ modò, sed cæterarum quoque gentium pueros & adolescẽtes Ignatius, pijs ac liberalibus disciplinis imbuendos (quam vnam expeditissimam emendandi generis humani rationem ducebat esse) per se suosque admonitu plane diuino suscepit: atque ob id ipsum, gymnasia, quibus æquè infimi ac summi gratis erudirentur, non Romæ solùm, sed etiam toto pæne terrarum orbe constituit, summa adhibita cura, vt ne quid professores nostri, quamuis acutum & plausibile afferrẽt peregrini vel noui dogmatis, nedum ab orthodoxa fide abhorrentis, verùm in singulis quæstionibus celeberrima quæque & probatissima doctorum placita sequerentur.

Quædam de Ignatio mira. Cap. XIV.

C PRAETER ea quæ superioribus libris Ignatio diuinitus accidisse retulimus, non pauca de eodem admirabilia prædicantur: quorum aliqua nobis hoc loco exponere visum est. Recenti conuersione, Hierosolymam petens, dum Barcinone transmissionem exspectat, interea diuinam rem, sacras conciones, & alia religionis officia quàm accuratissimè obire non destitit. Accidit autem aliquando, vt cùm in templo verbum Dei audiret; conspicata hominem fœmina princeps, peregrini habitu fœci plebis immissum, videre sibi visa sit eius caput ac faciem eximio quodam fulgore splendentem, idque tanta sua cum animi voluptate, vt quamquam inuita ac repugnãs modestiæ caussa, tamen ab eo aspectu oculos nulla ratione posset auertere. Igitur concione dimissa, nihil ei fuit antiquius, quàm vt mariti permissu, peregrinum per idoneos homines oppido conquisitum hospitio acciperet. qui domum ingressus, percunctantibus illis, quis aut cuias esset; peregrinari se Hierosolymam dixit, neque de se ipso verbum vltra addidit: verumenimuerò sermonem de rebus diuinis instituens, omnes qui aderant, cælesti quodam solatio lætitiaque perfudit. Qua re vehementius etiam permoti, operam dedẽre, vt nobilis quidam vir, ipsorum propinquus, in Italiam traiecturus, vnà cum Ignatio conscenderet, rati, nauigium vtique tali vectore perire non posse; neque eos fefellit opinio: siquidem alia nauis, cùm eodem fere tempore vela feciſſet, non longè à portu vi tempestatis absorpta est; at verò qua Ignatius vehebatur, celerrimo cursu Caietam incolumis tenuit. post reuersionem verò, dum Barcinone, vt initio dictum est, Grammaticę rudimentis operam dat, res accidit ad viri sanctitatem illustrandam haud leuis momenti. In parœcia beatæ MARIAE, cui à Mari cognomẽ est, ad plateam Lullianam, Lyssani duo fratres de patrimonio diutius litigauerant. Ac denique à iudicibus lata sententia, is qui caussa ceciderat, prę nimio dolore ad vltimam desperationem redactus, impulsu dæmonis è cubiculi trabe laqueo se suspendit: eã

dit: ea re cognita vicini ad tetrum illud ſpectaculum confluunt, mirantes hominis fa- D
cinus, miſerãtes inſaniam. Id ſimulatque Ignatius audiuit, confeſtim aduolat, pendentem ex infelici tigillo reſtem præcidit, hominem vel cadauer potius collocari iubet in lectulo. deinde ſeorſum nixus genibus pro ſalute ipſius Deum orare non ſine lacrymis inſtitit. Res mira. deprecante Ignatio, cunctis qui aderant in lectulum obuerſis, & exſpectatione ſuſpenſis; miſer ille repẽte ſuſtulit oculos, vociſq́ue vſum eatenus dumtaxat recepit, quoad vocato celeriter in id ſacerdoti peccata ritè confeſſus, ac demum expiatus, animam è Tartari faucibus ereptam Domino reddidit. cuius rei fama totam vrbem, fineſq́; illos magna cum omnium admiratione peruaſit; & ſuperſunt hodie, qui meminerint: à quibus ego id ipſum Barcinone diligenter quæſiui. Ac multo poſt, Romæ, conſtituta iam Societate aliud non minus mirum Ignatio contigit. Cum Alexandro Petronio, cuius ante meminimus, & medico & philoſopho inſigni, magnum vſum amicitiamq́ue contraxerat. Ad eum ægrotum aliquando viciſsim ipſe, viſendi cauſſa cùm adijſſet, quamquam alieno tum tempore, tamen pro familiaritate à domeſticis introductus, occluſis feneſtris in lectulo quieſcentem inuenit. & ex tenebris ratus hominem ſopori ſeſe dediſſe, ſuſpenſo veſtigio tacitus adrepens, puluino ſenſim aſſedit. ac nihilominus Alexander è ſomno excitatus, & repente Felicitatem vxorem inclamans: Quis nouus hic ſplendor, quę tanta, inquit, lux cubiculum complet? At illa ſimpliciter, id quod erat, vnum Ignatiũ introiſſe reſpondit. Tum Alexander, homo gra- E
uis & prudens, non dubio argumento viri ſanctitatem interpretatus, ex eo die Ignatium tamquam humano faſtigio celſiorem, magis magiſq́; ſuſpexit: totamq́ue deinde rem ipſe mihi alijſq́ue ſeriò expoſuit. Pariſijs, Michael quidam Hiſpanus, quem Romę deinde falſæ criminationis miniſtrum in Patres fuiſſe diximus, impatienter ferens patronum ſuum Franciſcum Xauerium è medio honorum curſu ad ſtudium humilitatis Chriſtianæ traductum fuiſſe, ira percitus, Ignatium, vtpote eius rei auctorem, interficere omnino conſtituit: cumq́ue in hoſpitium ipſius vltrò inuaſiſſet, ſtrictoq́; iam gladio ſcalas furibundus aſcenderet, diuina repente voce perterritus: Quò tendis infelix? retulit gradum, totamq́ue rem conſcientia victus poſtmodum ipſe confeſſus eſt. Anno à virginis partu MDLIV. Rodulphi Pij Cardinalis opera, Societatis collegium ad Lauretanã ædem inſtitutum eſt; acciditq́ue, vt domus noſtris ad habitandum attributa, lemurum terroribus, & faunorum ludibrijs admodum eſſet infeſta. cumq́ue, noctu præſertim, modò hi, modò illi detractis è cubiculi ſtragulis, vel inſolito quodam cachinno excitati per cœcas tenebras trepidarent; ad eam peſtem auertendam multa nequicquam experti, denique per epiſtolam ad ſacrificia & preces Ignatij, tamquam ad ſacram anchoram communi conſenſu confugiunt. Ille re cognita, Deum attentè precatus, reſcripſit ſocijs, bono eſſent animo, ac diuino præſidio freti (quòd in tali re fecerat ipſe non ſemel) dæmonum terriculamenta nihili ducerent. Mirum dictu. recitatis litteris, omnes confeſtim ea moleſtia ſpectrisq́ue non modò in præſens, verùm etiam in poſterum liberati ſunt. Cùm Ignatij defuncti corpus exſequiarũ cauſſa iaceret in feretro, Bernardina quædam Romana, filiam ſtrumis iamdiu laborãtem, quam arte nulla medici ſanare valuerant, ad oſculandas mortui manus admouere vehementer optabat, certam ex eo contactu, filiæ valetudinem ſibi pollicita: ſed cùm præ turba, impetu ſæpe capto puella numquam ad feretrum accedere potuiſſet, denique mater, quippe quam filiæ caritas valẽtiorem audacioremq́; reddebat, non ante deſtitit, quàm ex Ignatij veſtimentis fruſtulum adepta eſt. id fruſtulum virginis collo ſimul atq; alligatum; velut præſenti numinis ope morbus euanuit: cuius miraculi rumor cunctis, vt par eſt, admirantibus longè lateque manauit. Ac ne prophetiæ quidem inſigni dono caruiſſe putandus Ignatius eſt, ſiquidem aliqua partim abdita aperuit, partim longè à conſpectu remota monſtrauit; partim etiam multo poſt futura, ſine vllo errore prædixit. In ijs qui Barcinone Ignatium maximè coluêre, ac præcipuum ex eius conſuetudine & monitis fructum vtilitatemq́ue cepêre, vidua quædam fuit nomine Agnes, è Paſchala familia. hæc cùm cætera caritate Ignatium adiuuit, eiuſq́ue ſuſtentauit inopiam, tum Pariſios proficiſcentem, ad vſque templum S. Andreæ tria millia ab vrbe paſſuum, officij cauſſa proſecuta eſt vnà cum Ioanne filio, optima ſpe ſummæ virtutis ac pietatis adoleſcentulo. Hunc in digreſſu cùm oſcularetur Ignatius, eiq́ue præcepta in reliquam vitam paterna daret: Cur, inquit ille, cùm alij abs te exculti, tuiſque monitis incitati, vel CHRISTI conſilia ſint ſequuti, vel certè in virtute magnos progreſſus F

effece-

A effecerint, me vnum, parens optime, rudem informemque destituis? quid misero mihi te absente futurum est? Atqui bono animo esto fili, respondit Ignatius, nequaquam tibi deerit exercendæ patientiæ, deque Deo bene merendi materies. namque vbi adoleueris, vxorem duces, multisque incommodis afflictaberis, quæ te solui delicijs, & in auxilio diuino implorando torpere minimè patientur. Neque abfuit dicto fides. siquidem post aliquot annos ille contracto matrimonio multos suscepit liberos; cumque haud ita diues esset, debitorum fraude, quibus non exiguam pecuniæ summam crediderat, rei familiaris naufragium fecit, hodieque confecta iam ætate senex, seque familiamque suam quotidianis laboribus ægrè sustetat. Eius deinde Agnetis mortem Barcinone sanctissimè obitam, Romæ Dei monitu præsensit Ignatius, vt litteræ Antonij Araozij qui morienti viduę affuerat, nihil ei super illa re noui postmodum attulerint. Quidam haud ita pridem in Societate versatus, cùm ex imposito sibi munere tanta molestia afficeretur, vt somnum capere vix posset, ac de repetendo sæculo cogitaret; Ignatius rem diuinitus odoratus, adolescentè nocte intempesta è lectulo vocari ad se iussit, alioqui fratrũ necessitatibus mirum in modum parcere solitus. Is cùm animo valdè perturbato venisset; ficta persona quæsiuit ex eodè Ignatius, si quis hac vel illa tẽtatione solicitaretur, quidnam ei consilij daturus esset? ac per eam sermocinationem omnes illi obstupescenti sensim eius animi recessus ac latebras patefecit simul, & perturbationes admirabili dexteritate sedauit. eodemque caritatis officio erga alios quoque

B multos pari perspicacitate perfunctus est, qui cùm suos morbos propter inscitiã aperire non possent, vltrò ijs ipsemet ante medicinam, & genus ægritudinis, & causas detegebat. Vicetiæ, Fabro & Laine comitibus, dum ex voto finẽ anni vertentis exspectat, cæteris item Patribus ob id ipsum Veneta ditione dispersis, repente affertur, Simonem Roterigium, Bassani, grauissima febri correptum, in extremo versari vitæ discrimine. quo nuntio perculsus Ignatius, licet ipse quoque febricula teneretur, tamen illicò surgit, ac Iacobi Lainis qui grauius laborabat, cura pijs hominibus demandata, sequente Fabro se pedes in viam dat, eodẽq; die passuum octodecim fere millia confecit ea quidem celeritate, vt præcedentem vix Faber consequi posset. Cumque ex itinere, de Simone solicitus, orandi causa paululum è semita diuertisset, supplicatione peracta, sensit auditas preces: atque ad Fabrum rediens, pro certo affirmauit, Simonem è morbo euasurum. ad quem vt venit, arctè complexus hominem læta omnia sperare, & certam sanitatem expectare iussit. Nec sanè frustra: quandoquidem Simon paulo post, contra omnium opinionem pristinæ valetudini redditus est; atque id beneficium hodieque secundum Deum Ignatio sese acceptum referre testatur. Haud longè à Bassani mœnibus loco edito templum cernitur beati Martyris Viti, ex quo in subiectam conuallem despectus est cum cætero cultu visendam, tum crebris aquarum è Medoaco amne deriuationibus. Id templum eo tempore tuebatur solitarius quidam, Antonius

C nomine, vir doctrinarum expers & idiota quidem ille, verumtamen seuerus, & grauis, & ipso totius corporis atque oris habitu venerabilis; ac proinde apud illas gentes magna virtutis & sanctitatis opinione. Is Ignatium nihil insigne præseferentem, elato supercilio (vt ipse postea fatebatur) contemnere apud se cæpit, ac paruifacere; quoad intentius aliquãdo supplicanti demonstrare dignatus est Dominus, qui vir & quãtus esset Ignatius, quamque multorum adiumento & saluti diuina prouidentia destinatus. ex quo suam ille temeritatem dolenter accusans, Ignatium studiosè dein colere atque obseruare instituit. Per eosdem fortè dies quidam ex Ignatij socijs, partim anachoritæ consuetudine, partim etiam ipsius loci amœnitate captus, ita cogitare cæpit apud se; Hem, Ignatij comites, vexatis tanto labore, tanta rerum omniũ difficultate corporibus, de animorum insuper salute periclitamur. rarò, quam extulimus domo, mentem spiritumq; referimus: nimium pulueris sordiumq; campestri hoc opere & exercitatione colligimus. ac cæteris quidem maior forsan gratiæ diuinæ fiducia, plus virium fuerit ad obuia quæque superanda: mihi verò meæ infirmitatis præclarè conscio, nonne conducat, procul negotijs tumultibusque cælestem in terris vitam vnà cum hoc sancto eremi cultore trãsigere? & abiectis multiplicibus curis vni Deo vacare? Hæc apud se identidem reputanti, occurrabant ex altera parte Ignatij caritas, dulcedo sociorum, cæpta communia, datæ dexteræ, & deserendi nefas. Eiusmodi cogitationum æstibus cùm aliquandiu fluctuasset; denique consultandi causa ad anachoritam ipsum adire constituit. sed nequaquam cesit illi res è sententia. quippe vixdum extra oppidum ex-


tulerat pedem, cùm ei vni ſpectrum eſt obiectum, armatus vir, trucibus oculis, ſtricto D
gladio minitans. Exterruit primò ea ſpecies hominem: dein impetu capto cùm nihilominus pergeret; iratus ille ac furens in obuium irruere viſus. Tum verò peregrinus haud dubiè terga dat, ac ſine reſpectu in oppidum auolat, mirátibus incolis quòd tam effusè fugientem aſpicerent, nemine perſequente. At ille à præcipiti curſu non ante deſtitit, quàm in ipſius Ignatij diuerſorium ſeſe cum inſana trepidatione coniecit. Cui renidens Pater (totam quippe rem Deo reuelante cognorat) Siccine titubas? inquit: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Qua ille interrogatione, & in præſentia valde compunctus, & in poſterum, ne ab inſtituto deficeret, magnopere confirmatus eſt. Cùm Ioannes Codurius, è primis Patribus vnus, è graui morbo in vltimum vitæ periculum eſſet adductus: ad rem diuinam pro ſocij ſalute faciendam Ignatius ædem ſancti Petri in Monte aureo petijt: cuius & loci, & Apoſtoli, vt ſupra diximus, præcipua quadam religione tenebatur. cùm ad medium fere peruenisſet pontem Ianiculenſem, qui Sixti pons hodie dicitur; ſublatis intentiſque repente in cælum oculis, retulit pedem attonito ſimilis; ac deinde conuerſus ad comitem (is erat Baptiſta Viola Parmenſis, ex quo hæc ipſa cognoui) Domum redeamus, inquit: Codurius noſter migrauit è corpore. Creditus eſt Ignatius ex illo ſtupore, & ſyderum intuitu, & repentina reuerſione, vt olim Hozij, ſic tum Codurij animam vidiſſe cælum intrantem: licet iuſtis fortaſsè de cauſsis de hoc celauerit, quòd iuſtas item ob cauſſas de illo non reticuerat. nam & id ipſum alius aſpexiſſe ferebatur, & ex horarum ratione compertum eſt, eo ipſo tempo- E
ris momento Codurium exſpiraſſe: & alioqui non fuit, cur amiciſsimi viri cognito exceſſu, domum extemplò reuerteretur, vel ad piacularе ſacrum eius cauſſa de more faciendum, rectà pergere omitteret. Id autem accidit anno poſt Virginis partũ M D X L I. quarto Kalend. Septembris. Eodem fere loco deinde quiddam aliud accidit non abſimile. Cùm Stephanus Baroëlius Nouocomẽſis, qui viuit adhuc, periculoſo morbo implicitus teneretur, & cunctis de illius vita ſolicitis, Ignatius pro viri valetudine in eadem illa quam diximus æde ſancti Petri in Monte aureo perlitaſſet; in reditu comitem læto vultu compellans (is fuit Petrus Ribadeneria Toletanus, qui hæc ipſa mandauit litteris) non moriturum ex eo quidem morbo Stephanum conſtanter aſſeuerauit. nec vana fuit prædictio: ſiquidem haud ita multo poſt, ægrotus non ſine magna omnium admiratione conualuit. Cùm Patauij, noſtris ad gymnaſium & reliqua Societatis munera, ſanctæ Mariæ Magdalenæ templum, & eius templi vectigalia tribuiſſet Andreas Lipomanus egregia pietate vir, cuius mentionem antea fecimus; de adeunda loci poſſeſsione graue certamen à nobiliſsimis viris iniectum eſt. Venetijs tum Laines & Salmeron Societatis cauſſam agebant. ij ad rem perficiendam omni conatu nequicquam adhibito, cùm aduerſariorum potentia valde premerẽtur, ac pæne ab incæpto deſiſtere decreuiſſent; poſtremò (quod vnum reliquum videbatur eſſe perfugium) per litteras totam rem Ignatio commendant. Ille, cùm quinta circiter feria litteras accepiſſet, F
poſtridie (qui dies erat natalis Deiparæ Virginis) re diuina peracta, reſpondit CHRISTI cauſſam ne deſererent; eodem adiuuante, voti compotes fore, nec vana fuêre promiſſa: quippe, re in Senatu diu multumque agitata, denique poſſeſsio noſtris adiudicata eſt cunctis fermè ſuffragijs: atque à peritis rerum æſtimatoribus non leue miraculum eſt habitum, in eiuſmodi ciuitate, à duobus ignotis & peregrinis hominibus, clariſsimorum ciuium opes & gratiam ſuperatam fuiſſe. Paulo IV. Pontifice maximo, cùm inter bellicos tumultus vir quidã princeps, qui nuper eſt mortuus, Collegij Germanici tutelam, ac patrocinium, oneris & impendij grauitate deſatigatus abijcere cogitaret; idemque auctor eſſet Ignatio, vt, ne in re iam deſperata ac pæne collapſa, diutius operam & oleum perderet; ſanè fortiter Ignatius illi reſpondit; Faceret ipſe quod vellet: ſe quidem, quoad viueret, eam procurationem numquam eſſe depoſiturum. neque verò dubitare ſe, quin tam præclarè inchoatum opus diuina prouidentia conſeruatura eſſet; ac datura aliquando Paſtorem, qui nõ modò neceſſarijs, verùm etiã copioſis ad victum cultumque vectigalibus id Collegium inſtrueret. Per eadem fere tempora, vir quidam pecunioſus, templi noſtri miſeratus anguſtias, ædem nobis ædificare voluit laxiorem. ſed cùm is deſcriptionem quandam ſuam ſequeretur, cum dignitate quidem illam & elegantia, verùm tamẽ ad religionis noſtræ vſus parum idoneam; Ignatius piam viri voluntatem vtique accepit, egitque, vt debuit gratias: rem verò ipſam animo fidenti reiecit; quòd ſibi compertum eſſe diceret, non defuturum olim, qui tem-

templum noſtris muneribus accommodatum exſtrueret. Quarum duarum præſen-
A ſionum alteram Gregorij XIII. Pontificis maximi ſumma, vt dictum eſt, pietas atque benignitas; alteram Alexandri Farneſij Cardinalis ampliſsimi eximia religio, & regia planè magnificentia comprobauit. Alia item de Ignatio miranda narrantur: quæ quia mihi haud ſatis explorata ſunt, neceſſe non habui adſcribere. præſertim quòd clarorum hominum ſanctitas, non tam ſignis atque miraculis, quàm caritate in Deum, & vitæ innocentia continetur.

Eiuſdem forma, & ſtatura corporis.
Cap. XV.

STATVRA fuit modica, & grato & pleno dignitatis aſpectu; colore inter album & aquilum; exporrecta lataque fronte; viuacibus oculis; oblongo & incuruo naſo, quam vel in primis certam prudentiæ notam metopoſcopi exiſtimant. claudicauit nonnihil è vulnere olim in propugna-
B tione Pompelonenſis arcis accepto, ſed citra vllam deformitatem; vt nemo fere niſi curioſus animaduerteret. Effigies circumfertur illius, non admodum ad viuum, vt familiares affirmant; ſiquidem ex mortui demum facie, gypſo imaginem expreſsere plaſtæ, quoniam ipſe, dum viueret, neque pingi ſe neque fingi permiſit, omnibus in rebus humanæ gloriæ contemptor egregius; ac dignus profectò, cuius vitæ ſanctimoniam præſtantiſsimaſque virtutes, pia poſteritas, tanti parentis memor, in omne tempus imitetur & celebret.

FINIS.



COMPENDIOSVS INDEX, IN QVO, SI QVIS QVID IN QVAQVE PROVINCIA ORDINE CONTIGIT, SCIRE VELIT, INVENIET.

IE Abaßinis 16 f. & ſeq. 96 f. 103. a b. 137 c. & ſeq. 139 a. 167 a. 221 c. & ſeq. 223. & ſeq. 225. 302 e f. & ſeq. 324. & ſeq. 326. & ſeq.

Aceno regno 80 d. 90 d. 133 c. & ſeq. 141 c. 158 f.

Adem 100 oppido 17 a. 48 d. 61 a. 89 c. 100 f. & ſeq. 102 d. 128 a b. & ſeq. 125 c. 187. 215 a b. 310 e.

AEgypto 48 e f. & ſeq 69 b. c. & ſeq. 122. & ſeq. 214 f. 210 e. 322 f.

AEthiopi 179. 15 c. vide Abaßinis & Congo.

Amboina inſula 98 e. 99 a.

America 319 a b c. & ſeq.

Ammonitis Arabiæ populis 287 c. & ſeq.

Anchediua inſula 28 d. 33 c. 41 a. & ſeq. 51 a. 54 d. e. 74 e. 87 a.

Angola 294 c.

Arabia Felice 16 d. 137 b.

Armuzia 48 d. 61. & ſeq. 63. & ſeq. 65. & ſeq. 67. 73 c. & ſeq. 83 a. 105 c. & ſeq. 107. 139 b. 147 c. 149. 151. b c. & ſeq. 153. & ſeq. 155. 179 b. 181 c. & ſeq. 183 a. 221 a b. 271 c. 278 f. & ſeq. 280. & ſeq. 282. & ſeq. 284. & ſeq. 286. & ſeq. 288. & ſeq. 301 c. & ſeq. 310 e f. & ſeq.

Baciano inſula 156 e.

Babareno inſula 68 d. 149 b. & ſeq. 151 b. 153 b.

Banda inſula 16 e. 49 d. 94 d. 98 e f.

Batticala 78 e. 83 a 132 d. 237 c. & ſeq.

Batochina inſula 99. b c.

Bengala regno 16 d.

Bettelo inſula 91. 93 c. 98. 104 d. 141 c. & ſeq. 170. & ſeq. 172. & ſeq.

S. Blasij aquatione 20 f. 28 e.

Bona Spei promontorio 15. 28 e. 33 a. 36 d. 50 e. 78 e. 81. e. 131 c. 136 f. 144 e. 169 b.

Braſilia 29 c. 30. & ſeq. 32. & ſeq. 294 f. 296. & ſeq. 298. & ſeq. 318 f. ſeq. 320.

Brua 43 b. 55 b c.

Cafribus Africæ populis 15 c. 51 c.

Cairo 49 a. 69 c. 124 e.

Calecuto 23 c. & ſe. 25. & ſeq. 27. 34. 39 c. 43. 46 f. & ſeq. 48 e. 53. 56 f. 59. & ſeq. 78 f. & ſeq. 96 f. 102 e. 162 & ſeq. 164. & ſeq. 166 d. 179 c. & ſeq. 184 d e. 186 e. 206 f. 211 b c. 219 c. 300 d e.

Camarano inſula 101 b. 123. 124 f. & ſeq. 137 c. 215 a.

Cambaia 69 a b 179 b. 183. 185 b c. & ſeq. 204 e f. & ſe. 206 e f. & ſe. 208 & ſe 210. 213 c. 216. 219 b. 239 b. 251 b c. & ſeq. 253. & ſeq. 255. & ſeq. 268. 312 a.

Cananore 35 a b c. & ſeq. 39 b. 51 a. 53 c. 56 f. & ſeq. 58. & ſeq 162 d. 167 c. 173 b. 181 b.

Canarijs inſulis 14 e. 142 f.

Caſtellanis 142 e. 143. & ſeq. 176. & ſeq. 187. & ſeq. 189. 191. & ſeq.

Catifa oppido 151 b. 283 c. & ſeq.

Ceilano inſula 16 d. 54 e. & ſeq. 79 c. 130 e. & ſeq. 144 f. & ſeq. 249 b. 309 b. 310.

Cherſoneſo aurea 16 d e. 54 e. 79 c. 142 e. 173 a.

Ciampa regno 16 e.

Ciaulo 70 f. & ſeq. 72. 78 d. 102 d. 152 d. 180 e f. & ſeq. 185 b. & ſeq. 204 e. 207 a. 318 e.

Cocino 34 f. & ſeq. 36. 39 a b. 40 d e. & ſeq. 42 & ſeq. 44. & ſeq. 46. 51 b. 59 c. 78 d. 95 b c. & ſeq. 147 c. 162 d. 173 b. 182 d. 211 b c. 227 a. 248 f. 249 c. 313 a. 329 a b.

Colano 35 a. & ſeq. 43 a b. 51 a. 173 b. 238 f. 249 c.

Concano 140 d e. 158 e.

Conceptionis B. Mariæ inſula 35 c.

Congi regno 6. & ſeq. 8. & ſeq. 10. & ſeq. 12. 88 e f. 97 a. 131 c. 299 b c. 300.

Cori Promontorio 16. 54 e. 79 c. 84 d. 96 f. 173 b. 157 a.

Coromandeli regno 36 f. 38. vide Meliapore.

Cranganore 36 f. 38 e f. 46 f.

Curia Muria inſula 40 f.

Dabulo oppido 75 b c. & ſeq. 83. 136. 152 e. 168 f. 268 e.

Dio 70 d e f. 76 & ſeq. 78. 102 d. 105 c. 122. 146 f. & ſeq. 148. & ſeq. 151 c. & ſeq. 179 b. 180 e f. & ſeq. 205. & ſe. 210. & ſe. 212 & ſe. 216. & ſeq. 219 b. 251. & ſeq. 254. & ſeq. 258. & ſeq. 262. & ſeq. 264. & ſeq. 266 & ſeq. 311 b.

Gidda Arabiæ vrbe 122 d. 124 d f. & ſeq. 137 b. 214 f.

Goa 82 f. & ſe. 84. & 86. & ſe. 88. ſe. 94. e f. & ſeq. 97 a. 100 e f. 102 d. 105 c. 107 b c. 126. & ſeq. 136 d. 139 b. 152 e. 161 c. 167 b c. 169. 173 c. 179 c. 181 c. 202. & ſeq. 204 e. 206 e. 208 d. 213 c. 226 e. 233 a b c. 237 c. 239 b. & ſeq. 248 e. 250 d. 267. & ſeq. 270. & ſeq. 278 d. 291 & ſeq. 294. 301 c. 303 c. 307 c. & ſeq. 312 d. 318. 326. 330 d e.

Guinea 4 f. & ſeq. 15 c. 29 c. 278 e.

Heſperidibus inſulis 28 e. & ſeq. 50 e. 144 e.

Iaponia inſula 16 e. 240 e. & ſeq. 242. & ſeq. 244. & ſeq. 246. & ſeq. 271. 274. & ſeq. 276. & ſeq. 302 e f. 307 b. & ſeq. 309 a. 329 b c.

Iaua maiore 16 e. 97 c. & ſeq. 172 f. & ſeq. 200 f.

Iaua minore 16 e. 97 c.

Laurentij inſula vide Madagaſcare.

Lequijs 16 e. 48 d.

Lingua regno 104. 166 e.

Luſitania 49 c. 50 d. 103. a b. 227 c. & ſeq. 320 e f. 330 f. & ſeq.

Macazare 200 f. & ſeq. 235 b c. & ſeq. 237.

Madagaſcare 15 c.53 a.169 c.
Magadaxo 28 e.51 c.
Malaca 16 d.48.80.e f.& ſeq.82.89.& ſeq.91.95 b.97.103 c.& ſeq.127 c.& ſeq.130 d.132 d.& ſeq.141 c.160 d.166.e f.169 c.& ſeq.173 a. 179 a b.191 c.197 a.208 d.238 e.273 c.303 c.& ſeq.305.307 a.330 f.
Maldiuis inſulis 54 e.96 f.135.& ſeq.175 a.294 e f.
Maſcato Armuziæ oppido 61 c. & ſeq. 153 c.278 f.311 c.
Mazua inſula 137 & ſeq.166 f. 221 c.
Meca 36 e.47 a.49 b.107 b.122 d.310 e.312 d.
Meliapore 36 f.& ſeq.38.157 c.& ſeq. 240 d.250 e f.& ſeq.327 c.
Melinde 17 a.23 b c.28 e. 33 c.35 c.43 b. 55 b. 182 d.233 a.
Memphi 17 a.49 a.
Molucis inſulis 16 e.54 e. 98. & ſeq.100 d e.141 c.& ſeq.144 e.156 e f.& ſeq.160 f.& ſeq. 175 b.& ſeq.177.& ſeq.187 c.& ſeq.190.& ſeq.194.& ſeq. 198.& ſeq.200.& ſeq.219 c.& ſeq.247 c. 250 d e.300 e f.& ſeq.330 e.
Mombaza 22 f.& ſeq.35 c.43 b.50 f.& ſe.136 f.156 d.182 d.
Moro 194 e f.& ſeq.196 d e.
Moſambico 15 c.21 b c.28 e.33 c.39 b.137 a.156 d.232 f.278 d.317 b.326 d.
Narſinga 87 a.105.186 f.& ſeq.289 b.c.& ſeq.
Oliſipone 2 e.20 e.28 e f.29 a b c.39 b c.43.& ſeq.47.50 e.182.211 b.208 f.229 d.230.& ſeq. 267 b. 269 c.277 c.302 f.317 b.
Onore 82 f.& ſeq.87 b.
Paceno 90.103.133.& ſeq.139.141.159.& ſeq.
Panane 26 e.40 d.59 c.60.162 d.
Parauis 54.226 f.& ſeq.234.249 a.271 b c.289 b c. 290.312.
Pegu 16.132.& ſeq.327 c.328.329.
Perſide 61.65.106 f.& ſeq.280 f.& ſeq. 280 f.287 c. 311 a.
Peru 30 e.142 f.
Querimba inſula 156 d e.
Quexome 68 d.155 b.311 a.
Quiloa 17 a.21 b.& ſeq.33 c.36 e.39.50 f.& ſeq.136 f.
Roma 1 b.102 e f. 228 e f.302 f. 320 f. & ſeq.322. 329 c.
Sanga regno 208 f.& ſeq.
Siani regno 236 d e.& ſeq.
Sinis 16.36.48.108.& ſeq.toto libro ſexto 160 e f.249 f.302 f.& ſeq.305.& ſeq.427 b.329 b.
Sionis regno 80 e 94 d.129 a.b.
Socotora inſula 35.36 f.55.& ſeq. 61.68 d.79 c.89 b. 100 f.233 a.248 f.
Sofala 17 b.21 a 33.51 c.52.
Somatra inſula 16 e 79 c.& ſeq.80 d.90 d.95 b.97.103 c.133.134.139 a.141 b.158 f.159 160.
Suezio vrbe 16 e.49 a.69 c.122 d. 187 a. 214 f. 221 b c.310 e.
Supano regno 235 b c.237 b c.
Tanore 46 f.291.& ſeq.293 & ſeq.
Taprobana 16 d.54 e.& ſeq.
Ternate 99 b.156 f.157 a.161 a.vide Molucis.
Tertijs inſulis 28 e.82 e.
Tidori 99 b.156 f.& ſeq.vide Molucis.
Zanzibare 28 e.43 b.
Zeila 125 a b.222 e.f. & ſeq.

IN HISTORIAS INDICAS RERVM MEMORABILIVM INDEX.

A Baſſia à Zeilæ tyranno vaſtatur 221 c.in eam Patriarcha & epiſcopi à Sūmo Pontifice miſſi 320.321.in ea D.Antonij cœnobia 138 a.

Abaſſini Alexandrino Patriarchæ parent 320 e. Chriſtiani ſunt 16 f.equis non vtuntur 223 a.à Romano Pontifice diſſidentes 16 f.320 a.

Abaſſinorum in religione errores confutantur 325 b. gaudium ob Luſitanorum aduentum 138 e. monachi à Luſitanis quomodo excepti ibid. rex fœdus cum Luſitanis inire expetit 96 f. eius ad Luſitaniæ regem legatio 167 a. obſequium Papæ defertur ibid.

Abdala vide Antonius Fernandus.

Abdala Camparis dynaſta Malacæ præturam ambit 103 c.à Linguæ rege obſeſſus 104 d e.à Luſitanis ob ſidione exemptus ibid.f.Malacæ prætor ibid.falſis calumnijs impetitus 105 a.eius iniuſta cædes 105 a. 127 c.laus 105 a.

Abduti Brachmanorum ſecta 24 e.

Abrahamus Acenorum tyrannus 141 c.Somatræ totius imperium affectat 158 f.Pedirenſem regulum regno exigit ibid.Aruanum regem 160 d.Daianum dynaſtam euertit 158 f.Pacenum vrbem capit 159 a. arcem oppugnat ibid. defertam capit ibid.c. Luſitanis etiam formidabilis 160 d. eius bellicus apparatus 159 a.in parentem impietas 158 f.cum Georgio Britto pugna 141 c.

Abrahamus Fartaci regis nomine Socotorę arcis prę-fectus interficitur 56 d.

Abrahamus Patriarcha cur.è patria à Deo euocat' 1 b.

Abrahamus Purpuratus claſſem ad Suezium ædificat 214 f.

Abrahamus Quiloæ tyrannus 21 b. 33 c.36 e.51 c. ſtipendiarius fit Luſitano 36 e.vectigal renuens regno pulſus 50 f.eius primum vectigal qua pompa in Luſitania receptum 39 c.ex eo pixis in vſum S.Euchariſtiæ fabricata ibid.

Abuna AEgyptius Antiſtes in Abaſſiam Alexandria miſſus 325 c. eius in contemnendis catholicis ſuperbia ibid.

Academiæ in Iapone 244 d.
Acenum oppidum 141 c. 158 f. 304 f. eius rex fœdus cũ Lusitanis init 80 d. 90 d. in eos iniurioſus 133 c. à Patieco infeſtatur 134 d.
Adamas Abaſſiæ rex Abaſſinos catholicos vexat 327 a. Apoſtata & Apoſtolicæ ſedis hoſtis ibid. à Turcis fuſus & fugatus 327 a.
Adenum Arabiæ oppidum munitiſſimum 17 a. 48 d. 61 a. 89 c. 100 f. & ſeq. 123 a b. 205 b. 221 b. qua fraude à Turcis captum & direptum 215 a b. à Luſitanis oppugnatum 101 a. à Turcis 123 a b. 187 a. eius dedi tio à Luſitanis imprudenter repudiata 124 e f. deſcriptio 100 f. incolæ olim Maddena gens 17 a. incolarum ob Albuquercij aduentum metus 100 f. rex qua conditione Luſitano ſtipendiarius 187 b. c. fidem perfide violat ibi. Luſitanos aliquot captos interficit ibid. à Turcis captus ſuſpenditur 215 a ſitus 17 a. 48 d. 100 f.
AEgidius Annius Heſperiam Aethiopiam primus detegit 4 e.
AEgidius Fernandus Caruallius Parauanis ſuccurrit 312 e f. eius de Malabaribus victoria ibid. laus 313 a.
AEgypti Sultanij opes vnde 16 e.
AEgyptius Patriarcha ſchiſmaticus 322 e.
AEgyptiorum literæ quales 242 f.
Aerius Caciles Ternatis rex 195 a. 197 c. 220 d. Boleifis expellice filius 195 a. Goã vinctus defertur 247 c. à Prætore benignè ſuſceptus, & in regnum reſtitutus ib. eius mater præcipitatur 195 a. eum Ternatenſes regem auerſantur 199 c.
AEthiopes Eoi qui 15 c. Heſperij qui ibid. eorum gaza quæ 7 b.
in AEthiopia Heſperia quando primæ Miſſæ celebratæ 5 b.
AEthna Siciliæ mons 80 d.
Africæ pars magna veteribus ignota 2 f.
Agacinum Goa vetus 286 f.
Agacinum lauæ inſulæ oppidum 98 e.
Agazinum Cambaiæ oppidum vaſtatur 186 d.
Ageſymba priſcis noti orbis terminus 15 c.
Agnes Gaſparis Berzei mater 277 b.
Agrippæ columnæ Romæ in omnium Deorum templo 24 f.
Aialus Boleifis Ternatis regis filius 161 a. 199 c. in arcem à Britto abductus 161 a. Ternatis rex 189 b. matri reſtituitur 194 d. regno pulſus ibid. in prælio contra Luſitanos occumbit 198 d.
Aitan rei bellicæ apud Sinas præpoſitus 115 a.
Alcoceris portus à Luſitanis incenſus 221 c.
Alexander Abaſſinorum rex 17 c.
Alexander V I. Papa 15 a. 49 b. limites nauigationum inter Caſtellanos & Luſitanos definit 15 a. ad eum Campſonis AEgypti Sultani minaces literæ 49 b c.
Alexandria AEgypti vrbs 16 e. & ſeq. 122 f. 322 e. eius Patriarchæ Abaſſini parent 320 c.
Alexius Ferreria Xauerij ad Sinas comes 305 b.
Alexius Meneſius Malacam venit 129 a. diſcordiam Luſitanorum tollit ibid.
Almanſor Tidoris rex 99 b. 156 f. 161 a. ad deducendos ad ſe Luſitanos naues mittit 99 b Luſitanis arcem in ſuo regno ædificandi facultatem dat 156 f. pacem qua conditione à Luſitanis impetrat 175 b. veneno à Luſitanis ſublatus 175 c. eius filia Boleifi Ternatis regi nupta 156 f. in Luſitanos beneuolentia 157 a. ei à Luſitanis pace violata bellum iniuſte illatum 175 c.
Almerinum Luſitaniæ oppidum 250 d.
Alodinus Mamudij Malacæ regis filius 91 b. bellum cum Albuquercio ſuadet ibid. in Bintanum inſulam fugit 93 c. 133 c. 141 c. Bintani rex 133 a. Bintanum munit 141 c. 170 d. Geinalem ad Pacenum regnum occupãdum iuuat 139 a. ad Malacæ regnum iterum aſpirat 128 f. Malacam infeſtat 132 d. 141 c. 160 b. 166 e. Malacæ arcem per fraudem occupare tentat 98 d. oppugnat 129 c. pacem à Luſitanis fraudulenter petit ibid. impetrat 98 d Pagum oppidum munit 133 a. à Panenſi regulo opem contra Luſitanos implorat 170 d. eius caſtra a Luſita nis expugnata 130 d. clades 133 b c. exercitus a Luſitanis fuſus & fugatus 166 e. capto Bintano fuga 172 e. in Botellium inſidiæ 105 b mors 17. e. cum Luſitanis ſecunda prælia 160 e. pugna 133 b c.
Aloyſius Luſitanus 217 a.
Aloyſius Mendius ſocietatis Ieſu presbyter Parauanis præfectus 304 d eius martyrium ibid.
Alphonſus Albuquercius 128 e. 202 d. 216 e. 238 f. Adenum venit 100 f. oppugnat 101 a. apud Almeidam à nauarchis falsò accuſatus 68 d. Antonij Noronìæ mortem ægrè fert 86 f. in Arabiam iubetur proficiſci 89 c. in eam tendens tempeſtate impeditur 89 c. & ſeq. ad Armuzianum bellum ſe parat 82 f. Armuziam claſſe petit 106 e f. Armuziam venit 62 f. & ſ q. obſidet 67 à ſuis deſertus obſidionem ſoluere coactus 67 c. & ſeq. Armuzianorum naues incendit 64 e. cum ijs pacem qua conditione init 65 a. arcem à ſe conditam deſerit 66 f. Armuziam repetit 73 c. Calaiatum veniens benignè ſuſcipitur 61 b. capit, diripit, & incendit 73 c. Calecutanis iniuriã à ſuis factam negligit 43 c. Calecutanum regnum vaſtat 42 f. & ſeq. Calecutum incendit 79 a. ad Camaranum inſulam venit 101 b. Cananorẽ venit 74 d. 87 a. Cocinum 42 f. 95 b. Cocini tumultum ſedat 87 a. cum Colanis fœdus init 43 a b. Curiatum diripit & incendit 61 b c. Goam venit 96 d. 102 d. ſibi deditam qua pompa ingreſſus 83 c. Goæ ſtatum firmat 83 c. & ſeq. 87 c. & ſeq. Goæ ab Idalcane obſeſſus 84. & ſeq. vibe relicta in arcem fugit 85 a. de arce deſ. rẽda conſultat ib. b c. eã deſerit ib. Goam claſſe repetit 87 b. capit ibid. Goæ D. Mariæ Virginis templum exſtruxit 101 b. in Indiam miſſus 55 a. Indiæ prætor 78 f. inuidorum calumnijs petitus 107 c. Iſmaelis Perſarum regis legatos qua pompa excepit 117 a. Magnus dictus 42 f. maieſtatis oſtentator 89 b. Malacam petit 89 c. & ſeq. venit 90 e. incendit 91 a. oppugnat 91 c. & ſeq. 93. expugnatã diripit 93 c. Malacæ ſtatum cõponit ibi. & ſe. Malacatũ veniens benignè ſuſceptus 61 c. & ſe. expugnat, diripit & incendit 62. Nabandem oppidum capit & incendit 74 d. naues aliquot expugnat 90 d e. Oliſiponem redit 44 e. Orfaſanum ab incolis relictum diripit 62 f. Perſico & Arabico oceano præfectus 56 f. 61 a. ad Perſici ſinus oſtia tendit 61 b. Quexomem inſulam vaſtat 68 d. Socotoram venit 100 f. arci ſuccurrit 68 d. vulneratur 79 b. Xoarem vrbem in fidem ſuſcipit 62 f.
Alphonſi Albuquercij ætatis anni 107 b. animi moderatio 173 b. cõtentio de prætura cũ Almeida 74 d e. 78 e. cõſultatio cũ ſuis de bello Goenſi 8. b. crudelitas in Luſitanos apoſtatas 96 e. curæ & ſolicitudines 9. a b. acris denuntiatio ad Armuziæ regem 63 a. exequiæ & ſepultura 107 c. expeditio Arabica 100 f. facinus crudele in nautas Armuzienſes 67 b. laudabile 88 d. duo facinora glorioſa dudum cogitata, morte impedita 107 b c. laus 107 b. legatio ad Cambaiæ regem 105 c. ad Iſmaelem Perſarum regem 107 a. ad Sionis regem 94 d. magnanimitas 85 b c. monita à Triſtano Acunia neglecta 55 a. mors 107 c. munera ad Iſmaelem Perſarum regem 107 a. nauarchi & ſocij de eo querun tur 65 c. arcem Armuzianã deferendam ſuadent & quare 65 c. libellum ſupplicem ei offerunt 66 d. nau

fragium 95 b.101 a.nautæ & fabri ad Armuzianos transfugiunt 65 b. oratio ad crucem 101 b.ad socios 66 f. periculũ vitę 67 c.79 b.85 c.93a.95 b.96 d.pericula &incommoda varia ad Goam 86. pietas 88 e. prælium cum Armuzianis nauale 63 c.& seq. respõsum ad Armuziæ regis legationem 64 f. ad Malacæ regis 90 f. ad Persarum regis 65 c.

Alphonso Albuquercio Armuzia dedita 106 e f. Crucis purpureæ signum in cęlo apparet 101 b.ad eum variæ diuersorum regum legationes 89 b.94 d.96 f.Ismaelis Persarum regis 106 f.

alphonsus Albuquercij filius 107 c. D. Virginis templum Goæ auxit ibid. eius ætatis anni ibid. mors ibid.

alphonsus Alencastrius Lusitaniæ ad Papam legatus 294 e.

alphonsus Cyprianus Castellanus in D. Thomæ Coloniam missus 271 c.327 c.

alphonsus Emmanuelis regis filius Cardinalis 197 b. eius Ecclesiasticæ constitutiones ibid.

alphonsus Ioannis I. Congi regis filius 9 c.300 d. baptisatur 9 c à patre exhæredatus 10 f.in gratiam redit 11 a.idola per totum regnum habere prohibet ibid. Ambassem ingreditur ibid.c. Rex salutatur 12 d.fratrem miraculosè superat ibid. quot annos regnauit ibid. f. Henricum filium Romam mittit 97 a.eius in conseruanda & propaganda religione ardor 9 c.& seq. 11 a. 88 f. ad populum oratio 11 c. mors 299 b.

alphonsus Lupius Costa Lusitanus 61 c.

alphõsus Lupius Societatis Iesu presbyter in ignotã insula fame pẽrit 326 e.

alphonsus Menesius Baticalæ regulum ad fidem redigit 132 d.

alphonsus Mexias Goæ regius quæstor 167 b. magnos motus in India facit 169 a. eius de Mascareniæ prætura consultatio 157 b c.in Mascareniam iniuriæ 173 b.

alphonsus Noronia Indiæ prætor 300 e. 317 c. Ceilanum venit 300 e. Socotoræ arcis præfectus 56 c.

alphonsus Paiua ad AEthiopiam & Indiam exploranda missus 16 f. & seq.eius mors 17 a.

alphonsus Persona Malacensis regius quæstor 98 d. eius virtute Malacensis arx conseruata ibid. mors ibid.

alphonsus V. Lusitaniæ rex 4 e. bellis implicitus ibid. f. classes ad quærendas terras mittit ibidem. cum AEthiopibus occiduis mercimonia instituit ibid.castella in Guinea exstruxit 5 a. moritur ibid. eius pater 4 e.

aluarus Acunia Diensi arci subsidio missus 264 f. circa Dium aliquot Arabas naues expugnat ibid.

aluarus Brittus à Mahometanis interfectus 179 a.

aluari Camignæ forte facinus 269 a.

aluarus Castrius Ioannis Castrij Indiæ prætoris filius 263 c. Diensi arci cum classe subsidio missus 262 f.& seq.eius fortitudo & facinus insigne 269 a.vitæ periculum 264 d.

aluarus Dominicanus Ioannis II.Lusitaniæ regis confessarius 13 c. in Ialophorum regnum mittitur ibid.

aluari Gammæ virile facinus 269 a.

alucan Mamudij Cambaiæ regis tutor 213 c. Dux exercitus contra Lusitanos 214 d. Lusitanos infestat ibid.e.Diensis arcis obsidionem soluit 216 d.

amacanum Sinarum emporium 240 f.327 b.

amangutium Iaponiæ vrbs 275 b. & seq. 302 e.329 b. flammis euersa 275 b.eius bellum ciuile 308 f. & seq.incolæ Xaueriũ exsibilant 275 b eorum primus quomodo conuersus 277 a.rex cũ filijs interfectus 309 a.regis in Xauerium benignitas 276 e f.situs 275 b.in ea Xauerius euangelium prædicat 275 b.& se. 277 a.

amazones 208 f.

ambasse Congi vrbs regia 8 e.in ea Lusitanus legatus quomodo exceptus ibid.

amboinus insula 98 e. & seq. 200 f. 250 d. à quo primùm detecta 98 e. Lusitano stipendiaria 200 f.

america 329 b.

americus Vesputius Brasiliam explorat 36 d.

amida Iaponiorum Deus 245 b c.

amirianus Abassinus Adeni rex 100 f. 123 c. à Saracenis puer captus ibid.Adenum Lusitanis dedit 124 e f.reficit ibid.fidem Lusitanis fallit 125 c. eius ab Albuquercio postulata 101 a.

amis Armuzienſis adolescens interficitur 67 b. eius in Albuquercium ingratitudo 67 c.

ammonitæ Arabiæ Felicis populi 287 c. primi à Mahomete seducti 288 d. Christianam fidem expetũt ibid.eorum origo antiquissima 287 c.

amoci Nairum secta 25 c. quomodo se suaque deuouent ibid.

ananazes palmæ genus in Brasilia 31 a.

anathema non contemnendum exemplum insigne 101 c.

anchasius iuri dicundo apud Sinas præpositus 114 d. 115 a.

anchediua insula 28 d.33 c. 42 e. 54 d. 74 e. 81 a. 87 a.piscę abundat 28 d.eius situs 33 c.in ea arx ædificata 51 a. ab Abdala oppugnata 54 d. à Lusitanis destructa ibid.e

anconinus Mombazæ rex interfectus 136 f.

ancostan Pondæ pro Idalcane præfectus 126 d.Calderiam transfugam benignè suscipit ibid. Ioannem Gometium obtruncat 126 e.Goam obsidet 127 b.

andreas Amaralius Lusitanus Rhodiæ militiæ princeps 69 c.eius cum Mammalucis prælium nauale & victoria ibid.78 e.

andreas Fernandus societatis Iesu presbyter in Lusitaniam ex India remissus 304 d.

andreas Quiedus castellanus societatis Iesu presbyter 321 a. collegio societatis Neapolitano pręfectus ibid. Hierapolitanus episcopus in Abassiam ibid. Goam venit 326 f. Goa in Abassiam missus ibid. à Turcis captus 327 a.eius laus 321 a.mors 327 a.

andreas Portuensis speculator nauis Laurentij Almeidæ 73 b. honore & stipendijs auctus ibid. eius forte facinus ibid.

andreas Vasceus Emmanuelis Sofæ nauis magister 314 f.317 a.

angerus Iaponius 271 a. Malacam ad Xauerium profectus ibi.b.Goam à Xauerio missus ibi. baptisatur ibid.c.Pauli nomen accipit ibid.eius patria ibid. a. 274.d vide Paulus Iaponius

annibal Siciliam Italiæ coniunctam credidit 79 c.

annus Christi 1410.3 c.1420. 4 d.1491. 7 c. 1ib.1497 20 e. 1499.28 e. 1500.29 c.1503.43 b.1505. 50 e. 1508. 69 a. 1509. 74 e. 1518. 131 c.1520.137 b. 1521. 144 f.1522. 157 a. 1526. 166 e. 167 c. 1535. 210 e. 1537.198 d. 1540. 220 f. 1541. 222 d. 1542. 233 a. 247 b. 1546. 250 d.253 b. 1548. 377 c. 1549. 273 c. 295 a.1551. 294 f. 1552. 306 f. 1553.308 f.317 b 1555. 342 f.

anta animal in Brasilia 31 a.

antarcticæ plagæ frigora 230 f.

D.antonius S.Pauli Eremitæ tunica in celeberrimis ceremonijs vsus 337 b.eius cænobia in Abassia 138 d.Saxa in Arabia vicus vnde dicta 137 b.

antonius Abreus pontem Malacæ oppugnat 93 a.ad Molucas insulas missus 94 e. Agacinum, Amboinum, & ad Bandam insulam venit 98 e. fœdus cum Bandæ incolis init ibid.f. Malacam redit 99 a.eius mors ibid.

Antonius Abulæus ſcriba in Baharenum miſſus 151 c.
Antonius Blaſcus Caſtellanus ſocietatis Ieſu preſbyter in Braſiliam 318 f.
Antonius Brittus Bacianum inſulam vaſtat 156 c. Bintanum infeliciter oppugnat 142 d. Malacam venit 141 c. Molucas inſulas petit 142 d. Tidorem venit 156 f. Tidoris regi infenſus 157 a. in Ternati inſula arcem ſtruit ibid. arcis præfectus 175 b. Boahatem Ternatis regem cum fratribus in arcem aſportat 161 a.
Antonius Calderia 315 b.
Antonius Campenſis 61 c.
Antonius Caſalius Franciſcanus 265 c. in arce Dienſi ſacrificat ibid. Luſitanos ad prælium animat ibid. ijs in prælio crucem præfert 266 e. 269 a.
Antonius Correa ad Baharenum oppugnandum miſſus 149 c. oppugnat 150. Armuziam redit, & quo honore exceptus 151 b. Dienſem arcem cuſtodit 65 a. & ſeq. Malacam commeatu reficit 133. Pagum oppidum expugnat ibid. in regnũ Pegu miſſus 132 d. fœdus cum Peguſiorũ rege init 132 e f. fœderis ceremoniæ ibid. eius in fœdere ſanciendo fallacia ibid. magnanimitas 150 f. cum Mocrino Arabe pugna 150 & ſeq. de Alodino victoria 133 c.
Antonius Criminalis Parmenſis ſocietatis Ieſu preſbyter in Indiam venit 247 b. martyr ibid. 292 d. Parauanis Chriſtianis præpoſitus 271 c. 273 b. 289 b. eius laus 290 c. martyrium ibid. ſepultura ibid.
Antonius Emmanuelis Congi regis patrui filius chriſtianus fit 7 c.
Antonius Fernandus Luſitanus exul Quiloæ à Capra relictus 54 d. ad Sabaium Decaniorum tyrannũ ſe confert ibid. fidem abiurat ibid. Abdalam ſe vocat ibid. Anchediuam Luſitanorum arcem oppugnat ibid. fugit ibid.
Antonius Fernandus 181 a.
Antonius Galuanus 196 f. 235 b. Molucarum præfectus 197 a. Malacam venit 197 a. qua lætitia Ternati exceptus 197 b, Tidorem expugnat ibid c. & ſeq. Ternatenſem arcem auget 200 d. ſeminarium Ternati inſtituit 201 c. librum de inuentoribus noui orbis conſcripſit 247 b. eius laus 196 f. & ſeq. pater ibid. res præclaræ geſtæ 200. fedulitas in propaganda religione 226 e. victoriæ 198. ei Ternatis regnum offertur 199 b.
antonius Galuanus Macazoris incola chriſtianus fit 201 a. incolas ſuos conuertit ibid. legatus ad Luſitanos ibid.
antonius Galuanus Siligani rex 201 b.
antonius Goanus baptizatus 278 f.
antonius Gomeſius in Indiam miſſus 277 c.
antonius Laurerius Franciſcanus ad Bazainum rem chriſtianam egregiè adminiſtrat 302 d. in Socotora inſula 56 f. Indiam petens naufragio facto capitur 79 c. ob ſanctitatem & fidem ſeruatam dimiſſus Cocinum venit 95 c. eius laus ibid.
antonius Lemius Columbanæ arci ſuccurrit 46 d.
antonius Miranda Azeuedius ad Erythræa oſtia obſidenda miſſus 175 a aliquot naues capit 179 b. Armuziam venit ibid. Goæ præfectus ibid. c. Malabaricæ oræ 184 d. maritimæ rei ad Ceilanam 130 c. Calecutanam nauem expugnat 184 d. Cocinum venit ibid. c. Pacenenſi arci ſerò ſuccurrit 160 d. eius ſocij aliquot à Dienſibus capti 179 b. victoriæ de Calecutanis 184 d e.
antonius Mota inuentæ Iaponiæ clarus 247 b.
antonius Noronia Albuquercij ſororis filius 83 b. ſucceſſor Albuquercio in Indiæ Prætura deſignatus 86 f. duo caſtella ad Goam expugnat 83 b. eius laus 86 f. mors 85 f.
antonius Noronia Armuziæ ſubſidio miſſus 311 b. arcis præfectus ibid. Peribecum Turcam fugientem inſequitur ibid.
antonius Paiua ad Macazares miſſus 235 b. Sianium & Supanum reges conuertit & baptizat 237 b. eius cum Supano colloquia 235 b c. cum Sianio familiaritas & colloquia 236 & ſeq.
antonius Paſſanius Alanquerianus ad Peguſiorum regem legatus 132 d. 134 d. turri in obſidione Dienſi præpoſitus 258 d. eam egregiè tutatus 261 a. ea ſubditis ignibus procidit 262 e. eius forte & egregium facinus 134 e f.
antonius Patiecus maritimæ rei ad Malacam præfectus 128 e. à Nonnio Vaſæo captus ibid. f. a Somatranis 134 d. eius cum Nonnio de Malacenſis arcis præfectura ſimultas 128 e f.
antonius Pauli Iaponij famulus baptizatur 271 c.
antonij Perſonæ fortitudo 269 a. villa ad Goam 292 f.
antonius Petronius Franciſcanus 204 e.
antonius Pexotus Iaponiæ inuentæ celebris 247 b.
antonius Pireus Societatis Ieſu preſbyter in Braſiliam miſſus 295 a.
antonius Quadrius Luſitanus ſocietatis Ieſu presbyter 327 b.
antonius Saldania è Luſitania Goam venit 127 c. ad Cambaiam vaſtandam miſſus 206 c. Gogam oppidum euertit 206 c.
antonius Sina à Sancta Fide Xauerij ad Sinas comes 306 b. in Goano ſeminario educatus ibid.
antonius Soſa Ciauli præfectus 253 b.
antonius Sylueria Agazinum oppidum capit 186 d. in Bombainam inſulam ſe recipit ibid. c. ad Cambaiam vaſtandam miſſus 185 a. Ciaulum venit ibid. b. Damanum oppidum capit 186 d. Dienſis arcis præfectus 213 c. & ſeq. 254 f. eam contra Turcas & Cambaianos egregiè tuetur 216 & ſeq. Maſcareniam capit 173 c. & ſeq. Rainelum petit 185 b. captum diripit ibid. c. & ſeq. Surratum incendit ibid. eius imaginem præſtantium virorum tabulis inſerendam Franciſcus Galliæ rex petit 218 c. contra obſidionem diligens cura 214 d e. & ſeq. ad ſquos oratio 215 c.
antonius Syluius Calecutanæ arci ſubſidio miſſus 165 b.
antonius Veranus Portuenſis 134 d. eius forte & inſigne facinus ibid. e f.
aqua luſtrali miracula fiunt in Iaponia 309 a.
ara Arabiæ Felicis vicus 137 b. Soarij ad eum naufragium ibid. D. Antonij Saxa appellatus, & vnde ibid.
arabes Perſas præfectos ægrè ferunt 151 b. mercatores è Calecutano regno migrant 146 f. eorum naues à Luſitanis captæ & incenſæ 147 a.
arabia Felix 16 d. eius ſitus ibid.
arabs quidam in Molucis è Caciziorum ordine chriſtianus fit 220 d. ex Mahometis ſtirpe ortus ibid.
arel Porci oppidi dynaſta 180 e. à Luſitanis ad Calecutanos deficit ibid. eius vxor & ſoror à Luſitanis captæ ibid.
argenteus Braſiliæ fluuius 30 e. 319 b.
Argenti Sinæ auidiſſimi 109 a. auro præferunt ibid. vide Sinæ.
argonauis celebris 211 b.
arius Correa Antonij frater 150 e. eius cum Mocrino Arabe pugna ibid. mors ibid. f.
armenius Patriarcha Neſtorianus 38 d.
armuzia inſulæ Geru vrbs 48 d. 61 a. & ſeq. 83 a. 105 c. 124 e. 139 b. 149 b. 155 c. 221. 271 c. 277 b. & ſeq. 301 c. 310 e.

310 e f.à Luſitanis obſeſſa 67 a b.per octo dies quaſſata ibid.ijs dedita 106. ef ijs ſtipendiaria 165 a. à Mocrino Arabe infeſtata 149 b.à Toro rege incenſa 155 b.à Turcis direpta 310 f.& ſeq.

Armuziæ arx ab Albuquercio conſtructa 65 b.à Toro rege obſeſſa 153 c.155 a oppugnata 155 a. arcis mœnia & templum à quo inſtaurata 181 c. luxus 280 c.motus & ſeditio 67 c.105 c.152 f & ſeq. 154.obſidio ſoluta 68 d.opulentia 311 a. rex in chriſtianam fidem propenſus 284 f & ſeq. Gaſparem Berzeum quo honore proſecutus ibid. reges 30.excæcati Goam miſſi 106 f.ſitus 48 d.

Armuzienſes pacem a Luſitanis petunt 64 e.in patriam pace facta redeunt 155 c.eorum fames 67 c. cum Luſitanis nauale prælium 154.de ijs querelæ 152 f.in eos cõſpiratio 66 f.153 a.detecta ibi d metus ob Turcarum aduentum 310 f.ad regem iratæ preces 67 c.apud Armuzienſes ignominiæ nota quæ 154 d e.

Aroezius Ternatis regis tutor 188 d.Boahatem regem veneno tollit 189 b.ad Brittum deducendum Tidorem venit 157 a.à Luſitanis abalienatus 189 b. & ſe. ab ijſdem captus & ſecuri percuſſus 191 b.ad Maquienium inſulam miſſus 178 e.Mariacum Tidoris inſulæ caput captum incendit 161 a.Meneſio inſenſus 189 b.reginæ & proceribus odioſus 160 f. eius apud Luſitanos auctoritas 177 c.in Luſitanos & Caſtellanos cum Catabruno coniuratio 191 a b.ei Tidorenſis regis filia in matrimonium offertur 175 b.

Aromata promontorium 15 c. 40 f.137 b.187. b.nunc Guardafu 16 d.

Arquicum Abaſſiæ oppidum 137 c. & ſeq. 325 a. eius Præfecti ad Soarium legatio 138 d.ei à Soario vexillum cruce inſignitum miſſum ibid.

Arrianus quidam res Indicas græcè ſcripſit 25 c.

Arſinarium promontorium 13 a.à quo detectum 4 f. Viride caput appellatur ibid.

Aruanus regulus ab Abrahamo Acenorum tyranno regno pulſus 160 d. Georgio Albuquercio in expellendo è Paceno Geinale præſto eſt 141 b. Luſitanis in Pacenenſi arce obſeſſis ſerò ſuccurrit 160 d.

Arx ad Anchediuam 51 a.54 d e.ad Armuziam 65 b. 73 c.106 e f 155 a.ad Calecutum 96 f.102 e.163 a 166 d.ad Cananorem 51 a.57 a b.ad Ceilanum 131 a b. 144 f. & ſeq.ad Cialem 206 f.ad Ciaulum 152 d e.180 e.ad Cocinum 42 e f 44 f.ad Colanum 238 f.ad Dium 210 e.ad Goam 83 c.85 c.ad Malacam 94 d.98. d.129.c.ad Maldiuas 136 d. ad Pacenum 141 b.159 c. ad Quiloam 50 f.ad Socotoram 56 d e.68 d. ad Sofalam 52 d. ad Ternatem 157 a.

Aſnafaſagar Abaſſinus rex 221. c. auxilium contra Turcas à Luſitanis petit ibid.

Aſpis Arabiæ vrbs à Luſitanis incenſa 221 c.

Aſtrolabium ad rei maritimæ vſum à quibus tranſlatum 5 c.

Atar Eunuchus Zeifadini II.Armuziæ regis tutor 61 a. pacem cum Albuquercio init 65 a. eius ad Albuquercij denunciationem reſponſum 63 b.aduerſus eundem bellicus apparatus 62 f.cum eodem prælium nauale 63 c.& ſeq.pugna pro aquatione 67 b. ad eum pro pace legatio 64 e.in eum & Luſitanos inſidiæ detectæ 66 f.exercitus 63 b.ſuperbia & tyrannis 61 a.mors 105 c.

Athanaſius Frerius Goanus ciuis à Mamudio Cambaiæ rege iugulatus 267 a.

Atiua Amboini inſulæ oppidum 201 f. chriſtiana ſacra ſuſcipit ibid.

Atlantis radices nauigationis terminus olim Hiſpanis 2 f.3 c.

Aualites Africæ emporium 125 b. à Luſitanis delectum ibid.hodie Zeila ibid.

Auaritiæ malum 199 b.

Autololæ Guineæ populi 16 e.

Azedecan vide Zufolarinus.

B.

Babylon vrbs nunc Cairum 49 a.eius ſitus ibid.

Bacanoris fluminis oſtia à Luſitanis expugnata 168 d e.

Bacianum Moluca inſula 156 e.ab Antonio Britto vaſtata ibid.eius rex à Galuano ad ſingulare certamen prouocatur 200 d. Luſitanis fauet 188 e. cum ijs bellum gerit 200 d. pacem init ibid. ab ea Luſitani arcentur 176 d.

Bactianus regulus 176 c.chriſtianus fit 310 e.

Badagæ Narſingæ populi 289 b. Remanacarem Parauanæ vicum inuadunt ibid. c. & ſeq. Antoniam criminalem ſocietate Ieſu interficiunt 190.

Paduini Arabiæ populi 122 d.

Badurius Sultanus Cambaiæ rex 207 a 251 b. bellis implicitus 207. & ſeq. Citoremvrbem obſidet 209 b.expugnat ibid.à Luſitanis interfectus 217. pacem petit 208 f. ijs Bazainum donat ibid. arcem ad Dium conſtruendi qua conditione facultatem dedit 210 d.in eos Calecuti regem incitat 211 c. ad Mandoum bis profligatus Diuin fugit 209 c.Nonnium prætorem inuiſit 212.à Soliman Turca opem petit 210.eius in Luſitanos inſidiæ 211 c. mors ſuis gratia 213 a contra Sangæ reginam exercitus bellicuſque apparatus 209 a. ad Soliman num legatio & munera 210 d. tyrannis 213 d. vita fœda, moreſque profligati ibid. vxor ad Ottomanum profuga 214 f.

Bætis Hiſpaniæ fluuius 142 f.

Baharenum Perſici ſinus inſula & vrbs 68 d. 149 b. 182 e. Armuziæ regi ſubiecta 149 b.151 b.Ichara olim dicta 149 b.à Luſitanis oppugnata 150 & ſeq ijs dedita 151 b.eius arx ab ijſdem fruſtra oppugnata 182 183 a.fertilitas 149 b.ſitus ibid in eo Luſitani interempti 153 b.

Balaluanus Somatræ mons flammas euomens 80 d.

Balochij Perſæ prædones 152 f.

Balthaſar Gagus in Iaponiam miſſus 104 e f.

Banconcs apud Sinas naues 113 a.

Bãda inſula 16 e.49 d.176 e. 188 d 200 f.à quo primùm detecta 98 e.eius amœnitas 98 e f. deſcriptio ibid. fertilitas 94 d incolæ 98 lõgitudo & latitudo ibid. religio ibid.ſitus ibid.

Bandonius Malacæ regis ad Albuquercium legatus 90 f.

Bandora Cambaiæ oppidum à Luſitanis dirutum 206 f.

Barbaræ Luſitaniæ feminæ conſtantia & pietas 216 f.& ſeq.filij duo eodem tempore interfecti ibid.

Bardodinus Bahareni inſulæ dynaſta 151 b. tributarius Armuziæ regis ibid.ab eo deficit 182 e.à Luſitanis fruſtra oppugnatus ibid.

Bardeſiana portenta Luſitanis ab Idalcane attributa 240.à Zufolarino 202 e ab Idalcane bello repetita 267 c.ex ijs Idolorum cultus iubetur à Luſitaniæ rege euelli 249 c.

Bardeſium ad Goam caſtellum à Luſitanis expugnatum 83 b.86 e.87 b. ab ijſdem deſertum 85 b.

Bardor fœminarum Dijs conſecratarum domicilium 202 e.

Barnagazius AEthiopiæ regis præfectus maximus 137 c. 222 d. & ſeq. Arquicum venit 138 e. fœdus regis ſui nomine cum Luſitanis init 138 f. opem eorum contra Turcas implorat 221 c. Gammæ in auxilium venit 224 d. eius cum Sequeria colloquium 138 f. pietas ibid.

Baroa Abaſſiæ vrbs 222 d. & ſeq. eius opulentia ibid. ſitus ibid. Luſitani in ea quomodo excepti ibid.
Barocum Cambaiæ vrbs 286 d.
D. Barptolemæi templum Cocini à Luſitanis conſtructum 42 f.
Barptolemæus Diazius Bonę Spei promontorium primus flectit 15 b. inſulam S. Crucis ad Bonæ ſpei inuenit ibid. eius mors 33 b.
Baticala oppidum 83 a. 307 c. à Luſitanis captum & incenſum 238 d. eius agri vaſtati 238 e. regulus ſtipendiarius fit Luſitano 78 e. ſtipendium negans ad fidem à Luſitanis redactus 132 d. ſic & regina domita 237 c. & ſeq. ſitus 78 e.
Batochina inſula Maurica dicta 99 c. caryophylli ſeu claui feraciſſima ibid. eius fertilitas ibid.
Bazainum Cambaiæ oppidum 181 b. 253 b. & ſeq. 262 f. 269 b. 294 f. 302 d 304 d. à Dienſis dynaſta munitum 207 a b. à Luſitanis oppugnatum ibid. captum 183 b c. & ſeq. 207 c. incenſum 183 b c. & ſeq. dirutum 208 d. Luſitanis à Cambaiæ rege attributum ibid. f. ad id recuperandum ſuos mittit 219 b. in eo apparatus bellicus inuentus 208 d. templum D. Ioſepho Luſitaniæ rex exſtrui iubet 248 d.
Bazora Perſici ſinus vrbs 311 b c.
de Beatitudine cæleſti quid ſentiant Mahometani 287 a.
Bezi Macazarum ſacrificuli 237 a. inter ſe nubunt ibi. Sionium regem à fide deterrent ibid. eorum mores & ſuperſtitio ibid. ijs feminam attigiſſe capita leſt ibid.
Bemoinus Ialophorum rex 13 a. ad fidem ſuſcipiendā à Ioanne Luſitaniæ rege inuitatur 13 a. à ſuis regno pulſus in Luſitaniam fugit ibid. baptizatus Ioannis nomen aſſumit ibid. Papæ obedientiam defert ibid. b. in regnum à Luſitanis reducitur ibid. c. à Luſitanicæ claſſis præfecto interficitur ibid.
S. Benedictus Abbas 101 c.
Beneſtarinum caſtellum prope Goam 100 e. 239 e. à quibus conditum 94 f. à Luſitanis oppugnatum 96 d. qua conditione ijs deditum ibid.
Bengala regnum 213 c. eius ſitus 16 d.
Bengalanus quidam 335. annos natus 213 c. eius filius nonagenarius ibid.
Benienſium regulus AEthiops chriſtiana ſacra expetit 12 f.
Beninus Socotoræ inſulæ portus 56 d. à Fartacum rege occupatus ibid. in eo arx conſtructa ibid. à Luſitanis capta ibid.
Bernardinus Soſa Geilolij arcem capit 301 b.
Bernardus Iaponius Romam miſſus 302 f. 304. in ſocietatem à Loiola receptus 302. Conimbricæ in reditu moritur ibid.
Betele inſula 204 f. & ſeq. 206 e. à Cambaiæ rege munita 204 f. eius ſitus ibid. arx in ea à Turcis conſtructa ibid. à Luſitanis expugnata 205 a b. incenſa & deſtructa ibid. in ea Turcæ forte facinus ibid.
Bethlehem templum in Olyſiponenſi portu 29 a. 39 c. à quo primùm conſtructum 20 e. 29 a. à quo auctum 29 a. eius præſides Hieronymiani monachi ibid. eius miniſterio Saracenorum pueri capti à Gamma dicati 36 e. ei pixis aurea in vſum S. Euchariſtiæ ex Quiloæ vectigale donata 39 c.
Bilganum Cambaiæ vrbs 239. ab Idalcane capta & direpta 240 d.
Bintanum inſula & oppidum 93 c. 141 c. 170 d. ab Alodino munitum 141 179 d. à Luſitanis oppugnatum 142 d. 170. & ſeq. 172. captum & direptum 172 e f. & ſeq. eius dynaſta ab Alodino pulſus 172. f. reſtitutus ſtipendiarius Luſitano ibid. ſitus 141 c. 171 c.
Biſnagenſe regnum 289 b.
S. Blaſij Aquatio 20 f. 28 e.
Blaſius Sodreus naufragio perit 40 f.
Boahates Boleifis Ternatis regis filius 156 f Ternatis rex 161 a in arcem à Britto abductus ibid. moritur 189 b.
Bœtica Americæ inuentionem ſibi vindicat 2 b.
Boius Ternatenſis dynaſta à Luſitanis captus 191 b. eius in Luſitanos coniuratio ibid.
Boleifes Ternatis rex 188 d. 195 a. Luſitanos ad ſe claſſe deducit 99 b. eos ſummo in honore habet ibid. eius filius 156 f. ad Indiæ prætorem legatio ibid. in Luſitanos amor ibid. de retinenda Luſitanorum ſocietate morientis ad ſuos monita ibid. mors ibid. vxor ibid.
Bombainum inſula 186 e.
Bombainus ſinus 181 f. in eo Luſitanorum cum Dienſibus prælium ibid & ſeq.
Bombardæ deſcriptio 21 c.
Bonæ pacis aquatio 21 a. Regum flumen dicitur ib.
Bonæ ſpei promontorium 28 c. 33 a. 36 d. 50 e. 78 e, 81. e. 131 c. 136 f. 144 e. 169 b. 211 b. 230 f. 278 e. 313 b. 317 c. à quo detectum 15 b. cur ſic appellatum ibid. eius deſcriptio ibid.
Bona ſigna Africæ flumen 21 a.
Bononia Italiæ ciuitas 167 a. in ea Carolus V. Cæſar coronatus ibid.
Bonzij laponiorum ſacrificij 244 d. & ſeq. 246 d. 274. f. 276 d e. & ſeq. Xauerio initio fauent 274 f. Cangoximæ regem in eum incitant 275 a. eorum doctrina 245 b. mores 244 d.
Borba Luſitaniæ oppidum 219 a.
Borneum inſula & vrbs 16 e. 176 e. 191 c. 197 a. eius incolæ, opulentia, & ſitus 191 c.
Botellius vide Iacobus.
Boues ab Indis religioſè coluntur 24 f. in eas defunctorum animas immigrare volunt ibid.
Brachmanæ Indorum ſacerdotes 24 d e. 227 c. 234 d. 248 d 278 f. 289 b. 291 a quanto apud ſuos in honore 24 e. in varias ſectas diuiſi ibid. terna fila è collo gerunt & quare ibid. eorum Dij ibid. libri de ſuis ſuperſtitionibus ibid. placita & ſuperſtitiones à Brachmana detecta in Luſitanam linguam conuerſa 25 a.
Brachmana primarius Goæ qua lætitia baptizatus 278 f.
Braſilia 142 f. cur ſic dicta 30 d. à quo primùm inuenta 29 c. Crucis regio primùm appellata 30 d. à Bonæ ſpei promontorio quantum diſtat 33 a. ſaccari ferax 30 e. eius deſcriptio 30 e f. animalia, feræ, arbores, plantæ, fertilitas, fructus ibid. & ſeq. motus compoſiti 318 f. in ea Franciſcani fratres 294 f. Ieſu ſocietatis presbyteri 259 a. 318 f. eorum labores 295 b. & ſeq. Luſitanorum coloniæ ibid. Miſſæ ſacrificium primum 30 d. Prætor Luſitanus primus quis 295 a. Saluatoris oppidum conditum ibid.
Braſilienſes augurijs dediti 32 d. caros quomodo excipiunt ibid. chriſtiani fiunt 298. centum baptizati 299. faciem quomodo exornant 32 d. Franciſcanos monachos interficiunt 295 a. humanas carnes edunt 32 f. 297. literas ignorant 32 e. literis tribus ex alphabeto carent ibid. diuinitus id factum, & quare 33 a. in Luſitanos quomodo irritati 297. natandi arte præcellunt 32 e. nudi incedunt ibid. in oppida & vicos contributi 316 a.
Braſilienſium arma 32 f. belligerandi ratio ibid. feminæ ſine dolore pariunt ibid. liberi à Societatis Ieſu patribus inſtituuntur 298 f. lingua facilis & vna 32 f. mores 32 d. & ſeq. 295. & ſeq. peregrinationes 32 d. ſepeliendi ritus ibid. f. ſimplicitas ibid. e. victus ibid.
Braua libera ciuitas ſtipendiaria fit Luſitano 43 b. ſtipendium renuens à Triſtano Acunia capta & direpta 55 b.

Britannia 394 e.
Bucatus Arabs Catifæ oppido præfectus 151 b.
Bungi regnum in Iapone 240 e. 277 b. 302 e. eius rex Chriſtianus fit 302 e. regis in Luſitanos beneuolentia & humanitas ibid. in Melchiorem Nõnium 329 b. in Xauerium 302 e. literæ & dona ad Indiæ prætorem ibid.
Butuanius rex Chriſtianus fit 201 c.
Byzancium Thraciæ vrbs 70 f. 251 c.

C.

CABIS Sionij animalis oſſa ſanguini ſiſtendo 90 d.
Caciles Rades Tidorenſis regis frater 199 a. pacem cum Luſitanis ſuadet ibid.
Cacizij Mahometanorum antiſtites 287 c. Armuziæ ſupplicationes obeunt 285 b. ab Armuziæ rege aliquot in exilium electi 284 f. & ſeq. Molucenſes in Luſitanos incitant 219 c.
Cacizius quidã Arabs Ternati Chriſtianus fit 220 d.
Cærulei fratres in Congum miſſi 88 e.
Cafres Africæ populi 15 c 51 c. 313 b. 314 f.
Caimales Malabarici regni ſatrapæ 24 d. ex ijs quidã Chriſtianus fit 291 b.
Cairum vrbs AEgypti 49 a. 69 c. 124 e. olim Babylon 49 a. eius ſitus ibid.
Cairum in vſum anchoralium ex palma 315 a b.
Caiuſia Braſiliæ pira 30 f.
Calacinum Chriſtophorus Soſa inuadens malè acceptus 136 e f.
Calaiatum Armuziæ vrbs 61 b. 139 b. ab Albuquercio capta, direpta & incenſa 73 c. eius incolæ eundẽ benignè ſuſcipiunt 61 b.
Calaluzium Indici nauigij genus 170 f.
Calamata à Luſitanis capta 196 f.
Calamina vrbs 38 d.
Calapore S. Crucis ædes 249 c.
Calderia Albuquercij alumnus 126 d. ad Ancoſtan Pondæ præfectum fugit ibid. à Gometio interfectus ibid. e. eius cum Goæ præfecto ſimultas ibid.
Calecares Parauanæ vicus 312 f.
Calecutum Malabarici regni caput 16 d. 26 f. 34 d. 53 a. 162 e. 186 e. 206 f. 238 f. emporium olim celebre 16 d. incenſum ab Albuquercio 79 a. à Iacobo Sylueria 186 e f. à Caprali tormentis quaſſatur 34 e f.
Calecuti arx à Luſitanis conſtructa 102 e. deſtructa 166 d. à Zamorino obſeſſa & oppugnata 163. & ſeq. 165. a. arcis obſidio ſoluta 166 d. ſitus 163 a. in eam commeatus importatur 165 c. bellum cum Ceilanijs 219 c. cum Cocinenſibus 211 b. cum Luſitanis 162 d. & ſeq. claſſis fuſa & fugata 211 c 219 c. regnum à Luſitanis vaſtatur 300 d e. rex claſſem reparat 174 f. de Luſitanorum inter ſe factione gaudet 174 f. pacem cum ijs quibus conditionibus init 43 a. vide Zamorinus.
Calecutienſes in Cocinum irrumpere conantes repreſſi 211 b. eorum clades 53 c. 163 a. 184. 219 c.
Callaica Hiſpaniæ pars 247 b.
Callaica Luſitana nauis 218 f.
Callenſis regulus ſocietatem cum Luſitanis init 130 c.
Calles Ceilani inſulæ portus 55 a.
Caluarius mons in Baſilia 296. d. 297 a.
Camalcan Idalcanis exercitus dux 84 d. Goam exercitu petit ibid. oppugnat ibid. & ſeq.
Camaranum Rubri maris inſula 101 b. 124 f. & ſeq. 137 c 196 f. 215 a. olim celebris 101 b. eius amænitas ibid. arx à Solimano exſtrui cæpta 123 b. à Luſitanis diruta 125 b. incolæ Luſitanorum aduentu diffugiunt 101 b. Luſitanorum ad eam naufragium 124 f.
Cambaia Indiæ regnum 69 a b. 204 e. 208 e. 210 f. 213 c. & ſeq. 216 f. 239 b. 252 d. 253 b. 310 e. eius agri à Luſitanis vaſtati 183 a. 185. & ſeq. 206 e f. 208 e. 264 f. 286 d e. à Miramudio Mogorum rege 208 f. incolæ mercaturæ dediti 69 a b. rex Betelem inſulam munit 204 f. regis in Luſitanos captos fæuitia 179 b c. vexillum à Luſitanis captum 267 a.
Cambalanus vicus incenditur 42 e.
Camboiæ regnum 16 e.
Camiguinus rex Chriſtianus fit 201 c.
Camis Dij minores laponiorum 245 c.
Campſon Sultanus Aegypti, Arabiç, ac Syriç rex 48 d. claſſem in Ciliciam ad materiam nouæ claſſis deſtinat 69 b c. in Indiam ad expellendos Luſitanos mittit 70 d. 123 a. ad Suezium reparat 122 d. contra Luſitanos bellum rumoribus diſſipat 49 b. Mahometici dogmatis aſſertor 48 f. Mecanæ domus tutor 49 a. à Selymo victus occumbit 123 c. & ſeq. eius ad Papam minaces literæ 49 b c. vexilla tria capta in Luſitaniam miſſa 77 c. ei Luſitanos ex India pellere cogitanti quæ obſunt 49 a. ad eum Calecutana legatio 48 e.
Canacapoli in ora Piſcariæ hypodidaſcali 234 a.
Cananor Malabarica vrbs 16 d. 35 a b. & ſeq. 39 b. 51 a. 162 d. 173 b. 180 b. eius ædificia 35 b. animalia ibi. arx à Luſitanis conſtructa 51 a. à Cananorẽſibus & Calecutanis oppugnata, à Luſitanis defenſa 57 b c. & f. 59. arcis mœnia refecta 181 c. & ſe. arcis templũ D. Mariæ Victrici conſecratũ 53 c. 58 e. ex arce Luſitanorũ eruptiones 58 d. inea eorundẽ fames ib. mores 35 b. opulentia ib. rex pacẽ cum Calecutanis ægrè fert, & quare 102 e. regis ad Capralem legatio 35 a. ad regem Luſitaniæ ibid b. ſitus ibid.
Cananorenſes à Luſitanis exacerbantur 57 a.
Canariæ inſulæ 14 e. 142 f.
Canarini à Luſitanis cæſi 203 b. in Luſitano exercitu 204 e. 268 f.
Canarini fanum è ſolido lapide 302 d.
Cangoxima Iaponiæ vrbs 271 a. 274 d. & ſeq. eius incolæ aliquot Chriſtiani fiunt 274 f. & ſeq. rex Chriſti & D. Virginis imaginem veneratus 274 e. in ea Euangelium prædicatur ibid.
Cantonia Sinarum prouincia 120 f.
Canton Sinarum vrbs 302 d. 306 e.
Capocate Calecutanus portus 26 e.
Capralis vide Petrus Aluarus
Caput Non 3 a.
Caracora nauis genus 176 f.
Caramanſa regulus AEthiops 5 b.
Carauela nauis 136 d.
Carigij Americæ populi 319 b. Braſiliam baptiſmi gratia petunt ibid. in Chriſtianam religionem quam propenſi ibid c. duos Patres ſocietatis Ieſu interficiunt 320 d. à Tupinaquini aliquot interfecti 319 b. eorum ad interfectores oratio ibid.
Carmania regio 208 e.
Carnabecus Turca Aſiaticus 203 c. ad recuperanda Salſetana portoria ab Azedecane miſſus 203 c. in prælio cum Luſitanis occiſus ibid. eius clades ibi.
Carnis humanæ eſus 297 b.
Carolus V. Cæſar 243 c. Caſtellæ rex 142 e. quinque naues ad Molucas inſulas luſtrandas mittit ibid. f. Bononiæ coronatur 167 a. eius Tunetana expeditio 269 c.
Carolus VIII. Galliæ rex 15 a. eius cum Fernando Caſtellæ rege fœdus ibid.
Caryphylli ſeu claui deſcriptio 99 c. eius in Molucis copia ibid.
Caſia aromatis genus 80 d.
Caſtanerianus comes 130 e f. eius de Franciſco Xauerio iudicium 231 a.
Caſtellani aliquot in America à Tupinaquinis interfecti

fecti 319 b. ad Molucas insulas ab occidẽte perueni unt 144 d. 176 d. cũ Tidoris regẽ societatem ineunt 144 d. Tidorẽ reficiunt 187 c. è Tidori discedũt 189. a. eorum de Molucis insulis cum Lusitanis simultas 176 a.

Castellani cuiusdam in Brasilia in patres Societatis Iesu ingratitudo 319 c.

Catabrunus Geilolij regni procurator 188 e. Castellanis & Tidorensibus fauet ibid. Geilolij regem veneno tollit, regnumque inuadit 196 d. Mauricas insulas vastat, 188 f. 196 d. Momodianos neophitos à fide deducit 196 d. ad singulare certamen à Galuano prouocatur 200 d. pacem cum Lusitanis init ibid. eius in Lusitanos & Castellanos cum Aroezio cõiuratio 191 a. in eum Lusitanorum expeditio 199 a.

Catharina Ioan. III. Lusitaniæ regis vxor 234 f. 294 d. eius laus ibid.

Catharina Persæ Cacizij filia christiana fit 286 c. baptizatur 287 c. Lusitano nubit ibid.

D. Catharinæ promontorium detegitur 4 f.

D. Catharinæ reliquiæ vbi 49 b.

Catifa Bahareni insulæ oppidum Lusitanis deditum 151 b. 283 c. ab ijsdem captum & direptũ 284 d. 302 d.

Catua oræ Malabaricæ flumen 179 c. & seq. ad eius ostia Lusitanorum naufragium 179 c.

Catua vicus à Lusitanis vastatur 180 d.

Caucasus 16 d.

Caucincina ora ibid. e.

Cazican Persarum regis exercitus præfectus 221 a. nauale subsidium à Lusitanis petit ibid. Reixelum obsidet ibid. Lusitanorum opera capit ibid.

Ceilanius regius adolescens Goam ad baptismum sẽ confert 249 b. ad Lusitaniæ regem scribit ibid. lautè iubetur à rege tractari ibid.

Ceilanum insula 16 d. 54 e. 79 c. 130 e. 144 f. & seq. 235. a. 294 e. 300 e. 309 b. à quo primùm detecta 54 e. primorum parentum sedes fuisse perhibetur ibid. in quot satrapias diuiditur 55 a. Taprobana quibusdam 16 d. 54 e. eius descriptio, fertilitas, montes ibid. rex à Calecutano bello pressus 219 c. regis in Christianos sæuitia 249 b. in ea Eunuchus Candaces AEthiopum reginæ colitur 54 f.

Ceilifus Arabiæ vicus 125 b.

Ceitauaca vrbs Ceilani à Madunio munita 310 d. à Lusitanis capta & diruta ibid.

Celabatecan Turca interfectus 269 b.

Celebes populi 166 f. 201 b. ad Christum adiunguntur 201 b. 219 c.

Cerdonis hæresis 287 a.

Cerigo bellua Brasilica 31 c.

Cetiganum Celebiorum insula 201 b. incolæ Christiani fiunt ibid.

Cetus ingentis magnitudinis Rhoterici Vasci nauẽ inuadit 140 f. & seq. exorcismis delinit⁹ discedit 141 a.

Chalcedonensis Synodus 323 a.

Chaunariæ extremæ promontorium 2 f. caput Non à nautis appellatũ, & quare 3 a. fyrtib⁹ in fame 2 f.

Chersonesus aurea 16 d e. 54 e. 79 c. 142 e. 173 a.

Chia potionis genus in oriente 108 f. 242 d.

Chinacutiales Calecutanæ classis præfectus à Lusitanis captus, magno precio redemptus 179 b.

Chiriuaipinus vicus à Lusitanis incenditur 42 e.

Christiana doctrina 234 f. & seq. 236 e.

Christiana mysteria barbaris non statim impertienda exemplum 143 b c.

Christiani in India à D. Thoma Apostolo conuersi 38 d. 248 f. ab Armenio Patriarcha Episcopos accipere soliti ibid. Dominicam in Albis præcipuè celebrant, & quare 38 e. à Mahometanis & ethnicis vexati in fide stabiles ibid. eorum ceremoniæ mores & ritus ibid.

Christianissimi vestigia Goæ reperta 88 d.

Christianorũ praua vita euangelio apud gentes quantum obest 120 e. 296 e.

Christi ordo in Lusitania 3 b. sepulchrum se euersurum minatur Campson AEgypti Sultanus 49 c. de Christo quid sentiant Mahometani 287 a.

Christophorus Columbus Ligur ad quærendas in occidente terras operam suam Lusitano offert 14. e. ab eo reiectus Castellæ regi idem suadet ibid. Principes insulas inuenit ibid.

Christophorus Gamma Stephani frater 222 d. AEthiopiæ regi cõtra Turcas subsidio missus ibid. ab Abassinis quomodo exceptus ibid. e. Abassiæ reginã qua pompa excepit 223 b. vulneratus fugit 224. f. è fuga retractus virgis cæsus ibid. obtruncatur ibid eius caput Solimano Ottomano pro munere missum ibid. ad Abassiæ reginam literæ 225 a. cum eadem colloquium ibid. de bello gerendo consultatio 222 f pietas ibid. pugna cum Zeilano 223 b. victoria ibid. & seq clades 224 e f.

Christophorus Iusartes Calecutanæ arci subsidio missus 164 d. eius audax facinus ibid.

Christophorus Lusitanus in arce Diensi interfectus 216 f. & seq. eius cum matre triste colloquium 217 a. pietas ibid.

Christophorus Mellus Calecutanam nauem expugnat 184 d.

Christophorus Riberus societatis Iesu presbyter in Congo rem Christianã egregiè administrat 299 b.

Christophorus Sosa Calacinum inuadit 136 e. Canarini maris præfectus ibid. Ciaulum tendit ibid. f. Querimbam expugnat 156 d. e. eius clades & vitæ periculum 136 e f.

Ciales flumen & oppidum 184 d 206 f. 291 a b. eius arx à Lusitanis constructa 206. regulus in societatem à Lusitanis receptus ibid. eius situs ibidem, Cialensibus Christianis quæ à Ioan. Lusitaniæ rege donata 248 e. Cialensis reguli præfectus Christianus fit 291 b.

Ciamaius lacus 328 d.

Ciampe regnum 16. e.

Ciaulum Indiæ fluuius 70 f. capax omnis generis nauium ibid.

Ciaulum vrbs 70 f. 78 d. 102 d. 136 d. 152 d e. 179 b. 180. e f. 185 b. & seq. 204 e. 207 b. 210 d. 253 b. 255 a. 302. d. 318 e. eius agri vastantur 186 e. arx 318 e. à Lusitanis constructa 152 d. à Vasæo munita 181 c. arcis periculum 180 e. situs 70 & seq.

Cides Mercar Saracenus Goam à Narsinganq rege missus 139 c. ab Idalcane interficitur ibid.

Ciembe insula 300 e. Malabarium latronum receptaculum 310 d. à Lusitanis capta ibid. e.

Cilicia minoris Asiæ regio 69 c.

Cinceus portus 303 a.

Cindiscanis Cambaiæ regulus 312 d.

Cingalæ Ceilani insulæ populi 145 a. arcem Columbanam Lusitanorum obsident 145 c. & seq. oppugnant ibid. eorum in balliſtis vtendis dexteritas ibi. de Lusitanis querelæ ibid.

Cioranum insula 126 f. 249 c.

Ciribiges Raia Alodini Bintani regis classis præfect⁹ 128 f. & seq. Malacense littus infestat 129 a.

Citor vrbs 208 f. à Badurio capta 209 b. eius incolæ seipsos incendio perdunt ibid. c. situs ibid.

Claudius Abassiæ rex 320 f. 324 f. schismaticus 326 & seq. eius inconstantia 325 a b. legatio ad Stephanũ Gãmam 221 c. mors 327 a. pietas 225 b. de Gradaamete victoria ibid. ad eum Loiolę literæ 321 & seq.

Clemens VII. Papa Carolũ V. Cæsarem Bononiæ coronat 167 a. ei Abassię regis obsequiũ defertur ibid.

Cocinum Indiæ vrbs 16 d. 34 f. 36 e f. 40 d. 51. b. 79 c. 173 b. 197 a. 204 d. 211 a. 227 a. 231 c. 234 d. 238 c. 248 f. 271 c. 273 c. 294 e. 300 e. 303 c. 310 e. à Calecutanis incensum 42 d.

Cocini arx à Luſitanis conſtructa 42 e f.à Paticco inſtaurata 44 f.quot vno tempore Chriſtiani facti 96 d.Iudæorum atrox facinus 329 a. Luſitana ciuitas quando condita 96 d. mœnia ad mare à quo conſtructa 182 d. motus ab Albuquercio ſedatus 87 a.opulentia 34 f. rex pacem inter Luſitanos & Calecutanos ægrè fert 142 e.ſitus 34 f. ſupplicatio prima ſolennis 43 f. templum paræciale imbribus peruium à Luſitaniæ rege iubetur refici 249 c.

Cocinenſium cum Calecutanis bellum 211 b. ob eorum aduentum terror & fuga 40 d e.in piperis vendition ritus 248 f. ijs ſubſidium à Luſitanis miſſum 211 b.

Cocus ſeu nux Indica 135 a b.

Coieſalles Mahometanus machinarum bellicarum peritus 45 a. eius ad Luſitanos oppugnandos machinæ ibid.

Colanum vrbs & regnum 36 f.43 a b.51 a.173 b. 238 f. eius arx à Luſitanis condita 238 f. Chriſtiani Thomiſtæ 43 a b.Ijs in fœdere à Luſitanis maximè cautum ibid.fanum à Luſitanis ſpoliatum 238 f.Luſitani cæſi 50 a rex fœdus & ſocietatem cum Luſitanis init 43 a b. regis ad Albuquercium legatio 43 a b.ad Capralem 35 a.ſitus 43 a b.templum imbribus peruium iubetur à Luſitaniæ rege refici 249 c.

Colanus Sabia Ternatenſis regis conſiliarius baptizatur 220 d.

Colonia Agrippina 283 c.

Columbum Ceilani inſulæ oppidum 145 b.309 & ſe. à Luſitanis captum 145 b.eius arx Luſitanorum ab incolis obſeſſa ibid.& ſeq. oppugnata ibid. rex 130 e.Luſitanos è regno arcere conatur ibid. f. pacem petit 146 f.Luſitano ſtipendiarius 131 a. à cognatis interfectus 309 b.eius cum Soario fœdus 131 b.ſucceſſori puero à Luſitanis ſubuentum 309 c.

Columnæ lapideæ cum Regum Luſitaniæ inſignibus diuerſis in locis erectæ 6 e f.

Cometes 33 a.

Commagene Syriæ pars 16 e.

Comorini promontorium vide Cori.

Compoſtelanum D. Iacobi templum in Callaica 88 e.ei quæ ab Albuquercio pietatis cauſſa conſecrata ibid.

Complutum Hiſpaniæ vrbs 228 a.

Concani regni Decani præfectus Rhoterici Melli opem contra Ginos implorat 140 d. eiuſdem in regem fraus ibid.e.

Concanum Luſitani fraudulenter occupant ibid.ex eo ab. Idalcane rurſum pulſi 158 e.

Conceptionis B.Mariæ inſula à quo inuenta 35 c.

Concilia quid de principatu Romanæ Eccleſiæ ſtatuunt 323 a.

Confirmationis ſacramentum Indis primum quando collatum 201 c.Tanoris regi 293 c.

Congi regnum 88 f. 299 b.à quo primum inuentum 6 d e.eius fines à Mundequetis vaſtantur 9 a b.incolæ quales 6 e.fidem ſummopere expetunt 7 c.in eo patres Societatis Ieſu 299 b.templum conſtruitur 9 a.

Conimbriga Luſitaniæ vrbs 228 d. 277 c. 299 b. 302. f.331 a.eius Academia 228 d.ſitus ibid.

Conſaluus Coelius 6 naualibus in Braſiliam profectus 36 e.eius naufragium ibid.

Conſaluus Nonnius in prima Indica nauigatione nauarchus 20 d.

Conſaluus Pereria Ternatenſis arcis præfectus 191 b. cum Bornei regulo pacem init ibid. c. Ternatem venit ibid.Meneſium vinctum in Indiam remittit ibid.odium ſuorũ incurrit 192 d. à ſuis apud Ternatis reginam accuſatur 192 e.interficitur 193 b.

Conſaluus Soſa Luſitaniæ regis ad Congi regem legatus 7 c.eius mors ibid.

Conſaluus Syluerius ſocietatis Ieſu Goæ concionatur 329 a.eius laus ibid.martyrium ibid.

Conſaluus Veloſus Momoiæ dynaſtam conuertit 194 e.

Conſtantienſe concilium 323 a.

Conſtantinus Brigantiæ ducis frater Ioan.III. Luſitaniæ regis cubiculi præfectus 331 f. Indiæ prorex 158 e.330 f.Goæ D. Thomæ templum conſtruxit 158 e. eius laus 330 f.& ſeq.

Conſtantinus Magnus Imp.54 f.

Copaibæ plantæ Braſilicæ humorem balſamo ſimilem ſtillantes 30 f.

Coranum Mahometis templum Armuziæ 284 e. eius ianuæ à rege obſtructæ 285 b. in eo Mahometanorum ſupplicationes ibid Cruces à Berzeo poſitæ ib.

Cori promontorium hodie Comorini caput 16 54 e. 79 c.84 d.96 f.173 b.175 a.187 c.226 f.234 f.271 c.312 e

Coromandelis Indiæ regnum 36.D.Thomę Apoſtoli martyrio clarum 38 d. eius præcipua ciuitas quæ 36 f.littus importuoſum 238 e.

Coruis quonodo Sinæ piſcantur 103 c.104 d.

Coſmus Annius regius Scriba Goæ 126 e.291 b.

Coſmi emporium in Peguſiano regno 327 c.& ſeq.

Coſmus Paiua interficitur 266 f.

Coſmus Turrianus Hiſpanus Xauerij in Iaponiam ſocius 273 c.275 b.307 b.Amangutij Chriſtianis præpoſitus 302. e. 304 e. Bungi 329 b c. Firandi 275 b.

Cotia animal Braſilicum 31 b.

Cotta vrbs Ceilani à Madunio obſeſſa 309 c.

Couletum Calecuti emporium 162 e. 211. c. à Mahometanis munitum 162 e. à Luſitanis expugnatum ibid. incenſum 300 d.

Cranganor Indiæ vrbs 36 f. à Luſitanis incenſa 46 f. ad eam Zamorinus delectum habet ibid.

Cranganoreſes Chriſtiani Thomiſtæ Emmanueli Luſitaniæ regi ſe ſubmittunt 38 f. Gammæ ſceptrum argenteum ſignum deditionis efferunt ibi.eorum ad Gammam legatio 36 f.38 e f.

Crementina Sangæ regina 208 f.bellicoſa ibid. vectigal Badurio pendere renuit ibid.à Badurio in Cito re obſeſſa fugit 209 c.

Criſnaraus Narſingæ rex 127 b. Idalcanem prælio ſuperat 139 c.& ſeq.Raciolum vrbem obſidet ibid.capit 140 d.iterum bello victus amittit ibid.

Crudelitatis inſigne exemplum 190 f.& ſeq.

S.Crux Goæ in ruinis reperta 88 d. ſolenni pompa in templũ illata ibid.in Luſitaniam miſſa ibid. Meliapore à D.Thoma Apoſtolo defixa 37 a.alia ſanguineis guttis conſperſa inuẽta 250 f. ſanguinem quotannis exſudat ibid.& ſeq.eius veræ fragmẽtum ab rege Abaſſiæ in Luſitaniam 96 f.103 a.qua ſolemnitate ab Emmanuele acceptum 103 b.ſignum purpureum Luſitanis in cælo apparet 101 b. ſigno Piratingæ Braſilienſes populi muniti,hoſtes ſuperant 319 a.vexillum à Papa conſecratum in Congũ miſſum 8 f.

S.Crucis inſula ad fauces Arabici ſinus 102 d. Melũ olim dicta ibid.

S.Crucis inſula ad Bonæ ſpei promontorium à quo primùm inuenta 15 b.

Cuama Africæ fluuius 9 b.

Cubus Iaponiæ dynaſta 247 a.

Curia Muria inſula 40 f.

Curiatum Armuziæ oppidum 61 b. ab Albuquercio direptum & incenſum 61 c.incolarum ferocia ibi. in eo Luſitani interfecti 153 c.

Cutiales Calecutanæ claſſis præfectus 179 c. eius cum Luſitanis prælium nauale 180 d. clades ibid.

D.

DABVLVM regni Decanij oppidum 75 b. 83 a. 136 d. 152 e. 168 e. 211 a. munitum 75 b. expugnatum ibid. c. & ſeq. incenſum 76 d. 286 e. Luſitano tributarium 152 e. eius opulentia 75 b. ſitus ibid. 152 e.
Dæmones apud Sinas coluntur 118 f.
Daianus in Somatra dynaſta ab Acenorũ rege dominio pellitur 158 f. ad Aruanum regem fugit 160 d. in Pacenam arcem ad Luſitanos 158 f. & ſeq.
Dairi ſummę dignitatis nomen apud Iaponios 247 a.
Dalaca inſula Luſitano ſtipendiaria 166 f.
Damanum Cambaiæ oppidum ab incolis deſertum 204 e. 208 e. vaſtatur 186 d. eius arx à Luſitanis capta & dirura 208 e. ſitus ibi. in eo ſolemne Miſſæ ſacrificium 204 e.
Damianus Goeſius Luſitaniæ regis chronographus 43 c. 121 b.
Dauid Abaſſinorum AEthiopum rex 96 f. 137 c. 320 e. 323 b. Crucis Chriſti fragmentum Emmanueli Luſitaniæ regi dono mittit 96 f. Papæ obedientiam defert 320 e. 323 b. eius ad Luſitaniæ regem legatio 96 f. & ſeq. literæ 103 b. munera ibid.
Decimæ D. Thomæ Apoſtolo ab Sagamo rege decretæ 158 d.
Declinationum tabulæ à quibus inuentæ 5 c. earum vſus & vtilitas ibid.
Deus adorandus, non inueſtigandus 1 a. quem ordinem in ſuis operibus conſeruat ibid.
Didacus Iacobæus ſocietatis Ieſu presbyter in Braſilia 295 a. in Vincentianã coloniam miſſus 296 d.
Didacus Lupius Sequeria Armuzi ã venit 139 b. 149 a. Ciaulum petit 152 d. arcem eius conſtruit ib. Cocinum venit 79 c. 131 c. 152 e. Dij benignè ab Iazio dynaſta exceptus 147 a b. Diũ repetit 147 c. 151 c. Giddam petit 137 b. Goam venit 147 a. Goæ D. Franciſci templum & cœnobium exſtruxit 152 e. Indiæ prætor 131 c. 135 a. in Luſitaniam redit 82 e. Malacã venit 80 e. ludens per inſidias pæne interfectus 81 c. & ſeq. Mazuam inſulam luſtrat 138 d. Somatram inſulam primus detegit 79 c. eius Arabica expeditio 137 b. & ſeq. colloquiũ cum Barnagazio AEthiopiæ præfecto 138 f. ad Dienſe bellum apparatus 147 c. de Dio oppugnando conſultatio 148 e f. fœdus cũ Barnagazio initum 138 f. cum Pedirenſi & Acenorum regulis 80 d. naufragium 137. ad nauarchos oratio 148 f.
Didaci Meſquitæ in fide conſtantia 179 b c.
Didacus Noronia Perſici ſinus fauces cuſtodit 311 b.
Didacus Pacenſis Beianus ad Diu à Prętore relictus 149 a. eius naues à Dienſibus oppugnatæ 151 c.
Didacus Pereria 302 f. 330 e. à Sinis Malacam petit 303 legatus ad Sinarum regem 304 d. in Malacæ portu iniuſtè detentus 304 f. Xauerij corpus honorifi cè ſepelit 307 a.
Didacus Soueralius ſocietatis Ieſu in Congum miſſus 299 b. ludum literarium aperit ibid. c.
Didacus Sylueria oræ Malabaricæ præfectus 185 b.
Dionyſius Luſitaniæ rex Oliſipone gymnaſium inſtituit 228 d.
Dioſcori hæreſis in AEthiopia 320 e.
Diuar inſula 226 f.
Diuitias malè quæſitas cito perire exempla 140 e.
Dium Cambaiæ oppidum 70 d. 102 d. 122 d. 146 f. 252 f. & ſeq. deditum Alucani 214 d e. Luſitanis 213 b. incenſum à Turcis 218 e. inſtauratum 70 e. munitũ 147 b. 205 c. fruſtra à Luſitanis oppugnatum 206. Saracenorum receptaculum 146 f. eius arx à Luſitanis conſtructa 210 d e. defenſa 259. & ſeq. munita 213 b. 215 c. 255 oppugnata & obſeſſa à Mamudio Cambaiæ rege 257 a. & ſeq. à Rumecane 259 & ſe. 261. à Soſare 214 e. 255. & ſeq 257. & ſeq. à Turcis 215 & ſeq. 217. & ſeq. arcis præſidium 205 c. ſitus 210 e. Luſitanorum in ea periculum 262 f. ex ea eruptio 266. portus ab Almeida oppugnatur 76 e f. & ſeq. ſitus 70 e. ei ſubſidium contra Luſitanos aduenit 205 b.
Dienſium cum Luſitanis bellum 157 d. 214. 253 & ſeq. clades 181 a. pauor ibid b c. prælium nauale 180 f. & ſeq. ijs quale detrimentum à Luſitanis illatum 206 f. in eos Luſitanorum expeditio 204. & ſeq cum ijs pax inita 219 b.
Dobriga Gallorum nauis 209 a.
Doceres vrbs 209 c.
Dodra Sionis vrbs 247 b.
Dofar Arabiæ vrbs à Luſitanis direpta 166 f.
Dominica in Albis à Chriſtianis Indis præcipuè colitur, & quare 28 e.
Dominicani in Congo 7 b. Goæ 83 c. 270 e. 273 b. 330 d. in Ialophorum regno 13 c. Moſambici 278 e. eorũ templum Goæ 270 e.
Dorotheus Tyri epiſcopus 54 f. quo tempore floruit ib. de Eunucho Candaces Aethiopum reginæ quæ ſcripſit 55 a.
Driacan Mamudij Cambaiæ regis tutor 213 c.
Dulcinda Indiæ regnum 69 b.

E.

EBora Hiſpaniæ Bæticæ oppidum 18 f. eius academia 270 d.
Eccleſiæ Catholicæ auctoritas 304 d e. vnitas 322 f.
Edeſſa Meſopotamiæ vrbs reliquijs D. Thomæ Apoſtoli clara 38 d.
Eduardus Acoſta Braſiliæ prætor 318 f.
Eduardus Barbutus ſignifer in Dienſi prælio 266 f.
Eduardus Britanniæ rex VI. 3 a.
Eduardus Coelius 173 a. Bintanum inſulam ſpeculatur 170 e. Hudiam venit, & fœdus cũ rege renouat 129 b. Panenſis reguli claſſem Alodino ſuccurrentem diſſipat 170 f. & ſeq. à Panenſi regulo benignè exceptus 129 b. Serrano fere oppreſſo ſuccurrit 171 c. ad Sionis regẽ legatus 129 a b. ei9 naufragiũ 129 b.
Eduardus Fonſeca Calecutanæ arci ſubſidio miſſus 164 d. Cocinum redit 165 b.
Eduardus Galuanus ad AEthiopiæ regem legatus 137 c. eius filius 196 f. mors 137 c. 196 f.
Eduardus Ioãnis I. filius Luſitaniæ rex 3 b. 4 e. eius filius 4 e.
Eduardus Mellus Pagum oppidum expugnat 133 b c.
Eduardus Meneſi9 Indiæ prætor 152 e. 155 b. 157 b. 161 b.
Eduardus Patiecus 211 c. Cocinenſibus ſubſidio ab Albuquercijs relictus 44 d. Repelitui vada munit ib. c. Cocinenſem arcem inſtaurat 44 f. à Trimumpara rege qua lætitia victor exceptus 46 e. in Luſitaniam redit 47 a. quo honore à rege exceptus 47 a. eius fortitudo 46 d e. machinæ bellicæ Calecutanis oppoſitæ 45 b. prælium nauale ibid. ſtupenda victoria ibi. Deo adſcribenda 46 e. ei inſidiæ à Calecutano ſtructæ 44 f. & ſeq.
Eduardus Syluius in Iaponem miſſus 304 e.
Elach vrbs Adeni regni caput 123 b.
Elana vrbs hodie Torus, tranſitu Hebræorum celebris 17 a. 221 c. à Luſitanis incenſa 221 c.
Eleonora Garziæ Salæ Prætoris filia 314 f. Emmanueli Soſæ nupta 313 a. eius animi magnitudo 315 b. & ſeq. mors miſeranda 317 a b.
Eleonora Ioannis I. Congi regis vxor baptiſatur 9 b.
Eleonora Ioannis II. Luſitaniæ regis vxor 7 b.
Elephantes religioſè ab Indis coluntur 24 f.
Elephas turritus Papæ ab Emmanuele Luſitaniæ rege dono miſſus 102 f.

Eliſabetha AEthiopiæ regina 221 c.222 f. à Gãma qua pompa excepta 223 a b. eius cum Gamma colloqui um ibid fuga 224 c. pietas ibid.
Eliſabetha Brachmanæ vxor Goæ baptiſatur 278 f.
Emmanuelis Cernicij fortitudo 164 f.
Emmanuel Fernandus ſacerdos in Abaſſiam miſſus 326 f. à Turcis captus 327 a.
Emmanuel Frias Coromandelicæ oræ præfectus 157 c. 158 c. D. Thomæ Apoſtoli reliquias quærit ibid. inuenit 158 d. arca argentea includit ibid.
Emmanuel Galuanus Ternatenſis regis conſiliarius Chriſtianus fit 220 d.
Emmanuel Ioannis I Congi regis patruus Luſitanos benignè ſuſcipit 7 c. primus in Congo baptiſatus ibid. idola vndique conquiſita publicè comburit 8 d. eius pietas 8 d e.
Emmanuel Luſitaniæ rex 18 d. Abaſſini regis legatos qua pompa excepit 103 a b. de AEgyptia claſſe fit certior 124 e. Cambaiæ regis amicitiam expetit 78 d. de Indica nauigatione cum ſuis conſultat 18 e f. & ſeq in Indiam naues mittit 19 c. & ſeq. 29 b. 35 c. 36 c. 46 c. Ioannis II. mortem iniquè tulit 18 c. ei ex teſtamento ſuccedit 18 d. maritimes quæſtus ab AEgypto & Syria in Luſitaniam tranſferre cogitat 48 d. regnum quo ætatis anno init 18 e. ſupplicationes per regnum indicit 29 a. 102 e. eius ætatis anni 157 b. regni ibid. iuſta funebria ibid. ad Papam legatio & munera 102 e f. ad eundem literæ de rebus geſtis Patieci 47 b. mors 157 b. eam reges lugent ibid. munificentia in Gammam & ſocios 28 e f. pater 18 d. reſponſum ad minacia Cãpſonis Sultani poſtulata 50 d. ſoror 18 d.
Emmanuel Nobrega ſocietatis Ieſu in Braſilia 29 29 8 e.
Emmanuel Paſſanius Anchediuæ arcis præfectus 54 d. eam egregiè tutatur ibid. eius monita à Cotinio ſpreta 79 b patria 54 d.
Emmanuel Patiecus Somatræ littora infeſtat 134 d.
Emmanuel Soſa ad Armuziam mari præfectus 152 f. eius cum Armuzienſibus nauale prælium 154 e f. mors 212 e.
Emmanuel Soſa Sepulueda Dienſis arcis præfectus 253 a. 313 b. arcis foſſam ampliauit 255 c. Luſitaniam repetit 313 a. ſuos conſolatur 314 e f. eius naufragiũ 313 b c. & ſeq. peregrinatio & vitæ pericula 315 & ſe. vxor 313 a. mors miſeranda 317 b.
Emmanuel Vaſconcellius Cocinum tuetur 47 a.
Epiſcopus Indiæ primus 201 c.
Equitum ſacer ordo in Luſitania contra barbaros à quo inſtitutus 3 b.
Erythrææ fauces 40 f. 101 b. 166 f. 175 a.
Eugenius IV. Papa 323 a.
Eunuchus Candaces AEthiopum reginæ in Ceilano inſula à barbaris colitur 54 f. in quibus locis Euangelium prædicauit 55 a.
Eutichetis hæreſis in AEthiopia 320 e.
Excommunicationem non contemnendam exemplum inſigne 101 c.
Exorciſmum efficacem eſſe exemplum 141 a.

F.

FAMES in Albuquercij claſſe ad Goam 86 d. Armuziæ 67 c. in Cananorenſi arce 58 e. Goæ 94. f 127 c in Soarij claſſe 125 b.
Fartaces in Badurij exercitu 209 a. è Socotora inſula pulſi 56 d e. Socotorenſes in Luſitanos incitant 68 d.
Faxiba tyrannus in Iapone 247 b.
Fernandi Aluari Capralis naufragium 317 c.
Fernandus Caruallius marino caſtello in arce Dienſi præfectus 255 b. 257 a.
Fernandus Caſtellę rex 4 e. 50 d. nouas terras per ſuos quærit 14 e. eius de inſulis nouis inuentis cum Luſitaniæ rege ſimultas ibid. f per Papam ſublata 15 a fœdus cum Carolo Galliæ rege ibid. legatio ad Luſitanum 14 e. ab eo Saracenos è Bætica pulſos Campſon AEgypti Sultanus ægrè fert 49 b.
Fernandus Caſtrius Dienſi arci ſubſidio miſſus 255 f. S. Ioannis caſtello in ea præfectus 261 a. eius mors 262 d 264 e.
Fernandus Cotinius in Indiam mittitur 78 e. ſimultatem inter Albuquercium & Almeidam tollit ibid. Calecutum captum diripiens interfectus 79 b. eius ambitio ibid
Fernandus Deza Bazainum oppugnat 207 b c.
Fernandus Emmanuelis Luſitaniæ regis pater 18 d.
Fernandus Franciſcanus primus Indiæ epiſcopus 201 c. & ſeq. eius mors 218 f.
Fernandus Lemius ad Perſarum regem legatus 107 a.
Fernandus Lupius Hiſtoricus 181 b.
Fernandus Lupius proepiſcopus Ternatenſis 192 d.
Fernandus Magalianes Luſitanus ad Caroli V. Caſtellæ regis aulam ſe confert 142 e. ad Molucas inſulas ab occidente quærendas ab eo miſſus ibid. f. S. Iuliani flumen detegit ibid. Magallanicum freum inuenit 143 a. inſulas aliquot deſertas Italiæ oppoſitas ibid b. Subum inſulam ibid. benignè a Subi regulo exceptus ibid. eius cum Mathani rege pugna ibid. eius mors ibid ſocij ad Molucas perueniunt 144 e. cũ Tidoris rege ſocietatem init. ibid. aliquot orbem totum nauigatione circumeunt ibid. ad Heſperidas inſulas in vincula à Luſitanis coniecti ibid.
Fernandus Martinius Vaſci Gammæ interpres 21 a.
Fernãdus Monroius Pe adam inuadit 106 e f. eius ſtolidam facinus illi vitæ periculum 127 a.
Fernandus Petreus Andradius Sincapurano mari præfectus 95 b. 114 e. in Sinas miſſus 107 c. 124 e. Cantonem venit 120 Malacam redit 129 a. eius æquitas à Sinis laudata 121 a.
Fernandus Rhoterigius Goæ quæſtor 226 e.
Fernandus Soſa ad Abaſſiæ regem legatus 324 f. eius mors 326 f.
Fernandus Turrianus Caſtellanorum dux in Molucis 176 f. Luſitanis bellum infert 177 a.
Fernandus Vinagrius ſacerdos rem Chriſtianam in Mauricis inſulis amplificat 200 e. eius in archipiratam quendam expeditio ibid. victoria ibid.
Figenoiama Iaponiæ mons 241 a.
Figenſe Iaponiæ regnum 274 f.
Firandum Iaponiæ oppidum ibid.
Florentinum Concilium 323 a. eius de Romani Pontificis primatu decretum ibid.
Fluenta Africæ promontorium 21 a.
Formoſus mons 184 e.
Fotoques primæ notæ numina apud Iaponios 247 c.
Franciſcani in Braſilia 294 f. & ſeq. Goæ 152 e. 273 b. 330 b. in India 29 c. 50 e. 226 e. in Peguſiano regno 327 c.
D. Franciſci templum & cœnobium Goæ à quo conditum 152 e. nouo tegulo opertum 181 c.
Franciſcus Albuquercius Triumparam Cocini regem in regnum reſtituit 42 e. rebellium agros vaſtat ibid. oppida expugnat & incendit ibid. arcem ad Cocinum conſtruit ibid. eius mors 44 d.
Franciſcus Almeida 83 a. cum Albuquercio in gratiã redit 78 e. ad Anchediuam arcem ſtruit 51 a Anchediuam claſſe petit 74 e. Cananore arcem ædificat 51 a Cocinum venit 51 b 61 a. 78. Cocini regem Naubeadorã in regno confirmat 51 b. Dabulũ oppidũ expugnat & incendit 75 c & ſeq Dij portũ oppugnat 76 e f. filij mortem ſapienter fert 73 c. ad eam vlciſcendam ſe parat ibid. præclarè vltus 77 c. in Indiam mittitur 50 e. in Luſitaniam reuocatur 78 c.

78 c. Mombazam capit & incendit 50 f. & seq. Panamem portum oppugnat 60. Quiloæ regem regno pellit 50 f. arcem struit ibid. eius cum Albuquercio simultas 74 d e. 78 e. classis quàm magna 50 c. ad milites concio 74 e f. & seq. prælium naua le 76 e f. & seq de Turcis victoria 77. mors & cædes miseranda 78 f.

Frãciscꝰ Almeidæ Scalabitani facinus militare 238 d.

Franciscus Aluarus sacerdos cum Lima ad AEthiopiæ regem missus 139 a. AEthiopicam peregrinationem Lusitanicè scripsit ibid. in Lusitaniam redit 167 a. Abassini regis obsequium Papæ defert ibid.

Franciscus Aluarus sacerdos Christianam rem Momoiæ amplificat 194 f. Ternatem fugit 196 f. eius vitæ periculum ibid.

Franciscus Aluarus Prætori Indiæ à secretis 293 b.

Franciscus Barretus Indiæ prætor 318 d. eius audax facinus ibid. f.

Franciscus Barreus Paiua 181 d.

Franciscus Bungi rex christianus fit 302 e. eius in Patres societatis Iesu humanitas ibid. ad Papam legatio ibid.

Franciscus Camiguinus regulus christianus fit 201 e.

Franciscus Castrius 178 c. ad Macazares Ternate missus 201 b. Cetegani regulum conuertit ibid. Siligani ibid. Ternatem redit ibid. c.

Franciscus Cetigani regulus baptizatur ibid.

Franciscus Correa Cocinensi apothecæ prefectus 43 c. Calecutanam nauem perfidè capit ibid.

Franciscus Galliæ rex I. 211 a. 218 e.

Franciscus Gasparis Berzei pater 277 b.

Franciscꝰ Gouiani forte facinus 216 f.

Franciscꝰ Gramaxij memorabile facinus 134 e f.

Franciscus Henricus sacerdos Cocini christianis præfectus 304 d.

Franciscus Lima Goæ præfectus 292 f. qua pompa Tanoris regem excepit 292 f. & seq.

Franciscus Maldiuarum princeps Olisipone perimitur 294 f.

Franciscus Mansilia Lusitanus Xauerij comes in Indiam 230 f. Mosambici in Nosocomio relictus 233. a. Goam venit ibid. Piscariam petit 234 d.

Franciscꝰ Melli prælium nauale 105 b. victoria ibid.

Franciscus Menesius Diensi arci subsidio missus 262 f. eius mors 263 c.

Franciscus monachus demortuum excommunicatum expiat 101 c. 102 d.

Franciscus Patiecus Rumæo castellopræfectus 214 e. castellum Turcis dedit 217. b. eius mors ibid. c.

Franciscus Pereria Ciauli præfectus 180 e. præfectura à Prætore cur deiectus 186 c.

Franciscus Sala Sundæ dynastæ subsidio missus 172 f. re infecta Malacam redit 173 a.

Franciscus Serranus Antonij Abrei socius 99 a. à Rutcellanis benignè susceptus ibid. b. Ternatem adductus summo in honore habitus ibid. c. eius de Molucis insulis literæ 142 c. mors 156 f. naufragium 99 a.

Franciscus Serranus Eborensis Bintani pontem oppugnat 170 e. vulneratur 171 b. eius nauis fere à Bintanijs expugnata ibid. ei Petrus Mascarenias succurrit ibid. c.

Franciscꝰ Syluij fortitudo 269 a.

Franciscus Xauerius Aspilcota Nauarrus societatis Iesu presbyter 228 f. 247 c. 249 a. Amangutium venit 276 c. à Goano episcopo quomodo exceptus 233 b. à Lusitaniæ rege 230 d. Firandum venit 275 a. 276 d. 271 c. Goam 250 d. 271 c. Molucas insulas petit ibid. Nuntius Apostolicus Indiæ 230 e. 233 b. Olisiponem venit ibid. d. paupertatis singularis amator ibid. e f.

Frãciscꝰ Xauerij acta Amangutij 275 b. 276 d e. & seq. Bungi 302 e. Cangoximæ 274. Firandi 275 a. Goæ 233. 271 c. & seq in Macoa 234 f. Malacæ 271 b c. Maci 276 d. Mosambici 232 f Olisipone 230. in Paraua 234 d e. charitas in duos Mahometanos nautas 303 b c. conciones 233 c. 274 d. corpus defuncti̅ viua calce opertum miraculosè integrum manet 306 f. & seq. Malacam defertur 307 a. Coæ qua festiuitate exceptum 307 c. & seq. in D. Pauli sacello ibidem conseruatur 308 d. laudes 308 d e. literæ ad Lusitaniæ reginam 234 f. miracula 303 c. 304 e 307. ea Ioannes Lusitaniæ rex iubet indagari 311 a. mores 229. & seq. mors 306 e f. oratio pia 272 & seq peregrinatio in Iaponiam 273 c. in Indiam 231 a & seq. 233. in Lusitaniam 229 & seq. ad Malacam 303 & seq. Meacum 275 c ad Sinas 302 f. 305 b. & seq. responsum Castaneriano comiti datum 231 a. ei in Iapone iter dissuadetur 272 d e. ad Sinas 305 c. & seq.

Franciscus Zeimorus inuentæ Iaponiæ clarus 247 b.

Fratris flumen in Brasilia 295 a.

Fullorum rex AEthiops 14 d.

G.

S. Gabriel primæ Indicæ nauigationis prætoria nauis 19 c.

Galli aliquot in Indiam 209 a.

Galuanus vide Antonius.

S. Gamaliel occultus Christi discipulus 292 d.

Gambea fluuius 13 a. Stachirim prisci vocarunt ibid.

Ganaria promontorium à quo primùm detectũ 4 d.

Gangaridum gens 213 c.

Ganges Indiæ fluuius 16 d.

Garzias Castrius Goæ præfectus 239 b.

Garzias Henricus Ternatensis arcis præfectus 175 b. pacem Tidorensi regulo datã iniustè violat ibid. Tidorem diripit & incendit 176 d. contra Menesium à suis incitatur 178 d e. cum in carcerem conijcit 178 e. perduellionis ab eo condemnatus 179 a. cum eo in gratiam redit 177 c. fugit 179 a. eius cũ eodem simultas 176 & seq. iurgium 177 a b.

Garzias Noronia Indiæ prætor 218 f. 221 b. 269 c. in Indiam venit 218 f. pacem cum Cambaiæ rege init 219 b. eius mors 220 f.

Garzias Sala Indiæ prætor 270 e. Malacæ præfectus 134 d. eius mors 294 f. res præclaræ gestæ ibid.

Gaspar Barzeus societatis Iesu presbyter Armuziam missus 271 c. 277 b. ab Armuziæ rege qualis habitus 285 a. à Mahometanis Ioannes Baptista dictus 284 e. Iogues Armuziæ conuertit 288 f. & seq. eius acta Armuziæ 279 & seq. 281 & seq. 283 & seq. 285 & seq. 287 & seq. 289. Goæ 278 e. in Indico itinere 277 c. & seq. Mascati 278 f. Mosambici ibid. e. colloquia cum Armuziæ rege 284 f. & seq. conciones 279 b. disputatio de fide cum Persa 286 e f & seq. miracula 281 b c. 282 & seq. 285. obitus 308 f. parentes 277 b. patria 271 c. 277 b. peregrinatio Armuziam 278 f. Goam 301 c. & seq. in Indiam 277 c. & seq. prophetiæ 281 a. 283 b. studia 277 c. zelus 285 b c. 288 d.

Gaspar Lemius de Brasilia inuenta in Lusitaniam remissus 30 d.

Gaspar Nonnius interpres Tidoris regis 293 b.

Gatis iuga 23 c. à Gini gente vastata 140 d. circa ea mira cæli varietas 23 c.

Gedrosij Indiæ populi 69 b.

Geilolius rex 188 c. 196 a. 199 a. 200 d. 220 d. 300 f. veneno sublatus 196 d. 301 b.

Geinal tyrannus Pacenum regnum inuadit 139 a. à Georgio Albuquercio interfectus 141 b.

Genne AEthyopiæ Hesperiæ ciuitas celebris 4 f.

Genua Italiæ vrbs 54 d.

Georgiani schismatici 283 c.

S.Georgij insula 21 b.22 f.
Georgius Albuquercius 155 c. Bintanum infeliciter oppugnat 142 d. 160 c. ad Geinalem è Paceno regno pellendū mittitur 139 a Geinalem interficit 141. b.Goā venit 137 a.in Indiam Olisipone rendit 136 f. Malacam venit 141 c.Malacę prefectus 103 c.104 d. 127 c.Pacenorum regi cōtra rebelles succurrit 103 c.cum in regnum restituit 141 b.ad Somatram venit 103. c. 141 b. eius in nauigando infortunium 136 f.
Georgius Barretus Castrius puteos Armuziēsium oplet 67 b.
Georgius Brittus Indiam petit 140 f. Molucas insulas 141.c.interficitur ibid.158 f.
Georgius Brittus Malacæ præfectus 127 c.eius in Malacenses tyrannis 128 d.mors ibid. e.
Georgius Botellius ad Abdalā Camparis dynastam aduchendum Malaca missus 104 d.ad reconciliandas circa Malacam nationes 105 b.Malacam redit ibid.eius cum Linguæ rege prelium nauale 104 e f. victoria ibid.vitæ periculum 105 b.in eum Alodini Bintani regis insidiæ ibid.
Georgius Capralius Bazaini oppidi præfectus 294 f.
Malacæ 169 c. Indiæ prætor 294 f. Ciembem insulam circumsedet 300 d.e 310 c.eius res præclarè gestæ 300 d c.
Georgius Castrius ad Pandam missus 188 d.Ternatis arcis præfectus 220 c.
Georgius Menesius Ternatis præfectus 176 e. à Garzia in vincula coniectus 178 f.Garziam perduellionis condemnat 179 a.Tidorem diripit & incendit 188 f. vinctus in Indiam remissus 191 c. eius cum Garzia iurgium 177 a b.cum Aroczio & Ternatēsibus simultates 189 b c.& seq. cum Garzia 176 e f. & seq.cum socijs 190 c.in Tabonæ præsidem crudele supplicium ibid & seq. ei Tidoris Castellanorum arx quo pacto dedita 189 a.
Georgius Vasæus societatis Iesu in Congum missus 299 b.christianam rem egregiè administrat ibid. quot templa in Congo construxit 300 d. in Lusitaniam redit ibid.
Geru insula 48 d. Ogyrim olim fuisse quidam volunt ibid.
Gicum castellum à Lusitanis captum 196 f.
Gidda Arabiæ vrbs 122 d.124 d. f 137 b.214 f.à Campsone Sultano deficit 122 f.ab Hoceno Persa munita ibid ab incolis metu Turcarum relicta 215 a.à Soario tentata 125 a. eius situs ibid. ad eam Turcarum classis reparata 137 b.
Gini Decani regni gens ab Idalcane deficit 140 d.
Goa vrbs 16 d.54 d.78 e.82 f.100 e f.102 d.126 d. 202 e. 211 b. 233 a.238 e.250 e.267 c.269 b.271 c.Albuquercio dedita 83 c.ab eodem capta 87 c. Indici imperij sedes destinata 84 d. obsidione liberata 96 e. ab Idalcane obsessa 84 & seq 94 & seq.127 b c.à Lusitanis deserta 85 & seq.
Goæ Archiepiscopus successiones Prætorum conseruat 161 c.bellicus apparatus repertus 83 c. christianæ religionis incrementum 330 d. cænobium Dominicanorum conditum 270 e.D.Francisci à quo 152 c.nouo tegulo opertum 181 c. incolæ 84 e.eorum motus & seditio ibid. d. in Lusitanos perfidia ibid.e f. principes capti & supplicio affecti 84 f. mœnia versus mare à quo constructa 181 c.opulentia 82 f D.Pauli collegium 307 c.sacellum 330 e. in ea Xauerij corpus conseruatur 308 d.summum periculum 126 & seq. Quæstor Prætorum successiones conseruare solitus 161 c.situs 82 f.84 d supplicatio ob pulsos hostes decreta 96 e f. templum D. Dominici 270 e.D.Francisci à quo conditum 152 c.D.Mariæ virginis Vada Luiana à quo 101 b.326 d.maximum à quo absolutum 181 c. D. Thomæ 158 e.Tidoris rex qua pompa exceptus 291 & seq. 293.valetudinarium publicum institutum 96 f.
Goam D.Thomæ reliquiæ Meliapore translata 158 e.
Goga Cambaiæ oppidum destructum 206 e.
Gogala prope Dium oppidum à quo conditum 70 e. Rumepolis dictum ibid.
Gometius Sequeria ignoti nominis insulam inuenit 166 f.
Gomezius Arius Ternatensi arci præfectus 188 f. ad conquirenda cibaria missus 190 e f. malè acceptus in arcem redit ibid.
Goterrius Monroius Goæ præfectus 126 d. Goæ statum perturbat ibid.& seq. eius cum Calderia simultas 126 d.
Gotum Iaponiæ insula 240 f.
Gradaametes Adelis ac Zeilæ tyrannus 221 c. Abassiam vastat ibid.& seq Gammam obtruncat 224 f. Solimani Turcæ stipendiarius 221 c eius cum Lusitanis prælium 223 c.clades ibid. & seq. 225 a. fuga 224 d.victoria de Lusitanis ibid e f.mors 225 a.
Græci in Florentino cōcilio Primatum Romani Pontificis agnouēre 323 a.
Gregorius Serrana è societate Iesu in Brasiliam 318 f.
Gregorius XIII.papa 302 e.ei à Iaponiæ regibus obsequium defertur ibid.e f.
Guadalaiaræ Castellani ex arce Cananorensi felix eruptio 58 d.
Guardafu olim Aromata promontorium 16 d. Africi littoris in orientem limes ibid.
Guetaria Vardulorum oppidum 144 e.
Guinea AEthiopiæ Hesperiæ regio 278 e. quando inuenta 4 f.vnde nomen habet ibid.eius incolæ ibid. eorum prima cum Lusitanis commercia 5 a.victus 4 f.situs ibid.eam cur prisci desertam putarūt 5 a.
Guzarates Cambaiæ populi 69 b. 219 b c. 255 a. 265 a. eorum mores 69 b.
Gymnosophistæ Græcorum 24 e.

H.

Hales Armuziæ dynasta 106 d.
Hali Bazaini oppidi præfectus 181 b c. Diensis classis 180 f.cum Lusitanis prælium ibid. & seq. 183 c.fuga 181 b.
Hamedes Armuziæ dynasta interemptus 106 e. eius dominandi libido ibid.d.
Hametes Mocrini dynastæ cognatus Bahareno insula excedit 151 b.
Hector Sylueria 180 f.& seq.Adenum venit 187 b. cū Adeni rege quale fœdus iniit ibid. c. ad Arabicum mare custodiendum mittitur 185 b. Bazainum oppidum capit & incendit 183 b c.& seq.Cambaianos agros vastat ibid.a.Dofarem diripit 166 f Erythræis faucibus præest ibid.Mazuam & Dalecam insulas Lusitano regi subijcit ibid.
Helena Dauidis Abassinorum regis auia 96 f. eius ad Lusitaniæ regem literæ 103 b.
S.Helenę insula 211 b à quo inuēta 36 d.eius situs ibid.
Henricius Pacenę arcis prefectus arcem fœdè deserit 159 c.& seq.
Henricus Alphonsi Congi regis filius 97 a. Romam missus ibid.
Henricus Cardinalis Lusitaniæ Eborensem academiam condidit 270 d.
Henricus Franciscanus in Indiam cum Caprale missus 29 c.Septæ vrbis episcopus ibid.eius vitæ periculum 34 e.
Henricus Henricius è societate Iesu Parauanis præfectus 312 e.à Malabaribus captus ibid è vinclis ereptus ibid.f.
Henricus Ioannis Lusitaniæ regis filius 3. a. equitum ordini præest ibid. b.extimos Africæ tractus lustrat

ſtrat 3 e. & ſeq. D.ⁱ Virginis templum in Oliſiponenſi portu conſtruxit 20 e. eius caſtitas & pietas 30 a.
Henricus Meneſius Arabum aliquot naues capit 162. d. Calecutanæ arci ſubſidia mittit 164 d. arcis obſidionem ſoluit 166 d. arcem deſtruxit ibid. in Calecuti portu naues incendit 162 e. Cocinum venit ibid. d. 163 a. 166 e. Couletum Calecuti oppidum expugnat 162 e f. Goæ præfectus 161 c. Indiæ prætor ibid. & ſeq. 167 b. Pananem incendit 162 d. eius de Calecutanis victoria 166. d. mors ibidem e.
Heroum vrbs Suezium 16 e.
Heſperides inſulæ 28 e. & ſeq. 50 e. 144 e.
apud Heſperios nauigandi inſcitia ante hoc ſeculũ 2 f.
Hetruriæ diſciplina auguralis 24 f.
Hieronymiani monachi Olyſipone 29 a. ad Aquas Lupias 96 e. ab Emmanuele rege præcipuè culti 29 b.
Hieronymus Meneſius Bazaini præfectus 253 b.
Hieronymus Oſorius Luſitaniæ regis chronographus 43 c. 121 b. 140 f.
Hieronymus Texeria ad Malacæ regem legatus 80 e. fœdus cum eodem init ibid.
Hieroſolymæ captæ à Turcis effigies in vexillo depicta in Luſitania conſeruatur 77 c.
Hocenus Perſa Mir Amiraſen dictus 123 a. primæ AEgyptiæ claſſis in Indiam præfectus 70 d. ſecundæ legatus 123 a. in Camarano arcem exſtruere tentat ibid. b. Dium venit 70 d. Giddam munit 122 f. Laurentium Almeidam inopinato opprimit 71 b. à Solimano interficitur 124 d. eius ad Campſonẽ literæ 122 e. ad milites oratio 123 c. cum Franciſco Almeida pugna naualis 76 e f. & ſeq. cum Laurentio 71 c. 72 d. clades 77 c. ad Cambaiæ regem fuga ibid. a. 122 d.
Hoxiones Sinarum ſacerdotes 117 c 119 b.
Hudia vrbs Sionis regni caput 129 b.
Hyems in India Maio menſe incipit 85 b.

I.

Iacaparinus fluuius 134 d.
Iacobitarum hæreſis in AEthiopia 55 c.
D. Iacobus Apoſtolus Hiſpaniæ præſes 88 e. 235 c. à Luſitanis in prælio inuocatur 92 d. 235 c. 260 e. 269 a. ijs opitulatur 88 e. 235 c.
D. Iacobi arx ad Quiloam à quo conſtructa 50 f. Cõpoſtellano templo quæ ab Albuquercio cõſecrata 88 e. inſignia ibi propugnaculũ in arce Diẽſi 257 b. tormentario puluere diſſectum 262 e.
Iacobus Almeida 267 c. eius forte facinus 269 a.
Iacobus Bermudius Caſtellanus Dominicanus in Indiam venit 270 e.
Iacobus Borbanus Ioannis Albuquercij Goæ epiſcopi comes 218 f. & ſeq. 226 e.
Iacobus Botellius exul in India 210 f. & ſeq. parua biremi Luſitaniam petit 211 a b.
Iacobus Canus Africæ littora luſtrat 6 d. Congi regnum primus detegit ibid. e. in Luſitaniã redit ibid. iterum in Congum delatus vlteriora luſtrat ibid. f. Congi regem adit, eique fidem ſuſcipiendam ſuadet ibid. e. & ſeq.
Iacobus Congi rex 299 b c.
Iacobus Diazius in Abaſſiam miſſus 299. b c.
Iacobus Diazius è ſocietate Ieſu in Congum miſſus 324. f.
Iacobus Fernandus Pacenſis Beianus 89 b. Socotoræ arcem diruit ibid.
Iacobus Gnaia 257 b.
Iacobus Lacteus Cambaicam oram ad Dium tuetur 255 b. eius forte facinus 256 d e.
Iacobus Lupius Azeuedius Molucenſi mari præfectus 200 f. eius res præclaræ geſtæ ibid.
Iacobus Lupius Soſa Dienſis arcis præfectus 219 b.
Iacobus Ortizius Viſenſis epiſcopus Patieci res geſtas pro concione laudat 47 a.
Iacobus Sylueria Bandoram diruit 206 f. Batainum capit 207 c. Calecutum incendit 186 d e. Cambaiæ oræ præfectus 206 c. 207 c. eam vaſtat 206 f. & ſeq. 208 Mangalorem expugnat 186 f. incendit 187. a. delet 207 a. Patẽ & Pananem oppida diripit 207. a. Tanahenſem dynaſtã pellit 206 f. eius cum Cambaianis prælium 207 c. victoria 208 d.
Iafanapatani Ceilaniæ tyrannus in Manarenſem eccleſiam ſæuit 235 a.
Ialophi AEthiopiæ occiduæ populi 13 a. deſultoria arte & agitandi peritia inſignes ibid. b.
Iaponia inſula 16 e. 240 e. à quibus inuenta 247 b. eius aer ſalubris 241 a. animalia 241 b. arbores ibid. deſcriptio 240 & ſeq. ad fidem conuerſio prima 271. longitudo & latitudo 240 f. montes 241 a. palatini ſeu præfecti 243 c. & ſeq. ſacerdotes 244 d. 245. b. ſatrapiæ 240 e. ſitus ibid f. ſterilitas ibid.
Iaponij armis dediti 242 f. Europæis in moribus planè contrarij 243 a b. eorum ædificia 242 e. arma ibid. f. Chia potus ibid. d cænobia 242 e. conuiuiorum ratio 241 c. Dij 245 b c. forenſis res 246 f hoſpitalitas 241 c. Imperator 247 a. literæ 242 f. mores 241 b c. & ſeq. 244 & ſeq. reges fœdus cum Luſitanis expetũt 308 f. regibus demortuis diuini honores tribuuntur 245 c. rei quomodo plectũtur 246. e f. religio 245 b. ſermo 242 e f. templa ibid. e. tyrãnis 246 d. veſtitⁿ 242 f & ſeq. virtutes 244. e f. & ſe. vitia 245 b c & ſeq. ijs quæ pretioſa 242 d e. 276.
Iaua maior inſula 16 e. 97 c. eius fertilitas 97 c. incolarum ingenia ibid.
Iaua minor inſula ibid.
Iazius Sarmata Dienſis dynaſta 70 d. 146 f. à Turcis infans in ſeruitutem abductus 70 d. Albuquerciũ benignè excipit 102 d. ab Almeida pacem petit 78. d. ad Cambaiæ regem fugit 147 c. Dium inſulam & vrbem à Cambaiæ rege iure beneficiario accipit 70 e. munit ibid 147 b. Hocenũ AEgyptiæ claſſis præfectum benignè excipit 70 f. cum eo contra Luſitanos ſe coniungit 72 d. Melicus dictus 70 e. Rumepolim condit ibid. eius contra Luſitanos bellicus apparatus 147 b c. in eos fraudulenta beneuolentia 147 a. odium 105 c. 147 a. nauis inexpugnabilis 77 b. prælium cum Luſitanis 72 e f & ſeq 76. e f. & ſeq. ſagittandi peritia ibid. d e.
Ibiragiari Americæ populi Chriſtiana ſacra expetunt 319 b.
Ichara in Perſico ſinu inſula & vrbs 149 b. nunc Baharenum ibid. & ſeq.
Ichthyophagi Africæ populi 15 c.
Idalcan. Decanij rex 54 d. 83 a. 105 c. ab Albuquercio equis conditionibus pacem impetrat 96 f. Bardeſiana & Salſetana portoria repetit 267 c. Ciaulanos agros vaſtat 186 e. Concanum recuperat 158 e. Goã exercitu petit 84 d. recuperare tentat 94 e. obſidet 85 b. 127 b c. cum Luſitanis pacem init 127 b. ad Taracolum tuendam profectus 87 a. eius bellum cum Narſingæ rege 94 e. 139 b c. cum Nizamaluco 186. e. clades 139 c. induciæ cum Narſingano 127 b. per 54. d.
Ignatius Loiola Cantaber 304 d. 320 f. Societatem Ieſu inſtituit 228 e. eius ad Abaſſiæ regem epiſtola 321 b. & ſeq. obitus 329 c. & ſeq.
Illeos Braſiliæ colonia 295 a.
Illyrici duo Chriſtiani deſerta fide ad Calecutanos transfugiunt 40 e. tormentariam fabricã illos docent ibid. pœnas perfidiæ morte luunt ibid.
Imaginum vſus quàm antiquus in eccleſia 88 d.
India 16 d. equis caret 83 c. 152 d.

Indorum promiſcua coniugia 26 d. hæreditariæ ſucceſſiones 26 d.
Indus fluuius 16 d 69 a.
Innocentius VIII. Papa 9 a. crucis vexillum conſecratum Luſitaniæ regi mittit 8 f.
Inſubres duo transfugæ Calecutanis tormentariam fabricam produnt 40 e.
Inſulæ aliquot deſertæ Italiæ oppoſitæ à Magaliane inuentæ 143 b.
D. Ioannis propugnaculum in arce Dienſi 260 f. & ſeq tormentario puluere diſiectum 261 c. & ſeq.
Ioannes Albuquercius Franciſcanus Goæ epiſcopus 218 f. 233 a Xauerium benignè excipit 233 b. eius mors 327 b.
Ioannes Almeidæ Quintelani facinus audax 134 e f.
Ioannis Ataidij facinus egregium 269 a.
Ioannes Azpilcueta Nauarrus è ſocietate Ieſu in Braſiliam miſſus 295 a. rem Chriſtianam egregiè adminiſtrat 296 f. eius mors 319 a.
D. Ioannis Baptiſtæ feſtum celebre 154 b. templum in Congo à quo conditum 300 d.
Ioannes Barrius hiſtoricus 16 d. 40 f. 43 c. 54 c. 121 b. 140 f. 144 f.
Ioannes Beira è ſocietate Ieſu in Indiam miſſus 247. b. in Molucas 271 b. Chriſtianam rem in Mauricis egregiè adminiſtrat 301 b c. eius patria 247 b.
Ioannes Butuanius rex baptizatur 201 c.
Ioannes Caſtrius Indiæ prætor 247 b. Aerium Ternatis regem benignè excipit ibid. c. Cambaiam vaſtat 268 d e. Dabulum incendit ibid. Dienſi arci ſubſidium mittit 256 f. 262 f. ſuccurrit 265 Goam triumphans ingreditur 269. Patanem & Patem vrbes incendit 268 e. Pōdā euertit 267 c. Prorex Indię fit 269 b. Rumecanis caſtra expugnat 266. eius laus 269. c. libri & opera 269 c. & ſeq. magnanimitas 264 e. mors 269 c. 271 c. pietas 270 d. prælium cum Idalcanis exercitu 268 f. & ſeq victoria 267 b. 269 b c. vitæ deſcriptio ibid c. & ſeq. ad eum Ioannis Luſitaniæ regis literæ 247 c. & ſeq.
Ioannes Carniagius Goanus ciuis interficitur 269. b.
Ioannes Colonienſis pro confeſſione fidei Catholicæ occiſus 283 c. & ſeq. eius caput Armuziam delatum honorificè ſepultum 284 d. ad Gaſparē Berzeum literæ 283 c.
Ioannnes Congi rex I. baptiſatur 9 b. Luſitaniæ regis legatos benignè excipit 6 f. 8 f. in vitia relapſus Chriſtianam religionem peſſundat 10 eius ad Luſitaniæ regem legatio & munera 7 a b. liberi 9. b. vxor ibid mors 11 b.
Ioannes Conimbricēſis nauclerus S. Raphaelis 20. d.
Ioannes Conſaluus Materiam inſulam inuenit 4 c.
Ioannes Conſaluus Societatis Ieſu in Braſiliam miſſus 318 f.
Ioannes Cruceius Parauas conuertit 227 a.
Ioannes Deza Malabaricæ oræ præfectus 175 a. eius de Calecutanis victoriæ 179 b.
Ioannes Fernandus Correa Remanacetis præfectus 289. c.
Ioannes Fernandus Xauerij in Iaponiam comes 273. c. 275 a b. 276 c. Amangutij Chriſtianis præeſt 302 c. 304 e. concionatur 277 a. eius patientia ibid.
Ioannes Focatia ad Papuas inſulas miſſus 200 f.
Ioannes Gometius Calderiam per inſidias interficit 126 e. ab Ancoſtane obtruncatur ibid.
Ioannes Gometius ad Maldiuæ regem legatus 135 e. pacem & fœdus cum rege init 136 d. arcem exſtruit ibid. ob tyrannidem interficitur ibid.
Ioannes Homo Luſitanus vitæ periculum miraculosè euadit 51 b.
Ioannes Lima Calecutanæ arcis præfectus 163 b. arcem contra Calecutanos fortiter defendit 163. 164 & ſeq. ex arce erumpit 163 c. Malacę regiam oppugnat 92 d e. eius audacia & periculum ibid. e. 163 c.
Ioannes Lupius è Societate Ieſu ad S. Thomæ coloniam miſſus 304 d.
Ioannes Lupus ad Tanoris regem Goam deducendum miſſus 292 e.
Ioannes Luſitanię rex I. 3 a. Septam vrbem capit ibid. vxor & liberi ibid.
Ioannes Luſitaniæ rex II 5 b. cum AEthiopiæ Heſperiæ regulis ſocietatem init ibid. Bemoinum Ialophorum regem in regnum reſtituit 13 c. ad Indiam & AEthiopiā explorandā, varios mittit 16 f. eius in Fernādi regis legatos iocus 14 f. legatio ad Congi regem 7 b c. mors 8 d. vxor 7 b. 18 d. inter eū & Fernandum Caſtellæ regem de inſulis nouis inuentis ſimultas 14. per Papam quomodo ſublata 15 a.
Ioannes Luſitaniæ rex III. 157 b. 199 c. 202 e. 208 f. 218. f. 227. 230 e. 238 f. 267 c. 269 b. 294 d. 299 b. 304 d. 321. e. 324 f. 330 f. in cultum diuinum propenſus 157 b. regnum quo anno inijt ibid. eius ætatis anni 331 a. edictum de caryophylli emptione à Luſitanis contemptum 176 f. de Indiæprætura 175 a. legatio ad Abaſſiæ regem 32 4 f literæ ad Goæ quæſtorem magnos motus faciunt 168. f. & ſeq. ad Indiæ prætorem 247 c. & ſeq. mors 331 a. vxor 234 f. ei cōrona aurea ex Adeni vectigali Armuziæ fabricatur 187 c. obſequium à ſtipēdiarijs regibus offertur 157 b.
Ioannes Machiadus Luſitanus exul 85 a. ad Albuquercium à Camalcane legatus ibid. Goam deſerēdam ſuadet ibid. ad Luſitanos Goæ obſeſſos tranſit 95 a. maritimę ad Goam oræ præfectus 100 f. eius apud barbaros auctoritas 94 f. conſilium prudens ſpretum 126 f fortitudo 127 a. in liberos miſerandum facinus 94 f. ad Luſitanos apoſtatas exhortatio 95. a. ad Fernandum Monroium oratio 127 a. mors ib. pius zelus 94 f.
Ioannes Marianus in Congum miſſus 88 f.
Ioannes Maſcarenias Dienſis arcis præfectus 252 e. arcem munit 253 c. 255 b c. egregiè tuetur 256 & ſeq. 258 & ſeq. 260. & ſeq. 262. & ſeq. Indiæ prætor nominatus 270 e. eius ex arce eruptio 263 c. 266. in Cābaianos fœuitia 267 ad ſuos oratio 254 f & ſeq. 263. b. ad Sofarem literæ 253 c & ſeq. ad eiuſdem poſtulata reſponſum 254 e f. ad eum Sofaris literæ 252. f. & ſeq.
Ioannes Mendoza Indiam petit 277 c. eius liberalitas 278 d.
Ioannes Meria Goæ ſubſidio venit 153 c.
Ioannes Meſquita Goam venit 326 f.
Ioannes Momoiæ dynaſta Chriſtianus fit 194 e f. vxorem & liberos interficit 196 d. eius in fide conſtantia ibid.
Ioannes Nonnius Barretus ſocietatis Ieſu presbyter 321 a. Patriarcha AEthiopiæ ibid. Goam venit 326 f. Goæ epiſcopatum oblatum reſpuit 327. b.
Ioannes Noua Callecus Indiam petit 35 c. Conceptionis B. Mariæ inſulam inuenit ibid S. Helenæ inſulam 36 d. eius cum Calecutanis nauale prælium 36 d.
Ioannes Oliſiponenſis Maſcati præfectus 310 e. Maſcatum Turcis dedit ibid. in vincla coniectus ibid.
Ioannes Pauli Iaponij famulus baptiſatur 271 c.
Ioannes Pereria Goæ præfectus 202 f. Racioli arci ſuccurrit ibid. ad milites oratio 203 a. prælium cum Cambaianis : 03 b. victoria ibid.
Ioannes Petreij in cruce extollenda præclarum facinus 217 b c. mors ibid.
Ioannes Pimilaranus rex baptiſatur 201 c.
Ioannes Sebaſtianus Canus totum orbem circumnauigat 144 e. eius patria ibid.
Ioannes Serranus Magalianis ſocius 143 a. à ſocijs in Subo inſula deſtitutus 143 c. & ſeq.

Ioannes Sianius rex Christianus fit 236 & seq baptisatur 237 b.
Ioānes Sylueria Quiloa Goam venit 127 c. Columbanæ arcis præfectus 131 b. 144 f. societatem cū Maldiuano rege init 135 c.
Ioanues Tanoris rex Christianus fit 291 b. Goæ quomodo exceptus 292. 293 & seq confirmatur 293 c. in patriam redit 294.
Iogues Brachmanæ in India 24 e. 54 f. Armuzię ad fidem conuersi 288 e f. 289 a. eorum mores & instituta 24 e. 288 e f.
Iordanus Freita Lusitanus 203 a.
Iordanus Ternatis præfectus Aerium regem vinctū Goam mittit 247 c.
Ioscphus Anchieta Cantaber è societate Iesu in Brasiliam missus 318 f.
Ioscphus mathematicus Ioan. II. Lusitaniæ regis medicus 5 c.
Ismael Sophus Persarum rex 61 a. eius ad Albuquercium legatio 106 f. & seq. ad Armuziæ regem 65 b. ei tormenta bellica ab Albuquercio missa 107 b.
Isufus Sofalæ prætor Lusitanos benignè suscipit 51 c. eius mors 52 f.
Itamaraca Lusitanorum in Brasilia colonia 295 a.
S. Iuliani fluuius in America 142 f. à quo inuctus ibid. eius situs ibid. incolæ circa eum gigantes & fieri ibid.
Iulij II. Papæ mors 102 c.
Iulius III Papa 320 f.
Iuncus quale nauis genus 82 e. 113 a.
Iusarcanis Abassinæ legioni ad Dium prefectus 257 c.
Iusiurandum etiam ethnicis seruandum 132 f.

L.

Lacerti in Cananoris regno ad crocodili effigiem 35 b.
Lacsamana Mamudianæ Malacensis classis præfectus 97 c. 129 a.
Lacus interioris AEthiopiæ trium Africæ amnium fons 9 a b.
Lamensis regulus Lusitano stipendiarius 55 b.
Lanciara nauis genus 170 f.
Lantea apud Sinas nauis 113 a.
Laqueximena Bintani præfectus Serrani nauem oppugnat 171 b.
Lara Carmaniæ vrbs 68 d.
Larecij Regis exercitus ad Albuquercio fusus 68 d.
Laudinus Baciani insulæ dynasta 156 e.
Laurētiana Philippi Catholici regis bibliotheca 112 d.
Laurentius Almeida Francisci filius AEgyptios Arabasque negotiatores intercipit 52 a. Cananoris portum victor introit 53 c. Ceilanum insulam detegit 54 e. societatem cum eiusdem regulo init 55 a. 130. e. ad Ciaulum ab AEgyptia classe oppressus 70 f. & seq. rumoribus de classe cur nō credit 71 a b. Cocinum venit 54 d. 55 a. Colanum cum classe mittitur 51 a. Malabaricum mare custodit 69 a. ad Maldiuas missus 54 e. Mariæ virgini templum vouet 53 b. Pananem oppugnat 60. eius corpus ad sepulturam à Mahometanis quæsitum dignosci nequit 73 c. fortitudo 60. magnanimitas 72 e f. mors 73 a. nauis in saxa impingit 72 e. à Dienſibus & AEgyptijs expugnata 73 a. prælium nauale 53 b c. vitæ periculum 60 e.
Laurentius Brittus Cananorensis arcis præfectus 57. b. arcem egregiè contra Calecutanos & Cananorenses tutatur ibid. & seq. ex ea erumpens hostes fugat. 58 d.
Laurentij Frerij Cati facinus insigne 73 a. mors ibid.
Laurentius Marchesius 315 b.
Laurentius Morenus Lusitanus Repelini vada contra Calecuranos custodit 41 b.
Laurentius Syluius Castellanus Turumbacum Armuzienſium aquationem custodit 67 b.
Leæna Africæ mons à quo primùm detectus 4 d.
Leo X. Papa 102 e. ad eum Emmanuelis Lusitaniæ regis legatio & munera ibid.
Lequij populi 16 e. 48 d.
Leuca quale mensuræ genus 3 c.
Li Sinarum mensura 112 e.
Linguæ rex Abdalam Camparis dynastam bello premit 104 d.
Longum oppidum à Lusitanis incensum 179 a.
Loytiæ Sinarum iuris periti 114 f. 116 f.
Lucopinæ insulæ 99 a. ad eas Francisci Serrani naufragium ibid.
Ludouicus Menesius Armuziam missus 155 b.
Ludouicus Piræus nauarchus irrita Indica nauigatione Olisiponem redit 29 c.
Ludouicus Romanus Patricius in India 53 a.
Luianus sinus 101 a. in eo Albuquercij naufragium 101 a.
Luitisius rei bellicæ apud Sinas præfectus 115 a.
Lupus Azeuedius Pacenensi arci succurrere tentat 160 d.
Lupus Brittus in Ceilanum missus 144 f. arcem Columbanam munit 145 a. Columbum oppidum inuadit ibid. b. in arce obsessus ibid. c. & seq. ex ea erumpit 146 e. eius prudens factum 145 b c. cum Cingalis pugna 146 e f. victoria ibid.
Lupus Soarius Aluarenga Adenum venit 142. 125 c. eius deditionem repudiat 124 f. eius portu excluſus 125 c. Arabum naues capit & diripit 47 a. Calecutanos fundit, fugatque 46 f. ad Camaranum venit 124 f. 125 a. arcem ab AEgyptijs inceptam demolitur ibid. b. Ceilanum insulam classe petit 130 e. Columbanum regem stipendiarium facit 131 b. in eius regno arcem exstruit 131 a b. Cranganorem incendit 46 f. Cocinum venit 107 c. 131 c. Giddam petit 124 f. & seq Indiæ prætor 107 c. 124 e. 129. a. Zeilā Africæ emporium delet 125 b c. eius classis 124 e. cum Columbano rege fœdus 131 b.
Lupus Vasæus à S. Pelagio Bacanoris fluminis ostiū expugnat 168. Calecutanū littus vastat 180 d. classem instruit 181 c. Cocini præfectus 167 c. ad Dabuli excidium tendens à præfecto mitigatur 168 f. imperij cupidus 175 a. Indiæ prætor cum conditione 167 c. iterum ex diplomatibus 169 c. Mahometanas naues diripit & incendit 168 e. Mascareniam in vincula conijcit 174. Porcam oppidum capit & diripit 180 e. Sampaius dictus 167 c. Termapatanū Calecuti portum petit 179 c. eius per Indiam ædificia 181 c. & seq. de prætura cum Mascarenia disceptatio 173 & seq. prælium nauale 180 d. victoria ib. & seq.
Lusitani cuiusdam captiui egregium fidei specimen & mors 97 b.
Lusitani cuiusdam peditis facinus forte 183 b.
Lusitani 17. ab AEgyptijs capti Selymo Turcarum imperatori donati 125 b. 70. Apostatæ 94 f. in Lusitaniam remissi 96. e. in eos seuera Albuquercij animaduersio ibid. cum Castellanis in quærendo nouas terras certant 15 a. 17. à Dienſibus capti Cambaiano regi donati 179 b. in duas factiones in India diuisi 174 c. interempti ad Armuziam 153 a. ad Colanum 51 a. à nauigandi peritia per Europam celebres 14 d.
Lusitanorum de Albuquercio querelæ 66 d. 84. e f. ardor in Dienſis portus oppugnatione 76 f. & seq. cædes 179 c. 187 c. clades ad Acenum 141 c. ad Armuziam 153 a b. ad Bintanum 142 d. ad Bonæ spei promontorium 78 f. ad Calacinum 136 e f. ad Calecutum 79 b. ad Ciaulum 73 b. ad Malacam 82 e. ad

Matuam 137 a. ad Pondam vicum 127 a. ad Quiloã 137 a. à Sinis 160 e f. in Columbana arce periculum 146 d. apud Malacenſes inuidia 105 a b. modernorum luxus 77 c. naues quatuor ſubmerſæ 33 b. naufragium ad Catuæ flumen 179 c. nauigationis limites quæ 15 c. 16 d. nomen in oriente celebre 132 a. pugnandi mos qualis 150 d e. quinque fortitudo, & ſtupenda victoria 134 e f. rapacitas & crudelitas ad Brauam vrbem diuinitus vlta 55 c. in Sinas iniuriæ 121 a. in Ternate inter ſe diſſidia 176 e f. & ſe. veterum frugalitas 77 b.
Lutheranæ hæreſis quiddam ſimile apud Iaponios 245 b c.

M.

MAcazar inſula 201 a. & ſeq. 235 a b. eius incolæ fidem expetunt ibid.
Macis aromatum genus in Banda inſula 98 c.
Madaba regni Cambaiæ vrbs regia 147 a.
Madagaſcar nunc S. Laurentij inſula 15 c. 55 a. 169 c. à Triſtano Acunia exploratur 55 a. fertilitas ibid. incolæ ibid.
Maddena gens 17 a.
Madrafaba Cambaiæ portus ab Iazio Dienſi dynaſta munitus 152 d.
Madrafaxaus Cambaiæ rex 70 b. Mamudij pater ibid. a. augurijs deditus ibid.
Madremalucus Mamudij Cambaiæ regis tutor 213 c.
Magadaxus Saracenorũ vrbs 28 e. 51 c. à Gamma quaſſata 28 e.
S. Magi tres à S. Thoma Apoſtolo conuerſi 38 d.
Magallanici freti inuentio 143.
Mahometanorum in Chriſtianos odium 21 c. 22. 27 b. 48 e.
Mahometes Anconinus Quiloæ rex 50 f.
Mahometis templum in vrbe Maſcato deſtructum 62 f.
Maimames Mahometanus Calecutani regis ad Campſonem Aegypti legatus 48 e. 70 d. claſſem Campſonis Dium adducit 70 d. orans globo diſcerptus 72 d. inter Diuos à ſuis relatus 73 b. eius ad Cãpſonem oratio 48 e.
Mainum flumen 180 f. & ſeq.
Malabarici regni ædificia 26 d. cæli mira variatio 23 c. Dij 24 f. incolæ in quatuor ordines diſtributi 24 littus quantum à Melinde diſtat 23 c. ſitus ibid. ſuburbia qualia 26 d.
Malaca Indiæ vrbs 16 d. 48 d. 79 c. & ſe. 89 a. 103 c. 173 a. ab Albuquercio oppugnata 91 c. & ſe. 93. expugnata & direpta 93 c. incenſa 91 a. eius arx à Luſitanis conſtructa 94 d. ab Alodino oppugnata 129 c. per fraudem pæne capta 98 a. deſcriptio 91 c. incolæ bellico ſi ibid. motus 97 a. 128 opulentia 93 c. ſitus 48 d. 91 c. templum Salutationis Angelicæ 94 d.
Maldiuæ inſulæ 54 e. 135 a b. 175 a. earum fertilitas 135. incolæ 135 c. rex ſtipendiarius fit Luſitano 96 f. ſitus 135 a. in ijs palma fructifera arbor ibid.
Maldiua inſula 135 c. in ea arx à Luſitanis conſtructa 136 d. à rege, Luſitanis interfectis capta ibid.
Mammaluci milites AEgypti robora 69 b. in Indiam ad expellendos Luſitanos miſſi 70 d. eorũ ad Dium cædes 77 b.
Mamudius Armuziæ rex Zeifadini filius 155 b. pacem cum Luſitanis init ibid. c.
Mamudius Cambaiæ rex 69 a. 79 c. 122 d. 148 d. 149 a. à Calecutano in Luſitanos incitatur 69 a. ab Aegyptio Campſone auxilia per legatos petit 69 b. Mahometanus eſt ibid. ad Giddam muniendam pecuniã cõtribuit 122 e. eius pater 70 e. ad eum Albuquercij legatio & munera 105 c.
Mamudius alter Cambaiæ rex 213 c. 257.
Mamudius Malacæ rex Arabs 80 e. 90 d. à Sionis rege deficit 80 e. fœdus cum Luſitanis init, & perfidè violat ibid Luſitanos captos Albuquercio reſtituit 91 a. eius bellicus apparatus 90 e. & ſeq. de bello conſultatio 91 b. fraudes 90 f. fuga 92 e. & ſeq. inſidiæ in Luſitanos 80 f. 81. 92 f. mors 93 c. prælium cum Albuquercio 91 c. & ſeq. vitæ periculum 92 e.
Manar inſula 226 f. incolæ ob fidem vexantur 235 a.
Mandarinum Sinarum præcipua lingua 112 e.
Mandingæ rex 14 d.
Mandioca farina Braſilica 32 e.
Mandoa Indiæ regnum 69 b.
Mandous dynaſta 208 f.
Mangalor Cambaiæ oppidum deletum 207 a.
Mangalor Narſingæ emporium à Luſitanis expugnatum 186 f. direptum & incenſum 187 a. eius dynaſta interficitur ibid. dynaſtæ fraus 186 f.
Mangatis fluuius 34 f.
Mantelum Amboini oppidum Chriſtiana ſacra ſuſcipit 200 f.
Maquienum inſula 161 b. 178 e f. 189 a.
Mariacum oppidum Tidoris inſulæ caput à Ternatenſibus captum & incenſum 161 b.
D. Marię virginis imago apud Sinas colitur 118 d. templum ad Aquas Lupias in Luſitania 96 d. Cananore 53 c. Goæ 96 f. 101 a. 107 c. Malacæ 94 d. in Mazua inſula 138 d. in Socotora 56 e.
Martabanum Peguſiorum emporium 132 d.
Martinus Alphonſus Carualialius Perſam in bello adiuuat 221 a.
Martinus Alphonſus Mellus à Sinis oppreſſus malè mulctatus elapſus 160 f. eius in ſocios Sinarum ſęuitia ibid.
Martinus Alphonſus Soſa Indiæ prætor nominatus 220 f. Indici maris præfectus 208 d. eius laus 200 f.
Martinus Bohemus mathematicus Ioannis Monteregij alumnus 5 c.
Martinus Correa Longum oppidum capit & incendit 179 a.
martinus Ignatius Carquicianus Cantaber ad Molucas cum Caſtellanis venit 176 d. Tidorem inſulam munit 176 e. eius mors ibid. f.
martinus Villanouanus comes 103 a.
martinus V. Papa 4 e.
martius menſis Luſitanis ad iter Indicum aptus 29 c.
martyrium Antonij Criminalis 290 e. Carigiorum 319 b. Chriſtophori Gammę 224 f. Conſalui Sylueriæ 329 a. Ioannis Colonienſis 283 c. Ioannis Petreij 217 b. Ioannis Soſæ 320 d. Manarenſium 235 a. Petri Correæ 320 d. Rotherici Borii 153 b. D. Thomæ Apoſtoli 37 c.
maſcatum Armuziæ oppidum 61 c. à Luſitanis deptum & incenſum 62 e f. eius præfectus Luſitanos benignè excipit 62 d. in fide permanet 153 c.
maſſagetæ Africi populi 108 d.
materia inſula à quibus inuenta 4 e.
mathani rex Magalianem ex inſidijs interficit 143 b. eius cum Subi inſulæ regulo bellum ibid pax qua conditione inita ibid.
Matthæus Armenius Abaſſini regis legatus ad Luſitanum 96 f. qua pompa Goæ exceptus 97 a. ab Emmanuele in Luſitania 103 a. à nauarchis Luſitanis diuexatus 103 a. 137 c. in patriam redit 147 c. & ſeq. ob eius reditũ Abaſſinorum gaudium 138 d e.
matua Mombazæ vicus 136 f. eius incolæ aliquot Luſitanos interficiunt ibid. & ſeq.
mauricę inſulæ in Molucis 188 e. earum fertilitas ibid. de ijs Molucæ reges inter ſe contendunt ibid.
mauritania Africæ pars 15 c. eius fertilitas 18 f.
maurus monachus Hiſpanus Sinai montis antiſtes 49 b. à Campſone Aegypti Sultano ad Pontificem maximum miſſus ibid.
maxelizius Bengalenſis arcem Malacenſem per fraudem

dem capere tentat 96 d.
Mazua Arabiæ insula 137 c. Lusitanis subiecta 166 f. Ptolemais olim 137 c. eius descriptio ib.
Meacum Iaponiæ vrbs 275 & seq.
Mealis exsulis conatus irriti 239. & seq. 318 d. eius filia conuertitur 330
Meca Arabiæ ciuitas Mahometis sepulchro nobilis 36 e. 47 a. 49 b. 107 b. 122 d. 184 d. 186 f.
Mehum insula 102 d. S. Crucis à Lusitanis dicta ibid. eius situs ibid.
Melchior Carnerius è societate IESV Nicenus episcopus 321 a. 327 b. rem Christianam apud Sinas administrat 327 b c.
Melchior Caruallius ad Pegusiorum regem legatus 132 d.
Melchior Nonnius societatis Iesu presbyter in Bazainum missus 304 d. linteo, in quo Xauerij corpus inuolutum fuerat, in ceremonijs solenibus vtitur 307 b. in Iaponiam tendit 308 f.
Meliapor Coromandelis regni caput 36 f. 157 c. nunc S. Thomæ colonia 36 f. vetustate bellisque diruta à Lusitanis restaurata ibid. in ea à D. Thoma Apostolo templum constructum 36 f. & seq. 157 c. à Lusitanis renouatum 157 c. ei decimæ attributæ 158 d. D. Thomæ reliquiæ in eo inuentæ ibid.
Melinde oppidum 17 a. 23 b. 28 e. 33 c. 35 c. eius littus impoi tuosum 182 d. regis in Lusitanos benignitas 23 b. legatus ad Lusitaniæ Regem 28 e. in patriam redit 33 c. ei à Mombazæ rege oppressę à Lusitanis succurritur 43 b.
Memphis Aegypti vrbs 17 a. 49 a.
mendacium quid 236 f.
Mendius Aloysius è societate Iesu, Parauanis præpositus 304 d. eius martyrium ibid.
mendoza vide Ioannes.
Mengus Musafus Isufi Sofalæ prętoris gener 5 c. Sofalæ præturam ambit 52 f.
mens malè conscia suspicax 281. c
Merganum vicus 286 è.
Mesquitæ Pereſtrellij naufragium 317 c.
Metem Africæ vicus 137 b.
Michael Ferreria Ceilani regi in auxilium missus 219 c. eius de Calecutanis victoria ibid.
Michael Indus è Iogue Christianus 34 f. legatus à Caprali ad Cocini regem 35 a.
Michael Macazaris insulæ incola baptizatur 201 a. optimè de Christiana re meritus ibid.
Michael Vasæus Indiæ vicarius generalis 226 e. de Christiana re bene meritus 248 e.
Mincimbus è Papuis insulis regulus 195 b.
Mindanum insula 201 b.
Miracenus Goæ princeps 84 f. ab Albuquercio captus, & supplicio affectus ibid.
miraculum 12 d e. 37. 46 e. 51 b. 55 c. 62 f. 65 a. 77 b. 88 e. 101 b c. 102 d. 131 c. 132 d. 250 f. & seq. 267 b. 272 e. 282 f. 288 f. 309 a.
Miramudius Mogorum Rex Cambaiæ regnum vastat 208 f.
misericordiæ sodalitium Goæ 307 c
Missæ sacrificium sanat ægrotos 282 f.
Mocondes Cafer dynasta arcem Lusitanorum ad Sofalam oppugnat 52 e f. Sofala direpta in patriam redit ibid.
Mocrinus Arabs Bahareni insulæ dynasta 149 b. ab Armuziæ Rege deficit, Armuziamq; infestat ibi. eius cum Correa pugna 150. 151. mors 151 a. cadauer interceptum ibid.
Mogastane Armuziæ oppidum 310 f.
Mogores Schytica gens Cambaiæ regnum vastat 208 f.
Molana Mahometicus Paceni Califa 139 a. opem Soarij implorat ibid. Paceni reguli tutor 141 b.
Molucæ insulæ 16 e. 54 e. 99 b. 141 c. 160 f. & seq. 175 b. an ad Castellæ regnum pertineant disceptatio 142 e. 144 f. ab occidente à quo primùm quæsitæ 142 f. inuentæ 144 d. veteribus ignotæ 100 e. earũ amœnitas, fertilitas, 98. e f. & sequ. incolarum ingenia, mores, & victus 100 d e. in fide progressus 219 c. 330. e f. regum inter se discordia 188 d e. situs 98 e f. in ijs caryophylli copia 99. c. Lusitanorum tyrannis 175 b. & se. difficultates 188 d.
Mombaza vrbs & insula 50 f. 136 f. à Lusitanis direpta 182 d. incensa 51 a. eius rex Querimbam à iusto domino auertit 156 d. tormenta bellica à Lusitanis submersa expiscatur 35 c. Regis in Gammam insidiæ 22 f. quomodo detectæ 23 a. cum Melindis rege bellum 43 b.
Momoia vrbs in Moro 194. e. Christianam religionẽ susciput ibid. f. à Lusitanis munita ibid. eius dynasta baptizatur ibid. dynastę in fide constantia 196 d.
Monaianum Armuziæ castellũ à Persis captum 280 f. ab Armuzianis recuperatum 181 b.
Monda flumen 228 d.
Monomotapæ rex 51 c.
Mons maior Lusitaniæ oppidum 20 d.
Monzaida Tunetensis mercator insidias à Saracenis in Gammam structas detegit 27 c.
Mortuorum insula 264 f.
Morum insula 194 e. 195 c. in ea Simon Vasæus interficitur 196 d.
Mosambicum insulæ Prasiæ oppidum 15 c. 21 b. 28 e. 33 c. 39 b. 137 a. 156 d. Quiloæ regi paret 21. b. eius incolæ Capralem benignè suscipiunt 33 c. bombardis à Gamma terrentur 21 c. 22 d. situs 21 b.
Moscum odoramenti genus 109 a.
Moses Africæ populi 14 d. Christianos ritus in multis sectantur ibid. nomina ab Apostolis mutuantur ibid.
Motiones indicæ quid & vnde dictæ 55 b. 82 e.
Muaris fluuius 97 c. 129 a. 133 b.
Mudofar Armuziæ dynasta 106 d.
Mulieris cuiusdam egregia fortitudo 216 f. & sequen.
Mundequeti Aethiopiæ populi Congi regnum vastant 9 a b. fusi fugatique ibid. c.
Mures & putria animalia in vsum cibi 86 a.
Mures à Christianorum prædijs in agros ethnicorum mirabiliter fugati 301 c.
Mustafæ Mammaluco Zebitum oppidum à Solimano Peloponneso donatum 215 a.
Mustafa Solimanum Aegypti præfectum interficit 187 a. Adenum obsidet ibid. Dium venit 205 c. ad Cambaiæ Regem profectus 207 a. Turcarum in Badurij expeditione præfectus 209 a.

N.

NAbandes Armuziæ oppidum, ab Albuquercio captum & incensum 74 d.
Nagotan fluuius 181 a. 183 a.
Nahu Abassiæ rex 17 c. 96 f
Naires Indorum nobiles 24 d. rei bellicæ præsunt 25. a. in armis quomodo exercentur ibid. b. eorum in armis dexteritas ibid. superbia 26 d.
Naiteæ Mahometani 185 b.
Naodabegucæ Malacensis in Sequeriam conspiratio 90 d.
Naramuinus Trimumparæ Cocini Regis sororis filius regni hæres 41 a. Repelini vada contra Calecutanos egregiè tutatur ibid. b. occiditur ibid. c.
Narsinge rex Taracolum Idalcanis vrbem oppugnat 87 a. eius cum Lusitanis fœdus 105 c.
Natale littus 317 c.
Nauarræi gentium in India conuersionem præcipuè sibi vendicant 296 e.
Naubeadarinus Zamorini sororis filius Calecutanũ regnum init 102. Cocinensibus bellum inferendũ diffudit 39 c. Lusitanorum studiosus 102 e. ijs stipẽdiarius ibid. eius exercitus fusus & fugatus 46 f.
Naubeadora Trimumparæ sororis minor filius Cocini rex 51 b. 87 a. 96 d.
Naufragia horrenda 315. & seq. 317.
Nauigationis Iaponicæ difficultas 272 d. Indicæ 231.
Nautaci Indiæ populi 69 b.
Naxac Pegusianorum infernus 328 e.
Nestorianus pseudoepiscopus in D. Thomæ colonia 327 b
Niba animarum receptaculum Pegusianis 328 e. quid significat ibid.
Nicenus episcopus in Abassiam missus 321 a. 327 b.
Nicodemus Pharisæus occultus Christi discipulus 292 d.
Nicolaus Cœlius nauarchus in prima Indica nauigatione 20 d.
Nicolaus Cõsaluus Rumecanis castra oppugnat 266.
Nicolaus Lancilotus Italus societatis Iesu presbyter in Indiam missus 247 b. eius patria ibid.
Nicolaus Nonnius societatis Iesu presbyter in Molucas missus 271 b.
Nilus Africæ fluuius 9 b. 49 a. 69 c. 107 b. eius ortus veteribus ignotus 9 b. eum in Arabicũ sinum deducere Albuquercium statuisse 107 b.
Ninachetus Malacæ prætor 94 d. 103 c. & seq. Lusitanorum studiosus ibid. prætura spoliatus 104 f. eius ad Malacenses de suis in Lusitanos beneficijs oratio ibid. voluntaria mors 105 a.
Ninacunapanus maritimæ rei ad Somatram præfectus 141 b.
Ninaraus Diensis vrbis præfectus 211 c.
Nizamalucus Ciauli dynasta 70 f. 102 d. 152 d. 186 c. Lusitanis tributarius 78 d. eos benignè excipit 71 a. eius in regem Decani perfidia 70 f. 76 a. cum Idalcane bellum 152 d. 186 e.
Nocoda Hamedius Turca Zebiti vrbis dynasta 215 a. à Solimano Peloponnesio capite plectitur 215 a.
Nomades pabuli ratione sedes mutant 295 b
Nõnius Acunia Indiæ prætor 182 d. 185 a. Armuziam venit 182 e. Melindem ibid. d Mombazam diripit ibid. Betelem capit 205 a. Bazainum expugnat 207 & seq. eius Diensis expeditio 204. 205. & seq. in Badurium Sultanum insidiæ 212. mors 219 a.
Nonnius Barretus Aethiopiæ patriarcha 321 a. vide Ioannes.
Nonnius Vasæus Pereria nauarchus prætoriam Hoceni nauem inuadit 76 e f. eius guttur sagitta confixum ibid. mors ibid. nauis pertusa miraculosè aquas non admittit 77 b.
Nõnius Vasæus Pereria Malacæ vrbis prefectus 128 e. arcis eiusdem præfectus fit ibid. eius cum Patieco simultas de arcis præfectura 128 e f.
Nonnij Vasci fortitudo 60 e. vitæ periculum 53 c.
Nordinus Armuziæ vrbis præfectus 105 c Zeifadinum regem veneno tollit ibid.
Noroa vicus 249 c. in eo templum D. Thomæ extrui iubet Lusitaniæ rex ibid.
Nubunanga Iaponiæ tyrannus Meaci rex 247 b. Bonziorum cœnobia euertit 242 e. eius mors ibid.
Nuciuele Amboini oppidum christianą sacra suscipit 200 f.
Numidæ agilitate corporis insignes 13 b.
Nunnus Riberius societatis Iesu presbyter in Molucas missus 271 b.
Nuntius Apostolicus Indiæ 230 e. 233 b.
Nux myristica in Molucis 98 e.

O.

OBij Africæ populi 15 c.
Oia vrbs 55 b. eius dynasta Melindis regi infestus, à Lusitanis occisus 55 b.
Olisipo vrbs 39 b 43. b. 50. c. Lusitaniæ regum sedes 2. e. eius situs ibid.
Olla aurea è Colani fano à Lusitanis sublata Ioanni regi dono missa 238 f. ab rege remissa, in eodem fano reposita 329 a.
Ollæ incendiariæ descriptio 164 f. & seq.
Onor emporium 83 a. 87 b.
Onoris regnum 82 f.
Onuzius Saracenus Iauæ maioris dynasta 97 c. eius cum Lusitanis nauale prælium ibid. cladis ibid.
Opificum & agricolarum in India misera conditio 25 c. & seq.
Orbis diuisio 2 f. maxima pars veteribus ignota 2 f.
S. Ordinis sacramentum in India administrari cæptum 201 c.
Orfazanum Armuziæ oppidum 62 f. ab incolis desertum à Lusitanis direptum ibid.
Ortizius Visensis episcopus 47 a.
Oryza semitosta Iaponijs auena 275 c.
Osorius Lusitaniæ regis chronographus 43 c. 121 b. 140 f.
Ouiedus Castellanus Hierapolitanus episcopus 321 a.

P.

PAca animal Brasilicum 31 b.
Pacensis Beanus ad Diũ cum classe relictus 149 a.
Pacenum vrbs ab Abrahamo Acenorum tyranno capta 159 a. eius arx à Lusitanis cõstructa 141. b. ab Abrahamo obsessa 159 a. oppugnata, & fœdè à Lusitanis deserta ibid. regulus cum Lusitanis fœdus init 90 d. à Patieco infestatus pacem petit 134. interfectus 139 a. reguli in Lusitanos iniuriæ 133 c. filius Soarij opem implorat 139 a. in regnum restitutus tributarius Lusitano 141 b. Malacæ exulat 160 d. regulo contra rebelles Georgius Albuquercius opem fert 103 c.
Pæni ad Capuam effeminati 77 c.
Pagelungi Africæ populi æquatori subiecti 15 c.
Pagus seu Pagodes ad Malacam oppidum 129 c. 141. c. ab Alodino munitum, à Lusitanis expugnatum & incensum 133. eius situs ibid.
Paiua Sianium & Supanum reges conuertit 237 b. vide Antonius.
Paleacates Sinarum emporium 158 d.
Palmæ indicæ descriptio 135. vtilitas ibid.
Palmulanum Iacobeæ militiæ contubernium 88 e. ei quæ

quæ ab Albuquercio donata ibid.
Panane Calecutanum oppidum 26 c. 40 d. à Zamorino munitum 59 c. à Luſitanis captum & incenſum ibid. & ſeq. 162 d. ad id Zamorinus exercitum cogit 40 d.
Pandarane oppidum 47 a. in eius portu Arabū naues Luſitani expugnant ibid.
Panenſium regulus 49 c. 129 a. bellum cum Albuquercio Malacenſibus ſuadet 91 b in patriam Malaca fugit 92 f. Luſitanos naufragos benignè excipit 129 b. Luſitano tributarius ibid. eius claſſis Alodino in Bintano obſeſſo ſuccurrit 170 f. à Coëlio diſſipata ibid. & ſeq. ei Mamudij Malacæ regis filia deſponſata 90 a.
Panginum ad Goam caſtellum 83 b. à Luſitanis expugnatum ibid 86 e. & ſeq. deſertum 85 b.
Panſus Aquitimus Ioannis Congi regis filius 9 b. fidei reſiſtit 10 f. ad regnum adſpirat ibid. & ſeq. à fratre prælio miraculosè ſuperatus, capitur 12 d. e. moritur ibid. eius exercitus dux miraculosè cōuertitur ibid.
Pantaleon Sala ad Monaianum recuperandum miſſus 281 a. eius clades ibid.
Pantaleon Sala ex India Luſitaniam petit 313 a. eius naufragium ibid. & ſeq. peregrinatio 314. & ſeq. mors 317. b
Panthera è Perſide Leoni X. Papę ab Emmanuele Luſitaniæ Rege dono miſſa 102 f. priſcis Romanorū ludis expetita ibid.
Papuæ inſulæ 195 b. earum reges in Luſitanos conſpirant ibid. ſocietatem cum iiſdem ineunt 200 f.
Parabramma Indorum Deus 24 f.
Paracates Mecanæ ædis præſul 124 d. ſimultatem inter Solimanum & Hocenum tollit 124 d.
Paragaius Braſiliæ fluuius 319. b
Parauæ populi ad fidem conuerſi 226 f. & ſeq. eorum mores & inſtituta ibid. ijs Euangelium Xauerius prædicat 234. ſubſidio contra Mahometanos Luſitani veniunt 227 a b. eos iniuria afficiunt Luſitani 249 a.
Pardaus nummus aureus 152 d.
Pariſij Galliæ regis ſedes 228 d. in eius Academia Luſitani ibid.
Paſchalius & duo alij è Societate Ieſu fame pereunt. 326 e.
Paſſanius Alanquerianus ad Peguſios legatus 132 d. vide Antonius.
Paſſanij nobiles ab Genua vrbe oriundi 54 d.
Patalena regio 70 d.
Patangatini Parauanorum decuriones 227 a.
Patanius rex 253 a b.
Pate & Patane emporia capta, & direpta 207 a.
Patemarcar Calecutanæ claſſis præfectus 219 c. eius caput abſciſſum Ceilanio Regi pro munere miſſum ibid. clades ibid.
Patiacus Vtimutis Malacæ principis filius 81. b. eius cum Luſitanis amicitia ibid. in Sequeriam inſidiæ ibid. c. & ſeq mors 94 e.
Patieci de Calecutanis ſtupenda victoria 45 b. vide Eduardus.
Patiecus Rumæi caſtelli præpoſitus 217 b. caſtellum Turcis dediti ibid. eius mors ibid. c.
Patriarcha AEthiopiæ 321 a. vide Ioannes Nonnius Barretus.
Paulus Camertes è ſocietate Ieſu in Luſitaniam miſſus 228 f 230 d. Moſambici in noſocomio à Xauerio relictus 233 a. D. Pauli collegio Goæ præpoſitus 233 c.
D. Paulus Eremita S. Antonij tunica in ſolemnibus ceremonijs vſus 307 b.
Paulus Gamma Vaſci frater 20 d. 26 f. Raphaeli nauarchæ in prima Indica nauigatione præfectus ibid. eius pater 20 d. mors 28 e.
D. Pauli Goæ collegium 233 c. eius reditus 250 d.
Paulus Iaponius Goæ baptiſatur 271 c. in Iaponem redit 274 d. chriſtianam rem egregiè adminiſtrat 274. Cangoximæ Chriſtianis præeſt 275 a. vxorem & filiam conuertit 274 e f.
Paulus Iouius hiſtoricus 78. 144 f. de rebus AEthiopicis ſcripſit 119 a.
Paulus Papa III. 278 e. 233 b.
Pax cum Abaſſinis inita 138 f. cum Armuzianis 65 a. 155 c. cum Calecutienſibus 43. a. cum Cananorenſibus 59 b.
Pedirenſis in Somatra regulus 80 d. fœdus cum Luſitanis init 80 d. 90 d. regno ab Abrahamo Acenorum rege pulſus 158 f. in Pacenam arcem ad Luſitanos fugit 159 a. ad Aruanum regem ſupplex ſe confert 160 d.
Pegu regnum & vrbs 132. olim Ophir ac Tharſis 16 d. 132 d e. eius regulus fœdus cum Luſitanis init 132. & ſeq. fœderis ceremoniæ ibid. ſitus ibid. 327 c. & ſeq. in eo euangelium prædicatur 327 c. & ſeq.
Peguſianorum Dij 328 d. mores & inſtituta ibid. origo 327 f. ſuperſtitiones & errores 328.
Pelagius Soſa trierarchus 72 e.
Peluſium AEgypti oppidum 69 c.
Pembæ regulus Luſitano ſtipendiarius 156 d.
Pereria Luſitaniæ regis ad Sinas legatus 302. & ſeq. vide Didacus.
Peribecus Turcicæ claſſis præfectus 310 e. Armuziam ab incolis deſertam diripit 311 a. Maſcatum oppidum deditione capit 310 f. Mecam redit 311 b. 312 d. capite à Solimano plectitur 312 d.
Pernambicum Braſiliæ colonia 295 a.
Perſæ cuiuſdam cum Gaſpare Berzæo de religione diſputatio 286. 287. vxor & filia chriſtianæ fiunt 287. c
Perſarum regis ad Albuquercium legatio 106 f & ſeq. ad Armuziæ regem ad vectigal exigendum 65 b. ei tormenta bellica ab Albuquercio miſſa 107 b. ſubſidio contra hoſtes Luſitani veniunt 484. f
Peruana regna 30 e. 142 f.
Petreius ad Sinæ regem legatus captus 121 b. vide Thomas.
Petreus Andradius ad Sinas miſſus 107 c. 124 e. vide Fernandus.
Petrus Alanquerius prætoriæ nauis in prima Indica nauigatione præfectus 19.
Petrus Alcaceua ſocietatis Ieſu presbyter in Iaponiam miſſus 304 e. è Iapone Malacam delatus corpus Xauerij Goam aſportat 307 c.
Petrus Aluarus Capralis ſecundæ Indicæ claſſis præfectus 29 b. Braſiliam inuenit 29. & ſeq. ad Primas inſulas venit 33 c. Moſambicum, Quiloam, Melindem ibid. ad Anchediuam ibid. Calecutum 34 d. fœdus cum Calecutano init ibid. fœdere violato cum eodem bellum gerit 34 e f. Cocini benignè à rege ſuſceptus 35 a. Cananorem adit 35 b. Oliſiponem redit ibid. c. eius claſſis tēpeſtate diſiecta 29 c. naues quatuor ſubmerſæ 33 b. ei quæ à rege mandata 29 b c.
Petrus Annius Gallus in Indiā miſſus 169 b. ad S. Laurentij inſulam naufragio perit ibid. c
Petrus Ataidius nauarchus 40 f. 42 e.
Petrus Caſtrius in Indiam miſſus 156 e. Querimbam inſulam & oppidum expugnatum incendit ibid. d.
Petrus Correa ſocietatis Ieſu presbyter in Braſilia 319 c. ad Tupinaquinos miſſus 319 c. duos Caſtellanos è vinculis eximit ibid. Carigios conuertit 319. c. eius martyrium 320 d.

Petrus Couillanius ad Indiam & AEthiopiam explorandam mittitur 16 f. Africæ orientalis littora luſtrat 17 a. in AEthiopiam tendit ibid. c. à rege benignè ſuſcipitur ibid. in ea detentus pro mortuo habetur 18 d. Bonæ ſpei promontorium circumnauigari poſſe certo comperit 17 b. Indiæ ſitum & commercia deſcribit ibid. a. ad Luſitaniæ regem de ſua peregrinatione ſcribit ibid. b c. Memphim redit ibid.

Petrus Dia nauarchus in Luſitaniam inuitus redit 33 c.

Petrus Faria Luſitanus Mealem reducendum Prætori diſſuadet 239 c.

Petrus Gnaia Caſtellanus Sofalam venit 51 c. benignè ſuſceptus arcem conſtruit 52 d. prætorem Iſufum interficit ibid. f. eius arx ab incolis & vicinis oppugnatur ibid. ſocij grauitate aeris febribus vexantur 52 d.

Petrus Maſcarenias Bintanum excindere parat 170 d. claſſe petit ibid. oppugnat ibidem & ſeq. 172. capit 172 e. Cananorem venit 173 b. Cocinum ibid. Colani prætor ſalutatur i. bid. Goæ vrbis præfectus 100 e. Goa excluſus 173 c. gratioſus apud omnes 167 b. Indiæ prætor è codicillis declaratur ibid. Indiam Malaca petit 169 c. 173 a. pæne ſubmerſus Malacam redire coactus 169 c. in Luſitaniam remiſſus 174 f. Malacæ præfectus 167 b. Serrano pæne oppreſſo ſuccurrit 171 c. Simoni Meneſio in vincula coniectus adſeruandus traditur 173 b c. 174 d. eius ſumma animi moderatio ibid. laus 167 b. de prætura cum Lupo Vaſæo ſimultas ibid. b c. 169. 173. & ſeq. ei iniuriæ factæ 173 b. 174 f.

Petrus Maſcarenias Luſitaniæ regis ad papam legatus 228 e. Franciſcum Xauerium in Luſitaniam ducit 229. 317 c. Indiæ prætor rei Chriſtianæ ſtudioſus 317 c. eius in prætura res geſtæ 318 d. mors ibid.

Petrus Nonnius inſignis mathematicus 269 c.

Petrus Vaſæus Biſacutus Luſitanicæ claſſis præfectus 13 c. regem Ialophorum in regnum reductum interficit ibid.

Petrus Vaſæus initi fœderis cum Abaſſinis nuncius in Luſitaniam miſſus 139 b.

Petrus Vaſæus Igæditanus epiſcopus 103 a.

Philippa Alencaſtria Ioannis I. Luſitaniæ regis vxor 3 a.

Philippus rex Catholicus 112 d. 302 f. Iaponiorũ ad Papam legatos benignè excipit 302 f.

Philoteræ portus Arabici maris, hodie Alcoceris 221 c. à Luſitanis incenditur ibid.

Pigritia animal Braſilicum 31 c. cur ſic dicta ibi. eius victus ibid.

Pimilaranus Mindanai inſulæ regulus baptiſatur 201 c. Franciſcus dictus ibid.

Pinda Congani regni emporium 299 c.

Piper oblongum 80 d.

Piratininga Braſiliæ pagus 318 f. in eo patres Societatis Ieſu ibid.

Piratiningani Braſiliæ populi crucis ſigno muniti hoſtes ſuperant 319 a.

Pirimal Ceilani rex vnus ex tribus Magis 38 d.

Piſcandi genus apud Sinas 113 c.

Piſcarium littus 54 e. 226 f. eius ſitus 226 f. incolæ Chriſtiani fiunt 227 a b. vide Parauæ.

Planæ inſulæ 20 f.

Pompelonis fines 229 c.

Ponchaſius fiſci regij apud Sinas præfectus 114 f. eius munia ibid.

Ponda vicus & portus prope Goam 126 f. & ſeq. à Luſitanis vaſtatur 126 f.

Porca oppidum captum & direptum 180 e.

Portus Securus in Braſilia 30 d.

Poſſeſſiones malè quæſitas cito perire exempla 140.

Prælium nauale 45 c. 53 b c. 63 c. & ſeq. 71 c. 72 d. & ſeq. 76 e f. & ſeq. 97 c. 104 e f. & ſeq. 134 e f. 154 e f. 162 e f. 164 e f. 168 d e. 170 f. & ſeq. 180. & ſeq. 184 d e.

Prælium terreſtre 92. & ſe. 133 b c. 146 e. 150. & ſe. 156 d e. 183 c. 185 c.

Prætores Braſiliæ. I. Thomas Soſa 295 a. II. Eduardus Acoſta 318 f.

Prætores Indiæ. I. Franciſcus Almeida 51 b. II. Alphonſus Albuquercius 78 f. III. Lupus Soarius 107 c. IV. Didacus Lupius Sequeria 131 c. V. Eduardus Meneſius 152 e. VI. Vaſcus Gamma 161 b. VII. Henricus Meneſius 161 c. VIII. Lupus Vaſæus à Sancto Pelagio 167 c. IX. Nonnius Acunia 182 d. X. Garzias Noronia 218 f. XI. Stephanus Gamma 220 f. XII. Martinus Alphonſus Soſa 232 d. XIII. Ioannes Caſtrius 247 b. prorex 269 b. XIIII. Garzias Sala 270 e. XV. Georgius Capralius 294 f. XVI. Alphonſus Noronia 300 e. XVII. Petrus Maſcarenias 317 c. XVIII. Franciſcus Barretus 318 d. XIX. Conſtantinus Brigantius 330 f.

Prætoris in India ſubſtituendi ratio 161 c.

Praſia inſula 21 b.

Praſum promontorium 2 f. 15 c. 17 a. nunc Moſambicum 15 c.

Preteiannes Abaſſinorum rex 14 d.

Primæ inſulæ 33 c.

Principes inſulæ à quo inuentæ 14 e. in ijs aurifodinæ ibid.

Propertius 202 e.

Prophetia Abaſſiæ monachorum 138 e. Franciſci Xauerij 303 b. Gaſparis Berzei 281 a. 283 b. D. Thomæ Apoſtoli 37 a.

Ptolemais ferarum inſula, nũc Mazua 137 c. eius deſcriptio & ſitus ibid. vide Mazua.

Ptolemeus in multis hallucinatus 2 f.

Pudicitiæ exemplum 316 f. & ſeq.

Pueri Malabares inter ſupplicia Chriſtum profitentur 312 f. & ſeq.

Pulopuaris inſula 169 c. Maſcareniæ ad eam naufragium ibid.

Pu menſuræ genus apud Sinas 112 e.

Punicale Parauanorum oppidum à Malabaribus & Turcis captum 312 e. à Luſitanis receptum ibid. f.

Puteolana vel potius porcellana vaſa 109 b.

Pyrenæi montes 229 c.

Pythagoræ de tranſmigratione animorum placita apud Sinas ſeruantur 188 d.

Q.

Qverimba insula & oppidum à Lusitanis captũ & incensum 156 eius amœnitas & opulentia ibid.
Quexomes insula 68 d. 155 b. ab Albuquercio vastata 68 d. à Turcis 311 a b.
Quibibius in Papuis insulis regulus 195 c.
Quiloa vrbs 17 a. 21 b. & seq. 33 c. 36 c. 50 f. & seq. 136 f. olim Rapta 17 a. stipendiaria Lusitano 36 c. eius arx à Lusitanis constructa 50 f.
Quitirius Malacensis Vtimutis Raiæ filiam ducit 97. a b. bellum cum Lusitanis gerit 97 a b.

R.

RAciolum arx à Lusitanis constructa 202 f
Raciolum regni Decani vrbs 139 b. à Narsinga no rege obsessa ibid. c. ei dedita 140.
Rades Caciles Tidoris regis tutor 187 c. & seq.
Rafus Zeifodini Armuziæ regis tutor in vincula con ijcitur 182 c.
Raia Nara Alodini Bintani regis gener 166 c. eius exercitus Linguam obsidens à Lusitanis fusus 166 c.
Raia Sudamicinus Pacenorum præfectus 134 c. eius cum Lusitanis pugna ibid. e f.
Rainolum Cambaiæ oppidum captum & incensum 185 b. & seq. eius fertilitas, opulentia, incolæ & situs ibid.
S. Raphael primæ Indicæ classis nauis 20 d.
S. Raphaelis columna ad flumen Bona signa posita 21 a.
Raphael Perestrellius Goæ laboranti succurrit 127 c.
Raptus fluuius hodie Sengus 17 a.
Raulianus Pegusiorum regis ad Corream legatus 132 e f.
Regum flumen 21 a.
Reielum oppidum à Persis captum 221 a.
Reliquiæ Sanctorum sedant tempestatem 304 c.
Repelinensis ager à Lusitanis vastatur 42 f.
Repelini vada 41 a. à Cocinensibus contra Calecutanos custodita 41 b. 44 f. à Patieco munita 44 e.
Resbuti populi 208 e.
Rhabarbarum apud Sinas 109. a.
Rhinoceros ab Emmanuele Lusitaniæ rege Leoni X. papæ dono missus 102 f. in itinere naufragio perit ibid.
Rhinocerotis cum elephante inimicitiæ 102 f.
Rhotericus Botus in Baharenum missus 151. c. eius martyrium 153 b.
Rhotericus Fernandus ad Cambaiæ regem legatus 149 a. 151 c.
Rhotericus Dominicanus Colani rem Christianam administrat 43 b.
Rhotericus Iusartes Concani præfectus 140 e.
Rhotericus Lima ad AEthiopiæ regem legatus 137. c. 139 a. ex AEthiopia redit 167 a.
Rhotericus Mathematicus Ioannis II. Lusitaniæ regis medicus 5 c.
Rhotericus Mellus Goæ præfectus 139 b. Concanum per fraudem occupat 140 e. 158 e.
Rhotericus Patalinus Malacæ præfectus 94. d. 103. c. 128 e.
Rhotericus Pereria Benestarino castello præfectus 100 f.
Rhotericus Soarius duas triremes Hoceni capit 77 a.
Rhotericus Sosa ad Congi regem legatus 7 c. quomodo exceptus 7 c. & seq. in Lusitaniam redit 9 c.
Rhotericus Vasæus Pereria Indiam petit 140 f. eius nauem cetus inuadit ibid.
Roma orbis caput 1. b.
Rosalgates promontorium olim Siagrum 61 b.
Roztomacanes Benestarini castelli præfectus 96. c. Lusitanis castellum dedit ibid.
Rubrum mare 69 c.
Rucutellum Amboini insulæ emporium 99 b. eius cum Veranola ciuitate inimicitiæ ibid. in eo Lusitani quomodo excepti ibid.
Rumecan Sofaris filius Dium obsidet 259 b. & seq. eius mors 267 a.
Rumepolis prope Dium oppidum à quo conditum 70 f. Turcis deditum 217 b c.
Rumes Turcæ qui 70 f.
Rupes inexpugnabilis 222. f. & seq.

S.

SAbaius Decaniorum tyrannus 54 d. 75 a. 82 f. 84. e. Idalcanis pater 54 d. Lusitanos ex Anchediua pellere tentat ibid. 75 a. eius bellicus apparatus 83 a. in Decanium regem perfidia 75 a. in Lusitanos odium 83 a. eius mors ibid.
Saca Iazij Diensis dynastæ filius 147 c. Didaci Pacensis naues oppugnat 151 c. eius ad Sequeriæ postulata responsum 148 d. & seq.
Saccarum Brasilicum 30 e f.
Sacrum promontorium 3 c.
Sadradinus Armuzianus Mocrini Baharani dynastæ corpus intercipit 151 a.
Sagamus Coromandelis rex 36 f. à S. Thoma Apostolo conuertitur 37 c. eius reliquiæ Meliapore à Lusitanis inuentæ 158 d. arca argentea inclusæ ibid.
Sagum cibi & potus genus in Molucis 100 d e.
Salsetæ insulæ ad Bazainum 208 f.
Salsetani agri Lusitanis attributi 202 e.
Samibeleganus Pegusiorum regis ad Corream legatus 132 e.
Sanaia Malacensium præfectus 172 d.
Sanctianum Sinarum insula 302 f. & seq.
Sandalum album 80 d.
Sanga Indiæ regnum 69 b.
Saraceni in suis occultandis, in alienis explorãdis cum silijs sagaces 48 e. se non nisi victores prælio excessuros diris deuouent 6 d. Gammæ insidias struunt 27 c. Mamudio Malacæ regi fœdus cum Lusitanis initum dissuadent 80 e f.
Securus Brasiliæ portus 30 d.
Selymus Ottomanus Turcarum Imperator 123 c. & seq 125 b. Campsonis AEgyptij Sultani imperium delet 123 c.
Senex trecentos trigintaquinque annos natus 213 c.
Sengus fluuius olim Raptus 17 a.
Septa Africæ vrbs 3 a. à Lusitanis capta ibid.
Sequeria vide Didacus Lupius
Sericum vel Eoum mare 108 d.
Serpentes in Cananoris regno afflatu homines necant 35 b.
Serfadeneghil Abassinorum rex 17 c.
Siacanus dynasta Alodini Bintani regis stipendiarius 105 b. eius in Botellium insidiæ ibid.
Siagrum promontorium hodie Rosalgatum 61 b.
Siani rex in Macazaribus baptizatur 237 b.
Siculus architectus perfuga apud Calecutanos 163 a. eius bellicæ machinæ ibid. 165 b c. mors 166 d.
Siliganum oppidum 201 b.
Simia pro Deo apud Indos colitur 24. f. eius templũ in regno Malabarico insigne ibid.
Simon Acunia Bardadinum Bahareni insulæ dynastam frustra oppugnat 182 & seq. eius mors 183 a.
Simon Andradius Ciaulanæ arcis præfectus 152 e. Dabulum oppidum tributarium facit ibid. duas Turcarum triremes capit ibid.
Simon Correa 156 e. eius socij aliquot ad Bacianum interempti ibid.

ſimon Mellus 179 c. ad Maldiuas inſulas miſſus 175 a.
Maſcareniam capit 173 c. & ſeq.
ſimon Meneſius Cananoris arcis præfectus 173 b. & ſeq. Couletum Calecuti emporium expugnat 162 e f.
ſimon Vaſæus ſacerdos Momoiæ Chriſtianam rem amplificat 194 f.
ſina Arabiæ mons D. Catharinæ virginis reliquijs nobilis 49 b.
ſina Indiæ regnum 16 c. Cina vulgo dictum 108 d. eius ædificia & domus 110 d. fertilitas, opulentia 108. e f. & ſeq. murus inſanæ magnitudinis 116 e. ſatrapiæ quot 108 e. ſitus ibid. d. ſuburbia 100 e. templa ibid. vibes quot 109 b. quàm munitæ ibid. & ſeq. vrbium amænitas, ſitus & deſcriptio 109 b c. & ſeq.
ſinæ Indiæ populi 36 f. 48 d. 108 d. argenti auidiſſimi 109 a. Deos contemnunt 110 c. 117 c. & ſeq. 119 bc. gentes reliquas deſpectui habent 120 e. D. Mariæ virginis imaginem venerantur 118 d. pigritiam publicis legibus plectunt 108 e. 112 e. religionem negligunt 117 c. ſagis vtuntur 110 f.
ſinarum adulterij pœnæ 111 a. ægrotantium ratio 112. e. ænea tormenta ibid. d. anatum copia 113 b. belligerandi ratio 116. ad calores æſtate leniendos mirum inuentum 110 f. capillamenti ratio ibid. e. carcer 115 c. color 110 e. comediæ 111 b. conuiuia ibid. corporis conſtitutio 110 e. Dij 118. & ſeq. Doctores quomodo creantur 114. e f. exequiæ mortuorum 119 a. fœneratorum pœna 112 f. gymnaſia 114 d e. inſignia 115 a. iura & leges 114 d. & ſeq. 120 a. kalendarium 111 a. libandi mos 119 a. libido ibid. c. linguæ variæ 112 d. literæ ibid. 114 d luctus 119 b c. in Luſitanos ſæuitia 160 e f. mechanicæ artes 111 c. magiſtratus 119 f. & ſeq. mandarinum præcipua lingua 112 e. menſurarum & itinerum ratio ibid. mercatura ibid. f. moneta ibid. mulierum ornatus 111 a. de mundi & hominum creatione opinio 118 e. naues 113 a b. nuptiæ. 111 a. piſcādi ratio 113 c. 114 d. rei quo modo puniuntur 115 c. 119 c. religio 117 c. & ſeq. Rex 116 f. & ſeq. legatos aliorum regum quomodo excipit 120 d. tributa & vectigalia ſolus imperat 117 c. regis diplomata ibid. a. filij quomodo cuſtodiuntur ibid. b. nomen tabula inſcriptum adoratur à præfectis ibid. tituli 120 d. vectigalia annua quàm magna 117 b c. vxores 116 f. regum ſucceſſio 117 b. ſalutandi ritus 111 c. ſatrapæ qua pompa in publicum prodeunt 116 d. ſcribendi ratio 112 d. ſortes ridiculæ 118 f. ſuperſtitiones & errores 118. typographia 112 d. veſtes 110 f.
ſinis Euangelium prædicare quàm difficile 120 e. mūdus ex aqua conditus 118 c. ſuis regnis excedere interdictum 108 e.
ſinas olim latius imperaſſe 108.
ſincapuranum fretum 48 d. 90 d. 95 b.
ſionis ſeu Sabanni rex 80 e. fœdus cum Albuquercio init 94 d. 129 a. ad eū Luſitaniæ regis legat' 129 ab.
Siriagum inſula 195 b.
ad Soarem Armuziæ oppidum Luſitani interfecti 153. b.
ſoarius vide Lupus.
ſocietatis Ieſu labores 327 & ſeq. origo 228 e. progreſſus in AEthiopiam 325 a. Armuziam 271 c. in Braſiliam 33 a. 295. in Congum 299 c. in Iaponem 302 f. Malacam 250 d. in Molucas 250 d. in Sinas 302 f.
ſocotora Arabici maris inſula 36 f. 55 c. & ſeq. 61 a. 79 c. 89 a. 100 f. eius arx à Fartacis condita, à Luſitanis expugnata 56 d e. ab incolis obſeſſa 68 d. à Luſitanis diruta 89 b. incolæ Thomiſtę Chriſtiani 55. c. à Fartacis Mahometanis diuexati 56 e. eorū mores & vitæ gen' 55 c. & ſeq. ijs ab Albuquercio ob rebellionem grauius vectigal impoſitum 68 d.
ſofala 17 b. 21 a. 33 c. 51 c. aurifodinis nobilis 17 b. 21 b. eius incolæ Saraceni 51 c. Quiloæ regi ſubiecti ibid. ab eo deficiunt ibid. prætoris in Luſitanos fraus 51 c. & ſeq. in ea arx à Luſitanis conſtructa 52 d.
ſofar Chius AEgypti quæſtor Solimanum interficit 187. a. Adenum oppugnat ibid. Dium 255. 256 & ſeq. interficitur 259 a.
ſol apud Sinas colitur 118 e.
ſolimanus Iſufi Sofalæ prætoris filius ad Luſitanos fugit 52 d. rex Sofalæ ab ijs declaratus ibid.
ſolimanus Mitylenæus AEgyptiæ claſſis præfectus 123 a. 124 f. Adenū oppugnat 123 a b. in Camarano arcem exſtruere tentat ibid. Zebitum capit. ibid. Giddam ab Hoceno deſertus redit 124 d. Hocenum interficit ibi d. cum Selymo Turcarum imp. in gratiā redit ibid. Cairi præfectus ibid. eius mors 187 a.
ſolimanus Peloponneſius AEgyptiæ claſſis præfectus 214 f. Adenum fraudulenter capit 215 a. Dium obſidet 215 b c. & ſeq.
ſolimanus Selymi filius Turcarum imperator 124 e. Rhodum expugnauit 163 a. claſſes in Indiam mittit 214 f. 310 c.
ſoloris rex baptizatur 330 f.
Somatra inſula 16 e. 90 d. 97 c. 103 c. 158 f. à quo primùm detecta 79 c. auri ferax ibid. peninſula olim credita, & quare ibid eius ſitus ibid. incolarum mores, religio, victus 80 d. ex ea Luſitani exacti 160 d.
ſonum Congi regni maritima pars 7 c. eius princeps cum filio baptizatur ibid.
S. ſpiritus fluuius 315 b.
Stachir is fluuius 13 a.
Stephanus Gamma Vaſci pater 20 d.
Stephanus Gāma Vaſci filius Malacæ præfectus 208. d. Indiæ prætor 220 f. eius Arabica expeditio 221. b c. & ſeq.
Strabo de coco ſeu nuce Indica quæ 135 b.
ſuaquenum vrbs à Luſitanis incenſa 221 c.
ſubum inſula à quo detecta 143 b. eius regulus Chriſtianus fit ibid. Apoſtata Magalianis aliquot ſocios trucidat ibid. c.
ſucceſſionum in Prætura Indiæ ratio 161 c.
ſuilla caro Sinis valde expetita 111 b.
ſuezium Heroum vrbs 16 e. 49 a. 69 c. 122 d f.
ſundaſlauæ maioris oppidum 172 f. captum & munitum 173 a. eius opulentia 172 f. præfectus opem Maſcareniæ contra hoſtes implorat ibid. ei ſero auxilium miſſum ibid.
ſupæ rex baptizatur 237 b.
ſurratum Cambaiæ oppidum 79 c. incenſum 185 c.

T.

TAbaria Boleifis Ternatis regis filius in arcē à Britto abductus 161 a. Ternatis rex 194 d. in Indiā ad Prærorem vinctus miſſus 195 a. Chriſtianus fit ibid. eius mors ibid.
Tabona Ternatis inſulæ vicus 190 e. eius præſidis horrendum ſupplicium ibid. f. & ſeq. Luſitani eam populantes malè ab incolis excepti ibid.
Tagus Luſitaniæ fluuius 18 f.
Tamaranus Ternatenſis rei maritimæ præfectus à Luſitanis captus 191 b.
Tamendoa animal in Braſilia 31 c.
Tampoi factit j vini genus in Borneo inſula 191 c.
Tamum Sinarum inſula 120 f. & ſeq. Luſitanorum in eius incolas iniuriæ 121 a. in ea caſtellum ab ijſdem extructum 121 a.
Tanaha oppidum 181 b. eius dynaſta ſtipendiarius Luſitano 184 d. 186 e.
Tanoris rex auxiliū à Luſitanis petit & impetrat' 46 f. ſtipēdiarius Luſitano ibid. baptizatur 291 b. Goæ quomodo exceptus 292. 293. & ſeq.
Taprobana 16 d. 54 e. 55 a. in ea tempore Apoſtolorum Euangelium promulgatum 55.

Taracolū vrbs 87 a. à Narſingæ rege oppugnata ibid.
Tatuſia Braſilicum animal 31 b.
Tempeſtas fœda 29 c. 33 b c.
Templum Armuzianæ arcis à quo inſtauratum 181. c. D. Barptolemæi Cocini 42 f. Chriſti ad Nabantiam in Luſitania 77 c. S. virginis Mariæ Cananore 57 c. Goæ 96 f. 101 a. Malacæ 94 d. in Mazua inſula 158 d. in Socotora 56 c. Diui Thomæ Apoſtoli Goæ 158 e. Meliapore 157 c. & ſeq.
Tenſa laponiæ pars 247 a.
Termapatanus Calecuti portus 179 c.
Ternate Moluca inſula 99 b. 156 f. & ſeq. 175 c. eius incolarum mores 100 d. victus ibi. in ea arx à Luſitanis ædificata 157 a. pæne à Ternatēſibus capta 193 b. in ea motus 161 a. 176 e. & ſeq. 178. 190. & ſeq.
Ternatenſes à Luſitanis abalienati 189 b c. & ſeq. 190. a b. cum Tidorenſibus bellum gerunt 161 a.
Tertiæ inſulæ 28 e. 82 e.
Terzanabalis oppidum à quo & vbi conditum 3 c.
Themiſtoclis dictum 165 c.
S. Thomas Apoſtolus Indiæ euāgelizauit 36 f. in Luſitanorū prælijs quādo primū inuocatus 269 a. tres Magos conuertit 38 d. Meliapore templum conſtruxit 157 c. 158. puerum reſuſcitat 37 b. Sinis prædicauit 118 d. eius martyrium 37 c. miracula ibid. a b. peregrinationes per Indiam 36 f. prophetia 37. a. reliquiæ Meliapore inuentæ 158 d. in arca argentea incluſæ ibid. Goam tranſlatæ ibid. Edeſſam Meſopotamiæ tranſlatas quidam volūt 38 d. 157 c. ſepulcrum Meliapore 157 c. ci Goæ à Conſtantino Brigantio prorege templum conſtructum 158 e.
Thomas Fernandus Luſitanus architectus 57 c.
Thomas Nonius Antonium Patiecum in arcem Malacenſem rapit 128 f.
Thomas Perſarum Rex 484 f.
Thomas Petreius ad Sinarum regem legatus 108 d. 160 e. Cantonem venit 120 f. à Siniſ captus 121 b. eius miſeranda mors ibid.
Thomas Soſa primus Braſiliæ prætor 295 a.
Ticuarinum inſulā 82 f.
Tidoris Moluca inſula & vrbs 99 b. 156 f. & ſeq. 175 b. à Luſitanis direpta & incenſa 176 d. 188 f. à Caſtellanis refecta & munita 176 e. 187 c. eius rex pacem à Luſitanis qua conditione impetrat 175 b. 189 a. tributarius Luſitano 189 a. ex ea Caſtellani quo pacto diſceſſerunt ibid.
Tidorenſium cum Ternatenſibus prælia 161 a. 176 c.
Tigres Braſilicę famelicę veloces, paſtæ ignauæ 31 b.
Timoia pirata 82 f. 87 b. Goanis infenſus, Luſitanorū ſtudioſus 83 a. Goenſe bellum Albuquercio ſuadet 83 a b. duo ad Goam caſtella expugnat 83 b. ad conſcribendos milites mittitur 83 b. 87 b. Goam in auxilium Luſitanis ſerò venit 87 c.
Tolocum ad Ternatem vicus 178 e. 191 a.
Tolum oppidum 300 e.
Tormentariæ fabricæ artificium 21 c. barbaris proditur 40 e.
Torum vrbs 17 a.
Torus Armuziæ rex 105 c. 147 c. 149 a. 182 e. ab Albuquercio è ſeruitute domeſticorum liberatus 106 e. f. Armuzienſem arcem oppugnat 155 a. Armuzia incenſa fugit ibid. b. Luſitanorum iugum excutere conatur 152 f. & ſeq. Sequeriæ opem contra rebelles implorat 149 b. Zeifadini frater 105 c. eius de Luſitanorū internecione decretum 153 a. mors 155 b. vectigalia à quæſtoribus ſuis interuertuntur 151 c.
Tranſtaganum Luſitaniæ oppidum 20 d. Mons maior appellatur ibid.
Trauancoris regnum 234 f.
Tremelanum delubrum 238 e.
Trichinamalius princeps baptizatur 294 e.
Triglypton regni Peguenſis quondam caput 132 d.
Trimumpara Cocini rex 34 f. Calecutano regi cur infenſus 34 f. ab eo ad Luſitanos prodendos ſolicitatur 39 a. ab eodem victus fugit 41 c. contra eundem ab Albuquercio auxilium petit 44 d. Capralem benignè excipit 35 a. à Luſitanis in regnum reſtituitur 42 e. in ſolitudinem depoſito gubernaculo ſe recipit 51 b. eius bellum cum Calecutanis 41 a. 44 e f. fides & conſtantia 39 a. 40 d. 41 c. literæ de Patieci rebus geſtis ad Luſitaniæ regem 47 a. ad Luſitanos conſolatoria oratio 41 a. in eos amor ibid. liberalitas 42 e.
Triſtanus Acunia Brauam vrbem capit & diripit 55 b c. Cananore Luſitanis obſeſſis ſuccurrit 59 c. Cōcinum venit ibid. in Indiam tendit 55 a. 56 f. ad Leonem X. Papam legatus 102 e f. in Luſitaniam redit 51. Madagaſcarem inſulam explorat 55 a. Melindem venit 55 b. Oienſem dynaſtā interficit ibid. Pananem portum oppugnat 59 c. & ſeq. Socotoram arcem expugnat 56 d. eius incolas Chriſtianos in fidem ſuſcipit 56 e f.
Triſtanus Ataidius Ternatenſis arcis præfectus 194 e
Triſtanus Caſtrius 150 d.
Triſtanus Vaſæus Materiam inſulam inuenit 4 e.
Triſtanus Vaſæus Vega Armuzienſi arci ſuccurrit 153 c. eius præclarum facinus 154 d e.
Tuaca Molucis potus genus 100 e.
Tungubutu rex 14 d.
Tupinaquini gens in Braſilia interiori 319 b.
Turcæ duplicis generis apud Indos 70 f.
Turoto ad Ternatem vicus 191 b. in eum Ternatis regina cum proceribus ſecedit ibid.
Turumbacum Armuziēſium aquatio à Luſitanis oppleta 67 b.
Tutan Siniarum prorex 114 f. eius munia ibid.

V.

VAda Luiana B. Mariæ virginis templum Goæ à quo cōditum 101 b. 107 c. Albuquercius in eo ſepultus 107 c.
Vaiacus Caciles Ternatenſis Luſitanis carus 189 b. ſeipſum præcipitat ibid. c. eius mortem Luſitani indignè ferunt ibid.
Vaidua Caciles Mahumetanorum antiſtes 189 c. in vincula à Luſitanis coniectus ibid. liberatus in voluntarium exilium abit 190 d. Ternatenſes in Luſitanos incitat ibid. e.
Vaigámanum inſula 195 b.
Vaigeum inſula. 195 b.
Vaipinum inſula 42 d. eius dynaſtæ in Trimumparam Cocini regem fidelitas ibid. in eam Trimumpara victus fugit ibid.
Valetudinarium Goæ 96 f. Moſambici 232 f. 278 d.
Variuenes Cambaiæ pagus & arx à Luſitanis capta 210 f. Badurio reſtituta ibid.
Vaſæus Fernandus interficitur 266 f.
Vaſcus Deza Cocinenſis arcis præfectus 169 a. eius pro Maſcarenia de Indiæ prætura oratio 169 a b.
Vaſcus Gamma 80 e. 166 d. primæ Indicæ claſſis præfectus 20 d. 161 b. qua pompa è Luſitania diſceſſit 20 e. ad S. Blaſij aquationem venit 20 28 e. ad Planas inſulas ibid. ad Zanguebaris oram ibid. ad regum flumen 21 a. ad Bona ſigna flumen ibid. ad Moſambicum ibi. b. Mombazam 22 f. Melindem 23 b. 28 e. Calecutum 23 c. 26. ad Anchediuam 28. d. in Luſitaniam redit ib e f. iterum in Indiam profectus Quiloam venit 36 e. Cananorem ibid. Cocinum ibid. in Luſitaniam redit 39 b. tertiò in Indiam Cocinum venit 161 c. à Calecuti rege quomodo exceptus 26 f. & ſe. ab Emmanuele in Luſitaniam rediens quomodo 28 e f. 39 b c. à Melindis Rege quàm benignè 23 b. fœdus cū Cananoris rege renouat 36. e Indiæ prtor 161 b. naues Calecu-

tanas capit 39 b. Saracenorũ 23 a. 36 c. Quiloæ regem ſtipendiarium facit ibid. eius claſſis terræmotu tremefacta 161 b c. iuramentum fidelitatis regi præſtitum 20 e. mors 161 c. vitæ periculum 22 f. ad eum Cranganorenſium Chriſtianorum legatio 36 f. 38 f in eum Arabum & Saracenorum inſidiæ 27 b c. Mozambiquenſis nauarchæ 22.
Vaſcus Laurentius ad explorandam Borneum inſulam miſſus 176 f.
Vaſcus Petreius à S. Pelagio Variuenem capit 210 f.
Vaticanum Romæ ſacrarium 102 f. eius inſigne ornamentum ab Emmanuele Luſitaniæ rege donatum 102 f. in eo Sinarum liber 112 d.
Venefici apud Braſilios 298 d.
Venereæ conchæ in Maldiuis inſulis 135 c.
Veranula Batochinæ Muaris inſulæ ciuitas 99 b. eius cum Rucutellanis inimicitiæ 99 b.
Verberati inſulæ 22 d.
Veriſſimus Patiecus Antonij frater Goam venit 129 a. eius mors 131 a.
Veſpaſianus Imperator pecuniæ diligẽtiſſimus 117 b.
Veſpertiliones in Cananoris regno quales 35 b.
Vetusvilla in Braſilia locus 295 b. & ſeq.
Vexilla tria à Turcis capta in Luſitaniam miſſa 77 c.
Vgentana vrbs & regnum 280 d.
Vicetinus quidam Magalianis ſocius orbe toto nauigatione circumacto in Italiam redit 144 d.
Victoria Caſtellana nauis totum orbem circumnauigat 144 c.
Victoriæ Luſitanorum inſignes de Alodino Bintani rege 105 b. 133 b c. 166 e f. 170. & ſeq. 172. Armuzianis 64 f & ſeq. 155 a. Cafribus 52 d e. Calecutanis 34 e f. 36 d. 39 b. 42 f. & ſeq. 44 f. & ſeq. 46 e f. 53 b c. 59. & ſeq. 162. & ſeq. 166 d. 168 e. 179 b. & ſeq. 184 e. Cambaianis 184 d. & ſeq. 186. 203 b c. 206 f. 267 a. Cananorenſibus 59 b. Colanis 51 a. Dabulenſibus 76 d. Dienſibus 181 b. Fartacis 56 d e. Goanis 87 c. Iauis 97 c. Linguæ rege 104 e f. Mammalucis 69 c. 77 b. Moluccenſibus 200 e f. Narſinganis 187 a. Pacenis 134 e f. Panenſibus 171 a. Turcis 77 a b.
Villa infantis oppidum à quo & vbi conditum 3 c.
S. Vincentij Braſiliæ colonia 295 a. & ſeq. in eam ſocietatis Ieſu patres miſſi 296 d.
Vincentius Franciſcanus Ioannis Albuquercij Goę epiſcopi comes 218 f. & ſeq. 291 b.
Vincentius Fonſeca ſeditioſus 192 d. in vincula coniectus ibid. e. Ternatis præfectus 193 c. Aialum regem regno pellit 194 d. odium ſuorum incurrit ibid. apud Indiæ prætorem accuſatus ibid.
Vincentius Rhoterigius Luſitanus è Societate Ieſu in Braſiliam miſſus 295 a.
Vincentius Sodreus Indico mari à Gamma præfectus 38 f. Concinum venit 40 e. Trimumparæ auxilium denegat ibid. ad Erythræas fauces obſidendas tendit ibidem. ad Curiam Muriam naufragio perit ibid. f.
Vincentius Viega ſacerdos Malacenſi eccleſiæ præpoſitus 271 c.
Viride caput inuentum 4 f.
Viſapor Cambaiæ vrbs 240 d.
Viſionis monaſterium in Abaſſia 138 d.
Voſuquis Iaponiæ vrbs 240 f.
Vtimutis Raia Malacenſis princeps 81 b. pacem ab Albuquercio clam petit 92 d. Malacæ iuri dicundo interMahometanos præpoſitus 94 d. ob perfidiam ſe curi percuſſus 94 e. eius vxor mortem vlciſci parat 97 a b.

X.

XArafus Armuzianæ claſſis præfectus 149 c. ad Baharenum oppugnandũ miſſus ibid. Torum Armuziæ regem in Luſitanos incitat 152 f. interficit 155 b. eius apud Armuzianos auctoritas 152 f. in Corream perfidia 150 d. & ſeq.
Xauerius vide Franciſcus.
Xebandara Armuzianæ claſſis præfectus triremem Luſitanam capit 163 a.
Xeques Arabibus prætor 21 b.
Xicocum Iaponiæ inſula 240 f.
Ximum Iaponiæ inſula 240 f.
Xiphias piſcis 121 c.
Xoar Armuzianæ ditionis vrbs Albuquercio dedita 62 f.

Y.

Ychan menſuræ genus apud Sinas 112 c.

Z.

ZAbucales Braſiliæ arbores 30 f.
Zacuta Congi Regis ad Luſitaniæ regem legatus 7 a b. baptiſatus Ioannes appellatus ibid. in Cõgum rite in fide inſtructus remittitur ibid.
Zagazabus Abaſſini regis ad Luſitaniæ regem legatus 167 a.
Zaires fluuius 6 d. 9 b. à quo primum inuentus ibid. columna in eius oſtio poſita 6 c.
Zala in cæleſtes relatus Mahometanis 73 c.
Zamaſum Mauriçæ oppidum 189 a.
Zamorinus Malabarici regni imperator 24 d. 51 b. ab Albuquercio pacem petit 96 f cum eo iniuriam ſibi à Luſitanis factam expoſtulat 43 c. à Campſone AEgyptio auxilia petit 69 c. Cananoris regem ad ſe ſollicitat 56 f. Caprale benignè excipit 34 d. fruſtra claſſe inſecutus 35 c. Cocinum incendit 42 d. ad Deos placandos ſecedit 46 d Gammæ inſidias ſtruit 38 f. & ſeq. eum qua pompa excepit 27 a b. inſequitur 39 b. cum Luſitanis pacem init 34 d. 43 a. Patieci naues oppugnat 45 b reges vicinos ad arma contra Luſitanos inſtigat 69 a. Repelini vada inuadit 41 b. 44 f. tormenta bellica conflat 42 d. Trimũparã in Luſitanos ſolicitat 39 a. 41 c. eius bellicę machinæ 45 a b. bellũ cũ Luſitanis 44 e f. 46 f. 56 e. clades 34 f. 36 d. 44 f. 45. 53 c. claſſis 53 a. conſultatio de bello Trimũparæ inferendo 39 c. exercitus 44 e. legatio ad Aegypti Campſonem 48 e. ad Luſitanos 43 a. literæ ad Luſitaniæ regẽ 28 d. mors 102 d. prælium nauale cum Almeida 53 b c. reſponſum ad Luſitaniæ legationem 27 b.
Zanaga fluuius 4 f. 13 a. Daratum priſcis 13 a.
Zanguebaris ora littus natale cur dictum 20 f.
Zanzibar inſula 28 c. eius amęnitas ibid. rex ſtipendiarius Luſitano 43 b.
Zebitum felicis Arabiæ oppidum 224 d Muſtafæ Mamaluco donatum 215 a. à Solimano Mitylenæo captum 123 b. eius amænitas & opulentia ibid. præfectus auxilium Gradaameti in AEthiopiam contra Luſitanos mittit 224 d.
Zeifadinus II. Armuziæ rex 61 a 182 c. Iſmaelis Sophi Perſarum regis ſtipendiarius 61 a. Luſitaniæ regis 65 a. veneno ſublatus 105 c.
Zeila Africæ emporium à Luſitanis deletum 125 b c. 221 c.
Zenzibaris regulus Luſitano ſtipendiarius 156 d.
Zufolarinus Idalcanis exercitus dux 85 a. 127 b. Azedecan dictus 202 d. Goam obſidet 127 b c. 202 d. Luſitanos in Idalcanem incitat 239. cum ijs occultum fœdus init 202 e. ijs Bardeſiana & Salſetana portoria cedit ibid. armis repetit 203 c. Pondam muro cingit ibid. 267 c. eius cum Idalcane ſimultas 202 e. 239. eius mors 240 d.

EPISTOLARVM INDEX.

ARIAE Sanctij. 376 f
Balthasaris Gagi. 386 e
Cangoximanorum Regis. 383.b. & c
Consalui Fernandi. 362 f
Cosmi Turriani. 349
Eduardi Syluij. 344
Francisci Capralis. 434 e
Francisci Henrici. 450 e
Francisci Xauerij. 335.337 340
Gasparis Vilelæ. 350.358.372. d.384.e.390 e
Io.Baptistæ Montani Ferrarienſis. 397.a. 398 d
Ioannis Fernandi. 343.359.a. 403 a
Laurentij Iaponij. 360 e
Ludouici Almeidæ.364.d.378.e.394.e.404.e.407 c
Ludouici Froij. 391.b.399.a. 418.d. 422.e. 424.e. 427.a.437.a.441.c.443 c
Melchioris Nonnij 356
Organtini Brixienſis. 429 b
Pauli Iaponij. 343
Petri Diazij. 448 e
Regis Cangoximani. 383.b.& c
Societatis IESV de Consalui Syluerię obitu. 368 e
Taquæ Regis Firandi. 348.

IN EASDEM RERVM MEMORABILIVM INDEX.

CENORVM classis. 388 e
Aedes elegantissimæ. 412.f.425 b
Aegrotus pia prece sanatur. 362 f
Agni Cælestis cereas imagines, & alia id genus quantopere expetãt Iaponij Christiani. 399 b
Ainan insula,& gentis mores. 388 d
Aloysij Lusitanicæ classis præfecti cædes. 451 b
Amagusæ acta per Franciscum Capralem & socios. 434 f
Amangutij conuersiones insignes.344.& se.Vrbs vastatur. 353
Amida, & Xaca Iaponiorum Dij. 354.418.e.419. a.423. b.c.425. c.426 f.
Andreę Fernandi Christiana fortitudo. 431.a.b
Ancillæ Iaponiæ Christianæ martyrium. 363 b
Antonius Caiadus Lusitanus.369.b. Eius officia in Consaluum Syluerium. 371 a
Antonius Dionysius à Mahometanis capitur. 433 c
Aqua salita saucijs remedium vbi. 419 c
Aquita vrbs. 419 c.
Aquæ lustralis, seu benedictæ miracula. 362 f 400.e.f
Ariæ Sanctij acta. 417.a.b
Arx munitissima Hexandoui proceris. 380 d

B.

BALTHASARIS Gagi res gestæ. 350
Eiusdem nauigatio, & pericula. 36.e.f
Capitur à Mahometanis. 433.a. Sclopus in eum intentus flammam non concipit. ibi.b
Baptismatis miracula. 335.369.a.b
Barptolemæi Regis laudes.392.E. Conuersio ad CHRISTVM. 393.c. Epulum insigne. 392.f. Victoria de coniuratis. 393. a.Baptismus. 393. c. In militum catechismo sedulitas, in bello insignia. 394.d. In Cosmum Turrianum reuerentia. 408. d. Christiana humilitas. 416.f. Victoriæ Crucis beneficio partæ. 408 d
Bibliotheca versatilis. 426 d
Bonzij, seu Iaponiorum sacerdotes. 419. c.Eorum calumniæ & odia in CHRISTI famulos. 353. 358.d.e. Ritus & leges. 418.e.f.Imposturæ.418.f. 419.c. Sagina & vindemiæ. 421.a. Cœnobia. 425.C. Conuersiones ad CHRISTVM. 344.345.361 c
Boum specie dæmon à Iaponijs colitur. 354
Brachmanarum in CHRISTI seruos humanitas. 432.d.433 a
Bungi Rex Christianam rem enixè adiuuat.355. 416.e.497.a. 405.c. Eiusdem ad Lusitaniæ Regem munera. 389 c
Bungensium Neophytorum in fide constantia. 359 a
Bungensium Ecclesia omnium in Iapone maxima. 364 f
Bungẽsium illustre pietatis exemplum. ibid.in Bungo res patrum gestæ. 346.347

C.

CACVBAV impostor apud Iaponios. 385.b
Cæremoniæ Ecclesiasticæ quã efficaces.377. a.b.400 e
Cangoximæ acta per Almeidam. 380.f. & seq.
Cangoximani Regis de patribus iudicium. 383. & seq.
Candidus & Cinereus colores funesti. 420 d
Canon Amidæ filius, & eorum effigies. 423 c
Catechismi vtilitates. 337
Cegandonus Barptolemæi Regis pater. 393.b. 405 a
Chia pulueris vsus in potu Iaponiorum. 410.f. & seq.
Christiani facti in ditione Barptolemæi Regis. 434.f. & seq.
Christianorũ in patribus tuendis ardor. 363.a.c In pauperes benignitas. 385.b. Insigne pietatis exemplum. 392.a.b. De Malabaribus victoria.432.f.& seq. Fuga miserabilis ab exusta Vocoxiura. 405 a
Christiani cuiusdam precandi ratio. 408 e
Christianorum quinq; millia facta Imori. 403 c
Cochinoci acta per Balthasarem Lupium.434 f
Coia frequens Bõziorum Cœnobij locus. 419 b
Combendaxis insignis impostor. 419 b
Concionatoris Christiani partes, & cautiones. 339

Conciones Bonziorum. 421.c.426.e.f.& seq.
Confessarij partes,& cautiones. 338
Confessionis, & communionis quàm frequens vsus apud Iaponios Christianos. 335
Coniuratio in Barptolemæum Regem.393.a. In Cubum Meacensem. 427 c
Constantini Catechistæ Iaponij laudes. 445.c. & seq.
Cõsuetudinis quotidianæ præcepta. 339.& seq.
Consalui Sylueriæ expeditio.368.e.f.& seq.Nex propter CHRISTVM. 371 a
Corniculum quibusnã hominibus è capite extuberat. 419 a
Cosmi Turriani acta.343.356.& seq.377.b.c.382.e f. 391.b.c & seq.404.f.406.f.407 c
Crucis admirandæ virtutes. 336.358.e.363 a
Cubi Meacensis ædes elegantissimæ.425.b. Horti cultissimi.ibid.Cædes à coniuratis. 428 e

D.

DAEMONVM impostura apud Iaponios.354. 419.a.Horribili figura pinguntur. 424 d
Daiondonus cum Mioxindono in Cubum conspirat. 427 c
Damiani Iaponij laudes. 382 a
Darij Tacaiamæ Fidani acta. 437 a
Didacus Andradius vnà cum Ignatio Azebedio interficitur. 449 c

E.

EDVARDI Syluij laudes. 406.e.f
Epistolæ Meacẽsium neophytorum ad Bungenses. 364 e
Examen conscientiæ quàm accuratè exercendum. 337
Exorcismi virtus. 347

F.

FACATA vrbs, & res in ea gestæ. 355.436.e.f
Facatensium neophytorum pietas. 359.b.c
duo sanati diuinitus. 365.b
Facatensis præfectus patrum immunitati cauet. 382.f. vrbs incenditur. 436.e.f
Facusangis Academia nobilis vastatur à Nubunanga. 447 b
Firandi patrum acta,& labores.352.Christianorum ardor.ibid.
Francisci Xauerij labores, & patientia.336.357 c animi magnitudo. ibi. Flagelli,& libelli neophytis ab eo relicti admiranda efficacitas. 380.e.f. Eiusdem præceptiones de vinea Domini excolenda. 337. in Iaponem appulsus & itineris pericula.340. & seq.a Rege Xaxumano honorificè excipitur. 342
Frenoiamæ cœnobiorum euersio. 442 f
Funaij res gestæ. 349
Fundi acta. 435.c.& seq.
Fundanus Dynasta. 436 d
Funera Meacensium. 420 a
Funus primum Christiano ritu peractum. 348

G.

GASPAR Vilela Cosmo Turriano comes adiungitur.350.eiusdem peregrinatio Cutamensis.351.Meacensis.358.360.e.f.377.b Sacaiana.372.Ecclesiæ ab eodem institutæ.402.apud Meacensem Regem gratia. 404 d
Gotondoni & aliorum coniuratio in Barptolemæum Regem. 393 a
Grana benedicta & alia id genus quantopere à Christianis in Iaponia expetãtur.392.d.399 b

H.

HECTORIS optimi viri nex. 446 d
Hexandoni Dynastæ, & vxoris eius pietas. 380.d.381.b.c
Hiu insula, & ibi patrum acta. 408.f.& seq.
Horti cultissimi,& amœnissimi. 425.b.c

I.

IACOBI Soriæ Caluiniani piratæ crudelitas. 448.f.& seq.
Ianambuxi Bonziorum secta. 418.f. qua ratione cooptentur.ibid.
Iaponiorum ingenia moresq; .336.342.368.d.410. f. & seq. 421.c.427.a. & seq.Errores. 353.& seq. 385.c.& seq. In fide constantia. 352.423.b. Varius anni cursus.422.f. quæstiones,& curiositas. 343
Iaponios iuuandi inita à patribus ratio. 350
Iaponẽ & Sinas Euangelij caussa petentes,quomodo affectos esse oporteat. 430.e.434.d.e
Idolum Denichi. 418 e
Ienxuanorum secta epicureæ persimilis. 423.a
Christianæ religionis odium. 412 d
Ignatij Azebedij & sociorum felix exitus. 448. & seq.450
Indulgentias,& alios Christianos ritus imitari videntur Bonzij. 428 f
Infantis trimi à baptismo animam agentis dictum admirabile. 396.e.f
Inhambanis rex vnà cum proceribus à Cõsaluo Sylueria baptizatur. 368.f
Ioannis Baptistæ Montani acta. 397.a.b.c
Ioannis Fernandi agendi ratio. 376.f. Labores. 391.c.392.e. Lexicon Iaponicè & Lusitanicè. 400.d.e
Ioannis Cadauilij Caluiniani piratæ immanitas. 451 c
Ioannis Naëtondomi Tambæ reguli Christiani laudes. 444.f.& seq.
Iobeleum ad felicem Concilij Tridentini cuentum. 427 b
Iquendæ regno Euangelium infertur. 447 a
Iquenda Sangadonus Christianorum parens: & in eum coniuratio patefacta. 446 e
Iquicuqui acta per Ludouicum Almeidam. 366. e.f.& seq.Iræ per eundem. 366 f

L.

LAVRENTIVS Iaponius Imori quinq; millia hominum baptismo lustrat. 403 c
Ludi & nefaria sacra Iaponiorum. 374.e.417 b
Ludouici Almeidæ peregrinationes,& acta.364 379.b.Vocoxiuræ.394.f.& seq. Ximabaræ,& Cochinoci.395.b. Meaci. 406.d.407.c.& seq.
Ludouici Froij acta.391.b.c. & seq.399.Peregrinatio Meacensis. 407 e

M.

MAOISTRATVS in concionibus nunquam apertè constringendi. 339
Malabares piratæ patribus infensi. 431 c
Manomotapæ regi beatissima Virgo per quietẽ apparet.370.d. idem baptismo expiatur cum trecentis proceribus.370.d.Cõsentit in Consalui necem.ibid.f. facti eum pœnitet. 371 b
Manuum impositio apud Iaponios. 428 f

Mari-

Mariſthenis delubrum Iaponiorum. 393 c
Martyrium Franciſci Lupij & ſociorum duorum. 429 c Molucenſium neophytorum. 430. f
Ancillæ Iaponiæ. 363 b
Meacum totius Iaponis caput. 358. e. f. Ibidem acta Gaſparis Vilelæ. 360. 361. 362. eadem vrbs vaſtatur. 385. a. à Rege recipitur. ibid. Eius in Patres humanitas. 412 d
Meaci ſuperioris excidium. 444. d. e
Meacenſiũ Chriſtianorũ pietas. 385. b 425. & ſeq.
Medicus Sacaianus ad Societatem adiungitur. 416. d. Iuſſus filio cedit omni patrimonio. ibi.
Melchioris Nonnij nauigatio in Iaponem. 356. & ſeq. in Indiam renauigat. 357 c
Minguames Moſambicanus Manomotapæ regẽ in Conſaluum incitat. 370. e. Idem fuga ſibi conſulit. 371. b c
Mioxindonus Cubum è medio tollit. 428 e
Mirozu impoſtor. 419 b
Miracula. 348. 351. 353. & ſeq.
Molucis in inſulis aſſidua patrum diſcrimina. 430 f
Molu cenſium Neophytorum in fide conſtantia & labores. ibid. & ſeq.
Monicæ virginis amor in cœleſtem ſponſum. 409. c & ſeq. 415. c & ſeq.

N.

NARA vrbs. 412 e
Naræ arcis ædes elegantiſſimæ. ibib. f
Neophytorũ piètas. 381. a. 403. c. 407. c 408. e f. 412 d
Neophyti Ximabarani conſtãtes in fide. 417. b. c
Neophyti Molucẽſes propter CHRISTVM interfecti. 430. f. 431 a
Nengoriorum ſecta. 385. b. c
Nichioxines, Vatandoni, & Euangelij hoſtis. 439. b. c
Nubunanga rogatu Vatandoni patribus fauet. 438. f eiuſdem ad Frenoiamam res cõtra Bonzios geſtæ. 442 e
Nubunanga inferiori Meaco parcit, ppter Chriſtianos. 444. d. e. Idem Iaponicarum ſectarum hoſtis. 447. b. c Quoſnã ſibi adſcribat titulos. ibid. c

O.

OECONOMI ſubleuandis ægrotis, & pauperibus. 377 c
Organtini Brixienſis acta Sangæ. 446. e f

P.

PARADISVS Iaponiorum. 428 f
Paſſionis Domini recordatione quantopere afficiantur Neophyti. 335. 352. 353
Paulus Iaponius Xauerij comes Cãgoximæ domeſticos conuertit ad CHRISTVM. 342
Pauli alterius Iaponij præſtãtis viri obitus. 355
Pileolus triquetra figura. 420 e
Puerulus enixè baptiſmum petit, parentes & propinquos ad CHRISTVM adducit. 362 f
Pueri cuiuſdam Sacaiani laudes egregiæ. 382. f & ſeq.

R.

RAMIRI, & Alcaræ ſociorum, naufragium, & mors. 429 c
Ratio agendi cum proximis. 339. & ſeq.
Regina Cæli Regi Manomotapæ per quietem aſsiſtit. 370 d (ni. 399 b
Reliquias amoris quaſnam appellent Chriſtia-
Rex Amangutij interficitur. 353
Rex Cangoximæ, vide littera C
Rex Firandi, vide littera F
Rex Manomotapæ baptiſmo luſtratur. 370 d
In Conſalui Sylueriæ necem conſentit. ibid. f
Facti eum pœnitet. 371 b
Rex Meaci, vide Meacum.
Rex Vocoxiuræ, vide litera V.

S.

SACAIVM vrbs libera. 384 e f
Sanctij nobilis viri pietas. 409 b
Scribæ Mioxindoni officia in patres. 429 a b
Scribæ Firandenſis Regis, itemque vxoris eius laudes. 378 e & ſeq.
Sebaſtianus Lupius ab hæretico ſeruatur. 453 c
Sectæ Iaponiorum. 361. 362.
Sigillorum duo millia in tergo Xacæ. 424 d
Sinas & Iaponem petẽtes quomodo animatos eſſe oporteat. 430. e 434 d
Societatis IESV domicili a apud Iaponios. 354
Socij variè vexantur. 353. Eorum acta in Bungo. 376. f & ſeq. Meaco vrbe capta in exſiliũ abeũt. 429. b Eorum in ora Comorinenſi pericula. 431. a In eoſdem officia Brachmanarum. 432 d
Stellio prẽſes doctrinarũ. 424. d. eius templum. ibid.

T.

TACAXVMANI precandi ſtudio mirè tenentur. 365. c. & ſeq.
Taqueni ſcelera & exitialis exitus. 443. a b
Taqua Nombo Firandi Rex. 348
Tectorij nitidiſſimi ſpecies. 412 f
Templa inanium Deorum magnificentiſſima. 413. a 426 d e
Templorum tria millia octingẽta ab vno Rege ædificata. 441 c
Templum inferorum regi dicatum, quale. 426 d
Tonus Amaguſanus Caprali fauet. 434. f. baptiſmo luſtratur. 435 b
Toni filij adoptiui pietas. ibid. c
Tonus Ximabaranus petit Euangelium. 392. Ad CHRISTVM aggregatur. 417. b ipſius pietas. 417 b
Typhonis venti vis. 429. c & ſeq.
Tyrones in religione quomodo tractãdi, ac probandi. 338

V.

VAletudinarium à patribus inſtitutum. 351
Vatandoni dynaſtæ Catechumeni mirum Chriſtianæ rei ſtudium. 437. & ſeq. in prælio circumuentus occiditur. 441 b
Vetulæ nonagenariæ mira conuerſio. 401. a b
Vincentij pueruli ſenſus amoris in CHRISTVM.
Vo ſeu Dairi. 395 a (410 e
Vocoxiuranus rex Euangelium efflagitat. 381 c
Vxor in fidei deſertorem maritũ egregiè conſulit. 436. d e

X.

XACAE ſignum coloſſæum. 424. d. Bibliotheca verſatilis. 426 d
Xamaxinodoni & Quequidoni iudicum conuerſio. 403. b c
Xichienſis dynaſta CHRISTI deſertor. 439 a
Ximabaræ plurimi facti Chriſtiani. 396. e f
Xinguen rex Cainochuni Bonziorum defenſor. 447 b
Xuicaidoni conuerſio, & acta. 403 c
Xixienſium neophytorum pietas. 366 f

Z.

ZACANA ſalſamenti genus. 423 a

INDICIS IN EPISTOLAS FINIS.

IN IGNATII VITAM
CAPITVM INDEX.

Libri Primi.

ORTVS Ignatij, & educatio. Cap. I. 457 a
Conuersio eius ad Christum. Cap. II. 458 d
Ad Montemserratum religionis causa proficiscitur. Cap. III. 461 a
Acta eius in Monteserrato. Cap. IV. 462 f
Ardores eiusdem in studio pœnitentiæ. Cap. V. 463 b
Molestiæ scrupulorum, & tentationum eiusdem. Cap. VI. 464 e
Ignatij profectus in spiritu. Cap. VII. 466 d
De studio collato ad proximos adiuuandos. Cap. VIII. 467 b
E graui morbo periclitatur. Cap. IX. 486 d
De inanis gloriæ vitio superato. Cap. X. ibid. f
De profectione Hierosolymitana. Cap. XI. 469 a
Nauigat in Italiam. Cap. XII. ibid. e
Nauigat in Palæstinam Cap. XIII. 471 b
Palæstinæ loca sancta perlustrat. Cap. XIV. 472 d
In Hispaniam redit. Cap. XV. 473 b
Barcinone ad studia litterarum aggreditur. Cap. XVI. 475 b
Eiusdem commoratio Complutensis. Cap. XVII. 477 a
Lutetiam proficiscitur. Cap. XVIII. 481 a
Extremæ inopiæ incommoda superat. Cap. XIX. 482 d
Variè propter CHRISTVM exercetur. Cap. XX. 483 a
De socijs ad Ignatium adiunctis. Cap. XXI. 484 f

Libri Secundi.

AEGER Hispaniam repetit. Cap. I. 487 a
Venetias ingenti labore contendit. Cap. II. 488 f
Venetias ad Ignatium socij veniunt. Cap. III. 490 d
Sacris initiatur Ignatius: & de rebus ab eodem, & socijs in Veneta ditione gestis. Cap. IV. 492 d
Ignatio Romam appropinquanti CHRISTVS apparet: & vnde Societas IESV nomen inditum fuerit. Cap. V. 493 b
Ignatius Romæ Christianæ rei dat operam: in Casinati monte animam Hozij cælum intrantem videt. Cap. VI. 494 f
Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudiendæ morem, & frequentem vsum Confessionis, & Eucharistiæ restituunt. Cap. VII. 496 d
Falsis criminibus circumuenitur Ignatius, & absoluitur. Cap. VIII. 496 f
Ignatius & cæteri Patres de constituenda Societate deliberant. Cap. IX. 500 d
Patres in varia loca Pontificis iussu discedunt. Cap. X. 501 a
Ignatius plebi fame periclitanti succurrit. Cap. XI. 503 a
Confirmatur à Pontifice maximo Societas. Cap. XII. 504 d
Præpositus Generalis creatur Ignatius. Cap. XIII. 505 a
Generalis Ignatius denuo Catechistæ munere fungitur. Cap. XIV. 507 a
Societas augetur, distribuuntur prouinciæ. Cap. XV. 508 d
Variæ in Ignatium tempestates excitantur Cap. XVI. ibid. f
Regimen fœminarum à Societate depellit Ignatius. Cap. XVII. 509 b
Honoribus in Societatem nostram Ignatius aditum obstruit. Cap. XVIII. 510 e
Confirmatur à Iulio III. Societas. Cap. XIX. 513 b
Magistratu sese abdicare conatur Ignatius. Cap. XX. 514 d
Societati in Hispania valde laboranti succurrit. Cap. XXI. 515 a
De Iulij III. obitu, & de Marcelli II. in Ignatium nostrosque beneuolentia. Cap. XXII. 516 d
Ignatij obitus. Cap. XXIII. ibid. f

Libri Tertij.

DE orandi assiduitate, & studio pietatis. Cap. I. 518 d
Quod eius fuerit de perfectione iudicium. Cap. II. 520 d
De caritate ipsius in Deum. Cap. III. ibid. f
De caritate in proximos. Cap. IV. 521 b
Mansuetudo eiusdem & comitas. Cap. V. 523 b
Grauitas eiusdem, & in custodia disciplinæ seueritas. Cap. VI. 524 d
Eiusdem animi submissio, & quid de Virtute obedientiæ senserit. Cap. VII. 526 d
Paupertas eius, & castimonia. Cap. VIII. 528 d
Aequitas animi, & constantia eiusdem. Cap. IX. ibid. e
Eiusdem ratio gubernandi. Cap. X. 531 b
Eiusdem ratio proximos adiuuandi. Cap. XI. 534 d
Vita eius quotidiana, & domestica. Cap. XII. 535 a
Pietatis opera publicè per eum instituta. Cap. XIII. 536 d
Quædam de Ignatio mira. Cap. XIV. 537 b
Eiusdem forma, & statura corporis. Cap. XV. 541 a

IN

IN EANDEM RERVM MEMORABILIVM INDEX.

ABDICARE ſeſe magiſtratu conatur Ignatius. pag. 514 d
Abſtinentia & ſobrietas eiuſdem. 463 c. 465 a
Accuſatoribus qua obſeruatione aures præbere conſueuerit Ignatius. 533 a
Adrianus VI. Pont. Max. 470 d
Aegrotorum curandorum lex. 536 d
Aenobarbus Archipirata. 488 f
Agni cæleſtis cærea effigies. 519 c
Alexandri Card. Farneſij pietas, & magnificentia. 507 b. 541. a
Alexander Petronius medicæ artis laude præſtãtiſſimus. 538 d
Alfonſus Fõſeca, Toletan⁹ Archiepiſcopus. 478 f
Alfonſus Salmerõ Toletanus, Ignatij ſocius. 485 c. ad montem Celſum ſecedit. 492 e
Ambitio & auaritia, duę perniciоſiſſimę mortalium peſtes. 514 f
Andreas Foxius, cognomento Aſparotus. 458 e
Andreas Gritus, Venetorum Dux. 471 b
Andreas Lipomanus, vir pietate & genere nobilis. 523 a. 540 e
Animorum curatio difficilis. 467 c
Antonius Araozius Hiſpanię prępoſitur. 508 e. eius litteræ. 539 a
Apoſtolorum limina, & præcipuæ religionis tẽpla noſtri Romæ obeunt. 491 c
Arbenſis Epiſcopus Ignatium ad ſacerdotium euehit. 492 d
Ardebalus Ignatij præceptor. 476 d
Artiaga ſe ad Ignatij inſtitutum aggregat. 476 f eius mors. 488 f
Auguſtinus quidam Auguſtinianus hęreticus noſtros Romæ inſectatur. 497 f

B.

BAiona, olim Aquæ Auguſtæ. 487 c
Baptiſta Viola Parmenſis. 540 d
Barcinone ſtudia litterarum Ignatius aggreditur. 475 b. 521 b. 537 c
Barptolemæus Guidicionius Card. 504 e
Baſſanum, oppidum agri Patauini. 492 e
Bellum inter Gallos, & Hiſpanos. 458 e. inter Venetos & Turcas. 492 d. inter Paulum IV. & Regem Philippum. 516 f
Benedictus Conuerſinus, vrbis Romæ gubernator. 497 c
Beneuolentiam ſuorum erga ſe quomodo aleret Ignatius. 532 f
Bernardina quædam Romana, filiam admotam Ignatij defuncti feretro ſanat. 538 f
Bernardinus Maffeius Card. 511 b
Bertramus Loiola. 457 b
Binſiniabum oppidum. 595 d
Bonę ſpei promontorium. 501 b
Bononiam Ignatius peruenit. 489 b
Bononiam veniunt Xauerius, & Bobadilla. 493 c
Baſilica ora. 501 b
Brixiam mittitur Claudius Iaius. 501 b

C.

CAlliſtus ſe ad Ignatij ductum aggregat. 476 f
Carcerem in Societatem induci nunquã permiſit Ignatius. 525 b
Caritas Ignatij in Deũ. 520 f. in proximos. 521 b
Caſtitatis laude inſignis Ignatius. 528 d
Caſtitatis virtutem in Societate magno ſtudio cuſtodiri voluit Ignatius. ibid.
Catecheſi Chriſtianę operam dat Ignatius. 507 b
Catechumenorum ædes, curante Ignatio, paratæ. 537 a
Cazeres Segouienſis Ignatij ſocius. 476 f. in patriam reuertitur. 488 f
Chriſtus tentationum iuſtiſſimus arbiter. 464 f
Chriſti patientię ſtudioſus Ignatius. 474 e
Circus Flaminius Romæ. 503 a
Claudius Iaius Gebennenſis Ignatij ſocius. 486 d Baſſanum ſecedit. 492 e. Brixiã abit 501 b. Tergeſtinorum Epiſcopatum reijcit. 510 f. & ſeq.
Collegium Montis acuti Pariſijs. 481 c
Collegium S. Barbaræ Pariſijs. 482 f
Collegium Hiſpanicæ nationis Bononiæ. 489 b
Collegium Germanicum Romæ. 537 a. 540 f
Collegium Lauretanum. 538 e
Compluti artium curriculum init Ignatius. 477 a
Concionantur Patauij Codurius, Hoziuſque: Ferrariæ Roterigius & Iaius: Bononiæ Xauerius, & Bobadilla: Senis Paſchaſius, & Salmeron. 493 c. Vicetiæ Ignatius, Faber, & Laines. 492 f
Concordia nihil valentius ad res arduas moliẽdas. 500 e
Confeſſio totius anteactæ vitę Ignatij. 462 f. iterum iterumque ab eodẽ repetitur. 465 b. quotidianæ cuiuſlibet omiſſionis. 518 f
Confeſſio generalis P. Fabri. 485 b. & aliorum ſociorum Ignatij. 486 d
Confeſſionis frequens vſus ab Ignatio & ſocijs Romæ reſtitutus. 496 e. commendatur ab Ignatio Barcinone. 521 b
Crucem pauci ex animo amplexantur. 487 c

D.

DAEMON Ignatium ab incepto reuocare conatur. 464 e. Ignatio difficultates repræſentat. 464 f. Ignatium à litterarum ſtudio remouere nititur. 476 d
Detractiones & ſuſurri animos diſiungunt. 506 e
Didacus Guias Cantaber. 489 b
Didacus Laſſus Ferdinandi Regis orator. 511 b
Dignitatis gradus perfectos viros requirunt. 511 c. à Societatis inſtituto valde alieni. ib.
D. Dionyſij Areopagitæ tutela. 486 e
Diſcretio ſpirituum, cõſummatæ ſapientię virtus. 459 c
Doctrinæ Chriſtianæ præceptis plebem imbuit Ignatius. 476 f. 487 c. 489 b. 496 e. 503 b.
Doctrinam Chriſtianam profeſſi tradere debẽt. 501 a.
Dominicani fratres Salmanticæ Ignatij doctrinam expendunt. 479 b
Domus profeſſæ egeſtati Romæ mirabiliter ſubuenitur. 528 f. 530 f

E.

ECclesia primitiua Ignatij quæ. 494 d
Ecclesia Rom. princeps magistraq; orbis terrarum. 496 e
Eleemosyna Ignatij in pauperes. 474 d
Eleemosynis vndique conquisitis alios subleuat Ignatius. 477 a
Elisabetha Rosella Ignatium victu benignè alit 475 c. pecunia eundem iuuat. 489 b. Romam venit. 509 b
Emendicat victum Ignatius Cõpluti. 477 a. Guipuzcoæ. 487 c. & socij Romæ. 496 d. 491 c
Erasmi libros abijcit Ignatius, & in Societate legi vetat. 476 e
Eucharistiam octauo quoq; die sumit Ignatius. 481 c. idem quotidie. 493 c
Eucharistiæ frequens vsus Romæ ab Ignatio, & socijs restitutus. 496 e. commendatur ab Ignatio Barcinone. 521 b
Examen conscientiæ bis quotidie habetur ab Ignatio. 481 c. item in singulas horas. 518 f. 535 b
Examen conscientiæ P. Fabri. 485 b
Exemplo vitæ ac morum nihil efficacius ad animos permouendos. 512 d
Exercitiorum spiritualium liber ab Ignatio cõscriptus. 460 e. à Rom. Pontifice comprobatus 467 c. Salmanticæ examinatur. 479 b. à sacro Inquisitore Parisijs receptus. 483 b. itẽ in Hispaniã. 529 c
Exercitijs spiritualibus perpolitur Faber. 485 b. Xauerius. ibid. c. & alij socij Ignatij. 486 d. itẽ multi Venetijs. 489 c. Romæ. 494 f. Nouitij probandi. 500 f

F.

FEminarũ regimẽ à Societate depellitur. 509 c
Feminarum consuetudo periculosa. ibi.
Ferdinandus Rex Rom. 510 e
Ferrariam venit Ignatius. 474 d. Rodericus & Iaius. 493 c
Fiduciæ diuinæ innixus Ignatius. 469 b. 470 f. 472 e. 489 a.
ad Fossam Clodiam Ignatius peruenit. 470 e
Franciscanę familiæ fratres Hierosolymis. 472 e
Franciscus Borgia Gandiẽsium dux, Societati se addicit. 513 a
Franciscus Mendoza. 480 d
Franciscus Michaëlius, vrbis præfectus. 509 a
Frãciscus Strata Ignatio se adiungit. 495 c. 519 b
Franciscus Xauerius Cãtaber Ignatij socius. 485 c. 491 a. primus in Iaponiorum terras Euangelium intulit. ib. Bononiam proficiscitur. 493 c. ad montẽ Celsum secedit. 492 e. in Lusitaniã tendit. 505 a. in Indiam mittitur. 502 e. Indiæ Prouincialis. 508 e. in Sinarũ aditu obit. 485 c
Francisci Xauerij per somnum visio. 502 f
Frias, Vicarius Salmaticensis Episcopi. 479 c

G.

GAspar Contarenus Card. 495 a. 504 e
Gaspar Doctus pro Ignatio & socijs. 499 a
Genuam proficiscitur Ignatius. 474 d
Georgius Nauerius, insignis doctor. 578 e
Germanicum Collegium in vrbe institutũ. 537 a
Giennium vrbs Bæticæ. 478 f
Grammaticæ rudimẽta discit Ignatius. 476 d. eadem Parisijs repetit. 481 c
Grana piacularia. 519 c
Greg. XIII. Pont. Max. 537 a. 541 a.
Guipuzcoa prouincia. 457 a. 487 c

H.

HAEreticorum fastus. 497 a
Hæretici ab Ignatio cum Rom. Eccl. in gratiam restituti. 485 a
Hercules II. Dux Ferrar. Ignatij & sociorum innocentiæ testimonium tribuit. 499 b
Hieronymo Arzio ægrotanti frequens adest Ignatius. 523 a
Hieronymi Arzij liberalitas. 528 f. 529 b
Hieronymus Verallus Legatus Apostolicus Venetijs. 490 d
Hierosolymitana profectio ab Ignatio decerni tur 469 a. à Paulo III. impetratur. 491 c.
Hierosolymam venit Ignatius. 472 d
Honoribus in Societatẽ aditus obstruitur. 510 e
Hortatur homines Ignatius ad odium peccatorum, amoremque probitatis. 479 b. 487 c. & se.
Hospitium S. Iacobi Parisijs. 482 e
ad Hospitalẽ domũ diuertit Ignatius 477 a. 487 c
Hozius Hispanus Venetijs Ignatio iungitur. 489 c. Taruisium secedit. 492 e. Patauium proficiscitur. 493 c. eius mortui animã cælos penetrãtem videt Ignatius. 495 b
Humilitas Christiana virtutum parens. 463 c
Humilitatis spiritum profitetur Societas. 510 f

I.

IACOBVS Gouea Lusitanus. 483 c. 501 b.
Iacobus Laines Ignatij socius. 485 c. Romæ sacras litteras profitetur. 494 f. cum Petro Fabro Parmam contendit. 501 b
Italiæ prouincialis. 508 E
Ieiunium P. Fabri. 485 b. F. Xauerij. ibi. c. & aliorum Ignatij sociorum. 486 d
IESV nomen vnde Societati inditum. 494 e
Ignatius etiã ante cõuersionem ab omni impietate atq; auaritia alienus. 457 c. in Pompelonensi obsidione vulneratus. 458 f. graniter ægrotat. 468 d. vrbanæ munditiæ apprime deditus. 459 b. lectione librorũ spiritualiũ conuersus. 459 c. ad Montem Serratum proficiscitur 461 a. singulis noctibus se acerrimè verberat. 461 c. singulis diebus ter sese flagellis cædit. 463 c. Marię virgini se voto castitatis obstringit. 461 C. in Maurum quendam irritatus. 462 d. de peregrinatione Hierosolymitana solicitus. 462. e. 469 a. quo anno militiæ Christianæ nomen dederit. 463 a. excessu quodam raptus 467 a. magnam rerum spiritualiũ peritiam nactus. ibid. cur interdum ab alijs ad prandium inuitatus, accederet. 468 d. inanẽ gloriã superat. ibi. f. à diuina prouidentia pendẽs. 469 b. in Italiã nauigat. 469 c. Romã ingreditur. 470 d. Adriani VI. pedes exosculatur. ib. Venetias ire parat. ib. e. à comitibus destitutus. ib. f. Venetias pductus. ib. nauigat in Palæstinã. 471 b. Palæstinæ loca sancta perlustrat 472 d. in Hispaniã redit. 473 b. ab Hispanis militibus contumelia affectus. 474 e. 475 a. artiũ curriculũ init Cõpluti. 477 a. in carcerẽ conijcitur. 478 e. 479 c. & se. Salmãticę examinatur. 480 e. extremã inopiã superat. 482 d. Philosophiæ studia aggreditur Parisijs. 482 f. sacrã Theologiã amplectitur. ib. variè ꝓpter Christũ exercetur. 483 a. ad sacrũ Inquisitorẽ Parisijs defertur ib. ab eodem Inquisitore absoluitur. ib. virgarũ periculo liberatus. 484 d. multos à turpi vita conuertit. 485 a. ęger Hispaniam repetit. 487 a.

Vene-

Venetias contendit. 488 f. sacris initiatur. 492 d. plebi Romæ periclitanti succurrit. 503 a. in culinæ ministerijs versatur. 506 d. Generalatu se abdicare conatur. 514 d. prophetiæ dono præditus. 538 f
Ignatij ortus & educatio. 457 a. acta in Mõte Serrato. 462 f. Minoressæ. 463 c. in Guipuzcoa. 487 c. Venetijs. 488 f. Vicetiæ. 491 f. Romę. 494 f. animi altitudo. 457 c. submissio. 526 d. æquitas 528 e. ardor in studio pœnitentiæ. 463 b. caritas in Deum. 520 f. in proximos. 521 b. castimonia. 528 d. cautio in negotijs gerendis. 458 d. constantia. 528 e. conuersio ad CHRISTVM. 458 d. Cõfessarius Dominicanus Salmanticæ. 478 b. alter ex ordine Minorum Romæ. 505 c. clementia & lenitas. 506 e. fiducia in Deo. 489 a. forma & statura. 541 a. grauitas & in custodia disciplinæ seueritas. 524 e. gubernandi ratio. 531 b. mansuetudo & comitas. 523 b. maturitas ac dexteritas in tractandis hominũ ingenijs. 418 d. Opera. liber Exercitiorũ. 460 e. libellus de rebus CHRISTI & sanctorum præclarè gestis. 461 a. liber de Trinitate. 466 f. epistola ad socios Lusitanos de Obedientia. 526 e. epistola ad Præpositũ prouinciæ Lusitaniæ. 532 d. commentarij de religione. 528 f. carmina Hispanica de B. Petri laudibus. 459 b. scripta de spirituũ discretione, & de moderãdis affectib⁹. 534 f. paupertas. 528 d. persecutio Lutetię. 483 a. Romę. 497 a. pietatis studiũ. 518 e. profectus in spiritu. 466 d. ratio proximos adiuuãdi. 534 d. scrupuli. 464 e. sermo de contẽptu rerũ humanarũ 480 d. studiũ ad proximos iuuandos. 467 b. 477 b. 479 a. 484 f. virtutes. 506 d. vita quotidiana & domestica. 535 a
Ignatio nocte vigilãti Maria virgo vnà cum paruulo IESV sese palam ostendit. 460 f. eidẽ Romã appropinquanti Christus apparet. 494 e
Ignatium socij omnes, vt parentem diligunt ac reuerentur. 486 f
Inanis gloriæ vitium superat Ignatius. 468 f
Indica expeditio nostrorum studijs apta. 501 c
Innocentij III. Papę lex de curãdis ęgrotis. 536 d
Ioannes Borgia Philippi Regis legatus. 519 a
Ioannes Codurius Ignatij socius. 486 d. Patauiũ proficiscitur. 493 c. Taruisium secedit. 492 e graui morbo laborat. 540 d
Ioannes Cruceius, rei domesticæ curator. 530 f
Ioannes Figheroa Vicarius Archiepiscopi Toletani. 477 c. 499 a
Ioannes Gallus Ignatij socius. 476 f. monasticæ se vitæ addicit. 488 e
Ioannes Moronus Card. 537 a
Ioannes III. Lusitaniæ Rex. 485 c
Ioannis tertij Lusitaniæ Regis curæ. 501 b
Ioannes Penna Ignatij in philosophia præceptor. 482 f
Ioannes Siliceus Toletanus Archiepiscopus, nostrorum infectator. 515 a
Ioannes Vega Hispanus. 508 e
Iulius III. Pont. Max. Societatem confirmat. 513 c. eius mors. 516 e

L.

LOiolarum familia. 457 b
Ludit trudiculis Ignatius. 523 b
Ludouic⁹ Cõsaluus dom⁹ Romanę minister. 524 f
Lusitani Brasilicã & Indicã oram aperiunt. 501 b
Lutetiam proficiscitur Ignatius 481 a
Lutetiæ Parisiorum descriptio. 482 e

M.

MAgnates in Hispania qui vocentur. 457 c
Malè nuptarum cœnobium ab Ignatio institutum. 536 e
Marcelli II. Pont. electio, atque obitus. 516 e
Margarita Austriaca, Octauij Farnesij vxor. 503 c 512 f.
MARIA virgo Ignatio noctu apparet. 460 f
Mariæ virginis patrocinium. 476 d. 486 e
Mariæ virginis ad Niues, ædes Romę. 493 b
S. Mariæ à Strata templum. 507 b
in Mariæ virginis honorem sabbata obseruat Ignatius. 478 e
Martinus Garzia Ignatij frater. 461 b
Martinus Luther hæresiarcha. 463 a
Martinus Olauius excellenti vir ingenio. 516 c. 529 b.
Matthæus Ori, Dominicanus. 483 b
Medicis valde dicto obediens Ignatius. 526 f
Mendicitas maximum affert detrimentum studijs. 482 d
Meretriculas ab impuritate auocat Ignati⁹. 521 a
Michaël quidam Hispanus. 538 e
Michaël Hispanus Romę nostros accusat. 497 b c idem exilio multatur. 498 d. 499 c
Michaël Turrianus in Lusitaniã destinatur. 531 c
Minoressa oppidum, hodie Manresa. 463 b
Mira de Ignatio. 537 b c
Missæ sacrificium Ignatij socij Vicetiæ primum faciunt. 493 b. Ignatius autem postea Romæ. ibid. 535 b.
Missionis Pontificiæ exordium nostris. 501 b
Modestiam scholasticis nostris commendat Ignatius. 525 b
Mons Serratus. 462 e f
Mons aureus Romæ. 540 d
Mons Casinas. 495 a
Mons Celsus, vicus agri Patauini. 492 e
Mons Martyrum extra Lutetiam. 486 e
Montis acuti Collegium Parisijs. 481 c
Mores nouos in Societatem induci non est passus Ignatius. 525 b
Mortificationis spiritus speculationis spiritui antefertur. 510 e
Muliebris sexus ad pietatem propensus. 477 c

N.

NEgligentem in quodam ministerio quẽdam arguit Ignatius. 524 f
Neophytorum ædes Romę. 537 a
Nicolaus Bobadilla Palentinus Ignatij socius. 486 d. Veronam proficiscitur. 492 e. Aenariã insulã petit. 501 b. in Brutios discedit. 505 a. in Indiam destinatus impeditus ischiade. 502 e
Nouitij Societatis quibus exercitationibus probandi. 500 f
Nouitios quotidiè legere soleret Ignatius. 533 b

O.

OBediẽs apprime magistratibus Ignatius. 477 c. summo Pontifici. 526 d
Obediẽtiæ sacrificio nullũ Deo suauius est. 500 f
Obedientiæ nexu nostri Christi Vicario mancipati. 501 c
Obedientiæ virtutem cæteris omnibus antefert Igna-

Ignatius. 526 d
Obedientiæ prèclarum exemplum. 527 B C
Oliuetus mons. 473 A
Orationi multum temporis tribuit Ignatius. 475 B
Orandi assiduitas in Ignatio. 518 E
Otium, vt omnium vitiorum fomitem, detestatur Ignatius. 525 A

P.

PAlæstinæ loca sancta perlustrat. 472 D
Parisij in D. Dionysij Areopagitæ tutela sunt. 486 E
Parthenonem S. Catharinæ à funarijs instituit Ignatius. 536 E
Paschasius Broetus, Ignatij socius. 486 D. Veronam tendit. 492 E. Senas. 501 B. Galliæ prouincialis. 508 E
Patauium ingreditur Ignatius. 470 F
Pauli III Pont. Max. laudes. 491 C
Paulus IV. Pont. Max. 516 F. 540 F
in D. Pauli æde, extra vrbẽ, nostri solemni professione suæ religionis vota suscipiunt. 506 D.
Paupertas volũtaria religionis murus est. 528 d
Paupertatis spiritum profitetur Societas. 510 E
Paupertatis amor summus in Ignatio. 506 E
Peregrinatione probandi nouitij. 500 F
Peregrinationis initium Societati. ibid. & seq.
Perfectionis studium. 519 B
Peruigilium armorum quid. 463 A
Petronius Pisaurensis tres germanos fratres ad Societatem perducit. 531 C
Petrus Apostolus Ignatio sanitatem affert. 459 B
Petrus Canisius Germaniæ Prouincialis. 508 E
Petrus Codatius Laudensis nomen dat Societati. 507 B. Procurator domus professæ Romæ. 536 E
Petrus Contarenus nobilis Venetus. 489 C
Petrus Faber Allobrox Ignatium primus sequitur. 485 A. alijs socijs præponitur ab Ignatio. 487 B. Theologiam Romæ profitetur. 494 F. in Germaniam ducitur. 505 A
Petrus Faber & Laines rerum spiritualium administri Ennio Verulano Card. dati. 501 A B
Petrus Mascarenias, Regis Lusitaniæ orator. 501 C. & seq.
Petrus Ortizius, Cæsaris Legatus Ignatium & socios ad Pontificem maximum introducit. 491 C. Petrum Fabrum in Germaniam ducit. 505 A. exercitijs spiritualibus ab Ignatio erũditur. 495 A
Petrus Ribadeneria Toletanus. 540 E
Philippus Archintus, Salassiorum Episcopus. 507 B. 509 A.
Pietatis opera publicè per Ignatium instituta. 536 d
Pontifici Romano suam operam defert Ignatius. 494 f
Præpositus Generalis creatur. 505 a
Principum Hispanorum filij quinam in patrimonio succedant. 457 b

Q.

QVæsitorum sacra tribunalia. 485 a
Querimonias suorum perbenignè audit Ignatius. 533 c
Quirinus Garzonius Romæ Ignatium & socios tecto recipit. 496 d

R.

RAuennæ quid acciderit cuidam ex Ignatij socijs. 491 b
Realdus Columbus egregius Anatomiæ magister. 517 b
Regulas perscribit Ignatius. 500 e
Rodulphus Pius Carpensis Card. Societatis protector. 513 b. 538 e
Roma vrbs, totius æquitatis parens. 498 f
Romam ingreditur Ignatius. 470 d. iterum. 495 c
Romam Patres vniuersi conueniunt. 496 d
Romæ Faber & Laines sacras litteras profitentur. 494 f
Romæ Confessionis & Eucharistiæ frequẽs vsus restitutus. 496 e

S.

SAlmanticam ad sua prosequenda migrat Ignatius. 478 f
Salmanticæ in carcerem conijcitur. 479 c
Scrupulorum molestijs agitatur. 464 e
Seminarium Clericorum in vrbe conditũ. 537 a
Senas proficiscuntur Paschasius & Salmeron. 501 b
Septem Vrbis templa Ignatius & socij obeunt. 505 c. & seq. 519 b
Sequana fluuius. 491 a
Simõ Roterigius Lusitanus Ignatij socius. 486 d Bassanum secedit. 492 e. in Indiam destinatus 502 e. in Lusitaniam proficiscitur. 505 a. item Ferrariã. 493 c. Lusitaniæ prouincialis. 508 e. bassani grauissima febri correptus. 539 b
Sinæ vltimi. 501 b
Sobrietas moderata animum vegetat. 468 e
Socij priores Ignatij. 476 f. inconstantes. 488 e
Socij posteriores Parisijs ad Ignatium adiunti. 485 a b. Romæ fictis criminibus circumueniuntur, & absoluuntur. 497. 498 f
Socij & Ignatius de constituenda Societate deliberant. 500 d
Socij in varia loca Pontificis missu discedũt. 501 b
Societas IESV vnde dicta. 494 e. minima ab Ignatio vocatur. ibid. confirmatur à Paulo III. Pont. Maximo. 504 d. item à Iulio III. 513 b. augetur, & distribuuntur prouinciæ. 508 d. humilitatis & paupertatis spiritum profitetur. 510 f. quibus artibus conseruanda. 511 c. varijs locis exercetur. 515 a
Societatis dignitati in posterum prouidet Ignatius. 498 e
Spectaculis publicis adesse nostros non facile permittit. 525 a
Stephanus Baroelius Nouocomensis. 540 e
Stephanus Guia Cantaber. 489 b
Submissio plurimum valet ad conciliandos homines. 505 c
Sudarium sacrum, in oppido Giennio celebratum. 478 d

T.

TAruisium secedũt Codurius & Hozius. 492 e
Tentatur à dæmone varijs artibus Ignatius. 464 e f. & seq.
Tentatione patriæ ac domesticorum nulla fere periculosior. 487 b
Terentium in scholis nostris explicari vetat Ignatius. 528 e
Theodosius frater ex ordine Minorum, à confes-

feſsionibus Ignatij Romæ. 505 c
Theologiam ſacram Ignatius Pariſijs aggreditur. 482 f
Timore humano agitatur Ignatius. 474 f
de Trinitate liber Ignatij. 466 f
Trinitatis miſterium Ignatio diuinitus innoteſcit. 466 f

V.

VALETVDINARII publici miniſterijs probandi nouitij. 500 f
Venetias Ignatius perducitur. 470. f. redit. 474 d
Venetiarum deſcriptio. 470 f
Verba ſuſpenſa & ambigua, vti ſubdola mendacij tegumenta, ſemper eſt deteſtatus Ignatius. 534 d
Veronam contendunt Paſchaſius & Bobadilla. 492 e
Vicetiam Ignatij ſocij conueniunt. 492 f
Vicetiam petunt Ignatius, Faber & Laines. 492 e
Vicetinorum liberalitas erga Ignatium & ſocios. 493 a
Vigilia immoderata vires frangit. 468 e
Vincentius Negoſantius Fanenſis. 492 d
Virtutis pulchritudo, & vitij fœditas explicatur ab Ignatio. 479 b
Viſionibus diuinis illuſtratur Ignatius. 466. e. f & ſeq.
Voto ſe obſtringunt Ignatius & ſocij. 486. e. 492. d. 506 d
Votum idem renouant. 486 e
Votum Ignatij perpetuæ caſtitatis & pauperta tis nuncupatum Venetijs. 492 d
Votis tribus ſolemnibus quartum addunt noſtri. 500 f
Vota ſuæ religionis noſtri in Petri, & Pauli ſolemni profeſſione ſuſcipiunt. 506 d
Vulgus pluma & folio leuius. 509 a

X.

XENODOCHIVM publicum diuertit Ignatius. 477. a 487 c.
Xenodochij miniſterijs probandi nouitij. 566 f

INDICVM FINIS.

